Lipomanus

SEPTIMVS TOMVS

VITARVM SANCTORVM PATRVM

QVAE A R. P. D. ALOYSIO LIPOMANO, EPISCOPO VERONENSI, EX PRAECLARIS AVCTORIBVS GRAECIS LATINE REDDITIS, IN HOC VOLVMEN COLLECTAE SVNT.

Cum scholijs aduersus recentium Hæreticorum deliramenta.



ROMAE.

Vincentius Luchinus excudebat 1560.

CONTINENTVR

VERO HAEC IN PRAESENTI VOLVMINE.

MENSIS MARTIVS, ET APRILIS VITARVM SANCTORVM EX SYMEONE METAPHRASTE, IN PRIMA PARTE.

VITAE ALIAE PER EVNDEM PARTIM DESCRIPTAE, PARTIM COLLECTAE, ET IN MONASTERIO CRYPTAE FERRATAE INVENTAE, IN SECVNDA PARTE.

PRATVM SPIRITVALE ET IPSVM EX GRAECIS VENIENS, IN TERTIA PARTE.

SANCTISSIMO, AC BEATISSIMO DOMINO NOSTRO DOMINO PAVLO DIVINA PROVIDENTIA PAPAE IIII.

ALOYSIVS LIPOMANVS EPISCOPVS VERONENSIS.

SEPTIMVS *iam, Dei fauente clementia, tuis ſub auſpicijs, Pater Beatiſsime, prodit de Vitis ſanctorũ tomus, totus & ipſe Græcis ex voluminibus ſumptus, quippe qui quod reliquum erat ex Symeone Metaphraſte, necnon ſpirituale Pratum, quod priſci patres* λειμωνάριον *dixerunt, in ſeptima ſynodo pro ſacrarum imaginum cultu, magno applauſu adductum, continet, vtrunq; ſanè opus latinis auribus ad hoc vſq; tempus incognitum. Confidimus aũt ex horum lectione duplicem ad Eccleſiam Dei fructum eſſe peruenturum. Primùm enim, quæ, & qualis eſſe debeat Chriſtiani hominis vita, mores, conuerſatio, diſciplina, patrum horum exemplis, qui extra omnem, vt dicitur, aleam fuerunt, tanquam in ſpeculo quodam, omnibus contemplari*

licebit. Palàm deinde fiet, quanta sit nostri temporis hæreticorum vesania, qui nouas in mundo serere blasphemias passim audent, ipsos se esse iactantes, qui nunc tandem post tot annorum curricula mundo lucem veritatis attulerint, & vera fidei dogmata, falsis è medio sublatis, patefecerint; cùm si quis hosce de Sanctorum Vitis libros diligenter perlegat, eadem semper fidei documenta, eadem sacramenta, patrum easdem traditiones, consuetudines, et ritus iam inde ab initio nascentis Ecclesiæ vsque ad hanc nostram ætatem seruatos esse, perspicuè intelligat, non ea, quæ ipsi nunc afferunt figmenta, & portenta. Viuat diu Sanctitas vestra, non quidem ad suum commodum (nam hæc vltima eius ætas, vt omnibus patet, ærumnis, & afflictionibus plena est) sed ad Dei gloriam, ad Ecclesiæ suæ sanctæ splendorem, ad bonorum exaltationem, ad iniquorum depressionem. Viuat denique, vt quam dudum in sancta mente sua de emẽdanda publica disciplina, & corrigendis moribus cogitationem, curamque suscepit, eam tandem, iuxta à Deo sibi insitum desiderium, ad optatum finem perducere possit. Tu enim, pater optime, is solus es, qui illud nobis abundè præstare valeas; nec alium vltra expectare debemus. Data Romæ in sacro Beatitudinis tuæ palatio, Calendis Iulij, Anno salutis nostræ M. D. LVIII.

ALOYSIVS

LIPOMANVS EPISCOPVS VERONENSIS PIO, BENEVOLOQVE LECTORI.

TOMVS hic ſeptimus in tres partes diuiſus eſt, quarum prima vitas Sanctorum mēſis Martii, & Aprilis continet, quas Symeon Metaphraſtes ſcripſit, & in Apoſtolica bibliotheca deerant. Secunda verò reliquas, quæ ab eodem conſcriptæ erant, ſed nullibi repertæ ſunt, niſi in Cryptę ferratæ monaſterio. Tertium denique locum obtinet Pratum ſpirituale, ipſum quoq; nunc primùm latinis cognitum. Sed fuſius de ſingulis in principio cuiuſq; partis affixa Epiſtola aget. Non ſunt omiſſa etiam noſtra illa contra hæreticos ſcholia, quæ & in aliis Tomis apponi conſueuere. Ea verò ſi obduratis in ſuis opinionibus nequaquam proficient, at probis tamen, & rectis corde, & qui ſecundùm ſanam fidem ambulant, magno erunt adiumento.

Hæc paucula ſunt, quæ ante voluminis lectionem præmonenda cenſuimus.

INDEX DVARVM PRIMARVM PARTIVM HVIVS SEPTIMI TOMI.

A

I

L

M

N

P

INDEX PRATI SPIRITVALIS, QVOD EST TERTIA PARS HVIVS SEPTIMI TOMI.

Admonitio

FINIS INDICIS.

CATALOGVS

CATALOGVS

EARVM RERVM, QVAE IN SEQVENTIBVS SANCTORVM VITIS CONTRA HAERETICOS NOSTRI TEMPORIS PRO CATHOLICORVM DOGMATVM VERITATE NOTANTVR, ET ILLORVM EXEMPLIS MVNIVNTVR.

BAPTISMVS.

EVCHARISTIA.

POENITENTIA.

ORDO SACER.

❡ Non omnes fideles ex æquo esse sacerdotes, vt quidam nunc mentiuntur.

❡ Diaconi, & Presbyteri, & Episcopi semper ordinati sunt cum impositione manuum. Et in ordinatione huiusmodi conferebatur gratia Spiritussancti.

❡ Episcopi semper ordinauerunt Presbyteros, & reliquos inferiores gradus, non autem Magistratus de consensu Plebis.

❡ Episcopos, & sacerdotes esse Regibus, & Principibus superiores.

❡ Si sacerdos libidine, & peccatis colligatus sit, non ob id perdit officium suum, vt quidam malè senserunt. Idem dicendum de quacunque alia potestate tam spirituali, quàm temporali.

MATRIMONIVM.

❡ Matrimonium esse Ecclesiæ sacramentum, quod & à sanctis plurimum commendatur.

❡ Multi sancti viri & mulieres in matrimonio constituti pluribus annis coelibem vitam duxerunt.

❡ Nunquam in Occidētali Ecclesia aliquis ad sacerdotium promotus est, quin prius habitæ coniugi renunciauerit, & illa pariter professa fuerit velle in continentia viuere. Quod & in Orientali quoq; Ecclesia quandoq; factitatum legimus, sed non semper. Vsus enim apud eam fuit perseuerare in matrimonio iam contracto ante sacerdotium. At nullibi vnquam inuentum est, quòd iam promotus sacerdos nuptias contraheret.

GRATIA, ET LIBERVM ARBITRIVM.

❡ Gratia Spiritussancti datur quærentibus, petentibus, pulsantibus. Et qui eam non quærit, non inuenit; qui non petit, non accipit; qui non pulsat, non consequitur. Nec tamen ob hoc gratia dari dicitur ex meritis, vel ex naturæ nostræ viribus acquiri.

FIDES, ET OPERA.

MERITVM.

In

MISSA.

ECCLESIA CATHOLICA.

EXCOMMVNICATIO.

PAPATVS.

SACRA SCRIPTVRA.

CEREMONIAE.

HABITVS, ET VICTVS.

IEIVNIA.

FESTI DIES.

SANCTI.

IMAGINES.

PVRGATORIVM.

VOTA.

COELIBATVS.

TEMPLORVM CVLTVS.

MORS, ET MORTVI.

SEPVLTVRA.

***

MONACHATVS.

HAERETICI.

In

FINIS TABVLAE

SCHOLIORVM.

SEPTIMI TOMI PARS PRIMA.

ALOYSIVS LIPOMANVS EPISCOPVS VERONENSIS

PIO LECTORI SALVTEM.

HABES in hac prima Septimi huius Tomi parte, optime Lector, reliquas Sanctorum vitas, quæ in libris Symeonis Metaphrastæ ex Vaticana Bibliotheca habitis, desiderabantur, Martium, & Aprilem menses complectentes. Defectum autem huiusmodi impetrato ab Illustrissimo Dominio meo Venetorum, qui in sua celebratissima Bibliotheca reperiebatur, codice suppleuimus: ex quo Vitæ hæ per eruditissimum nostrum Petrum Franciscum Zinum Veronensem, Lonati Archipresbyterum, desumptæ sunt, nunc primùm latinè ab eo redditæ: Licet & hic quoque liber nonnullis in locis mancus esset, & præ vetustate iam literæ intercidissent. Sed accipe sereno vultu, quod tibi præstare potuimus. In his verò, quæ non valuimus, excusatos nos habe. In toto igitur Quinto, & Sexto Tomo, atque huius Septimi principio, totum habes Metaphrasten, iam in Latinis Ecclesiis, non vt antea in Græcis duntaxat, commorantem: in quo omnes vitas, quas is per singulos ex duodecim anni mensibus distinctas descripsit, tua lingua versas legere potes. Quod vt sedulò facias, te etiam atque etiam admoneo. Videbis enim mirabilia in Sanctis Dei, videbis homines diuina gratia repletos in Angelorum puritatem euasisse, ac velut radiantissima sidera, Ecclesiam Dei illuminasse. Videbis demum animas in terris peregrinantes, continuè tamen in cœlo degentes, ibique omnem suam conuersationem, iuxta Pauli sententiam, transigentes; & adhuc corporeis vinculis alligatas, futuras quodammodo glorias prægustantes, & velut æternæ felicitatis arrabonem percipientes. Vale, & pro nobis Deum ora.

MENSIS MARTIVS.

MARTYRIVM SANCTORVM QVADRAGINTA MILITVM, QVOD APVD SEBASTEN VRBEM PERTVLERVNT.

IX. MARTII.

TEMPORE Licinii Imperatoris magna fuit in Christianos homines persecutio, & omnes, qui piè de Christo sentiebant, diis immolare cogebantur. Ad hoc autem diaboli ministerium propensissimus erat Agricolaus Præfectus perniciosus, atque sæuissimus. Christianis igitur, qui in exercitu militabant, imperabatur, vt diis sacrificarent. Erant porrò ex Cappadociæ regione, qui vno in contubernio piè Deum colebant, milites quadraginta, viri in bello fortissimi, atq; inuicti, quorum nomina hæc sunt: Domitianus, Eunoicus, Sisinnius, Heraclius, Alexander, Ioannes, Claudius, Athanasius, Valens, Helianus, Meliton, Ecdicius, Acacius, Viuianus, Heluius, Theodulus, Cyrillus, Flauius, Seuerianus, Cyrion, Valerius, Chudion, Sacerdon, Priscus, Euthicus, Smaragdus, Philoctimon, Aëtius, Michallius, Lysimachus, Domnus, Theophilus, Euthicius, Xantius, Angias, Leontius, Isychius, Caius, Gorgonius, Candidus. His comprehensis, Præfectus imperat, vt dæmonibus immolent; eosq; alloquitur ad hunc modum: Mutuam inter vos concordiam in bellis declarastis; qua quidem concordia victoriam exercitui peperistis. Eundem nunc etiam consensum, pari voluntate Imperatoris legibus obtemperantes, ostēdite, deisq;, priusquam suppliciorum vi cogamini, sacrificate.

Ad hæc sancti milites tyranno respondentes; Si pro mortali Imperatore pugnantes, inquiunt, vicimus, vt ipse testaris, infoelix, quantò magis pro immortali certamen subeuntes, malitiam, dolosq; tuos superabimus? Tunc Agricolaus Præfectus; E duobus, inquit, vtrum magis libet eligite, vt vel diis immolantes ad maiores dignitatis gradus ascendatis, vel id recusantes, ignominia notati, honore militari spoliemini. Considerate igitur, & eligite, quod vobis vtilius videtur. Sancti vero milites; Vtilitas, inquiunt, nostra Deo erit curæ. Præfectus autem; Omissis, inquit, nugis, crastina die ad immolandum diis accedite. Et eos in carcerem coniici iussit. Quò illi ingressi, flexis genibus Dominum his verbis precabantur: Eripe nos, Domine, à tentationibus, & à scandalis operantium iniquitatem. Cùm autem vespera aduenisset, cœperunt psalmum hunc canere, atq; dixerunt: Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cæli cōmorabitur: & quæ sequuntur. Cùmq; psalmum hunc perturissent, dimidium noctis insomnes trāsegerunt. Præcinebat autem illis Sanctus Cyrion. Sancti verò Candidus, & Domnus respondebant. Sed Dominus ipsis se perspicuum præbens; Initia, inquit, vobis præclarè se habent: sed qui perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit. Hanc vocem omnes audiuerunt, &

Orant sancti flexis genibus.

perterrefacti ad auroram vsq; insomnes permanserunt.

Præfectus autem, amicis omnibus conuocatis, sanctos adduci iubet, atque ita loquitur: Quæ in præsentia dicam, non loquar ad gratiam, sed vt sese veritas habet. Quotquot Imperator milites habet, nec sapientia sunt vobiscum, nec fortitudine, nec pulchritudine comparandi, neque ita diliguntur à me, quemadmodum vos. Itaq; nolite beneuolentiam in odium conuertere. In vestra enim est manu, vt vel odium à me, vel gratiam ineatis. Cui sanctus Candidus respondit; Cum moribus, inquiens, congruit nomen tibi, Agricolae; Es enim agrestis adulator. At ille; Nonne, inquit, dixi, in vestra esse potestate, vt vel odium, vel gratiam ineatis? At sanctus Candidus; Quoniã, inquit, hoc in nobis est, ideo te odio prosequimur; Dei autẽ nostri gratiã, atq; beneuolentiã quærimus. Tu verò, agrestis, & immanis homo, atq; inimice Deo nostro, noli nos diligere, cùm sis impius, atque inuidus, & ignorantiæ tenebris coopertus; ferisq; moribus agresti nomini respondeas tuo. His verbis Præfectus indignatus, & dentibus frendens, vt leo, iussit eos in vincula, atq; custodiam trudi. Sed sanctus Cyrion; Non habes, inquit, potestatem puniendi nos, sed tantùm interrogandi. Qua territus oratione Præfectus, iussit illos solutos in carcerem duci; Aglaioq; custodi, vt eos diligenter seruaret, imperauit. Ducis enim aduentum expectabat. At illi per totam diem, & noctem à sancto Cyrione erudiebantur, qui sic eos alloquebatur: Dei consilio factum est, amici, vt in hac caduca militia coniungeremur. Quamobrem operam demus, ne seiungamur. Sed quemadmodum vno animo, eademq; sententia viximus, sic etiam martyrium perferamus. Et quemadmodum hîc grati fuimus mortali Imperatori, ita immortali Imperatori Deo chari esse studeamus.

Diebus igitur septem elapsis, cum adhuc in carcere sancti detinerentur, Dux rediit Cæsarea. Cùmq; Sebasten ingressus esset, atq; in tribunali vnà cum Præfecto consedisset; octauo die sanctos in iudicium adduci imperauit. Eos autem in via sanctus Cyrion sic adhortabatur: Fratres, ne timeamus. Nonne cum essemus in prælio, Deum inuocauimus, & opitulatus est nobis, & vicimus? Memoria repetite, cum manus consereremus in magno prælio, & reliqui omnes se fugæ dedissent, & nos in hostium medio soli quadraginta relicti essemus, Deo cum lachrymis supplicasse, eiusq; auxilio partem ipsorum occidisse, partem ita profligasse, vt nemo ex nobis in tanta turba vulneraretur. Nũc autem tres sunt, qui nos oppugnant, Satanas, Dux, & Præfectus. Immo verò nos vnus tantùm hostis persequitur, qui non perspicitur. Vnus ergo quadraginta superabit? Absit. Id, quod semper fecimus, nunc etiam nobis faciendum existimo, vt ad Deum confugiamus. Hoc nobis opitulante, nec carcer nos lædet, nec tormenta, nec vincula. Nonne semper institutum hoc obseruauimus, vt prælium ineuntes psalmum hunc diceremus: Deus, in nomine tuo saluum me fac, & in virtute tua iudica me: Deus, exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei? Nunc item psalmum hunc dicamus, & exaudiet nos Deus, atque adiuuabit. Hunc igitur psalmum, dum ad tyrannos ducerentur, pronunciabant. Omnes autem ad spectaculum concurrebant.

Verùm cùm ad Ducis, & Præfecti præsentiam essent constituti, Dux, oculis in eos defixis; Isti cogentur, inquit, vt ad maiores honoris gradus velint conscendere? Et ad illos conuersus; Maximas, inquit, à me dignitates, & plura, q̃ alii, munera percipietis. Vobis iam datur optio, vt vel deis sacrificantes maxima dona, & maiorem dignitatem consequamini; vel si id facere recusabitis, honore militari priuemini, & suppliciis statim afficiamini. Candidus; Aufer, inquit, nobis non solùm militiæ honorẽ, sed etiam ipsa corpora.

Nihil.

Nihil enim Christo præstantius, aut magis præclarum existimamus. Tunc Dux imperauit, vt ora sanctorum lapidibus percuterentur. Candidus autem; O dux, inquit, tenebrarum, & totius magister iniquitatis, aggredere id facere, & videbis supplicium tuum. Tunc Dux dentibus frendens ad ministros ait: O serui pessimi, cur celeriter non facitis imperata? At illi, sublatis lapidibus, mutuis sese ictibus percutiebant. Sancti verò milites, re perspecta, confirmabantur. At Dux indignatione, atq; ira percitus, arrepto lapide, vt vnum è Sanctis militibus percuteret, eum in faciem Præfecti coniecit, & totum illi os contriuit. Tunc sanctus Cyrion ait: Qui oppugnabant nos, afflicti sunt ipsi, & ceciderunt. Verè gladius eorum intret in corda ipsorum, & arcus eorum confringantur. Per deos, inquit Præfectus, præstigiæ aliquæ præcesserunt. At sanctus Domnus; Per Christum, inquit, Deus præcessit. Ora enim vestra impudentia, quæ aduersus filium suum loquuntur iniquitatem, impleuit confusione. Non'ne erubescis, ebrie, tenebricoseq; diabole, & ab omni veritate aliene, qui scandala seminas? Tu caput es Diaboli, Agricolae; & Dux, qui tecum est, furoris caudam obtinet. Ambo estis Satanæ ministri. Nihil vos mouet primum experimentum tormentorum, alterum aggredimini. Ministri verò; O dementes, inquiunt, & ab omni deorum beneuolentia remotissimi, cur dijs non immolatis? Nos, inquit sanctus Cyrion, per Iesum Christum, in Spiritu Sancto, Deum vnum colimus, & certaminis nostri curriculum alacri animo conficere festinamus, vt fraude vestra deuicta coronas accipiamus immortalitatis. Tunc eos Dux in carcerem iussit abduci, vt quid de illis agendum esset, consideraret.

At illi, cùm in carcerem essent conclusi, psalmum illum canere cœperunt: Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis. Ecce sicut oculi seruorum in manus dominorum suorum; ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. Et quæ sequuntur. Qua quidem precatione persoluta, Saluatoris vocem, qui se illis perspiciendum præbuit, exaudierunt ita dicentis: Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet. Confidite, tormenta ipsorum nolite timere. Celeriter enim prætereunt, paululum sustinete, legitimè certate, vt coronemini. Hac illi consolatione Christi confirmati, noctem transegerunt. Sed cùm dies illuxisset, tyrannorum iussu è carcere in eorum conspectum adducti; Facite, inquiunt, quod vobis lubet. Nos enim Christiani sumus, nec idola volumus adorare. Diabolus autem dextera manu gladium, sinistra verò draconem tenens apparuit, & in aurem Agricolao dixit: Meus es; pugna. Tum Præfectus imperauit, vt funibus omnes vincti in lacum traherentur. Est enim apud Sebasten lacus, in quo magna est aquæ copia. Et quo tempore sancti Martyres cruciabantur, vehemens erat frigoris vis. Nudi igitur in medio lacu sunt constituti, cùm hyems esset, & diei hora acerbissima. Iam enim vesper appetebat. Porrò custodes vnà cum carnifice relicti sunt, qui illos obseruarent. Erat autem in propinquo balneum, cui ignem subiecerunt, vt si quis vellet deficere, posset ad illud transfugere.

Hora noctis prima Sancti frigore cruciabantur, & corpora illorum disrumpebantur. Verùm cùm vnus eorum rigoris impatiens ad balneum transfugisset, simulac calorem attigit, dissolutus est, & animam egit. At reliqui Sancti trasfugam conspicati, vno omnes ore, atq; vna voce dixerunt: Ne in fluminibus irascaris, Domine, neq; sit in fluminibus furor tuus, aut in mari indignatio tua. Qui enim à nobis defecit, tanquam aqua effusus est, & discerpta sunt omnia ossa eius. Nos autem à te non deficiemus. Viuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus; quem laudant omnes res procreatæ, dracones, & omnes abyssi,

ignis, grando, nix, glacies, & spiritus procellarum; qui ambulas super mare, tanq; super terram, & æstuantis impetus nutu manus tuæ mitigas, atque demulces. Et nunc idem es, Domine, qui precantem Iacob, & fratris Esau minas fugientem exaudisti; qui Ioseph adiuuisti, & conseruasti; qui Mosen ædentem signa, atq; prodigia in Aegypto aduersus Pharaonem, & populum ipsius, diuidentemq; mare, & populum tuum in deserto ducentem exaudisti. Qui sanctos Apostolos tuos audiuisti, nos item audi, Domine; Ne demergat nos aquæ procella, neúe absorbeat nos profundum, quoniam pauperes facti sumus valde. Adiuua nos, Deus Saluator noster, quia stetimus in profundo maris, & tincti sunt pedes nostri in sanguine nostro. Onere nos leua, & aëris acerbitatem mitiga, Domine Deus noster. In te sperauimus, & non sumus confusi. Intelligant omnes, nos ad te clamasse, & fuisse seruatos.

Circiter tertiam noctis horam, Sol eos circunfulsit ita calidus, vt est in æstate, frigusq; dissoluit, & aquam calidam reddidit. Custodes autem somno detinebantur, & solus clauicularius vigilabat; qui cùm illos precantes audiuisset, cogitaretq;, quomodo is, qui ad balneum profugerat, statim propter calorem interijsset, illi verò tanto in rigore frigoris adhuc viuerent; cumq; lucem circum illos cerneret, sublatis in cœlum oculis, vt videret, vndenam illa lux proueniret, conspexit coronas numero nouem & triginta super Sanctorum capita descendentes. Considerabat autem, quî fieri posset, vt cùm essent quadraginta, vna corona deficeret; & intellexit, eum, qui ad balneum transfugerat, ab eorum numero excludi. Itaq; custodibus excitatis, & proiectis vestimentis suis, in conspectu ipsorum insilijt in lacum, magna voce clamans, ac dicens: Ego quoq; Christianus sum, & in medio Sanctorum militum consistens; Domine Deus, inquit, in te credo, in quem & hi crediderunt; me ad numerum ipsorum ascribe, & dignum effice, vt pro te cruciatus, tormentaq; sustineam, atq; ita probatus inueniar.

At diabolus victus, & in hominis speciem mutatus, genua sua manibus complectens coram omnibus vociferabatur; Væ mihi, inquiens, à sanctis viris superatus sum, & factus sum omnibus derisui. Non habui socios, ac ministros vnanimes; neque enim victus fuissem. Quid reliquum est, nisi vt meorum principum animos conuertam, & Sanctorum corpora comburam, in fluuiumq; proijciam, ne reliquiæ ipsorum reperiantur? Sanctus autem Cyrion; Quis, inquit, deus magnus, sicut Deus noster? Tu es Deus, qui facis mirabilia. Eos enim, qui contra nos erant, pro nobis stare fecisti, & imminutum quartæ decadis numerum explesti, & satanam confudisti. Et canere cœperunt: Salua nos, Domine, quia defecit Sanctus.

Mane autem cùm impij Tyranni venissent, & clauiculariū cum sanctis reperissent, à militibus quæsierunt, quanam re perspecta adductus id effecisset. Milites autem responderunt: Nos graui somno oppressi detinebamur, cùm ille, qui tota nocte vigilauerat, repente nos excitauit. Et circum milites ingens lumen aspeximus. Ille verò statim, vestimentis suis abiectis, ad eos desilijt clamans, & dicens: Ego quoq; sum Christianus. Tunc Tyranni furore permoti, iusserunt eos vinctos ad ripam trahi, baculisq; crura eorum confringi. Vnius autem eorum mater Sanctorum animos confirmabat. Filius enim ipsius erat omnium natu minimus. Quamobrem metuebat, ne vi tormentorum in certamine se minùs fortiter gereret. Itaq; defixos in eum oculos perpetuò tenebat, manibusq; protentis, dicebat: Fili dulcissime, paululum adhuc perfer, vt perfectus sis. Ne timeas, fili; Ecce enim Christus adest adiutor tibi. At Sancti, dum disrumperentur, atq; animas agerent, dicebant: Anima nostra, sicut pas-

ser, erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum, & terram. Et omnes dicentes; Amen; animas Deo reddiderunt. Sed filius ille, quem mater cohortabatur, nomine Meliton, adhuc spirabat. Iusserunt autem Tyranni, vt sanctorum corpora plaustris imposita ad fluminis ripam veherentur, relicto iuuene, quem adhuc viuere existimabant. Sed mater, quæ filium solum relictum cernebat, reiecta imbecillitate muliebri, virilemq; animum, ac robur assumens, humeris suis filium imposuit, & strenuè plaustra sequebatur. Iuuenis autem, dum gestaretur à matre, lætus animam efflauit. Mater verò plaustra iam consecuta, super illa filium proiecit. Constructa autem, incensaq; pyra Sanctorum corpora combusta sunt.

At Tyranni se se mutuò conspicientes dixerunt: Si reliquias istas ita reliquerimus, eas tollent Christiani, & mundum vniuersum complebunt. Agè igitur ipsas in flumen proijciamus. Quo facto, reliquiæ nihil à flumine sunt imminutæ. Sed tertio post die Ciuitatis Episcopo Petro per visum Martyres aperuerunt, quo in loco reliquiæ seruarentur; De nocte, dicentes, veniens è flumine nos educito. Adhibitis igitur Episcopus clericis viris religiosis, ad fluminis ripam accessit. Et ecce reliquiæ Sanctorum in aqua, tanquam stellæ, 2 fulgebant. Et locus, vbi residebant, ab ipso lumine indicabatur. Assumptas igitur inde sanctorum Martyrum reliquias in loculis asseruauerunt. *Sic illi, qui decertarunt*, & coronati sunt in Christo, stellarum instar, in orbe lucent. Deo crediderunt, Christum confessi sunt, spiritum sanctum non abnegarunt, in Christo gloriam acceperunt, vitæ monimentum relinquentes ad salutem omnium, qui credunt in patrem, & filium, & Spiritum sanctum. Passi sunt autem sancti Martyres quadraginta, VII Idus Martij, Licinio Imperatore, immo verò Domino nostro Iesu Christo regnante; Cui gloria, & imperium in secula seculorum, Amen.

2 Vt ostēderet Deus Sāctorū reliquias esse venerādas, voluit has beatorū Martyrū in aqua, tanquā stellas, fulgere.

SANCTORVM CODRATI, CYPRIANI, DIONYSII, ANECTI, PAVLI, CRESCENTISQVE MARTYRIVM, QVO AFFECTI SVNT CORINTHI.

X. MARTII.

OMNES quidem Sanctorum celebritates, si verum fatendum est, laudibus prosequi debemus, vt à nobis pro viribus exornentur; sed hanc tamen potissimum, quæ sanctorum Martyrum concursu peragitur. Deo enim ab initio consecrati, ad id, quod omnium pulcherrimum est, peruenerunt. Nam cùm & temporis longitudine grauitatem essent assecuti, & exquisita viuendi ratione ad pietatis fastigium peruenissent, nihil tamen à se præclarè gestum, nihil laude dignum existimarunt, nisi prius sacra certamina subijssent. Itaque cùm magnam magnis in rebus virtutem præstitissent, hac tamen victoria cæteras obscurarunt; immo verò apud eum, qui præmia certaminibus proponit, hac reliquas etiam illustrarunt. Declarati sunt enim martyres generosi, & Dei Maximi imitatores. Ad summum igitur virtutis culmen prouecti, meritum à Deo præmium, melioremq́ finem, & quæ potest in hominem cadere, immortalitatem obtinuerunt. Qui enim apud Deum virtutis obtinet testimonium, is assequitur immortalitatem. Quamobrem Martyres ex operibus admiramur, qui virtutes amplexi voluptatibus renunciarunt, & animos suos fortitudine armantes omnem ignauiam repulerunt, totiq́ in spem victoriæ erecti, atque alacriter aduersa omnia perpetientes, in ea, quam sibi ab initio proposuerant, pietatis, ac religionis lege immobiles perstiterunt. Vbi enim præstat se fortiter gerere, q̃ cùm se Deus ducem præbet? Vbi satius est dare virtutis specimen, q̃ vnà cum Iesu Saluatore? Quæ porrò dulcior corona, q̃ illa, quæ nos cum præstantioribus coniungit? Ad hoc igitur signum Martyres respicientes, & ardentiori quodam sanctæ gloriæ de-

siderio inflammati, rerum turpium cupiditates reiecerunt, & in virtutis, atq; honestatis studium incumbentes, pulcherrimum posteris exemplum ad imitandum reliquerunt. Quæ enim tempore, atq; vsu sunt antiquiora, nos magis ad rerum honestarum studium incendunt.

Virtutum igitur inimicus, qui in multis sæpè petulanter agens, & ciuitates euertit, & falsos rumores disseminauit, & mentes hominum immutauit, & grauitatis pulchritudinem infecit, & omnia in deterius traxit, admirandis Christi pugnatoribus inuentus est imbecillior, cùm nec ab honesto illos proposito posset abducere, nec rationem ipsorum subuertere, quos Christus armabat. Itaq; impetus eius aduersus Sanctos nihil naturam illorum læsit. Quinetiam quemadmodum inuidia pulchritudinem corporis obtutu, tanquam morbo, frustra conatur inficere, atque corrumpere, cùm decor ipsius pristino in statu conseruetur; Sic etiam Martyribus accidit, quorum animi pulchritudini nec impetus inimici, nec res istæ caducæ quicquam obfuerunt. Nihil igitur metuens sanctorum Martyrum cœtus pari consensu ad fortiter agendum se comparauit; & strenuè ad sanctam gloriam, honorem'q; contendens, præmium est consecutus. Vbi primùm enim ad virtutis specimen exhibendum vocati sunt (quod quidem fuit, cùm militiæ Christi fuerunt ascripti) videre licuit, Christi chorum antecedentem militem Codratum, qui seipsum Deo primum dicare festinabat, illic velle educationis gratum animum ostendere, vbi Deo placuisset. Neque enim æquum est, vt rem admiratione dignam silentio prætereamus. Nam cùm educationem præter naturam habuisset, quantopere Deo esset charus, manifestum fuit.

Hic enim iam inde ab ipsis incunabulis nutrimentum incertum habuit; quippe qui matrem adhuc infans amisit, & maternis vberibus caruit. Christus autem illi signis minimè obscuris alimenta subministrauit, cùm eius iussu nubium globus è cœlo infantem amplecteretur, alimentum'q; suppeditaret, vnde ipse quantum satis esset in futurum, percipiebat. Verùm cùm adoleuisset, ætati congruentem disciplinam percepit; & in primis rudimentis didicit medendi facultatem. Vir autem effectus, pariter cum disciplina naturam diuiniorem, & perfectiorem assumpsit, continuò'q; declarauit, quisnam esset futurus. Omnes enim labores, fortitudinem'q; complexus, factis gloriam confirmauit, cùm à Christo, quò ipsi placebat, duceretur.

Iason igitur Græciæ Præfectus, post immane Decij, & Valeriani Imperatorum mandatum, ad crudelitatem se instruens insurrexit aduersus Christianos, timorem'q; singulis iniijciens, tormenta, atq; cruciatus minabatur, nisi eos dicto audientes reperisset. At primùm quidem pulcherrimi cœtus principem sic est aggressus: Codrate, quæ te væsania ducit, vt tantam cruciatuum acerbitatem velis experiri? Aut quæ te spes mouet, vt intrepidè carcerem, ac vincula negligas, sponte'q; patriam amittas, & ab amicorum consuetudine diuellaris? Cur non potius Imperatorum decretis obtemperans, & dijs immolans nobiscum eligis beatus esse, & amabili vitæ præsentis iucunditate frui? His ille conabatur sanctum virum à recta ratione deducere. Codratus verò blanda Præfecti oratione, qua nefarius animus tegebatur, neglecta, respondit; Nemo, inquiens, cui naturæ ratio cognita sit, iucundam esse vitæ gratiam negabit. Sed tamen hanc Deus largitus est. Quamobrem necessarium est, vt tanti muneris largitorem virtutis studio commendemus, & eius gloriam testimonio nostro propagemus. Neq; verò tanti faciendum est huius vitæ tam breue curriculum, vt illius amittendæ metu, adorationem, quæ Deo soli conuenit, ido-

lis tribuamus. Quem porrò Deum meliorem possumus appellare illo, qui summis nos ab initio, perpetuisq; beneficijs cumulauit? Ex tot autem, ac tantis beneficijs, quem nisi Christum possumus Saluatorem cognoscere? Aut quem Saluatorem prædicare fas est, nisi Iesum, qui pro nobis cruciatus, & mortem pertulit? Illud in primis ad virtutem nobis propositum est, vt pro vera pietate, ac religione tormenta superemus, nec vllis vnquam difficultatibus ab ea deficiamus. Qui autem diuinorum mysteriorum studiosos, amantesq; conantur corrumpere, eorum & animus impius est, & oratio detestanda. Præstat autem, quæ meliora sunt, imitari. Illud item cogitandum est, non eos protinus sequendos esse, qui probitatis speciem præseferunt; sed res & facta esse perpendenda; quæ si praua sint, maior periculi timor est. Scito igitur, nos maiorum instituta complectentes ad ea, quæ meliora sunt, tendere. Quare ne studeas nobis inimicissimis persuadere, vt ad partes tuas transfugiamus, neque vt Christum relinquentes aliò nos conferamus. Veritas enim nobis adest consiliaria; pietatisq; leges ad persuadendum vim habent maximam. Hæ nos genere, moribusq; similes Deo coniungunt. Illud præterea consideremus, communi naturæ lege omnibus esse moriendum, & ab ea quidem necessitate liberum esse neminem: Quæ autem fortiter, & ex virtute geruntur, ea viris bonis gloriam parere sempiternam. In hoc animi proposito permanentes, & in hac sententia confirmati, præclarum imitari volentibus exemplum relinquemus. Nam qui rectè sentiunt, nihil aliud student, nisi vt ad ea, quæ præstantiora sunt, habeant occasionem.

Ad hæc Præfectus; Codrate, inquit, si iam inde ab ipsa pueritia Dei beneficijs adductus, eum tibi meritò colendum putas, rectè facis, teq; gratum hominem præbes. Verùm vide, ne dum alterum Christum prædicas, inaniorem Dei naturam asseras. Tum Codratus; Si vis, inquit, Præfecte, indignatione deposita, veritatem aspicere, & animum à crudelitate ad mansuetudinem reuocare, quamuis magnis de rebus loqui difficile sit, & ego tanto oneri sustinendo impar sim, tamen aliquid dicam. Admirabilem, ait Præfectus; naturæ Christi rationem perspicuè declarato. Tum Codratus; Principium, inquit, mundi procreationis Deo quidem cognitum erat, Verbo autem perfectum fuit. Ac patris quidem voluntas fuit, procreationis autem actio à filio habuit constitutionem opere confirmatam: Cum igitur præfinitum à Deo tempus affuit, cæteræ quidem res omnes præclarè factæ sunt, quas quidem opifici Verbo placuit in mundum inducere, initio, atque fine singulis constituto: Sed cùm rerum vniuersitatem mente, ac scientia immensa perfecisset, eaq; ratione diuina regeret, ac gubernaret; vellet autem aliquos esse, qui bonis fruerentur, & in ijs, quæ fabricauerat, habitarent, opifex ipse condidit hominum genus, vt ei totam hæreditatem assignaret; & cum ratione quadam sensus dimensus esset, & genus ipsorum corporibus varium effecisset, animas immisit, eosq; in loco deliciarum collocauit. At illi, rerum vniuersitatis perspecta varietate, statim gauisi sunt, & plantis fruendi potestatem acceperunt.

Cogitantes autem, quàm præclara conditione, atque ordine constituti essent à Deo, æquum esse iudicarunt, vt se se illi gratos præstarent, atque ita virtutis viam ingressi sunt. Verùm impostor ille callidissimus rabie furens, & oris veneno dolos illinens, dolores, quos intus gerebat, in eos euomuit, & pro viribus cupiditates illis iniecit, vt à diuina vitæ conditione miseros exturbaret. Dignitatem igitur ipsorum polluens, volentibus errorem immisit. Ex

quo factum est, vt qui cum Deo versabantur, in exilium eijcerentur; & qui bona mente gloriæ diuinæ participes extitissent, cupiditatibus inuoluerentur. At Deus misericordia motus, & imbecillitatis humanæ rationem habens, non diuinitate nuda, sed carne contecta, voluit nobiscum versari, vt ad nos miseros, ac perditos accedens à seruitutis vinculis liberaret, & mortis imperio subditos in libertatem restitueret. Itaque sanctum Verbum suum extremis temporibus in casto virginis Dei genitricis vtero sic voluit inhabitare, vt totum hominem indueret. Quæ quidem Virgo concipiens è Spiritu sancto, Deum humana forma indutum ædidit. Atque ita oculis verè perspectus est, quem Christum esse dicimus. Hic ita se hominum cognitioni patefecit, vt cùm Deus sit, corpoream è Virgine nascens formam assumpserit. Et aduersus instabilem potestatem pugnans, amplissimos sibi benemerendi terminos statuit, eos nimirum, quos illi pater præfinierat, mortis decreta abrogans, eiusq; fila rescindens diuinitatis potestate. A' qua quidem benignitatis communione neminem repulit. Et Saluator vocatus est primus, qui populos vniuersos, & integras regiones ab interitu, atque periculis liberauit, & humanitatis thesauris patefactis, munera sua voluit omnibus esse communia. Cùm igitur omnes à tyrannica confusione liberauerit, omnem hæreditatem suam ab exitio liberam, incolumemq; conseruat. Nihil enim Christi præsentiam, cognitionemq; fugit, non ortus initium, non vitæ spatium, non mortis exitus, non aliud quippiam, quod in cognitionem cadat. Sed quæ Patris decreto facta sunt, hæc filio sunt ad opus perspicua. Hic est ille Christus, quem prædicamus. Hic est ille, cui generis humani salus curæ fuit. Hic est ille, qui gratiæ nobis magnitudinem elargitur; qui ad benemerendum semper, & vbique præsto est, ne rectam viuendi rationem negligamus.

Præfectus, & si Codrati responsum admirabatur, tamen cùm ad veritatis fidem venire non posset, De rebus, inquit, sublimibus, Codrate, mihi videris nugas confingere, qui perturbationibus humanis Deum subijcias, cumq; dicas mulierculæ gremio potuisse comprehendi, quæ vterum gerens Christum pepererit; atque ita Deum in terra visum esse corporis formam gestantem, alibi autem esse verum Deum. Pietatis arcana perscrutari profanis non licet, inquit Codratus; nec eius cognitio parua est, aut facilè comparatur; neque nos permittemus, vt homines impuri sacris perspiciendis admittantur. His se filius Dei sponte subiecit, vt Deus idem, atque homo esset, & vt nos è dæmonum eriperet seruitute. Tu autem ista tua peruersa audacia impietatis iudicium in te moues. Neque enim improbitate tua studium nostrum corrumpis. Natura enim vbique dominatur: Et actiones seruiunt voluntati. Præfectus autem, vt à virtute alienus, & veritatis rationem non intelligens, egregium Christi seruum virgis cædi iussit. Ministri verò homines ignauissimi, virgis admotis, cruciatuum immanitate sæuiebant. At Codratus tormentorum victor; Ignoras, inquit, Præfecte, quicquid à violentia proficiscitur, esse contrarium libertati, nec vllam ad persuadendum vim obtinere? Qui enim cogit, se iniustum, atque improbum esse significat; qui verò suadet, & hortatur, is se mansuetum, humanumq; declarat. Quamobrem cùm te virtutis expertem indices, indignum ostendis, cui fides habeatur. Ne putes nos metu virtutem, atque honestatem deserturos, aut morum abiecturos grauitatem. Cùm enim Christi studiosi, amantesq; simus, eum solum confessionis habebimus adiutorem. Is nobis ærumnas omnes præmiorum spe le-

niet, ac mitigabit, docebit'q; nos, non esse cedendum aduersarijs. Tantùm in periculis virtus valet. Et viris constantibus præclara proposita sunt præmia.

Tum Præfectus primi fortitudine territus, ad alterum se se conuertit, & blanda, dulciq; oratione in sententiam suam adducere conabatur. Cyprianus autem adolescens, quanuis primò pubesceret ætatis flore, tamen libertatis dignitatem considerans, se se ad perferendos cruciatus parabat. Et Codratus hic item animo ad Christum properans, socijs generosis, rectè'q; secum, ac piè sentientibus consilia tempori conuenientia suggerebat; Moneo, inquiens, vos, ò rerum pulcherrimarum socij, vt memineritis, quàm multa vobis bona proposita sint, tum gloriæ propter religionem, tum honoris, quem à Deo consequemini, tum auxilii, quod vobis à Christo de cœlis præsens aderit, in primis'q; quòd Iesu misericordia digni existimemini. Nunc igitur virtus exploranda est, nunc tempus postulat, vt vos maiore dignos admiratione præbeatis, vt alacri animo legem adimpleatis, vt morum vestrorum specimen detis, vt re ipsa, atque factis professionem vestram comprobetis. Nunc boni à malis discernentur; Nunc in conseruanda pietate custodia maior adhibenda. Cauete ne dispari morum ratione discrepetis: Sed eandem pietatis normam sequimini, vt qui à tali Deo iudicandi sitis. Virtutis viam ne deseratis, qui iam iam cum Christo perfecti estis futuri. Deum bonum bona mente comprobate. Nolite propter adolescentiam ignauiæ succumbere. Cogitate in foribus esse certamen, & iuuentuti pro pietate, quæ nos Deo coniungit, pericula iucunda esse debere, cui vires suppetunt, & nerui vigent. Vos igitur mutuò cohortamini; certatim in hoc pietatis studium incumbite; idem sentite; tormentorum formidine nolite deficere: Sed cruciatibus corpora tradentes, dolores æquo animo tolerate, vt victoriam adepti, gloriam consequamini, in martyrum ordine, ac numero collocati. Hac Codrati cohortatione iuuenes alacriores, & fortiores reddebantur.

Præfectus autem hortatorem, & consiliarium audiens cruciabatur, quòd se ab eo, quod sperabat, depulsum intelligebat. Iracundia autem sæuiebat, quòd adolescentes decipere non posset. Quanuis enim singuli ætate essent iuuenes, virtutis tamen proposito se viros præbebant. Itaque cùm & Cyprianum multis verberibus tentasset, ab eo victus erubescebat. Primus igitur pugil ante alios confessionis coronam adeptus est. Alter autem æmulationis pulchritudine primum imitatus, magno tempestatis æstu superato, cum illo in Christo se se coniunxit. Nec tertius, nomine Dionysius, inferior fuit; sed illos spectans, socius eorum fieri festinauit, quanuis tortores eum à Christo studerent abalienare. Quartus verò, qui Anectus appellabatur, ductus est; qui cùm torquentium crudelitate victoriam amissurus existimaretur, neglexit vim tormentorum, nec vllam cruciatuum acerbitatem recusauit. Qua re perspecta, Princeps fortitudinem hominis admiratus, atque impietate furens, quintum ad quæstionem adduci iubet, cuius præstantiam vel nomen ipsum declarabit; Paulus enim vocabatur. In hunc item crudelitatem suam tortores vt exercerent, Præfectus imperauit. At Martyr futura contemplans, propositi sui excellentiam ostendit. Neque enim Tyranni contumelia fractus, grauitatem abiecit; sed præcedentes socios assequendi studio incensus, libenti animo certamen subijt. Inuidia verò rectè factorum inimica, hunc frustra propositis cruciatuum doloribus territans sequebatur. At Crescens cùm consideraret, semper esse difficile Principibus aliquid

aliquid persuadere, in medio suis virtutis specimen dedit. Cùm enim ad maiora tenderet, egregium se pugilem, & sacro sociorum cœtu dignum præstitit; & firmam futuri præmii spem habens, victoriam reportauit.

Cæterùm dum carcere, tormentisque constantiam Martyrum exploraret Princeps insanus, & singulis periculosorum terrorem incuteret, eos salutis cursum perfecturos non putabat. Verùm vbi animos ipsorum intrepidos vidit, cruciatuumque victores, non dubitauit ampliùs; quin victoriæ præmia apud Deum essent habituri. Itaque supra quàm decet, ira permotus, talem in viros innocentes sententiam tulit, vt capite plecterentur, & singulos singulos sequerentur carnifices. Sanctos igitur Martyres totidem numero fraudis ministri, vt facerent imperata, traxerunt ad locum, vbi in homines sceleratos solet animaduerti, vbi damnati bestiis obiiciuntur, & vbi gladiatores mutuis ictibus, quos pedum celeritate, & saltu declinare non possunt, sese trucidant, vt spectantium oculi immani voluptate delectentur. At Martyres, hoc etiam in loco difficultatibus superatis, hymnum victoriæ signum Christo canere studuerunt, vel ei precibus initiarentur. Et ministros, vt studio suo obsequi vellent, obsecrabant. Qui licet acerbi, sæuique essent, tamen, eorum optatis acquieuerunt.

Sancto igitur spiritu afflati, sic vna omnes voce precabantur: Deus, qui diuinam harmoniam concordem, indissolubilemque fecisti, & labentem ordinem nutu confirmas tuo; qui varios cœli cursus ita moderaris, vt mutuò inter se coniuncti diuersis necessitatibus seruiant, & perpetuas eximis naturæ inimicitias; qui Solis ortus, & occasus intueris, & cursum eius instabilem dirigis; qui cœli stellas, & sidera, & pulchritudinem Lunæ, & amplitudinem ætheris, & quicquid à diuina quiete seiunctum est, fabricatus es, atque exornasti, Pater cœlestis; qui terram terram ambientium motus perpetua celeritate confirmas; qui temporis spatia quaternis tempestatum varietatibus temperas; cuius mandato ex arboribus flores, fructusque proueniunt; qui grauissimi hostis diaboli impietatem à nobis repulisti; qui peccati maculas nobis abstersisti, vt arcanis nos signis renouares, Christe Iesu; qui ex antiquo peccati genere nos eruisti, & meliorem spem in futurum adiecisti; qui ea, quæ Patre sunt digna tuo, perficiens, in immensum potestatem tuam propagasti; qui tutam, & facilem viam proponis, & per illam iter facientes ad te ipsum trahis; qui tuo egentibus auxilio promptus ades, maioremque gratiam tribuens, nobis, tanquam amicis, quæ commoda, opportunaque sunt, subministras; Tu nobis vitam educatione dignam dedisti, & facta professioni congruentia largitus es; Tu nobis sacrorum sermonum, & exercendæ pietatis es auctor; Tu nunc ordinem nobis ostendisti, & ad præbendum virtutis specimen euocasti, vt quod honestum, atque vtile est, eligamus; Tu non permisisti, vt aduersarii crudelitati, atque minis succumberemus; Tu perfecisti, vt omnes tormentorum acerbitates victoriæ præmiis inferiores iudicaremus, vt ad seruorum tuorum numerum ascribamur. Deus, qui antequàm pateremur, effecisti, vt quæ futura sunt, omnem spem superantia cerneremus; qui te ipsum dignis fruendum, & sanctam personarum Trinitatem in vna essentia cognoscendam studiosè contemplantibus præbes; & bis trinam profectò societatem nostram vna mente coniunctam tibi conciliasti, vt libero pietatis cursu confecto, & decurso veræ victoriæ stadio, regnis cœlestibus admitteremur, largire; per sanctum filium tuũ, vt in hoc pio proposito constantes simus, quò puris lucis radiis in cœlum sublati, apud te victoriæ præconium concinamus.

Hac precatione absoluta, malorum operariis ceruices obtulerunt. Qui gladiis dexteras manus armantes, singulis ictibus, magna spectantium commisera-

tione capita Sanctorum obtruncarunt. Madebat subiecta terra sanguine passim irrigata; & locum illum ingens occupabat mœror; & tristes quædam tenebræ ciuiatis oculis ciuium suorum cædem indignè ferentis offundebantur.

Rem nobis memoratu dignam diuinorum Martyrum celebritas suggerit, quæ rerum gestarum certissimum posteris testimonium afferet. Nam simul ac à sacris pugnatoribus certamen peractum est, & corpora sunt exuta, Christus maximum illis remunerationis signum dedit; quod quidem omnes, qui ad spectandum accedunt, admirantur. Quemadmodum enim Deus incolis concessit, vt sancti Martyres apud eos certamen absoluerent; sic etiam dignis magnam gloriam confirmauit. Duplici igitur spectaculo, qui præsentes erant, variè sunt affecti, tum misericordia, tum admiratione; misericordia, calamitatem humanam considerantes, admiratione, id, quod Christus incredibile, ac nouum effecerat, obstupentes. Prædicabant omnes diuinum opus, quod sponte Deum cognoscentibus apparuerat. Nam vbi Martyres mirabile lucrum perceperunt, ibi Dei iussu clari fontis latices emanarunt. Ibi decliuis fluento aditus patuit, vbi sacrati Deo viri gloriam pertulerunt. Prope sacram ædem nimirum, quæ seruando sanctarum reliquiarum pignore digna fuit.

Ita Christus iustum se iudicem præbens, eos, qui mutua, & pia beneuolentia coniuncti sunt, qui sacra nunc certamina subeunt, lætantes accipit; sacrisq; coronis redimitos Martyrum laudibus exornat; vltores autem, ac vindices inimicis suis in futurum parat. Sic illi, qui virtutem complexi se viròs fortes, ac strenuos in rebus arduis præstiterunt, & cum Christo coniuncti sunt, non solùm à præsentibus laudantur, sed ex vltimis terrarum finibus visuntur; & tanquam mundi stellæ cœtu suo coronam conficiunt. Certatim igitur homines pii, & omnes, qui rectè factis dignam mercedem propositam esse conspiciebant, congredientes, corpora Sanctorum sacris in loculis collocarunt; vbi sanctorum Martyrum cœtus celebratur.

Aequum est igitur, fratres, vt considerantes præsentia sic à Christo disponi, & gubernari, vt perpetuò nobis afferant vtilitatem, eos, qui lege diuina ipsi consecrati sunt, quiq; se cæteris hominibus præstantiores exhibuerunt, & Christi ærumnas delicijs prætulerunt, meritis laudibus celebremus, eosq; ad maiora contendentes studeamus imitari. Quoniam est gloria, honor, & Imperium Deo patri, & filio, & spiritui sancto, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

MARTYRIVM SANCTI PIONII PRESBYTERI, ET SOCIORVM.

XI. MARTII.

APOSTOLVS monet, vt Sanctorum memoriam celebremus, minimè ignorans, nos, dum eos, qui toto animo in fide sana permanserunt, celebramus, ad ea, quæ præstantiora sunt, imitanda concitari. Quod cùm ita sit, Pionij Martyris memoria nobis præcipuè colenda est, qui tunc etiam, cùm in mundo peregrinaretur, multos ab errore reuocauit, & vir apostolicus nostris temporibus fuit. Cùmq; martyrio coronatus ad Dominum vocatus est, admonitionis gratia hoc nobis virtutis exemplum reliquit, vt nunc etiam doctrinæ ipsius monimenta haberemus.

Vigesima tertia mensis Februarii die, cum Sabbatum magnum instaret, natali scilicet beati Martyris Polycarpi, vigente Decii Imperatoris persecutione, Pionius Presbyter, & Sabina veræ pietatis studiosa, & Asclepiades, & Macedonia, & Linus Ecclesiæ Catholicæ Presbyter comprehensi sunt. Pionius igitur pridie natalis diei sancti Polycarpi futurum præuidit, vt eo ipso die caperentur. Itaq; cùm simul cum Sabina, & Asclepiade ieiunans se postridie comprehensos iri prospexisset, sumptis tribus cathenis connexis, colloq; suo, & Sabinæ, & Asclepiadis iniectis, domi expectabat. Id autem fecit, tum ne ab amicis abducerentur, tum ne posset aliquis suspicari, se, vt reliquos, ad ea, quæ idolis essent immolata, comedenda duci velle; & vt omnes intelligerent, se statim in carcerem duci decreuisse. Cùm igitur precationibus incubuissent, & Sabbato sanctum panem, & aquam cœpissent, superuenit Polemo æditumus cum satellitibus suis, vt homines Christianos quæreret, cosq; ad immolandum idolis, & comedendum ex iis, quæ fuissent immolata, perduceret. Et Aedituus; Nostis, inquit, planè decretum Imperatoris, quo vobis iubetur, vt diis sacrificetis? Cui Pionius; Nouimus, inquit, mandata Dei, quibus imperat, vt ipsum solum adoremus. In forum igitur, inquit Polemo, venite, & illic obtemperabitis. At Sabina, & Asclepiades dixerunt: Nos Deo viuenti obtemperamus. Ducebat igitur eos, sed sine vi. Cùm autem ire pergerent, viderunt omnes, eos vincula gestantes. Quamobrem re noua commotus populus celeriter concurrebat, & præ multitudine mutuò premebantur. Et cùm in forum venissent, & in porticu ad Orientem sita, ad portam duplicem constitissent, impletum est totum forum, & superiores porticus tum viris Græcis, atque Iudæis, tum etiam mulieribus. Nam cùm magnum esset Sabbatum, feriebantur. Quinetiam fundamenta, arcasq; conscenderant, vt spectarent.

In medio igitur cùm stetissent; Satius est, inquit Polemo, ò Pioni, vt quemadmodum omnes faciunt, vos quoq; pareatis Imperatori, & simulachris immoletis, ne puniamini. At Pionius, extensa manu, hilari vultu causam suam defendit; Viri, inquiens, Smyrnæi, qui & vrbis pulchritudine, & melle Homerico, vt dicitis, gloriamini, & siqui sunt inter vos, Iudæi, audite me paucis perorantem: Audio vos risu, gaudioq; eos, qui transfugiunt, suscipere, perinde quasi ridiculum aliquid, ac leue sit id, quod agunt, dum idolis sponte sacra faciunt. Atqui æquum erat, Græci, vt magistrum vestrum Homerum audiretis, qui hominum interitu lætari pium esse negat. Vobis autem, Iudæi, Moses ita iubet: Si videris iumentum inimici tui cecidisse, & sub onere iacere, ne præterieris; sed ipsum excitato. Aequum item erat, vos Salomonem audire, qui; Si ceciderit, inquit, inimicus tuus, ne gaudeas, & calamitate ipsius ne extollaris. Ego enim magistrum meum audiens, mori malo, quàm ab eius præceptis discedere. Et totis viribus enitor, ne recedam ab ijs, quæ primùm didici, deinde etiam docui. Quid est igitur, cur nos crudeliter irrideant Iudæi? Quamuis, vt ipsi dicunt, hostes eorum essemus, homines tamen sumus. Præterea iniuria affecti aiunt, nobis esse liberè loquendi facultatem. Sed quos affecimus iniuria? Quos occidimus? Quos persecuti sumus? Quos coëgimus, vt adorarent idola? Putant'ne similia esse peccata sua peccatis eorum, qui nunc humano terrore adducti præuaricantur? Atqui tantum differunt, quantum interest inter illa, quæ vi, & quæ voluntate aguntur. Quis enim coëgit Iudæos, vt sacra facerent Beelphegor? vt comederent sacrificia mortuorum? vt scortarentur cum filiabus alienigenarum? vt comburerent filios, & filias suas idolis? vt murmurarent aduersus Deum? vt maledicerent Mosi? vt in benè de se meritos essent ingrati? vt corde in Aegyptum reuerterentur? vt cùm Moses ad legem accipiendam ascendisset, dicerent Aaron: Fac nobis deos: & vitulum adorarent? Vt cætera taceam, quæ perpetrarunt. Vos enim possunt decipere: Sed legant vobis Exodum, & librum Iudicum, legant libros Regum, & reliquos omnes, in quibus coarguũtur. Obijciunt nobis, quosdam non vi coactos, sed vltrò, quæsitos, ad immolandum accessisse. Et vos propter paucos desertores, cunctos Christianos reprehendendos, & damnandos esse iudicatis? Considerate vitam præsentem areæ esse similem. Vter maior aceruus est, palearum, an tritici? Cùm venerit agricola, vt ventilabro aream expurget, palea, quæ leuis est, facilè vento sublata reijcietur. Triticum autem ibidem manebit. Præterea Sagenam in mare missam considerate. Num omnia, quæ colligit, bona sunt? Nequaquàm. Sic etiam se habet vitæ præsentis status. Quomodo igitur vultis, vt hæc patiamur? vt sontes, an vt innocentes? Si vt sontes, quî fieri poterit, vt vos, qui factis ipsis sontes esse deprehendimini, non eadem patiamini? Sin vt innocentes, ecquam vos, cùm iusti patiantur, spem habetis? Nam si iustus vix seruatur, impius, & peccator vbi apparebit? Mundo enim Iudicium adest. Cuius quidem signa sunt manifesta.

Ego quidem cùm peregrè proficiscens vniuersam Iudæam lustrassem, Iordanemq; fluuium traiecissem, spectabam regionem illam, quæ ad hoc vsque tempus diuinam in se indignationem testatur, propter peccata, quæ incolæ ipsius admiserunt, dum hospites vel occidunt, vel eijciunt, vel eis vim afferunt. Cernebam fumum ex illa adhuc ascendentem, & agros incendijs in cinerem redactos omnium fructuum, atq; humoris expertes. Cernebam & mare mortuum, & aquam immutatam, & diuina formidine extra naturales terminos egredientem, quæ nec animalia potest alere, & si quid inijciatur, sursum reijcit, nec hominis corpus apud se valet retinere. Hominem enim recusat admittere, ne propter hominem rursum puniatur. Hæc ego commemoro,

quæ

quæ procul absunt. Vos Decapolim Lydiæ regionem igne combustam videtis ad impiorum exemplum vsque in præsentem diem; Aetnæ item incendium, & Siciliæ, atque Lyciæ, & insularum. Quòd si hæc quoque videntur vobis abesse longius, cogitate vsum aquæ calidæ ex terra scaturientis. Vnde enim nisi ex igne in intimis terræ partibus sito contrahit caliditatem? Ad hæc memoriæ proditum est, aliquas orbis partes tum igne vastatas esse, tum etiam aqua, vel tempore Deucalionis, vt vos dicitis, vel Noë tempore, vt nos asserimus. Quamobrem ex rebus singularibus possunt vniuersæ cognosci. Itaque testamur vobis, & denunciamus, Iudicium per ignem à Deo per Verbum ipsius Iesum Christum factum iri. Et iccircò deos vestros, & statuam auream nolumus adorare.

Hæc & alia multa cùm sine vlla interpellatione Pionius loqueretur, attentè, atque incredibili silentio tùm ab Aedituo, eiusque satellitibus, tum ab vniuerso populo audiebatur. Verùm cùm verba illa Pionius repeteret: Deos vestros, auream'que statuam nolumus adorare, duxerunt eos in medium sub dio. Circunsteterunt autem quidam homines forenses vnà cum Polemone orantes, atque dicentes: Nobis obtempera, Pioni, morem'que gere, qui te diligimus, vita'que dignum ducimus propter morum probitatem, atque modestiam tuam. Dulce, & iucundum est viuere, & lucem intueri. Ego quoque, Pionius inquit, vitam amabilem puto; sed illud longè est amabilius, quod optamus nos Christiani. Lucem hanc iucundam, ac dulcem existimo; sed illam multò iucundiorem, & dulciorem, quæ vera est lux, quam nos cupimus contemplari. Hæc quidem omnia sunt pulchra, neque nos damnamus, odio'ue prosequimur opera Dei. Sed alia sunt longè pulchriora, ac præstantiora, quæ his anteponimus. Circunforaneus autem quidam, nomine Alexander, homo improbus ait: Audi nos, Pioni. Cui Pionius; Tu inquit, potiùs audi me. Quæ enim tu scis, sunt mihi cognita; quæ autem ego scio, eorum tu es ignarus. Volebat autem eum Alexander irridere. Itaque cum ironia; Quid sibi volunt, inquit, istæ cathenæ? Cui Pionius respondit: Ne per vrbem vestram iterfacientes existimemur ad immolandum idolis, aut ad edendum ea, quæ sint illis immolata, proficisci; atque adeò, vt intelligatis, nos ne interrogari quidem velle, sed decreuisse non in forum, sed recta in carcerem ire; & ne per vim nos comprehensos, vt reliquos, trahatis; sed cum vincula gestemus, dimittatis. Fortasse enim nos vinculis illigatos ad idola vestra non introducetis. Sic eum Alexander illudebat. Cum'que rursum illi multis verbis Pionium hortarentur; atque ipse sibi ita decretum, & statutum esse responderet, eos'que reprehenderet, & de ijs, quæ sunt euentura, dissereret; Alexander; Quid multis, inquit, opus est verbis, cùm viuere nequeatis?

Sed cùm populus vellet in theatro conuentum fieri, vt plura illic audiret, quidam Ducis studiosi ad Polemonem æditruum accedentes, ei persuaserunt, ne fineret in theatro populum conuenire, ne tumultus fieret, & panis flagitaretur. Quibus auditis, Polemo; Si non vis, inquit, Pioni, sacrificare, saltem in templum ingredere. Pionius autem; Idolis, inquit, non expedit, vt illuc ingrediamur. Polemo verò; Persuade, inquit, hoc nobis, Pioni. At ille; Vtinam inquit, possem vobis persuadere, vt fieretis Christiani. Tunc illi risu soluto dixerunt: Tu verò ne id feceris, ne viui comburamur. Grauiùs, atque acerbiùs est, inquit Pionius, post mortem igne comburi sempiterno. Arridenteque Sabina, Aedituus, & satellites eius dixerunt: Rides? Ita Deo placet, inquit illa; Christiani enim sumus; & qui fide sunt in Christum firma, atque constanti, risu ridebunt perpetuò. Tu, inquiunt illi, quod non vis, patieris. Quæ enim dijs nolunt sacrificare, in postribulum conijciuntur. At illa; Sancto, in-

quit, Deo id erit curæ.

Pionium rursus Polemo sic allocutus est: Obtempera nobis, Pioni. Respondit Pionius: Iussisti, vt vel obtemperarem, vel plecterer. Non obtempero, iube igitur plecti. Tunc æditumus Polemo; Sacrifica, inquit, Pioni. At ille: Christianus sum. Quem, inquit Polemo, Deum colis? Respondit Pionius: Deum illum omnipotentem, qui fecit cœlum, & terram, & omnia, quæ cœlo, & terra continentur, atque omnes nos; qui nobis abundè suppeditat omnia; quem per Verbum ipsius Christum cognitum habemus. Sacrifica igitur, inquit Polemo, saltem Imperatori. Ego, inquit Pionius, homini non sacrifico; Christianus enim sum. Deinde, cuncta scribente notario; Quod, inquit, est tibi nomen? At ille respondit: Pionius. Tum Polemo; Christianus, inquit, es? Respondit: Sum profectò. Cuius, inquit Polemo, es Ecclesiæ? Respondit Pionius: Catholicæ; Nulla enim est alia apud Christum. Tum ad Sabinam accessit. Monuerat autem illam Pionius, à se fuisse Theodotam appellatam, ne ex nomine in manus impiæ ciuis iam dominæ suæ rursum incideret, quæ imperante Gordiano, cùm vellet Sabinam à fide abducere, eam vinctam in montibus relegauit, vbi clam victui necessaria ei à fratribus subministrabantur. Post autem studiosè curatum fuit, vt à dominæ seruitute, & à vinculis liberaretur. Plurimùm autem cum Pionio versabatur. Quæ etiam in hac persecutione capta fuit. Dixit igitur huic quoque Polemo: Quo nomine vocaris? Ea respondente; Theodota; subiecit ille. Christiana es? Næ, inquit, Christiana sum. Cuius Ecclesiæ? inquit Polemo. Sabina respondit: Catholicæ. Tunc ait Polemo: Ecquem colis, & veneraris? Deum, inquit illa, omnipotentem, qui fecit cœlum, & terram, & omnes nos, quem nouimus per Verbum ipsius Iesum Christũ. Mox Asclepiadem interrogauit; Quomodo, inquiens, appellaris? Asclepiades, inquit ille. Tum Polemo: Christianus es? Respondit: Sum. Quem, inquit Polemo, veneraris? Eoq; respondente, Christum Iesum; ait Polemo: Est'ne alius? Minimè verò, inquit Asclepiades; sed idem ille, quem hi dixerunt. His dictis, in carcerem ducti sunt, tam ingenti multitudine consequente, vt forum impleretur. Et dicebant quidam de Pionio: Quomodo qui semper erat pallidus, nunc est facie ignea, ac rubicunda?

Cùm autem ipsum Sabina vestimento propter multitudinis impetum teneret, quidam eam deridentes dicebant, quam veretur, ne ab eius vberibus depellatur. Vnus autem quidam clamauit; Si nolunt, inquiens, parere, supplicio afficiantur. Cui Polemo respondit: Nobis non præcedunt fasces, neque secures, vt hanc habeamus potestatem. Alius dicebat: Ecce homunculum subducit ad immolandum. Innuebat autem Asclepiadem, qui nobiscum erat. Pionius dixit: Tu mentiris: neq; enim id facit. Alij dicebant: Hic, & ille dijs immolarunt. Pionius autem; Pro suo quisq;, inquit, agit arbitrio. Quid igitur ad me? Ego Pionius vocor. Dicebant alij: Quid prodest huic doctrina sua, cùm ita se habeat? Hanc, inquit Pionius, vos doctrinam didicistis, per quam & famem, & cædes, & alias calamitates experti estis. At ipse quoque fame, quidam respondit, nobiscum laborasti. Sanè, Pionius inquit; sed tamen cum spe, quam in Deo positam habeo. Hæc illo dicente, sic à turba vexati sunt, vt parum abfuerit, quin opprimerentur.

In carcerem igitur coniecti, & custodibus traditi sunt. Ingressi autẽ catholicæ Ecclesiæ presbyterũ, nomine Linum, & mulierem ex vico Carina, nomine Macedoniam, & ex hæresi Phrygum quendam, nomine Euthychianum, illic inclusos offenderunt. Cùm igitur essent eodem in loco, custodes ani-

maduerterunt, ea, quæ à fidelibus afferebantur, à Pionio non accipi. Dicebat enim: Si, cùm pluribus egeremus, nemini graues eramus, quantò minus accipere nunc debemus? Custodes igitur, qui ab inuisentibus munera solebant accipere, eos in interiorem carceris partem coniecerunt, ne possent vllum solatium, aut consolationem accipere. At illi Deum collaudantes acquieuerunt, & quæ dari solita erant, ipsis præbuerunt; adeò vt carceris Præfectus admiraretur, & pristinum eos in locum vellet reducere. Ipsi verò manserunt, dicentes: Gloria Domino: hoc enim nobis prosperè successit. Possumus namque liberè philosophari, & precibus incumbere nocte, & die. Multi tamen ex gentibus eos etiam in carcere visebant, & conabantur illos à proposito dimouere. Sed eorum responsa admirabantur. Introibant etiam illi, qui per vim tracti fuerant, & magnum fletum excitabant; adeò vt in luctu, & squalore singulis horis versarentur, præsertim propter illos, quorum vitæ institutio proba erat, atque honesta.

Itaque Pionius lugebat; Nouo, inquiens, afficior supplicij genere. Membratim concidor, dum video margaritas Ecclesiæ à porcis conculcari, & cœli stellas à cauda draconis in terram detrahi. Vineam, quam dextera Dei plantauit, à filio porci syluestris vastatam vindemiant omnes, qui prætergrediuntur viam. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis; *Alumni mei delicati ambulauerunt vias asperas*, atque difficiles. Nunc *Impij seniores insidias* Susannæ tetenderunt. Nunc delicatam, atque formosam *retegunt*, vt eius pulchritudine impleantur, & falsum in illam testimonium ferant. Nunc Aman insultat; Esther autem, atque vniuersa ciuitas perturbatur. Nunc non panis fames, nec aquæ sitis; sed audiendi verbi Domini fames, ac sitis premit. An omnino dormitauerunt omnes virgines, & dormierunt? Impletum est illud: Si filius hominis venerit, inueniet'ne fidem in terra? Quid, quòd vnusquisque, vt audio, prodit proximum suum? vt illud impleatur: Tradet frater fratrem in mortem. Profectò quæsiuit nos Satanas, quos cribraret, vt triticum. Ignitum porrò ventilabrum est in manu Dei Verbi, vt purget aream. Fortasse infatuatum est sal, & eiectum est foras, & conculcatur ab hominibus. Nemo tamen, filioli, Dominum debilitatum existimet, sed nos. *Num infirmata est*, inquit, manus mea, quò minus apprehendat, aut auris effecta grauis, vt non audiat? Peccata vestra diuiserunt inter vos, & Deum vestrum. Peccauimus enim quidam etiam contemnentes. Iniquè egimus nos vicissim mordentes, & accusantes. Mutuò consumpti sumus. Oportebat autem, vt Scribas, & Pharisæos iustitia vinceremus.

Quid quòd Iudæi quosdam vestrum, vt audio, in Synagogas suas vocant? Quamobrem cauete, ne maiore, atque voluntario scelere vos obstringatis; & nequis ex vobis peccatum, quod non remittitur, in spiritum Sanctum admittat; & ne vos quoque simul cum illis sitis principes Sodomorum, & populus Gomorrhæ; quorum manus sanguine sunt plenæ. Nos neque Prophetas occidimus, neque prodidimus Christum, aut in crucem egimus. Quid *multis* moror? Memoria repetite ea, quæ audiuistis; quandoquidem non ignoratis, Iudæos affirmare, Christum fuisse purum hominem, & tanquam mortalem occidisse. Dicant igitur nobis: Si simplex homo mortalis fuit, quomodo mundus vniuersus discipulorum eius multitudine repletus sit. Cur eius discipuli, & postea tam multi pro nomine ipsius mortem oppetierint. Quomodo simplicis hominis mortalis nomine tot annis dæmonia eiecta sint, & eijciantur, & eijcienda sint; &

vlitæ multæ res admirandæ in Ecclesia catholica fiant. Nesciunt autem eum ita fuisse mortalem, vt propria voluntate animam egerit. Dicunt præterea Christum necromantiam exercuisse, eiusq; vi post crucem fuisse suscitatum. Quæ scriptura vel ipsorum, vel nostra de Christo talia commemorat? Aut quis homo iustus vnq̃ hæc dixit? Non'ne qui nugas eiusmodi confingunt, sunt homines flagitiosi? Quod cùm ita sit; cur sceleratis potius hominibus, q̃ probis, & iustis fides habetur?

Ego quidem cùm adhuc essem puer, figmentum hoc Iudæorum audiui. Memoriæ proditum est, Saulem ad mulierem ventriloquam accessisse, vt ab ea responsum acciperet, quæsisseq; vt sibi Samuelem Prophetam excitaret. Et vidit mulier virum rectum ascendentem, & pallio indutum. Et agnouit Saul illum esse Samuelem, & rogauit ea, quæ voluit. Quid igitur? Potuit'ne ventriloqua illa mulier Samuelem excitare, an non? Si potuisse dicunt, iniustitiam, plusq̃ iustitiam valere confitentur, & sunt execrandi. Sin negant, ne Christus quidem id egit, quod isti fingunt. Huius autem argumenti vis est eiusmodi. Quomodo potuit impius dæmon, qui in illius mulieris ventre loquebatur, sancti Prophetæ animam in sinu Abrahæ quiescentem in hanc vitam reuocare? Quod enim inferius est, superioris imperio paret. Non igitur, vt isti suspicantur, Samuel fuit ab illa muliere pythonem habente in hanc vitam reuocatus. Sed ita se se res habet. Angeli desertores sequuntur eos, qui à Deo deficiunt; & omnibus maleficis, & magis, & præstigiatoribus, & vatibus inseruiunt Angeli diabolici. Idq; mirum non est, cùm ipse Satanas (vt inquit Apostolus) transfiguret se in Angelum lucis. Quamobrem & ministros eius speciem ministrorum iustitiæ suscipere est consentaneum. Alioqui quomodo Antichristus Christi personam indueret? Non igitur Samuelem in hanc lucem reduxit mulier illa ventriloqua, sed tartarei dæmones Samuelis personam, atq; similitudinem induentes, se se mulieri ventriloquæ, & Sauli, qui à Deo defecerat, conspicuos præbuerunt. Hoc autem indicat ipsa scriptura. Dicit enim ille, qui Samuelis formam gerebat: Et tu hodie mecum eris. Quomodo enim potest Saul Dei inimicus esse cum Samuele? Non'ne potius cum impijs dæmonijs, quæ ipsi obuiam venerant, & quibus ipse seruiebat, erat futurus? Non igitur erat Samuel. Quòd si fieri non potuit, vt sancti Prophetæ anima tunc in hanc vitam reuocaretur, quomodo Iesum Christum, quem in cœlos ascendentem discipuli conspexerunt, & pro quo mori maluerunt, q̃ ipsum negare, è terra hoc modo surrexisse audent affirmare? Quòd si non potestis hæc illis persuadere, dicite aduersum illos: Non'ne vobis, qui nulla necessitate adducti, scortati estis, & idola coluistis, nos meliores sumus? Et nolite illis assentiri, & animos despondere; sed resipiscite, fratres; & pœnitentiam agite; & ad Christum, qui benignus est, vosq; iterum suscipiet, confugite.

Hæc ille cùm dixisset, & rogaret eos, vt è carcere egrederentur, æditimus Polemo, & Theophilus magister equitum cum satellitibus, & multa turba superuenerunt, atque dixerunt; Ecce Euctemon Præsul vester immolauit. Vos item obtemperate. Interrogabunt vos in tẽplo Lepidus, & Euctemon. Respondit Pionius: Eos, qui in carcerẽ coniecti sunt, æquũ est aduentum Proconsulis expectare. Quid vobis partes ipsius arrogatis? Cùm autẽ multa dixissent, discesserũt. Sed rursus cum satellitibus, & turba reuersi sunt. Et Hipparchus cũ dolo; Proconsul, inquit, misit, vt Ephesum abducamini. Veniat, respondit Pionius, ille qui missus est, & accipiat nos: Atqui Princeps, inquit Magister equitum, dignus est, cui fides habeatur. Ego autẽ siue velis, siue nolis, Princeps sum.

Et arripiens

Et arripiens illum, laqueumq́; collo ipsius inijciens, eum ita premebat, vt propemodum suffocaret. Tradidit igitur illum satellitibus; atque ita simul cum Sabina, & reliquis socijs in forum ductus est. Cùmq́; magna voce se Christianos esse testarentur, humiq́; se se prosternerent, ne in idolorum templum inducerentur, sex ministri Pionium rapuerunt ita reluctantem, vt eius latera genibus comprimentes, manibusq́;, ac pedibus cædentes, vix potuerint ipsum impellere. Sublatum igitur, atq; clamantem gestarunt, humiq; ante aram deposuerunt, vbi adhuc astabat Euctemon, qui idolis sacrificauerat.

Et Lepidus; Cur, inquit, vos, ò Pioni, non immolatis? Respondit Pionius: Quia sumus Christiani. Lepidus subiecit: Quem Deum colitis? Eum, inquit Pionius, qui fecit cœlum, & terram, & mare, & quæ in eis sunt omnia. Quis igitur, inquit Lepidus, fuit crucifixus? Is, respondit Pionius, quem Deus pater misit ad salutem mundi. Principes hîc valde clamantes riserunt. Et Lepidus ipsum detestabatur. Clamabat autem Pionius; Pietatem, inquiens, colite, iustitiam obseruate, affectionis similitudinem cognoscite, legibus vestris parete. Nos puniendos censetis, quia non obtemperamus; & vos item à legum vestrarum præscripto receditis. Iubent enim, non vt cogatis nos, sed vt puniatis. Tum Rufinus quidam in primis excellens eloquentiæ fama; Desine, inquit, Pioni, inanem gloriam aucupari. Ille autem respondit: *Ista est tua dicendi facultas? Isti tui sunt libri? Non'ne hæc ab Atheniensibus Socrates perpessus est? Nunc omnes* sunt imperfecti, & cessatores, & pigri, & tardi, *atque ignaui. Socrates igitur*, & Aristides, & Anaxarchus, & cæteri *horum similes sententia tua*, inanis gloriæ studio ducebantur, quoniam & philosophiam, & iustitiam, & fortitudinem excolebant? Rufinus, his auditis, obticuit.

At quidam alius, qui mundi gloria præstabat, & Lepidus; Noli, inquiunt, Pioni, vociferari. Respondit ille: Ignem accendite, & ingrediemur. Terentius autem quidam è turba magna voce; Videtis, inquit, quomodo hic alijs quoque suadet, vt impij sint, nec dijs sacrificent? Tunc illis coronas imposuerunt, quas ipsi *discerptas* abiecere. At minister publicus idolis immolatum accepit; nec tamen ad quenq̃ ipsorum est ausus appropinquare; sed illud in omnium conspectu comedit. Verùm cùm illi rursum clamarent; Christiani sumus; non reperientes quid illis facerent, eos in carcerem reduxerunt. Turba autem eos illudebat, ac verberabat. Et Sabinæ nescio quis dixit: Tu non potuisti in patria mori? Cui illa respondit: Quæ est patria mea? Ego sum Pionij soror. Terentius verò, qui tunc venationes curabat, ad Asclepiadem; Te, inquit, accusabo, vt bestijs damnatum in munere gladiatorio filij mei. Cui Asclepiades; Non ob id, inquit, me perterrefacies. Atque ita in carcerem ducti sunt. Ingredienti autem Pionio quidam è satellitibus vehementer caput percussit, ac vulnerauit. Atq; ipse quidem patienti animo id tulit. Sed percussoris manus & latera sic inflammata sunt, & intumuerunt, vt respirare vix posset. Ingressi autem Deum collaudabant, quòd aduersus inimicum, & simulatorem Euctemonem fortes, constantesq́; permansissent. Et psalmis, ac precibus se confirmabant.

Post hæc autem Proconsul Smyrnam venit, & Pionius adductus in iudicium martyrio coronatus est. Quemadmodum autem res transacta sit, commemorabimus. Ante IIII idus Martij Quintilianus Proconsul sedens pro tribunali sic interrogauit: Quomodo vocaris? Respondit: Pionius. Proconsul ait: Dijs immolas? Respondit: Non. Proconsul; Quam, inquit, religionem, aut sectam colis? Respondit: Catholicorum. Quorum, inquit ille, catholicorum? Respondit: Ecclesiæ catholicæ presbyter sum. Proconsul;

Tu'ne inquit, es doctor ipsorum? Respondit: Docui sanè. Interrogauit: Cuius partis magister es? Respondit: Pietatis. Cuius, inquit, pietatis? Respondit: In Deum patrem, qui fecit omnia. Immola, inquit Proconsul. Respondit: Nolo; Deum enim oportet adorare. Omnes, inquit ille, adoramus cœlum, & deos, qui sunt in cœlo. Cur aëri preces fundis? Ipsi sacrifica. Respondit: Non aëri preces fundo, sed illi, à quo factus est aër, & cœlum, & quæ in eis sunt omnia. Dic, inquit Proconsul, quis fecit? Respondit: Non expedit dicere. Deus, inquit Proconsul, omnino, id est, Iupiter, qui est in cœlo; Rex enim est omnium deorum. Tacenti autem Pionio, atq; suspenso dictum est: Immolas, an non? Respondit: Non. Ei rursum, cùm vngulis torqueretur, dictum est: Resipisce; cur insanis? Respondit: Non insanio, sed Deum viuentem timeo. Proconsul; Cæteri, inquit, immolarunt, & viuunt, ac rectè sentiunt. Respondit: Non immolo. Proconsul; Te ipsum, inquit, collige, & consilium muta. Respondit: Non faciam. Dictum est illi: Cur ad mortem properas? Non ad mortem, inquit, propero, sed ad vitam. Quintilianus Proconsul; Nihil, inquit, eximium facis ad mortem festinans. Nam, & qui nomen dant, ac describuntur, exigui lucelli gratia morte contempta, cum bestijs pugnant. Et tu ex eorum vnus es numero. Quandò igitur ad mortem curris, viuus combureris. Ex tabella autem hæc verbis Romanis scripta sententia legebatur: Pionium se Christianum esse confitentem viuum igni comburendum iudicauimus.

Cùm igitur fidei studio alacriter in stadium venisset, vltro se vestimentis spoliauit. Deinde corporis sui castitatem, ac decus agnoscens, ingenti repletus est gaudio, & in cœlum suspiciens, ac Deo, qui se talem conseruasset, gratias agens, super ligno seipsum extendit, militiq; tradidit, vt clauos infigeret. Cumq; iam confixus esset, ei rursum minister ait: Resipisce, atq; sententiam muta; & auferentur claui. At ille respondit: Eos inesse sensi. Et cùm paulisper cogitabundus mansisset; Ideircò, inquit, dormire festino, vt celeriùs surgam, significans è mortuis resurrectionem. Eum igitur ligno suffixum erexerunt. Deinde etiam Metrodorum quendam presbyterum ex secta Marcionistarum. Erat autem Pionius à dextris, & Metrodorus à sinistris collocatus. Vterq; tamen Orientem versus spectabat. Cumq; materiæ, lignorumq; cumulus vndiq; congestus esset, & Pionius oculos clausisset, turba illum animam egisse suspicabatur: sed ipse secretò precabatur. Cumq; precandi finem fecisset, oculos aperuit. Iamq; flamma sublimis ascendebat, cùm hilari vultu postremum Amen pronuncians, ac dicens: Domine, suscipe animam meam: tanquam eructans, quietè, & sine dolore expirauit; & Patri, qui omnem sanguinem iniquè effusum, atque omnem animam iniustè damnatam se pollicitus est seruaturum, spiritum tradidit.

Tali dignus effectus est exitu beatus Pionius, qui vitam suam ab omni crimine, ac reprehensione liberam, integramq; seruauit; atq; animum suum in Deum omnipotentem, & mediatorem Dei, atq; hominum Iesum Christum, semper propensum, & erectum habuit. Et magno in certamine victor existens per angustam portam in amplum, magnumq; lumen peruenit. Ac corona quidem ipsius corpore etiam est comprobata. Etenim cùm ignis extinctus esset, nos qui præsentes eramus, talem ipsum vidimus, quale vigentis, ornatiq; pugilis corpus existit. Siquidem & aures erant molles, & capilli in cute capitis inhærebant, & barba, vt iuuenibus primùm pubescentibus, decorè florebat, Et facies eius gratia splendebat admirabili, vt & Christiani magis confirmarentur in fide; & qui erant à fide alieni, conscientiæ stimulis verberati, conterritiq; discederent.

Hæc acta sunt, Iulio Asiæ Proconsule, Proclo, & Quintiliano magistratum gerentibus, Consule tertium Mesio quinto Traiano, & Deltio Grato secundum, Traiano Decio Augusto, ante IIII Idus Martias more Romanorum, Asiæ autem more septimi mensis vndecimo, die Sabbati, hora decima; vt nos autem loquimur, Regnante Domino nostro Iesu Christo; Cui gloria in secula seculorum. Amen.

VITA SANCTI PATRIS NOSTRI GREGORII PAPÆ ROMANI.

XII. MARTII.

BEATVS Gregorius, qui sanctæ Dei ecclesiæ Romanæ Pontifex fuit, antequam fieret Patriarcha, monachus erat in monasterio sancti Andreæ Apostoli, ad Cliuum Scauri, prope templum sanctorum Martyrum Ioannis & Pauli. Atque illi quidem monasterio ipse præerat. Matrem verò habuit beatam Syluiam, quæ tunc iuxta portam sancti Apostoli Pauli locum patrium, qui Cella noua dicitur, incolebat.

Accidit vt, cùm in cellula ipse sua sederet, & scriberet, accesserit ad eum mendicus, voce supplici; Miserere mei, inquiens, serue Dei altissimi, qui cùm essem nauis gubernator, naufragium feci, & aliena, meaq́; perdidi. At ille, vti benignus in pauperes, ac verè Christi seruus, vocato Procuratore; Da, inquit, frater, huic sex nummos aureos. Frater autem id, quod seruus Dei Gregorius mandauerat, fecit, mendicoq́; pecuniam dedit. Eodem rursus die pauper idem ad beatum Gregorium venit, &; Miserere mei, inquit, serue Dei altissimi, qui cùm multa amiserim, parum abs te accepi. Beatus autem Gregorius ministrum suum iterum vocauit, dixitq́; vt sex item nummos eidem pauperi numeraret. Ac frater quidem paruit. Sed pauper cùm, acceptis duodecim nummis, discessisset, ad beatum Gregorium paulopost rediji eodem die; Miserere, inquiens, mei, serue Dei altissimi, & aliquid rursum elargire, quoniam magnam iacturam feci. Procuratore tertiùm accersito, Da frater, inquit, huic pauperi sex alios nummos. At ille respondens; Crede mihi pater, inquit, ne vnus quidem in arca relictus est nummus. Cui beatus Gregorius: Nonne aliud quicquam habes in promptuario, vt vas aliquod, aut vestimentum, quod pauperi largiaris? Nullum, respondit ille, vas habemus, præter argenteum illud, quod magna domina de more leguminibus plenum misit. Abi, inquit seruus Dei Gregorius, atq; illud pauperi præbe. Frater autem fecit, quod sibi à beato Gregorio mandatum fuerat. Pauper igitur, acceptis duodecim nummis, & vase argenteo discessit.

Cùm autem in sanctissima, & 1 maxima Dei ecclesia veteris Romæ creatus esset Patriarcha; &, quemadmodum Patriarcharum est consuetudo, quodam die thesaurario mandasset, vt duodecim pauperes ad mensam suam conuocaret, qui secum pranderent, paruit ille, ac pauperes conuocauit. Verùm

1 Nota, cùm in sanctissima & maxima Dei ecclesia veteris Romæ creatus esset Patriarcha.

cùm discubuissent cum Patriarcha, deprehensi sunt esse tredecim. Quamobrem accersito thesaurario; Non'ne, inquit, mandaui tibi, vt duodecim vocares? Cur igitur tredecim vocasti præter sententiam meam? His ille auditis perterritus; Crede, inquit, mihi; venerande domine, duodecim sunt, nec alius quisq́, præter Patriarcham, tredecim vidit. Inter prandendum igitur Patriarcha tertiumdecimum illum spectabat, qui in summo scamno considebat. Et ecce facies eius varias formas sumebat. Modò enim senex, modò adolescens illi videbatur. Itaq; cùm è mensa consurrexissent, beatus Gregorius, reliquis omnibus dimissis, tertiumdecimum illum, qui tam admirandus ipsi visus fuerat, manu apprehensum in cubiculum duxit, & allocutus est ad hunc modum: Adiuro te per magnam omnipotentis Dei virtutem, vt aperias mihi, qui sis, & quo nomine appelleris. Et ille; Cur, inquit, nomen meum quæris, quod est admirabile? Ego sum pauper ille, qui ad te veni in mansionem sancti Andreæ Apostoli, ad Cliuum Scauri, cùm tu in cellula tua sederes, ac scriberes; cui duodenos dedisti nummos, & vas, quod tibi beata mater tua Syluia cum leguminibus miserat. Itaq; cùm perspicuum fuerit, te in cordis simplicitate, & patientia constantem permansisse, ex quo die mihi hæc tribuisti constituit Dominus, vt Ecclesiæ sanctæ suæ, pro qua proprium etiam sanguinem effudit, Pontifex fieres, & Petri principis Apostolorum successor esses; vt posses omnibus, quod cuiq; opus foret, subministrare. Vnde, beatus inquit Gregorius, nosti, *tunc Dominum*, vt ego Pontifex fierem, decreuisse? Quia, respondit, sum Dei Angelus omnipotentis, idcircò id noui. Et tunc Dominus misit me, vt animi tui propositum explorarem, & vtrum humanitate ductus, an ostentatione faceres eleemosynam. Quo beatus Gregorius audito timuit; neq; enim antea eum Angelum esse cognouerat; & ideo cum illo, tanq̃ cum homine, egerat, & locutus fuerat. Dixit autem Angelus ad beatum Gregorium: Ne timeas; misit enim me Deus, vt tecum verser in hac vita.

Quod ille cùm audisset, humi prostratus in faciem suam, adorauit Dominum; Si propter exiguam hanc, inquiens, ad promerendum animi propensionem tantum benignitatis cumulum clementissimus Dominus declarauit, vt Angelum suum mitteret, qui mei in perpetuum custos esset, quæ'nam eorum futura est gloriæ magnitudo, qui mandatis eius obtemperabunt, & iustitiam colent? Verax enim est ille, qui dixit; *Iudicio misericordiam præstare;* & Deo fœnerari eum, qui pauperis miseretur. Quinetiam ipse Dominus Angelorum, qui salutis hominum auctor est, eos, qui à dextris erunt collocati; sic alloquetur: Venite, benedicti patris mei, paratam vobis à mundi constitutione suscipite regni hæreditatem. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare. Sitiui, & dedistis mihi bibere. Hospes eram, & collegistis me. Aeger, & visitastis me. Nudus, & operuistis me. In carcere, & venistis ad me. Quatenus enim fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Quam quidem beatam vocem vtinam audiamus nos omnes, qui hæc vel legimus, vel audimus; & consequamur ea bona sempiterna, quæ parauit Deus ijs, à quibus diligitur; per gratiam, atq; humanitatem Domini nostri Iesu Christi; Cui gloria in secula seculorum. Amen.

SANCTI PATRIS NOSTRI THEOPHANIS, QVI ET ISAACIVS DICTVS EST, VITA, ATQVE LAVDATIO.

EODEM XII. MARTII DIE.

QVAE mercatoribus mundi pelagus, & longinqua maris maioris lucri gratia traijcientibus solent accidere, dum cum inuictis fluctibus, atque vndis, quæ tum inter se, tum cum ventis furentibus decertant, ipsi luctantur, & tenebris obruti, ac procella iactati, prope desperata salute, naufragium expectant; si paruus stellæ salutaris splendor periclitantibus ipsis affulserit, eius luce perspecta, respirant, animumq; recipiunt, ac rectorem nauis ad gubernacula sedentem hortantur, vt alacriùs munere fungatur suo; ille verò sublatis oculis splendorem intuetur, eoq; tanq̃ duce, procellæ impetum vitat, & ad rectum cursum nauem dirigit: Eadem ferè in hoc vitæ pelago nauigantibus, & ad tutum futuri seculi portum studiosè tendentibus contingere consueuerunt. Incredibili enim tentationum æstu laborantibus, & dæmonum impetu, atq; insidijs, tanq̃ densissimis tenebris, circunfusis, res à sanctis viris gestæ oculis eorum propositæ splendore suo tenebras discutiunt, diuinaq; doctrina perturbationum impetum prosternentes, iucundissimam afferunt tranquillitatem; & preciosis mercibus onustos, atque lætantes ad optatam facillimè prouehunt hæreditatem. Alios igitur alijs ornatos virtutibus inuenies. Hic abstinentiæ præstat integritate. Ille temperantia splendet; & quomodo intemperantiæ dominatus superetur, ostendit. Alius vitam hanc docet esse contemnendam. Alius inanem gloriam negligendam declarat. At si viri sanctissimi patris nostri Theophanis res gestas consideraueris, tanquam in horto florido virtutum omnium exempla perspicies:

Has ego vt laudatione prosequerer, multorum precibus adductus, & eius auxilio fretus, prompto animo prouinciam suscepi, non vt viro diuino, & admirando gloriam conciliarem (Quæ enim illi gloria ex oratione mea, quæ virtutibus eius longè est inferior, acquiri potest?) sed contrà potius, vt rebus ab ipso gestis commemorandis & orationem meam exornarem, & eas imitari studentibus adiumentum afferrem. Quanq̃ in ipso statim principio, antequã in ipsum laudationis stadium ingrediar, tanto me oneri imparem sentio. Simul enim & patria, & genus, & natura præstantior, & quæ magnitudine naturam superat, virtus, ita concurrunt, vt vnde potissimum exordiar, dubitem. Patria enim tum laudationum legibus, tum causa ipsius armata primas sibi vendicat partes; oratq; nos, atq; obtestatur, ne proprijs ornamentis spolietur.

Parentes autem hanc cubito opposito propellunt, educatione, ac disciplina ipsius gloriantes. Virtutes vero, gloriosa ceruice sublata, proposito eius, ac possessione confisæ magna voce reliquis clamant; solum illius studium, atque animum spectari oportere. Cui victoria sit ascribenda, vos facilè cernitis. Ego autem inter res, quæ se vinci non patiuntur, iudex constitutus quid faciam? Parumper in prioribus immorabor, vt ostendam, quæ'nam ipse creatoris amore inflammatus, contempserit, & pro nihilo duxerit. Deinde me totum ad eius virtutes perpendendas conuertam.

Tulit virum hunc admirabilem illa patria, quæ imperij dignitate decorata, cæteris omnibus tantùm antecellit, quantùm reginam subditis præstare par est. De qua me multa dicere volentem impedit, tum quòd nulla possunt oratione explicari, tum quòd omnibus, quascunque Sol aspicit terræ partes, habitantibus sunt cognita. Parentibus ortus est tali patria dignis, qui & diuitiarum copijs, & gloria militari, & virtutibus omnibus affluebant. Hos diligebant non solùm omnes illi, qui Deo sunt chari, qui'que virtutis studio, atque honestatis conciliantur; aut qui paribus erant dignitatibus insignes, licet pessimo essent animo prædití, atque amicitiam proprijs vtilitatibus metirentur: sed ipsi Principes, atque Imperatores virtutis eorum præstantiam venerantes, eos inprimis diligebant. Isaacius, & Theodota, si quid vobis etiam nomen est curæ, vocabantur. His amplissimæ hæreditatis natus est hæres ille, qui nobis in præsentia laudandus est. Autumni tempore ex vtero matris in lucem æditus, eximia corporis pulchritudine, similem animi præstantiam indicabat. Neque enim mortalis hominis, sed Dei filius esse videbatur, ex ventre matris (Quod de magno illo Propheta Hieremia scriptum legimus) sanctificatus, & iam inde ab ipso ortu ad extremum vsque vitæ finem virtutibus omnibus excellens.

At pater ipsius cum exiguo temporis spatio in hoc mundo vixisset, puerum ipsum, cùm trimulus adhuc esset, Imperatori curandum, ac gubernandum relinquens, præfinitum omnibus peregrinationis terminum absoluit. Mater autem *

Desunt nonnulla

* Hîc, prudens Lector, multa in exēplari deerant, quæ historiā hāc mācā reddere videntur. Sed tu, quod dare possumus, benignè accipe. In reliquis excusatos habe.

illud canticum expresserunt, quo tres Pueri, contempto Tyranni iussu, in medio camini ardentis Seruatorem collaudabant. Sed cùm omnes in hilaritatem, lætitiam'que profusi nuptiarum conuiuium celebrarent, mens tamen illius rebus diuinis vacans, & animi propositum explere cupiens minimè obtundebatur. Nocte autem cùm in cubiculo esset cum sponsa sua, & in lectulo consideret, toto animo res diuinas agitaret, suspirio indicans desiderium suum, sic eam alloqui aggressus est: Vitæ curriculum, coniunx, vt omnibus patet, exiguum est, & incertum. Nemo enim mortalium nouit, quando mors sit accessura, nos'que hinc ad futurum illud Iudicium, quod omnibus est commune, dimissura; in quo rerum gestarum ratio seueris quæstionibus reddenda erit; cùm imparati nonnunquam, & magnis peccatorum cumulis onerati, illuc homines rapiantur, & rerum procreatarum pulchritudine spoliati, omnium cruciatuum acerbitate, atque igne conficiantur sempiterno; &, cùm bona quædam exigua, si tamen dicenda sunt bona, quæ specie tantùm, & opinione sunt eiusmodi, possederint, innumerabilibus torqueantur calamitatibus, quæ morte sunt ipsa longè grauiores. Atque vt interim taceam, quàm breuia hæc sint, atque instabilia; diuitiæ, nisi rectè illis vtaris, vitiorum magis, quàm virtutum ministræ sunt, & multorum insidijs obnoxiæ, & antequam partæ sint, dilabuntur. Quid ipsa corporis pulchritudo, quæ constat ex quadam coloris suauitate, atque apta figura membrorum, nonne vel tempore extinguitur, vel morbo deflorescit? Iam hu-

mana gloria quid inanius, ô coniunx charissima, præsertim si cum æterna illa, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, comparetur? Hanc qui mane adeptus est, ignorat, an sit vsq; ad vesperam permansura. Quamobrem nihil est, cur numeretur in bonis. Quæ cùm ita sint, si videtur, naturæ legibus renunciantes, nostri iuris simus, cœlestiaq; spectemus; & quæ perpetuò non permanent, promptis animis reijciamus, & aspernemur.

Hæc, atq; alia multa ille corpore iuuenis, sed prudentia senex loquebatur; cùm pura, atq; integra Christi columba, & turtur solitudinis, & castitatis cupidior, q̃ nuptiarum, Christi amore succensa, & muliebrem superans infirmitatem, ac se se in omnibus, quæ honesta essent, sponso suo sociam fore promittens, ita respondit: Multò præstantius est, sponse charissime, 1 virginitatis pulchritudinem semper integram conseruare, q̃ eam maxima ex parte corrumpere. Quis autem fore spondeat, vt qui huic vitæ seruiunt, & liberis operam dant, voti compotes sint futuri? Non'ne satius est, vt, inani spe repudiata, quæ certa sunt, complectamur? Longè laudabilius est, vt leue Christi iugum ab adolescentia subeuntes, beatitudine, quæ inde sequitur, nos dignos præstemus, q̃ vt rebus istis caducis, & inanibus omni studio incumbentes, pessimi reperiamur. Hæc illa cùm dixisset, obstupuit adolescens; superauerat enim omnem suam expectationem. Ac primùm quidem humi prostratus gratias egit creatori; deinde lætiore vultu coniugem intuitus, pollicitus est, se illam honestis omnibus in rebus sociam habiturum, vt in seculo venturo præclari muneris simul cum ipsa præmium perciperet. Ac principio quidem seiuncti, & cœlestem agentes vitam in mundo coniuges sanctissimi, atque animorum sulcos scindentes, & in cœlestibus horreis triticum recondentes, Christum, bonus ipsius odor effecti, delectabant. Et bonum eius vnguentorum odorem percipientes, illius præsentia fruebantur.

1 Ecce perpetuæ virginitatis cōmendatio.

Cùm igitur noctem sic inter se trasegissent, tota domus boni odoris fragrantia repleta est; quæ longo interuallo omnem modum superans, Domini præsentiam indicabat, qui bonum ipsorum propositum comprobans, 2 aduentu suo locum ipsum gaudio, lætitiaq; repleuerat. Se se igitur humi prosternentes, vt sibi misericordiæ fontes aperiret, obsecrabant. Ac diuinæ quidem præsentiæ signum id fuit, quòd ea re transacta, inanes diuitias pauperum manibus distribuentes, ad vitam in solitudine degendam se parabant. Sed communis hostis inuidia, quam ipse ex rebus omnibus honestis, præclarisq; contrahit, aduersabatur. Nam socer eius, qui omnem in ipsis solis spem positam habebat, eam rem sic ægrè tulit, vt ipsum quoq; Imperatorem in magnam indignationem impulerit. Leo hic fuit sordidi patris filius, atq; successor, qui & ipsorum adolescentiam commiseratus, & proprium amicum patrem honorans, iureiurando comminatus est adolescenti, se illi, nisi à proposito desisteret, oculos effossurum. Et Cyzicum misit eum, munusq; præclarum commisit, vt rebus inanibus, atque caducis administrandis, earum, quæ semper permanent, splendorem obliuisceretur. At ille, tanq̃ murus, in suo instituto stabilis manēs, libenti animo iter ingressus, apud Sigrianem occurrit admirando seni, qui Gregorius appellabatur, & tum alijs donis, tum prophetiæ gratia præstabat. Multis enim sudoribus animum à perturbationibus liberum, seq; tum ad contemplationem rerum diuinarum, tum ad eorum, quæ essent euentura, cognitionem aptum reddiderat. Huic Theophanes animi sui propositum aperit, sibiq; certum iam esse dicit, exilium eligere voluntarium. At ille Sancto spiritu, vt erat solitus, illustratus; Nihil est, inquit, ô iuuenis, quamobrem de exilio cogites; Paulò post enim licebit tibi, nemine prohibente, ad solitudinem te conferre. Socero enim tuo, & Imperatore defunctis, ad vitam pristi-

2 Signo præsentiæ suæ cōmendauit Deus cōiugibus Virginitatis propositum.

nam

stinam reuocaberis. Et hæc dicens solito murmure labijs intonabat. Quemadmodum ipse iuuenis tempore suo comitibus dixit, cùm eius testimonium narraret.

Senis autem iumento vsus est, eoq; magis, q̃ regio equorum ministerio, quo erat ornatus, gloriabatur. Senis igitur monitu, & aliorum patrum consilio confirmatus, reditum in patriam distulit. Et vnà cum socijs in loco, quem nactus est, cum supellectili sua consedit. Verùm cùm & magnis caloribus, & siti cruciarentur, non tamen indignatus est, nec aquæ penuria sententiam mutauit, nec proprium orauit Dominum, vt siti mederetur; sed solitas illi preces fundens super tapete recubuit, vt somno paulisper sitim leniret. At rerum admirabilium effector Deus, iuuenem intuitus propter se libenti animo labores ferentem, magno illum miraculo decorauit. Qui enim ingrato populo ex durissima petra latices effudit, cur grato iuueni necessaria non subministraret? Prope igitur, vbi ille iacebat, diuino iussu fons mirabilis emanauit, tactuq; suo Dei seruum excitans, se se illi patefecit; qui socijs conuocatis sitis remedium à Deo datum ostendit. Cauis igitur manibus aquæ copiam haurientes, debitas bonorum omnium largitori Deo gratias egerunt. Ac ne quis posset suspicari, casu fontem illum repertum fuisse, nocte repente sic euanuit, vt ne vestigium quidem eius vllum mane relinqueretur. Hoc amoris, quo sanctus hic iam inde ab ipsa adolescentia Deum prosequebatur, signum fuit, tantò maius illis, quæ Moses Dei inspector ædidit, quòd ipse precibus ea impetrauit, hic autem ne id postulans quidem. Præterea ille murmurantium adductus necessitate Dominum ad largiendum impulit; hic autem patientia, & gratiarum actione vtens cum socijs suis, proprium Dominum mouit. Ad hæc Iudæi (ne dicam Mosem) munus dubitatione coinquinarunt; hic autem donum honestatis proposito commendauit.

Nondum anni tres præterierant, cùm socer eius, & Imperator à præsenti gloria depulsi sunt, & ad domicilium illis conueniens missi. Irene autem mulier illa fortis, atq; diuina cum filio Imperii gubernacula suscepit. Si tamen mulier dicenda est, quæ aduersum hostes, atque perturbationes virilem animum gessit; & homines, qui diuturno bello conflagrauerant, tum inter ipsos conciliauit, tum etiam Deo. Quamobrem, discussis mundi tenebris, lætiorem omnia faciem susceperunt. Tunc Sol, qui cuncta lustrat, clariorem, liberioremq; diem extulit, & mœrorem, atq; tristitiam, quæ diu orbem occupauerat, exuens, nitidiùs illuxit. Tunc igitur sponsa Dei se se oculis ornans, & castitatis studiosa, cùm iuris sui esset effecta, diuitias, quibus multum abundabat, domo protulit, & omnibus inopia laborantibus distribuit. Sic vna Dei amantium domus, multis, quæ victui erant necessaria, subministrans, & pauperum, qui se Deo dediderant, calamitates eximiè subleuans, Deum ipsum, qui eas sibi proprias fecerat, vehementer oblectabat.

Cùm igitur hæc, & alia multa perfecissent, illa quidem in monasterio suis facultatibus constructo vitam egit; hic autem ad magnum senem redijt, qui apud Sigrianem degebat in oppidulo, quod illi ab ipso otij, quietisq; gratia donatum fuerat. Hoc in loco manibus eius [3] tondetur, immò verò consecratur, hostiam offerens hostia sancti Isaac multò sacratiorem; siquidem grauius censendum est, quod voluntate fit, q̃ quod præter voluntatem; & id quod perficitur eo, quod non perficitur: Illic mansione proprijs sumptibus constructa, & multis muneribus exornata, eius permissu, & voluntate ad insulam, quam Calonymum vocant, se contulit, & prædium, quod in ea paternum habebat, in monasterium commutauit, viris in solitudine degentibus ex Theodori, quem monocherarium appellant, monasterio congregatis. Quantæ

[3] Vides ꝑ quãdo quis monachatũ assumebat, primò omnium tondebatur?

autem virtutis esset, vel vulgi prouerbium facilè indicat. His viris monasterij tradita gubernatione, omniumq; probatissimo duce declarato, obedientiæ exemplar seipsum exhibuit; tanta enim præstabat humilitate, vt aliorum nemini cõpararetur. Sic autem se exercebat, atq; 4 humi cubabat vt longo omnes post se relinqueret interuallo. Diuinorum librorum lectioni assiduè 5 incumbebat, eosq; non humana disciplina, sed labore perpetuo, & diuina gratia planè intelligebat. Noctem precando consumebat, & cum Christo, quem optabat, versabatur, & beneuolentiam eius sibi conciliabat. Cumq; aduersus dæmones, & cupiditates pugnaret, mitis, ac mansuetus omnibus, vt alter Moses, videbatur. Rerum terrenarum cupiditatem sic abiecerat, vt diuinis tantùm vacaret. Quanta porrò fortitudine esset, ac temperantia, & quantopere negligeret dignitates, extrema ipsius tempora potissimùm indicarunt.

4 Humi cubationes antiqs sanctis fuerũt in vsu.

5 Ecce Sãcti viri exercitia.

Hoc igitur virtutibus florente, monasterij Præfectus ab hac mortali vita discessit ad immortalem. Omnes autem ad hunc concurrentes, & lachrymantes supplicabant, vt sibi præesse vellet, & eorum, inter quos, licet extremum locum teneret, virtutibus tamen, & factis præfulgebat, saluti vellet consulere. Sed animum eius mouere non potuerunt, qui in rebus abiectis, ac vilibus constituerat permanere; & quantò sublimior virtute tollebatur, tantò se gerebat summissius. Res enim omnes mortales pro nihilo ducebat. Baculum igitur in manum sumens, & spe in Christum, cui per omnem vitam innixus fuerat, benè armatus, ad Sigrianæ montem peruenit. Et ab agricola quodam prædiolum emit pecunia à Dei amicis mutuata. Neque enim animo quicquam possidebat; sed 6 vili panno corpus induerat, & sensibus silentium, ac quietem indicens, carne extra mundum versabatur. Hoc in loco sibi domicilium statuit. Et manuum 7 labore tantum, adiuuante Deo, profecit, vt paruo temporis spatio, & mutuò sumptam pecuniam redderet, & victui necessaria compararet. In dies autem se ipso melior euadens, & quæ retro sunt (vt Apostoli verbis vtar) obliuiscens, ad meliora contendebat. Neq; enim satis esse ducebat in proposito permanere; immò non mediocre damnum existimabat, si proficiendo non progrederetur. Comes autem, & adiutrix omnibus in bonis illi erat gratia Dei, quæ in ipso adhuc puero ita conquieuerat, vt eum nunquam reliquerit.

6 Nota, Sed vili panno corpus induerat.

7 Vide opus manuum.

Quis eius in 8 orationibus familiaritatem cum Deo, qua sic à rebus terrenis purus euadebat, vt diuinarum actionum instrumentum fieret, pro dignitate queat explicare? Quis temperantiæ decus cordis eius enarrare possit, quæ sic eum rebus incorporeis coniungebat, vt Dei purissimum esset habitaculum, & Deum contemplaretur, & quæ futura erant, tanquam præsentia cerneret? Quænam oratio assequi valeat incredibilem illius erga Deum, & proximum charitatem, licet vi sua cœlum conscendat? Quæ fidei firmitatem ab omni duplicitate alienam? Quæ spei constantiam, qua ille iam inde ab ipsa pueritia instructus fuit? Rebus futuris, tanquam præsentibus, fruebatur. Virtus autem eius ardentibus gratiarum iaculis multos ad imitandum inflammabat; qui suaue Christi iugum subeuntes, hunc sibi ad virtutem assequendam ducem proponebant. Summa enim ipsius erga proximum charitas, sic humilem eius de se ipso sensum vincebat, vt eorum Præfectus videretur. Quamuis enim illius animi summissio contemptum apud eos, qui erant initiandi, pareret; tanta tamen erat cum beneuolentia, & charitate coniuncta, vt eius virtutem venerantes, ei sese submitterent.

8 Ecce virtutũ catalogũ sancti viri Theophanis.

Is diuina sanè gratia sic illustrabatur, vt facillimè posset, quæ recta, &

consentanea essent, intueri. Quæ in Bithynia, atque alibi sunt, monasteria inuisens, & in eis, tanquam in floridis pratis, versans, virtutumq; exempla, quasi rosas decerpens, domum ad suos reportabat, perfectæ charitatis & sublimis humilitatis secum circunferens documenta. Perpetua verò abstinentia sic erat confirmatus, vt cùm amicorum præsentia ad communionem vocaretur, eius pulchritudini charitatem anteponeret, & vnà cum magno Paulo sciret & abundare, & penuriam pati, atque ita inanem gloriam euitare. Pulcherrimum illius factum me penè præterijt. Cùm enim Nicææ synodus secunda coacta esset, ad eam ipse quoque cum alijs patribus vocatus est. Cumq; omnes equis præstantibus, & splendidis vestimentis ornati venirent, ipse veste solita indutus lacera, & asinæ insidens læto animo iter suscepit. Sed cùm omnes viderent eum, qui priùs omnibus diuitiarum copijs abundauerat, sic indutum, maiorem ex illo, quàm ex reliquis, vtilitatem acceperunt, & ingenti tranquillitate animi repleti sunt. Ipse verò veritatem amplexus, & errores aspernatus, maxima virtutum opinione insignis rediJt.

Verùm cùm malitiæ auctores dæmones præclaris ipsius factis inuiderent, ei nocte parumper dormienti impudenter illudere conati sunt. Manus enim ipsius pollicem, tanquam sues agrestes, dentibus corripientes, acerbum dolorem intulerunt, in eaq; corporis parte luxata dentium vestigia reliquerunt. At ille Dei amore confixus, & nequitia dæmonum animum gerens superiorem, non permisit, vt ea re diutiùs inuidi dæmones gloriarentur; sed pretiosi ligni vnguento manum luxatam inungens, dicto citiùs, quod mirabile fuit, eam curauit. Gratia enim diuina perpetuò illius laboribus, summissiq; animi moribus præsens, eumq; munerum apostolicorum gratia illustrans, rerum admirabilium effectorem reddebat. Equidem si omnia, quæ diuina gratia in hoc sancto viro inhabitans elargita est, munera enumerare voluero, & laudandi leges transiliam, & oratio mea instar nauigij in medio mari dissoluetur. Quòd si pauca quædam, pluribus omissis, commemorabo, & oratio, tanquam littora legens, in tuto versabitur, & ex ijs, quæ dicta fuerint, reliqua facilè conijcientur.

Cùm sæui dæmonis impetu quidam opprimeretur, repente mentis vim amisit, & carnes proprias, tanquam alienas, laniabat. Erat autem omnibus accedentibus grauis. Itaq; vinculis, & compedibus a compluribus custodibus coërcebatur. Sed vir sanctus vnius vesperæ 9 supplicatione ad Deum fusa, liberauit hunc miserum, & vincula ex eius corpore statim exciderunt; & qui mente captus erat, atq; omnibus molestus, ad sanitatem rediJt. Vsu venit, vt vir sanctus ad oppidum quoddam maritimum accerseretur; sed in medio cursu tempestas ingens aborta est, qua pelagus intumuit; fluctibusq; sublatis iactabantur, & impediebatur nauigatio. At vir sanctus solita fide fretus, proprium explenti ministerium ait: Conseruo mari denuncia, vt frenet tempestatem, & fluctus tranquillos reddat, vt iter nostrum placidè conficere valeamus. Atque ita confestim effectum est, vt Christus, & Deus noster hac item in re, quemadmodum in reliquis omnibus, vera dixisse demonstraretur, cùm maiora ministros suos, quàm ipse faceret, pollicitus est effecturos. Cæterùm cùm omnibus virtutibus excelleret, curandis tamen, & subleuandis pauperibus maiorem diligentiam adhibebat. Cùm enim amore fraterno maximè teneretur, misericordiam ex eo proficiscentem in primis complectebatur. Et salutarem accedentibus manum porrigens, quatuor mensium spatio cibum monasterij vsibus comparatum effundebat. Cumque minister rem ægrè ferret, atque illum ne familiæ quidem satis esse diceret, miti oratione iubebat, vt frumentum numeraret. Quod ille cùm

9 Vnius vesperæ supplicatione ad Deū fusa, vir Sanctus furentem dæmoniacum liberauit.

fecisset, nullum aceruo modium deesse reperit. Verùm faciliùs sit, vndas maris enumerare, aut caua manu pelagus dimetiri, q̃ res ab illo gestas admirabiles oratione complecti. Quamobrem alijs cætera relinquentes commemoranda, quæ rei institutæ magis conueniunt, persequemur.

Ager Ecclesiæ bonis omnibus abundabat. Nam & rectis institutis instructus erat, & factis congruentibus affluebat. Imperatores autem Dei amantes, pietatis studio potiùs, q̃ Imperij amplitudine gloriabantur. Porrò magnus Pontifex sublimem cathedram sortitus, virtutis lumina per vniuersum orbem terrarum accendebat. Et qui sub ipso erant sacerdotes, sine reprehensione suos singuli greges tutos in portus perducebant. Monasteriorum autem rectores, quibus, tanquam sol, admirandus hic vir prælucebat, viam in cœlum ducentem, antea impeditam, discipulis suis demonstrabant. Sed inuidus serpens Ecclesiam tam multis bonis florentem videre non poterat. Et ex multitudinis peccato occasionem arripiens, ita permittente Deo, Ecclesiæ pulchritudinem peruertere agressus est. Verùm cùm propriæ peruersitatis ministrum idoneum quæreret, aptiorē inuenit, q̃ optabat, Leonem, inq̃, hominem perniciosissimum, qui ab Armenijs, & Assyrijs genus ducens vtriusq; gentis dolos, & feritatem imitatus, immò verò superans, & ad mentiendum promptus erat, & ad persuadendum ea, quæ mentiebatur, aptissimus. Fraude, loco virtutis vtebatur, eamq; aduersus coniunctissimos exercebat. Hic in blandum, & præclarum Imperium consurgens, ornatissimum, & inaccessum Ecclesiæ solem deiecit; & cum illo omnes ferè sacerdotum principes exturbauit. Et hanc ab Apostolis per manus 10 traditam institutionem negligens atque contemnens, diuinæ Christi carnis imaginem defodit; idemq; de matris eius, & sanctorum omnium imaginibus fecit; & Ecclesiam grauioribus, q̃ fuerint Aegyptiæ, tenebris impleuit. Barbaræ enim violentiæ patriam stultitiam admiscens, & veterem illum Rapsacem superans, iniquitatem in sublime loquebatur; & ciuitatem Dei, quæ est Ecclesia, multis dolis perturbare studebat. Qua quidem fluctuum tempestate omnis recta institutio periclitari cœpit, cùm illi ne repugnaretur quidem. Nam qui virtutum præstantia reliquos ad cœlestia ducere debebant, illius improbitatis fluctibus obruebantur, & socordia vinci se permittebant. Qui verò & rebus terrenis neglectis, & vita contempta, scelus industria sua superabant, partim fame, partim verberibus cruciabantur; nonnulli etiam noctu conijciebantur in mare.

10 Nota quod vsus imaginū est ex Apost. institutiōe p manus tradita.

Tunc igitur, tunc ad certamen vocatur etiam Theophanes admirandus, non tamen manu tyrannica, aut violenta, sed blanditijs, ac dolis. Aduersus hostes, dicebat impostor ille, mihi pugnandum est: sed antequam manus cum illis conseram, precibus tuis armari me oportet. Theophanes autem, cognita hominis malitia, quanuis renum, & vrinæ difficultate laboraret (Instrumentis enim per naturalem cuniculum in vesicam admissis, quæ lapides insitos constringerent, humidis excrementis exitum præbebat) maximisq; molestijs vexaretur, & in lectulo ægrotus assiduè decumberet, naui tamen ad vrbem se regiam contulit. Quod cùm scelestissimus ille intellexisset, sancti viri conspectum (vt arbitror) veritus, per nuncium hæc illi significauit: Si venisti, vt mihi morem geras (Aduentus enim celeritas bonam mihi spem attulit) scito tam multis te bonis fruiturum, q̃ multis eos frui par est, qui propriæ voluntati Imperatoris voluntatem, & consilium anteponunt, & monasterium tuum varijs muneribus ornatum iri, & propinquos tuos maximis dignitatibus decorandos, teq; primas apud me amicitiæ, atq; auctoritatis partes habiturum. Sin, quod vix cogitarè fas est, studio tuo preces meas posthabueris, & consilium meum neglexeris, & quæ tibi proponuntur, præmia fueris aspernatus,

inuitus

inuitus facies, quæ volens recusas; & maximi tibi ipse dedecoris, atq; calamitatis auctor existes.

Ad hæc diuinus vir, perspecta dictorum stultitia, ita nuncio respondit: Ego nec pecunias, nec possessiones, nec reliqua huius vitæ bona vllo modo curo. Quæ enim adolescens, cùm ijs frui possem, amore Christi inflammatus repudiaui, ea iam senex quomodo complectar, ab instituto'q; recedam; præsertim cùm corpus morbis confectum sit, vt vitæ finis procul abesse non possit, & hæc inania esse constet? Quod autē ad monasterium, propinquos'q; pertinet, id Deo erit curæ, cui à me commendantur; & quibus ipse Deus melius, quàm Imperatores, & Principes, potest consulere. Quòd si, quemadmodum pueros parum generosos magistri scutica perterrefaciunt, ita tu me morbo, & senectute confectum minis territum iri speras, rogus accendatur, tormenta parentur, & omnia cruciatuum genera; vt scias planissimè Christi virtutem in meis infirmitatibus perfici. Ego, qui per humum iter facere nequeo, valetudinis infirmitate superata, in ignem insiliam.

His auditis, impurissimus ille constantiam quidam animi fortis admiratus est, de victoria tamen non desperauit, hominis facinorosissimi, quem apud se habebat, fretus astutia, qui sophistarum præstigijs, & gentium auspicijs, & iecinoris inspectionibus instructior erat, q̄ disciplinis; & ad impietatis barathrum infelices homines trahens, apud ipsum valebat plurimùm. Huic beatum Theophanem tradit, sperans præstigijs ipsius omnino deceptum iri. Sed tanquàm asinus ad lyram deprehensus est. Inuictam enim viri sancti dicendi libertatem admiratus, antequam congrederetur, se victum esse confessus est; Imperatori'q; nunciauit, eum esse præstantiorem, q̄ vt oratione, aut minis superari posset; quinetiam, si ibi diutiùs commoraretur, fore, vt aliorum animos, quos in sententiam suam adduxerant, abalienaret. O mentem adamante firmiorem, & nullis cedentem machinis oppugnantibus veritatem. O beneuolentiam erga creatorem incredibilem, quæ nullis vitæ tentationibus dissolui potuit. Cæterùm ab impugnatione non destitit homo tyrannica plenus crudelitate. Sed virum sanctum in Eleutherij palatio includi iubet, adhibitis custodibus, ne quis humanitate ductus ei propter Christum patienti consolationem vllam afferret. Itaq; corpus eius diuturna fame confectum paulatim tabescebat, & ad acerbam mortem appropinquabat. Morbi enim medicorum auxilio destituti grauiùs sæuiebant, & vitam reddebant morte ipsa longè acerbiorem. At ipse optatissimam Dei pulchritudinem mente contemplans, ea, quæ ne auditu quidem tolerabilia sunt, patienti, & æquo animo perferebat. Gaudebant Angeli, cùm fortitudinem, quæ longo tempore à mortalibus abfuerat, ad eos rursum redeuntem conspicerent; et viri sancti præstanti aduersus hostes virtute lætantes, victoriæ præconium concinebant. Horrebant dæmones, quòd sanctos, quorum nomina audire non poterant, & imagines oppugnabant, rursum factis florentes spectare cogerentur; & satellites, ac ministros suos ignauiæ coarguebant. Christus verò muneribus orationem omnem superantibus, pugilem suum decoratum victoriæ corona, donauit.

Duos igitur annos cùm acerbissimum carcerem pertulisset, in Samothracem insulam deportatur; quod ipse diuino animo prospiciens, ei, qui sibi ministrabat, prænunciauerat. Cumq; tribus & viginti diebus in insula vixisset, tanquam suauis hostia communi Domino oblatus est, & eius manibus sacrum, atq; sanctum spiritum tradidit, vt ad diu optatam hæreditatem admitteretur. Neque verò corpus eius, quod victoriæ particeps fuerat, & animo semper in omnibus bonis inseruierat, meritis muneribus caruit. Nam piorum virorum manibus in lignea arca compositum, & conuenientibus 11 cantibus, vt tem-

11 Vide quomodo sācti viri corpus in lignea arca à pijs viriscōponit, & conuenietib' cātibus effert.

pus ferebat, elatum, admirandis gratijs à Deo fuit illustratum. Cùm enim lues in pecora illius insulæ desæuiret, adeò vt mortua repente conciderent, 12 aquam illius arcæ admouentes (neq; enim corpus audebant attingere) pecora peste laborantia conspergebant, & periculo liberabantur.

12 Aqua arcæ corporis Sancti admota, peste laborãtia pecora aspergebant, & sanabãtur.

Haud multò post immanis ille aper Ecclesiæ Christi pro multis peccatis vno supplicio affectus est; & sacris in locis, in quæ fuerat debacchatus, turpiter vitam amisit. Quare, densa caligine paulisper disiecta, quidam veluti libertatis sol, tenuissimis tamen adhuc nebulis tectus illuxit. Tunc igitur sancti viri discipuli fiduciam sumunt, & nauigio ad insulam accedẽtes, præclarum illud, & 13 splendidissimis gratijs effulgens corpus in arca sublatum, gestant in locum quẽdam Sacrum dictum, qui à monasterio abest duodecim stadiorum interuallo, & in templo sancti martyris Procopij ibi existente deponunt.

13 Nota, Præclarũ illud, & splẽdidissimis gratijs effulgens corpus.

Hìc ille, qui eos, à quibus honoratur, honoribus afficit, vt futuræ 14 gloriæ statum sancti sui declararet, incolas omnes illius regionis munerum ipsius fecit esse participes. Confluebant enim, vndarum instar, qui morbis grauissimis, nec vllam curationem admittentibus laborabant; & qui à dæmonibus vexabantur, illis inuitis, & dolorem suum clamore, gemituq; testantibus, huc trahebantur; & solo arcæ attactu liberati recedebant, Deo per ipsum sanctum seruanti gratias agentes. Et qui clam ea peste laborabant, inhabitantibus dæmonibus Athletæ iussu necessariò patefactis, & expulsis, liberi ostendebantur. Paralytici, qui vix in lectulis suis gestari poterant, sancti virtute membra corroborantes, humeris lectulos suos cum diuinis laudibus reportabant. Cæci, qui omni corporis actione spoliati, aliorum manibus ducebantur, & veros duces oculos requirebant, voti compotes facti, sine labore ita redibant, vt alienæ manus operam minimè requirerent. Claudi membra corporis, quæ terram attingere non erant solita, humi fœdè trahentes, aut ad iter faciendum alienas manus mutuantes, caprearum in morem rectis tibijs saliendo discedebant. Iam qui aurium, aut linguæ munere fungi non poterant, præter omnium expectationem, & aliorum sermones intelligebant, & vna omnes voce agebant gratias. Fœminæ, quæ perpetuo sanguinis fluxu laborantes, insiti caloris discessu ad mortem appropinquauerant, nõ Domini fimbriæ, sed serui arcæ contactu, mirabiliter exsiccato fluxu, gratiarum fontes emittebant. Chirographum flagitiosis actionibus plenum, cùm arcæ obsignatum admoueretur, sic omnibus apparuit, vt si nihil vnq; in eo fuisset scriptum; & apostolicam potestatem ex huius arca manantem admirabantur. Verùm quis ea, quæ tunc ab ipso gesta sunt, sigillatim aut oratione, aut scriptis valeat explicare, quamuis illi linguæ sint centum, oraq; centum, cùm ne genera quidem numerari facilè queant?

14 Ecce quot miracula ad sãcti corpus in ostẽsionẽ status gloriæ suæ fiebant.

Integrum igitur annum in templo sancti martyris Procopij commorati, ne preces diuinam ab ipso gratiam implorantium impedirent, serò, & vix tandem rectà ad eius monasterium peruenerunt, cùm ordine quadruplici circa feretrum ipsius constitissent. Medium enim inter patres locum obtinentes viri lectissimi, humeris suis sanctissimam arcam gestabant, in qua non vrna erat ingrati populi cibum conseruans, non lapideæ tabulæ, non virga Aaron; sed corpus illius, qui virtutem omni reprehensione superiorem ostenderat. Qui naturali tranquillitate inuidiæ aculeos obtusos, hebetesq; reddiderat. Qui charitatis insignijs eximiè excelluerat. Qui fide, cui nihil est difficile, in primis præstiterat, & eius auxilio hostium arces euerterat. Qui spe in Christum inuicta, per omnem vitam armatus extiterat, & aduersariorum tela cunctis inania demonstrarat. Qui munerum spiritus sancti tanquam fluuius erat. Qui animos omnium gratijs hilares efficiebat. Qui in Eccle-

stæ firmamento, quasi nitidus quidam sol fulserat. Qui hæreticorum oculos doctrinæ splendore perstrinxerat; piorum autem animos direxerat ad rectam fidem.

O' ægrotantium 15 medice, ô miserorum perfugium, largire mihi celerem mearum ægritudinum curationem; vt recuperata sanitate, rursum ad te supplex accedam, & grati animi testimonium afferam. Libera me à periculis, quæ quotidie imminent, vt pulcherrimis factis incumbam, & per te, illorum auctorem Deum agnoscam. Peccatorum 16 mihi veniam à Deo, & iuuentutis meæ delictorum obliuionem impetra; vt, instar illius chartæ, quæ arcæ tuæ contactu ab omni scriptione libera apparuit, ante tribunal horrendum iusti iudicis, obliterata videantur. Pessimam contra nos incitatam inuidiam extingue; & ab inuidorum peste tutos, integrosq; conserua; vt sine offensione salutis semitam conficientes, almi præsidij tui præconium lætis animis celebremus; In Christo Iesu Domino nostro; Cui gloria, & imperium in secula seculorum. Amen.

15 Vide quomodo sanctum Theophanē inuocat, nec vllam putat ob hoc Dño Iesu Christo irrogare iniuriam.

16 Ecce quomodo Sanctum credit omnia hæc præstare posse.

MARTYRIVM SANCTI SABINI.

XIII. MARTII.

IMPERANTE Diocletiano, edictum per vniuersum orbem terrarum promulgatum est, vt qui iussis eius non obtemperarent, nec dijs immolarent, supplicijs excruciati necarentur. Quæ quidem fama per omnem Aegypti regionẽ peruagata est. Quamobrẽ cum magna aduersus Christianos persecutio vigeret, & tota Aegyptus ea tempestate iactaretur, Sabinus quidam Hermopoli princeps, atq; illustri loco natus, Christianæq; religionis cultor egregius, in ea rerum perturbatione è ciuitate discessit, & in parua domuncula cum alijs christianis habitabat, & nocte, atq; die 1 ieiunijs, & precationibus incumbebat. Sed cùm multi Christiani essent comprehensi, omnesq; Sabini celebre nomen detulissent, ab iniquis hominibus diligenter quærebatur. Ad quos cùm mendicus quidã post aliquot dies accessisset, qui solebat ab illis cibum accipere (sciebat autem locũ, vbi sanctus Sabinus cõmorabatur) Quid vultis, inquit, mihi dare, & ostendã vobis, vbi Sabinus, quẽ quæritis, delitescit? Huic cùm duos nũmos dedissent, secuti sunt eum, & ad locum puenerunt, pulsaruntq; fores, tanq̃ aliquid vellet sibi respõderi. Cũ aũt vnus è fratribus aperuisset, vt, quid vellet, intelligeret, statim irruerunt homines scelerati, & sanctũ Sabinũ cum sex alijs fratribus stãtẽ, & psallentem offenderunt, vinctosq; extra domum extraxerunt. Cumq; quæsissent, quis eorum esset Sabinus, & comperissent, eum separatim duabus cathenis vinxerunt, iniectoq; ceruici eius graui vinculo ad Præfectum duxerunt.

1 Et nocte, ac die ieiunijs, & precationibus incumbebat.

Tunc autẽ Hermopoli præerat quidã nomine Arianus, qui cùm ad fluminis ripas egressus esset, procul aspexit multitudinem cum magna militum manu venientẽ; & relicta fluminis ripa, in locum quendã floridum, & amœnum animi gratia se contulit, ac duabus post horis, sublatis oculis, vidit sanctũ Sabinũ, qui à magna militũ copia trahebatur; & ad tribunũ; Quis est, inquit, ille, quẽ nostri ordinis milites ducũt? Respõdit: Vnus aliquis domine Princeps, vt arbitror, ex infelicibus christianis. Et paulò post milites accedentes, ꝑ tribunũ nunciarunt, eum esse Sabinum christianorũ ꝑpugnatorem, quẽ ipse conquirendum mandasset. Quo audito vehementer lætus; Gratias, inquit, ago benignis, & immortalibus dijs. Statimq; iussit tribunal constitui. Et ipse in sella sublimi sedẽs; In iudiciũ, inquit, adducat flagitiosus Sabinus, impiæ christianorũ sectæ studiosus. Tribunus statim adduxit, & ait: Sabinum, quem amplitudo vestra iussit cõprehendi, sistimus ad tribunal vestrũ. Doceat, inquit Arianus præfectus, nomen, & fortunã, & vnde sit. Respondit sanctus: Sabinus vocor, & christianus sum. Seruus es, inquit Præfectus, an liber? Respondit Sabinus: Liber sum, & dum ꝑ ætatem licuit, in militia ducis locũ obtinui. Cur, inq̃t Præfectus, militiã talem deserere maluisti, q̃ diuinis Imperatoribus, & legibus ipsorũ parere? Quia animaduerti, respõdit Sabin⁹, decreta eorũ aduersũ Christi seruos iniusta, elegi magis abiectus esse in domo Dei mei, q̃ habitare in tabernaculis peccatorũ. Nõ

audisti, inquit Præfectus, ab Imperatoribus fuisse constitutum, vt in omnibus prouincijs, & regionibus oēs vbiq; dijs ꝓpitijs immolent, atq; sacrificent? Impium istud edictū, respondit Sabinus, vt ante dixi, nos minimè latuit, neq; leges, quibus multos offenderunt, & perdiderunt. Quæ quidem leges, quoniam abhorrent à natura, imprudenter ipsi Imperatores Dominum suum, & de ipsis optimè meritum iniuria afficiunt. Ego verò Deo meo Christo Iesu sacrifico, & ipsum solum adoro.

His verbis indignatus Arianus præfectus; Malum, inquit, caput, audes in gloriosos Imperatores nostros, & leges ipsorum maledicta conijcere, quas quidem nobis pro humanitate sua ad communem salutem tulerunt? Scito, inquit Sabinus, ò Præfecte, te minis tuis nunq̃ effecturum, vt dijs immolem. Hæc cùm audiuisset Præfectus; Ego, inquit, deorum adductus beneuolentia benignus erga te sum. Quamobrem confitere, beneficos esse veros deos. Quòd si recusas, tormenta, & cruciatus, quibus afficiendus es à me, efficient, vt eos agnoscas esse veros deos. Nunq̃, inquit Sabinus, terrebis me tormentorum minis. Diuinis, inquit Præfectus, augustisq; legibus tormenta varia præscripta sunt, quibus excruciaberis, si contumax permanseris. Si terrena, inquit Sabinus, tormenta & cruciatus sic extimescimus, quotquot illa sint, quæ nobis, nisi vanis dijs sacrificemus, proposita sunt, cùm nec perpetua esse queant, nec sine fine hominem illis affectum cruciare; quantò magis metuendus est nobis Christus Iesus, qui supplicijs aduersus impios paratis potest eos, qui sibi non obediuerint, afficere in sempiternum? Oportet igitur potiùs timere Deum, & Dominum nostrum Iesum Christum, quàm eos, quos deos dicitis, qui sunt vani. His auditis; Ego, inquit Præfectus, admonui te, vt resipisceres, & deos esse fatereris; quòd si recusaueris, te vel inuitum cogam id facere. Confitere igitur, & noli vim expectare. Tu'ne me, respondit Sabinus, coges fateri deos, quos asseris? Ego potius cogam te coram vniuerso hoc populo confiteri, esse Deum in cœlo, nec vllum esse alium, nisi Christum Iesum Sabini Deum.

Tunc Præfectus vehementer commotus, iussit eum in armamentario suspendi, & dissecari. Quo quidem modo sic excruciatus est sanctus Dei martyr, vt carnes eius omnes in solum conciderent. Et Præfectus, Nondum, inquit, immolare vis deis? Minimè verò, respondit Sabinus. Vnus autem ex aduocatis, qui astabant, nomine Bisambo; Domine, inquit, non est ampliùs mentis compos, sed animam agit, ac moritur. Sabinus statim magna voce; Sum, inquit, planè mentis compos, nec vllo modo sensum amisi. Quamobrem absit, vt à Deo, qui me procreauit, abaliener. Adhuc, inquit Arianus, audax es, & obstinatus. Verùm ego te hîc non afficiam supplicio. Antinopolim petamus, & illic disces esse veros deos; quibus Imperatores sacrificare nos volunt. Sabinus igitur ante Præfectum Antinopolim ducebatur. Cumq; aliquot horis priùs fluuium traiecisset; paulisper prope ripam respirabat, & à custodijs obseruabatur. Exibant autem è ciuitate multæ turbæ, vt beatum Martyrem conspicerent. At Præfectus, conscensa naui, Antinopolim, quò sanctum Sabinum præmiserat, contendebat. Sed cùm sanctus Dei martyr à circumstantibus turbis intelligeret, Præfectum in nauim conscendisse, vt in ipsam vrbem ingrederetur, surrexit, & stans in medio vniuersi populi orauit; Deus meus, inquiens, Christe Iesu, propter quem hos dolores pertuli, & triumphans, ac nudus conspicior ab hac multitudine, exaudi me hodie, & extende potentem manum tuam, & illustra nomen tuum, & me peccatorem, atq; inutilem seruū tuum exaudi in medio huius populi. Sic illustrabitur sanctum nomen tuum, si retinueris iniquum Præfectum in medio fluminis, nauimq; ipsius ita cohi-

bueris, vt moueri non possit; sed in periculo versetur, donec ipse honoret celeberrimum, & maximum nomen tuum; id quod se facturum negauit.

Hæc cùm à sancto Sabino dicerentur, nauis in medio fluminis cohibita est, & valde fluctibus iactabatur. Quod vbi Præfectus animaduertit, ad eos, qui secum erant in naui; Videtis, inquit, quid acciderit? Aliquid fortasse dixit ille Magus, & præstigijs eius factum est, vt in medio fluminis coërceamur. Ego expauesco, dum magiæ ipsius vim considero. Iussit igitur, vt alia nauigia ferrent auxilium. Et qui cum ipso erant in naui, magna voce significarunt, vt nauigia ad opitulandum accederent. Sed cùm nauigia ad locum, vbi erat nauis Præfecti, peruenissent, ipsa quoque vehementer ventis, & fluctibus iactabantur; cumque regredi conarentur, summum periculum adibant. Vnum porrò nauigium ex illis, cùm ad Præfecti nauem non posset appropinquare, reuertebatur. Clamauit autem Præfectus ad eos, qui in illo erant nauigio; Ad ripam, inquiens, accedite, & quendam ante vrbem, nomine Sabinum, conquirite, qui tormentis affectus est, & ei dicite, cur nos magia sua prohibeat cursum nostrum conficere, & ad fluminis ripam peruenire: Sed ipse tormenta omnino formidat, & iccircò nos vetat traijcere. Iussa facessunt, qui erant in nauigio, inuentoque sancto Sabino mandata nunciant. At ille respondens; Viuit, inquit, Dominus Deus meus Iesus Christus, propter quem hæc ego patior, Non prius ad ripam peruenies, quàm confitearis nomen Domini mei Iesu Christi. Hermeas autem vnus ex illis, qui sanctum Sabinum custodiebant; Quomodo, inquit, intelligere poteris, verũ Præfectus confiteatur, cùm procul absit? Respondit sanctus Sabinus, & ait: Quando literas exarauerit, quibus Deum meum confiteatur, easque mihi, vobis omnibus præsentibus, legendas miserit, tunc ipsi licebit in vrbem ingredi. Redeuntes igitur cum nauigio retulerunt ea, quæ sanctus Sabinus responderat. Iamque ipse vnà cum illis, qui secum erant, de salute desperabat. Itaque chartam flagitauit, & scripsit hæc verba: Vnus est Deus Sabini, Christus Iesus, post quem non est alius. Quæ cùm essent ab illo scripta, & ad sanctum Sabinum missa, tranquillitas confestim subsecuta est, & nauis ad ripam peruenit.

Cùm igitur Præfectus in vrbem ingressus esset, & in tribunali sederet, iussit ad se sanctum Sabinum adduci, & sic eum est allocutus: Tu quidem facinus & dijs, & Imperatoribus inuisum, & execrandum aggressus es, quippe qui, magia adhibita, nos in medio fluminis cohibuisti, & viribus tuis abusus es in me, quantum tibi collibuit. Quare si quid ego quoque possum, in te id exercebo. Tum quaternas iussit faces accensas inferri, & athletam Christi quaternis funibus extensum ad quatuor palos alligari, facesque ventri, & lateribus eius subijci, donec carnes ipsius, instar ceræ liquefactæ, defluerent. Quibus ille cruciatibus affectus nullam vocem emisit, sed perinde sustinuit omnem acerbitatem, ac si non ipse, sed alius pateretur. Arianus præfectus; Dic, inquit, mihi, stulte, quid sibi vult hoc, quod nihil sentis, cùm tam vehementer, & acerbè torquearis? Quid expectas, aut in quem speras? Spes meas, inquit sanctus Sabinus, in Deo meo Iesu Christo positas habeo, qui potest me ab inanibus tormentis tuis liberare, & regno suo æterno dignum efficere. Vis igitur, inquit Præfectus, miserè interire? Respondit Christi pugil: Si moriar, rursum, vt dixi, vitam habebo sempiternam. Quibus verbis Præfectus furore concitatus, ad milites; Ecce, inquit, Solem vobis, & Lunam testor, me varijs tormẽtis operã dedisse, vt impius iste resipisceret; verùm ipse, quemadmodum cernitis vos omnes, qui vrbem incolitis, adduci non potuit, vt dijs immolaret, ac seruaretur, sed maluit cruciatibus mori. Oportet igitur in ipsum sententiam ferri. Atque ita locutus, imperauit, vt in flumen proijceretur, & in profundo periret.

Comprehensum igitur milites ad ripam fluminis perduxerunt, & saxum ingens pedibus eius alligarunt, vt sic eum ex Iudicis sententia in flumen proijcerent. Cùm autem quidam ex fratribus cibos attulissent, vt ederet; Quid, inquit ille, charissimi fratres, laborem hunc suscipitis? Ego non vescar amplius cibo terreno, quippe qui ꝑpero ad illas epulas, quas nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascẽderunt. Cupio autem vos omnes, qui me sequimini, atq; conspicitis, ita certare, vt digni efficiamini vita sempiterna. Hæc illũ loquentem ministri in scapha nauigij cum saxo, quod pedibus eius suspenderant, imposuerunt. Cum'q; ad fluminis medium peruenissent, ille rursum magna voce multitudinem astantem, & prospicientem allocutus est ad hunc modum: Aspicite me, & mei memores estote, & cùm die crastina quieueritis, tertia ab hinc die accedite à parte Boreæ, quæ respicit ciuitatem, & corpus meũ in terram subductum reperietis. Volo autem, vt saxum hoc, quod pedibus meis suspensum est, simul cum meo corpore sepeliatis. Hæc cùm dixisset sanctus Dei pugil Sabinus, sublatis in 2 cœlum oculis orauit; Domine, inquiens, Iesu Christe, gloria tibi, qui per me seruum tuum indignum res magnas, & admirabiles effecisti, & homines improbos confudisti, ostendens potentiam eorum infirmam, & inania tormenta; seruum autem tuum fortitudinis corona decorans, & in conspectu totius multitudinis gloriosum efficiens. Ago tibi gratias, Pater, & nomen tuum sanctissimum veneror, qui largitus es mihi, vt te confiterer, & sanctum filium tuum Iesum Christum, & spiritum sanctum tuum auctorem vitæ; & prædicarem, nullum esse Deum præter te, neq; in cœlo, neq; in terra, neq; in mari. Qui seruas omnes sperantes in te, suscipe animam meam in pace, & dignum me fac æterno regno. Hæc locutum impij ministri in medium flumen proiecerunt.

2 Orat sãctus, sublatis ĩ cœlum oculis.

Tertio autem post die factum est id, quod beatus Sabinus prædixerat. Accedentes enim ad locum à sancto Sabino præscriptum viri illi, qui fuerant certaminis eius spectatores, almas ipsius, atq; 3 venerandas reliquias inuenerunt. Et quidam ex ipsis zelo bono compulsi, vesperi eas suscipientes, clam, propter metum Præfecti, in domunculam comportauerunt, & vnguentis conditas in arca noua prope ciuitatem reposuerunt vnà cum ipso lapide, quemadmodum ille præceperat. Martyrio coronatus est sanctus Christi Sabinus iij idus Martij, regnante impio Diocletiano, immò verò Domino nostro Iesu Christo; Cui gloria, & imperium in secula seculorum. Amen.

3 Almas ipsi᷒, atq; venerandas reliquias inuenerunt, & vnguentis cõditas in arca reposuerunt.

THEOPHANIS PRESBYTERI, ET PRAEPOSITI ORATIO IN EXILIVM SANCTI NICEPHORI PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLIS, ET IN TRANSLATIONEM SANCTARVM IPSIVS RELIQVIARVM.

EODEM XIII. MARTII DIE.

PLVRIMA profectò diuersis occasionibus, atq; temporibus, in gentibus, & ciuitatibus præclara facinora, ad eximias Dei, maximarumq; rerũ demonstrationes, facta sunt, quibus vera ipsius cognitio perspicuè fuit confirmata; quemadmodum in psalmis canitur: Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam. Quibus verbis etsi perpetua illa Dei virtus rerum omnium, atq; vniuersi orbis conseruatrix, ac moderatrix indicatur; non minus tamen, immò verò magis etiam significantur ea, quæ nostris temporibus in primis excellentia, atq; admirabilia gesta sunt ab eadem ipsa diuina virtute, quæ eximia potentia sua cuncta gubernat, ac regit. Si quidem non in vna parte, neque in gente minima, aut contemnenda, eiusmodi bonorum munera viguerunt, sed publicè, & passim, & in proprio, atq; electo Christi clero, qui Apostoli Petri verbis meritò vocatur regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Verùm quoniam rerum maximarum argumenta præstantissimos requirunt enarratores, qui dicendi vi eas valeant explicare, ne inornata orationis tenuitate earum amplitudo imminuatur, ego, qui orationis laboro paupertate, vehementer à scribendo deterrebar; sed tamen assiduis me ad munus hoc suscipiendum adhortantium precibus non potui non obtemperare. Dei igitur, qui dicendi facultatem elargitur, benignitate confisus, ad scribendum accedo, adiuuante me 1 precibus suis, orationemq; moderante diuino patre Nicephoro, qui se nobis maximum ad dicendum argumentum præbuit.

1 Si sãctus Nicephorus precibus suis adiuuat scribẽtem, illiusq; orationẽ moderatur, ergo sãcti post mortem pro nobis orant.

Cùm præclarè res nostræ se se haberent, & ex vtilitate, ac dignitate gererentur, tunc nimirum, cùm vnus in Ecclesia sensus vigebat, & impia cuncta, ac peregrina dogmata, tanq̃ scelera, atq; piacula detestanda reijciens, omnes

hæreticorum nugas ad nihilum redigebat; Nicephorus Imperij sceptra moderabatur, & Nicephorus sacram excelsæ, atque vrbium reginæ ciuitatis sedem obtinebat, qui, luminis instar perpetuò fulgentis, vniuersum orbem terrarum virtutum radijs illustrabat. Iam & in principe, ac beata Trinitate vna, & eadem essentia, & in vna Dei Verbi carnem induti persona duæ naturæ, & duæ voluntates clarissimè fuerant opportunis concilijs constitutæ, & declaratæ, contrarijs opinionibus reiectis, atque improbatis; & vtilis sacrarum 2 imaginum vsus iam inde ab initio institutus, & per manus traditus, in omnibus Ecclesijs ornatè, decoréque demonstrabatur; quemadmodum proximis temporibus, sanctorum patrum concilium celebrantium suffragiis diuinitus fuerat comprobatus.

2 Nota vtilem vsum imaginũ antiquissimũ in Ecclesia, & per manus traditũ.

Verùm posteaquam Nicephorus Imperator vnà cum filio huius vitæ finem sortitus est, & ad Michaëlem eius generum Imperij gubernatio peruenit, sub Leontij nomine crudeliter frendens inuasit hunc valde sæuus, immanisque Leo ex Armenia genus ducens, qui & defectionem à Deo, & aduersus Imperatorem, apud quem in honore erat, minimè obscuram, aut tectam tyrannidem machinabatur. Quod quidem illi è sententia successit. Nam per vim sibi Imperium vindicauit. Cæterùm haud aliter duxit, potentiam suam fore diuturnam, nisi contra nos audacter bellum susciperet, & venerabilium imaginum interitum omni studio, atque arte moliretur. Ad hunc enim furorem, atque dementiam à dæmonibus, à quibus instruebatur, & falsis vatum mendacium somnijs, & incertis temporum promissis miserè compulsus erat. Impium autem, atque audax facinus ad optatos exitus se perducturum non sperauit, nisi præclarum Ecclesiæ ducem, & ab omni reprehensione remotum, rectæ doctrinæ regulam, Nicephorum è sacra sede exturbaret, vt propriæ malitiæ propugnaculum Ecclesiam constitueret, &, nemine conatibus suis repugnante, omnia ex sententia sua, & eorum, qui sibi fauebant, tutò moderaretur.

Primùm igitur tempus obseruabat, vt eum artibus, ac dolis in sententiam suam adduceret, fingens sese in recta dogmatum exercitatione versari. Verùm cùm vir ille diuinarum rerum peritissimus, & prudentissimus, tum multis sermonibus, tum 3 scripturarum testimonijs, tum longissimi temporis consuetudine comprobatum imaginum vsum demonstraret, nec tamen insolentem hominem à proposito posset dimouere, tunc dolus, qui antea latuerat, in apertum erupit. Mores enim ferinos nomini congruentes gerebat. Itaque tanquam perniciosus quidam aper, aut sæuissimus leo, immanisque fera, salutaribus magistri documentis sic aures occludens, vt aspis incantationibus, nihil monebatur; sed obstinatiùs insaniebat. Statim igitur & pietatis zelo, & præstantioris auxilio confirmatus vir, cui à victoria nomen erat, & propterea Nicephorus vocabatur, strenuè aduersus impietatem, & Tyrannum impietatis defensorem instruitur; coactisque primarijs sacerdotibus, viris tum vita, tum doctrina probatis, qui simul pro pietate pugnare parati erant, de communi sententia iniquè se gerentem Imperatorem, licet frustra, coarguerunt; & tanquam contumeliosum Dei, rerumque diuinarum hostem iudicarunt. Quamobrem arrogans, & superbus ille confestim & simulationem, quam occultabat, aperire, & reconditam malitiæ rationem, tanquam redundantem quandam corruptorum humorum ex cruditate copiam, euomere, aut deformes, & imperfectos ex abortu fœtus in lucem edere conatus est. Tyrannica igitur audacia celeberrimum Patriarcham è sede sua depulsum in exilio viuere compulit, ne illud quidem veritus, (nihil aliud), quòd impositione, & obsignatione manuũ ipsius, (quod fieri non debuit) Imperij coronam acceperat. Verùm, vt verisimile est, defectionis, & tyrannidis lubrico lapsus, simul cum pietate prudentiam, & ra-

3 Et scripturarum testimonijs, & lõgissimi tẽporis cõsuetudine comprobatũ imaginũ vsũ Nicephorus demonstrabat.

tionem, ac mentem amiserat. Itaq; nefanda impietatis, atq; audaciæ facinora aggrediebatur.

Patriarcha verò, vt pacifici magistri discipulus, ab Ecclesia discessit tristis, & lachrymabundus, vt qui sponsam immaculatam sibi à Deo traditam discessu suo mœrentem, ingemiscentemq; relinqueret. Populum autem, & gregem suum opportunis sermonibus instruebat, & cohortabatur, vt integram in vinculo pacis fidem obseruaret. At ille insaniens & furore percitus, pietatem pro viribus pergebat insectari; nec contentus ijs, quæ in Patriarcham diuinum commiserat, adhuc malitiæ suæ spectacula lamentationibus, & gemitibus digna in plures ædebat. Omnes, qui recta veritatis dogmata complexi cum magistro consenserant, primarios sacerdotes, monachosq;, & præstantes in populo, tum viros, tum etiam fœminas, non ferendis pœnis, atque supplicijs afficiebat. Alij enim ipsorum plagis, ac tormentis crudelibus excruciabantur. Alij fame, & siti in carcere diu premebantur. Multi sine vlla veniæ spe mittebantur in exilium. Non pauci spoliabantur fortunis ob id solum, quòd erant pietatis studiosi. Quidam etiam, vt fama est, clam necabantur. Nonnulli igitur magistratus, & in dignitate constituti, & sacerdotes, & monachi, & ex reliqua multitudine, partim imperantis vi pertracti, illi adhærebát; partim metu, partim ignauia, partim adulatiõe, partim gloriæ cupiditate corrũpebant. Sed maxima pars stabiles, & cõstantes in fide animos cõseruabat. Tunc in sacra regiæ ciuitatis sede tres veri pastoris aduersarij, ordine vnus post alium impiè considerunt, Theodorus, Antonius, & Ioannes, qui, tanq̃ graues quidam lupi, passim Ecclesiam lacerauerunt, ac deuorarunt. Et alijs in locis, & ciuitatibus, eiusdem opinionis sacerdotes, ac duces imperiti, & nullius pretij homines Ecclesijs præfecti sunt; qui execrabile, ac detestandum sectæ suæ decretum impiè, & stultè confirmantes, varijs modis ita conati sunt imaginum vsum abrogare, vt, quantum in ipsis fuit, nullum earum vestigium relinqueretur, quod vel Dei Verbi carnem induti, vel sanctissimæ Dei genitricis, vel cœlestium Angelorum, aut totius reliqui sanctorum, atq; iustorum ordinis speciem præseferret.

Erat autem admodùm absurdùm, & graue, videre passim sacrosancta templa ab obscuris, & execrandis hominibus pulchritudine sua, & veteribus ornamentis spoliari. Atq; ista quidem mali dominatio grauissimas calamitates intexit, & cuncta permiscuit, ac perturbauit, non exiguo, aut breui temporis interuallo Imperatoris robore munita; sed triginta propè annorum spatio. Quorum cùm quatuordecim in exilio diuus pater Nicephorus transegisset, ab hac mortali vita migrauit ad immortalem; & sepultus est iuxta templum sancti martyris Theodori in monasterio, quod ipse à fundamentis construxerat. In hoc enim, cùm esset mulctatus exilio, piam, & sacram vitam traduxit; & virtutum studio mentem suam diligenter excoluit, atq; expurgauit, seq; purum Dei, rerumq; diuinarum templum exhibuit, cùm similis esset Angelorũ, & simul tum monasticæ, tum pontificiæ vitæ dignitatẽ virtutibus suis exornauit.

Hactenus commemorauimus, quemadmodum beatissimus Nicephorus, vt optimus gubernator, munus ecclesiasticum sapienter administrarit; & tam vitæ honestate, q̃ cognitionis excellentia & sensus omnes, & animum rectè ad pietatem instituerit; &, quod ad fidem pertinet, tranquillè semper cursum tenuerit; & legitimas vitæ ciuilis institutiones obseruarit; & quemadmodum inuidia, quæ rectè facta carpere consueuit, liuore commota, cùm Christi gregem optimis quibusq; auctum, atq; ornatum institutis intueri non posset, Leonem Imperatorem perniciosum animæ propriæ inimicum impulerit, vt nouarum rerum in religione studio aduersus Deum insurgeret, & pro viribus res

sanctas, atq; diuinas contumelijs afficeret, & contaminaret, & ad extremum è sacra sede diuinum hunc virum exturbaret, atq; in exilium eijceret; vbi virtutibus, & contemplationibus animum excolens, & cum Deo versans bene, beateq; vitam traduxit. Nunc autem tempus est, vt, cùm prouidentia Dei, qui mortis vmbram in matutinum splendorem, & tenebras in lucem conuertit, mœrorem, atq; tristitiam in gaudium, lætitiamq; commutauit, in reliqua orationis parte breuiter demonstremus, quemadmodum sacrum illius corpus in regiam vrbem translatum sit. Hoc enim nobis potissimum proposueramus, licet in alijs rebus recensendis fimus immorati.

Posteaq̃ enim, defuncto Theophilo, Imperium ad eius vxorem Theodoram, & filium eorum Michaëlem admodùm adolescentem delatum est, in pietatis studium, curamq; maximè incubuit fœmina verè Dei munere (vt nomen eius indicat) data, ex omnibus præclaris, & magnis facinoribus, quibus principes probari solent, nullum præstantius existimans, quo tutius sibi Imperium confirmaret, aut virilem in fœminea persona fortitudinem exerceret, q̃ si pietatis, & religionis cultu Deum sibi propitium redderet: Id autem nullo pacto facilius, aut commodius posse contingere, q̃ si perturbationem in Ecclesia iam diu excitatam sedaret, & partem in illa morbo laborantem reduceret ad sanitatem; vt qui inter se animis essent abalienati, conciliarentur, atq; idem omnino sentirent. Sic enim fore, vt cùm vna esset omnium sententia, atq; idem sensus, vera, synceraq; fides, Apostolorum, patrumq; institutis, tanquam solidis fundamentis, inhærens, firma, atq; immobilis conseruaretur; & sibi deinceps Imperij gubernatio facilis, ac tolerabilis permaneret. Hæc igitur cùm illa verè animo excellens, ac mente fortis Regina ingenio suo excogitasset, & prudentia considerasset, re cum illis, qui erant in magistratu, & dignitate constituti, communicata, accersit cũ ipsis eos, qui inter monachos præstabant, & de imaginum instauratione quæstionem proponit. Cumq; idem omnes sentientes comperisset, diuturnoq; eius rei desiderio teneri, atque animo excruciari, propter religionis in ea re mutationem, postulauit, vt se patrum etiam auctoritatibus ad veritatem confirmarent, quas varijs in libris inuenissent; mandauitq; quo in loco palatij præfinito cœtus ecclesiasticus vniuersus cogeretur, & ad populum ea de re q̃ apertissimè verba faceret. Tanta autem multitudo confluxit, vt numero comprehendi non posset. Conuenerunt enim non solùm illi, qui mentem sanam impietatis temporibus conseruarant, verùm etiam complures ex ijs, qui cum pietatis hostibus consenserant, quiq; sacerdotijs, & Ecclesijs regendis ab ipsis electi fuerant: è uestigioq; mutata sententia, eos, qui sanctas imagines oppugnarant, anathemati subiecerunt.

Qua quidem celeri, & insperata rerum commutatione, Ioannes, qui tunc impiè munus pontificium administrabat, stupore, & mentis caligine captus, parum abfuit, quin sibi ipse manus afferret, mortemq; consciseeret. Hic enim sceleris caput, & summa fuerat; qui cùm impiè sentiret, & apud Imperatores auctoritate posset antea plurimùm, eos mendacijs, & dolis imprudenter, inconsiderateq; confictis in impietatis barathrum impellebat. Eo igitur propter flagitia, quæ in Deum admiserat, vno omnium consensu, & cunctis tum magnorũ Imperatorum, tum vniuersi cœtus ecclesiastici suffragijs à sacra sede cum ignominia eiecto, Methodius vir & vita, & doctrina valde probatus; & qui pro veritate, & religione permulta certamina, & longum exilium pertulerat, atque inde plagis, & carcere diu cruciatus redierat, omnibus in dignitate constitutis approbantibus, electus est, qui sacram reginæ vrbiũ ciuitatis sedem obtineret. Tunc Nicææ secundum diuinitus electum sanctum œcumenicum Concilium, quod Irenæ Imperatricis verum ab ipsa pace nomẽ

habentis, & Tarasij maximi, beatissimiq; Patriarchæ studio celebratum est, meritò firmam obtinuit auctoritatem, ac robur, cùm omnes, quæ, Deo aspirante, in ipso decreta fuerant, comprobarent. Tunc omnes Ecclesiæ suum vbiq; decus receperunt, & venerabilium imaginum splendore fuerunt illustratæ; eiectisq; illis, qui eas nefariè insectabantur, sacerdotes in eis, ac duces recti dogmatis studiosi, sunt constituti.

Quadriennio igitur post sacratissimus Methodius diuino planè spiritu impulsus, opportunè, sapienterq; diuinam Imperatricem Theodoram admonuit, non esse ex Imperij, & Reipublicæ dignitate, quòd venerãdus, & inter Patriarchas illustris Nicephorus, qui pro gloriosæ, syncerææq; fidei defensione à sacra sede depulsus, in longissimo exilio defunctus erat, negligeretur; sed omni studio curandum esse, vt diuinum corpus ipsius in ciuitatem reportaretur. Alioquin ingrati animi vitium, inquit, non euitabimus, si post mortem etiam ipsum in exilio, tanq̃ iure damnatum, reliquerimus, præsertim cùm non ignoremus, eos, qui ex genere erant Ioseph, in benedictionis parte posuisse, vt patris ossa post quadraginta ferè annos ex Aegypto in Chananitidem exportarent. Quod cùm ita sit, nos, qui sumus pietatis filij, diutiùs priuari patiemur patris illius præsentia, à quo diuinis documentis enutriti sumus? Hæc quidem omnium, quas intuetur sol, vrbium præstantissima, & regia ciuitas sacri ducis, atq; pastoris sui 4 reliquias sanctas desiderat, quas piè conseruet, & colat. Sponsi sui præsentia fruatur rursum Ecclesia ipsius amantissima, & quo viuo iniustissima Imperatoris manu spoliata fuit, mortui corpus, annuente studiosa pastoris Imperatrice, complectatur. Cernis, quemadmodum hic populus, qui per te securus in vera religione conquiescit, incredibili studio post mortem etiam, spiritu vocem eius audire concupiscit? Quòd si tabernaculum eius tantùm ad se relatum aspexerit, se illum ipsum recepisse spirantem existimabit, & tanquam thesaurum aliquem pretiosissimum recondet, & obseruabit. His precibus, & cohortationibus celerrimè, ac libentissimè inclyta annuit Imperatrix. Perspicuum est enim, inquit, hoc apud omnes posteros & mihi, & liberis meis honori futurum.

4 Hæc regia ciuitas pastoris sui reliqas sanctas desiderat, quas piè cõseruet, & colat.

Tunc sacer ciuitatis Antistes cum sacerdotibus, & monachis, vniuersoq; populo ad sancti Theodori templum accedit, in quo gratia plenæ reliquiæ iacebant, easq; cum veneratione, & lachrymis complectens, tanquam sanctum ipsum viuentem sic allocutus est: 5 O' vir beatissime, qui eisdem laboribus, & ærumnis, quibus sanctus Ioannes Chrysostomus, affectus es, sicut eodem religionis studio, & dicendi libertate præstabas; quiq; pariter & sede priuatus, & multatus exilio, & idem triginta trium annorũ spatium extorris tum viuus, tum mortuus transegisti; nunc te nobis tui amantissimis restitue, atq; hinc discedens ad propria redi, vt te nunc, vt ipsum olim, populus tui studiosissimus cum gaudio suscipiat. Tibi iam à Deo alienus Imperator viuenti aduersatus est, & inconsideratè ab ecclesia te depulit; sed dignas furore suo pœnas dedit, miserandoq; exitu Imperio simul & vita priuatus est, audaciæq; suæ debita præmia tulit. Hodie Imperatores Deo propter morum pietatem charissimi mortuo Ecclesiam reddunt, quam, vti filij per Euangelium effecti, mecum constituunt non habentem maculam, neq; rugam, qualem tuis ornatam, & confirmatam institutis reliquisti. Aspice, & vide congregatos filios, qui ex propinquo venerunt, cùm reliqui procul tuum ad se reditum expectent; quos tu, velut orphanos, noli tua mœrentes absentia relinquere. Habeat ciuitas tua loco muneris pretiosissimi tuum beatissimum tabernaculum, quo magis, q̃ Imperij amplitudine 6 ornata glorietur, & gaudeat. Hæc voce flebili supplicans sacratissimus Patriarcha Methodius nocturnum psalmorum cantum, & mysticum

5 Vide quomõ Methodius sancti corp⁹, ac si viueret, alloquit, q̃a & sãcti nõ sunt mortui, cùm eorũ spiritus felicius cum Deo viuant.

6 Ecce quomõ sanctorũ corporibus ciuitates ornant, & gaudent.

mysticum sacrificium cum populo fideli perficiens, præclarum è tumulo corpus retexit, quod vndeviginti annorum spatio integrum omnino, purumq; manserat; & in arca ab ipso compositum, & 7 sacerdotum manibus sublatū, cum luminibus, & frequenti psalmorum cantu in nauim ad hoc paratam illatum est.

Sed cùm fretum traiecisset, & ad vrbis littus appropinquasset, Dei cura Michaël Imperator iuuenis, & amplissimis dignitatibus præstantes viri, & patricij, & reliqui ciues læti, facesq; manibus tenentes, obuiam processerunt, & arcam illam pretiosam cū fide, ac veneratione humeris suis subeuntes, ad magnam vsq; gestarunt Ecclesiam, ex qua, pontificia dignitate spoliatus, eiectus fuerat. Atq; inde rursum, assiduis item diurnis, nocturnisq; psalmorum canticis vicissim vtentes, & cum omni luminum genere per mediam vrbem ipsum gestantes, in sanctorum Apostolorum templo collocarunt. Tanta autem erat concurrentis populi virorum, & fœminarum, atq; ætatum omnium multitudo, vt numerari non posset. In biuijs enim, & porticibus premebantur; & vbiq; per vim sibi exitum parabant, adeò, vt quamuis multæ propter Imperatores, & sacerdotes varijs temporibus celebritates extiterint, nulla tamen cum hac conferri queat. Nonnulli etiam in via spiritibus immundis vexati, dum ab alijs comprimerentur, miserandas, atq; maledicas voces emittebant; quorum è numero quidam ab ipso curati sunt. Populi igitur impetu vix euitato, sanctum eximij Patriarchæ corpus in celeberrimo Apostolorum templo, sacris mysterijs Deo peractis, in sepulchro recens constructo, manibus ipsius Methodij compositum est, iij Idus Martij, quo quidem die in exilium etiam eiectus fuerat, vt vtraq; res sit memorabilis.

Nos autem, ò patrum 8 sanctissime, ò sacrorum præconum decus, qui digni facti sumus, vt te & terrestrem haberemus ciuem, & cœlestem apud Deum intercessorē, ad arcam tuam cum desiderio accedimus, eamq; cum omni veneratione cōplectentes has tibi voces effundimus: O' sublimiū, & arcanorū mysteriorū inspector, & contēplator; ò diuini aspectus, atq; splēdoris gloria abūdè propter mentis puritatem illustrate; ò patriarcharum, atq; pontificum societatis particeps, qui & nomine, & re simul cum illis victoriæ præconia, & pmia, ærumnis, & periculis superatis, percepisti; suscipe benignè synceri cordis ergà te fidem, & affectionem, vicissimq; tuas pro nobis ad 9 Deum puras, castasq; preces exhibe; vt Ecclesia sancta in tranquillitate versetur, & fides integra custodiatur. In perpetuum nobis Deum propitium redde; et nos, qui iucundissima tua monumenta, qui pulcherrima ad salutem instituta varijs in libris à te relicta perlegimus, in recta dogmatum doctrina firmos, immobilesq; conserua, & in omni temporum varietate constantes, vt omnem reliquam vitam exemplo tuo sanctè transigamus, vt Deo chari simus, &, quæ iustis promissa sunt, bona consequamur; Illius misericordia, ac munere, qui propter nos homo fieri, & carne indutus perspici non est dedignatus, Christus Deus noster, qui colendus, & adorādus est cum patre, qui est ante principium, & diuino spiritu, qui est eiusdem cum illis essentiæ, auctorq; vitæ, in secula seculorum. Amen.

7 Vide q̄ solennis hæc beati corporis trāslatio fuerit.

Nā sublatū est sacerdotum manib', & Imperatoris, aliorumq; patriciorum humeris subuectum.

Cum luminibus, & psalmorū cantu p mediā Ciuitatem delatum.

Maxima populi multitudine, & frequentia celebratum.

Et dæmonia corum curatione glorificatum.

8 Ecce quomodo sanctum inuocat.

9 Ergo sācti in cœlo pro nobis orant.

SANCTI ALEXII VIRI DEI VITA.

XVII. MARTII.

FVIT vir pius Romæ nomine Euphemianus, diuis Arcadio, & Honorio Imperatoribus, Senator magnus, cui tria erant seruorum millia, qui zonis aureis, & vestimentis sericis induebantur. Nullos autem susceperat filios, quoniam vxorem habebat sterilem. Optimus hic erat vir. Ternas domi suæ mensas instruebat pro viduis, & pupillis, & peregrinis, & pauperibus, & ægrotantibus. Ipse verò hora nona cum monachis peregrinis panem edebat. Et si quando minus in pauperes benignus, & misericors extitisset, prostratus in faciem suam dicebat: Non sum dignus, qui ambulem in terra Dei mei. Huic erat vxor Aglais nomine, mulier fidelis, ac timens Deum, & erga pauperes benigna, ac liberalis, quæ cùm esset sine liberis, Deum orabat, vt sibi filium largiretur, in quo vir eius conquiesceret, & animum oblectaret. Et recordatus est eius Deus, largitusq́ est ipsi filium, vt senectutis solatium haberet. Et baptizauerunt eum, imposueruntq́ illi nomen Alexio. Quem, cùm sex esset annorum, Grāmaticæ rudimentis imbuendum, & historiæ Ecclesiasticæ cognitione, atq; arte oratoria erudiendum curarunt. Itaq; doctissimus euasit.

Verùm cùm adoleuisset; Matrimonio, inquit Euphemianus ad coniugem suam, coniungamus charissimum filium nostrū. At illa procidit ad pedes eius; Confirmet, inquiens, Deus id, quod dixisti. Nuptias celebra dulcissimi filij nostri, vt videam ex eo prolem, & lætetur animus meus: Et adhuc egenis, & pauperibus auxiliabor. Puellam igitur ei regij sanguinis desponderunt. Et coronarunt eos in tēplo sancti Bonifacij, adhibitis venerādis sacerdotibus; totumq́ diem hilariter vsq; ad vesperam trāsegerunt. Tunc Euphemianus; Ingredere, inquit, fili, ad sponsam, & cognosce coniugem tuam. Qui in chalamū ingressus, eam in sella sedentem inuenit; annulumq́ suum, & caput baltei in velo purpureo inuoluta ei tradidit; Accipe, inquiēs, hæc, atq; serua; & Deus erit inter me, atq; te, donec illi placebit. Et in cubiculum suū ingrediens, ex proprijs diuitijs sumpsit; & ad portum descendens nauim inuenit, in eamq́ conscendit, ac Laodiceam peruenit. Cumq́ è naui egressus esset, agasones reperit, quibus se itineris comitem adiunxit, donec Edessam Mesopotamiæ vrbem, vbi Domini Iesu 1 imago seruatur non manu facta, quam ipse dedit Abgaro in vita sua, peruenit. Hic omnia bona sua vendidit, 2 pauperibusq́ distribuit. Atque vestimentis vilibus indutus, & in vestibulo templi Dominæ nostræ Dei genitricis manens, si quid accipiebat, id egenis senibus nutriendis impendebat. Et cùm faciē quidē in medio brachij demissam teneret, cor eius Deo vacabat.

1 Ecce antiquissimū imaginum vsum.

2 Vide veram paupertatem Euangelicā.

Mater autem die, quæ celebratas nuptias consecuta est, in cubiculum suum ingressa, fenestram clausit, saccumq; strauit, ac cinerem, atq; ibi iacebat; Non surgam, inquiens, prius, q̃ didicero, quid filio meo vnigenito factum sit. At nurus ad socerum conuersa; Neq; ego, inquit, à te discedam, & turturem imitabor, quæ solitudinis amans, quando maritus eius, quem vnicum habet, captus est, mœrens eum in conuallibus quæritat. Sic ego forti animo feram, & expectabo, dum audiam, quid viro meo, qui præclaram viuendi ratione͂ elegit, acciderit. Pater autem, cùm post nuptiarum diem filius non inueniretur, omnes ferè seruos ad eum quærendum dimisit. Quorum è numero cùm quidam Edessam peruenissent, ei minimè ab ipsis cognito eleemosynam dederunt. Ipse verò & agnouit eos, & gratias egit Deo, qui se dignum fecisset, vt eleemosynam à seruis suis domesticis acciperet. Serui autem redeuntes Domino suo nunciauerunt, se filium eius non inuenisse.

At Alexius, cùm decem & septem annos in vestibulo ædis Dominæ nostræ Dei genitricis transegisset, Deoq; gratus esset, imago ipsius beatæ Virginis sic ædis custode͂ est allocuta: Introducito huc virum illũ Dei, qui dignus est regno cœlorũ; nam oratio eius, sicut incensum, ascendit in conspectu Dei, & spiritus sanctus super eum requiescit. Introductus igitur, cùm celebris omnibus fieret, ipse vt humanam gloriã fugeret, Tarsum Ciliciæ ad sancti Pauli templũ ire decreuit, vbi nemini notus foret. Sed, naui cõscensa, vi tempestatis Romam appulit. Itaq;, Viuit, inquit, Dominus Deus meus, nõ ero cuiq̃ grauis: Sed domum patris accedã, cum sim omnibus ignotus. Cùm igit̃ patri è magno palatio multis comitantibus redeũti occurrisset, Serue, inquit, Dei benignitatem exerce in me abiectum, & paupere͂, domiq; tuæ admitte, vt de micis, quæ cadunt è mensa tua, cum seruis tuis domesticis edam: Et Deus sanctus benedicet te͂poribus tuis; & siqui tuorũ peregrinantur, eos tibi reddet incolumes. Audita peregrinorum mentione Euphemianus, lætus, quòd eiusmodi pauperi factus esset obuiam; & filij sui vnigeniti recordatus, conuocatis seruis suis; Quis, inquit, ex vobis huic pauperi vult deseruire, & liber erit omnibus diebus vitæ suæ, atq; etiam hæreditatem accipiet è domo mea? Eum in vestibulo domus constituite, vt quotiescunq; ingrediar, & egrediar, illum videam. Nulla eum te mensæ meæ defraudate.

Cùm autem vespera aduenisset, & silentium esset, quidam è seruis eum affligebant; quidã alapis cædebant; alij vellebant capillum; alij sordes in caput eius effundebant. Ipse verò hæc diaboli opera fieri cõsiderans, omnia patienti, & læto animo sustinebat. Quodam autem die cùm Archiepiscopus sacra faceret, & sacrificio diuus Imperator interesset, audita est vox diuinitus, dicens: Venite, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Quamobrem timor, & admiratio cunctos inuasit. Et ceciderunt in facies suas, clamantes: Miserere nostri, Domine. Secundò autem audita est vox ex altari dicens: Quærite virũ Dei; & orabit pro Roma; & res prosperè cedet. Die aute͂ parasceuæ è corpore egredietur. Eo die igitur summo mane cùm omnes in sancti Petri templum conuenissent, vt intelligerent, vbi nam vir ille Dei esset, arcanæ vocis monitu dictum est, vt in ædibus Euphemiani virum Dei conquirerent. Tum sacratissimus Imperator ad Euphemianum; Tantum, inquit, munus domi habebas, & nobis id non significasti?

Archiep̃um Romanũ põtifice͂ intelligit. Nã Episcopoꝵ princeps is est.

At Dei vir cùm sciret vitæ suæ finem appropinquare; Affer huc, inquit ministro suo, frater, chartam, & atramentum. Scripsitq; totam vitam suam, & arcana, quæ inter se, & patrem, ac matrem, sponsamq; suam intercesserant; & quicquid ei dixerat in thalamo, cùm illi dedit annulum aureum, & caput baltei in velo purpureo inuoluta; vt à parentibus agnosceretur. Decreuit igitur

diuus Imperator, vt Euphemiani domus peteretur, ibiq; vir Dei quæreretur. Euphemianus autem seruis suis iussit, vt ad suscipiendum Imperatorem domū ornarent, & scamna, sellasq; disponerent. Sponsa verò stans in solario spectabat, quid sibi vellet ea perturbatio, & quæ dicerentur, ac fierent. At Alexij minister ad dominā suam; Num, inquit, hic pauper est vir Dei? Magna profectò, & præclara signa in ipso perspicio. Quolibet enim Dominico dic sancta mysteria suscipit; cibusq; eius 3 tenuis, & potus duæ sunt aquæ vnciæ. Ad hæc quidamè seruis affligunt eum, nonnulli alapis cædunt, alij vellunt capillos, multi sordes in caput eius effundunt, quæ ille perfert æquo animo.

3 Ecce quanta Sancti abstinentia, & patientia.

Interim Euphemianus accedens, Alexium, cui neq; vox, neq; auditus erat, alloquebatur; retectaq; eius facie, tanq̃ Angeli splendidam vidit. Cumq; defunctum esse, & chartam manu continere animaduertisset, conatus est eam tollere, sed non potuit. Itaq; veniens ad Imperatorem; Inuentus est, inquit, is, quem pietas vestra conquirit; sed cessit è vita, & chartam manu tenet, quam nobis dimittere non vult. Tunc diuus Imperator lectum in medio secreti cubiculi sterni iubet, in eoq; ipsum collocari. Archiepiscopus autem, & diuus Imperator cōsurgentes ceciderunt in facies suas, atq; dixerunt: Da nobis chartā, vt videamus, qui sis, & quid sibi velint ea, quæ in charta conscripta sunt. Et confestim chartā ipsis tradidit, quam Aetio sacrosanctæ Ecclesiæ Cancellario legendam dederunt. Dum autē legeretur, magnum est silentiū consecutum. Sed cùm ad eum locum peruentū esset, vbi de parētibus, deq; sponsa fiebat mētio; & quemadmodum ipsi annulum aureum, & baltei caput in velo purpureo conuoluta tradidisset; tunc Euphemianus excitatus canos diuellere, & cursu ad venerabile corpus contendere, atq; illud complecti, & magna cum affectione osculari, ac dicere: Heu me miserum, domine mi, cur sic mecum egisti? Cur hanc animo meo afflictionem inussisti? Cur mihi te, cùm in paterna domo esses, meq; tristem, ac mœstum cerneres, non aperuisti?

4 Vide quantis miraculis glorificet Sāctos suos Deus, q pp eius amorem humiles spiritu, & abiecti in domo eius esse elegerunt.

Mater autem tanq̃ leæna è viuario tuens, scissis vestibus, cœlum obliquis oculis suspiciebat; & turbam precabatur, vt sibi locum daret. Date mihi, ò viri, dicebat, vt spem meam aspiciam. Date mihi locum, ò viri, vt membra contingam mea. Date mihi locum, ò viri, vt vnigenitum meum amplectar. Et accurrens proiecit se super pretiosum corpus filij sui, & amanter illud osculabatur; Hei mihi, inquiens, domine mi, cur nobis ita fecisti, vt affligeres animā nostrā? Videbas nos in patria domo dolentes, & te nobis non patefecisti? Hei mihi, quid faciam? Quò circunspiciam? Sponsa verò lugubri veste induta currens procidit super venerandū sponsi sui corpus; Hei mihi, inquiens, mi turtur solitudinis amans, tot annos propter te vixi solitaria, & hodie vidua relinquor, nec habeo amplius, quem morer, quem expectem. Porrò Archiepiscopus, & Imperator iusserunt, lectum circungestari. Sed populus ita premebat, vt moueri nō posset. Tunc iussit augustissimus Imperator, vt aurum, argentumq; proijceretur, quò populus ad colligendam pecuniā diuerteret. Verùm nemo fuit, q aurum curaret; sed omnes ad venerandas reliquias concurrebant. Si quis 4 enim eas tantùm aspiciebat, ab omni malo liberabatur. Surdi audiebant, muti loquebantur; mundabantur leprosi, dæmones fugabantur.

5 Ecce antiquū morem celebrandi septē diebus iusta p defunctis.

Sacras igitur reliquias in sancti Petri templum gestarunt, vbi diebus septem ei iusta, parentibus, & sponsa præsentibus, 5 celebrarunt. Imperator autem arcam è marmore, & smaragdo faciendam curauit; in eaq; corpus sanctissimum posuit XVI Cal. Aprilis, Arcadio, & Honorio Imperatoribus, Innocentio autem primo Pontifice. Porrò ex arca ipsius 6 oleum suauissimum emanauit; ex quo siquis accipiebat, quicquid postulabat, obtinebat à Deo; Cui gloria in secula seculorum. Amen.

6 Nota quomodo etiam ex Sāctı arca oleū pro obtinendis postulatis emanabat.

Sanctorum

SANCTORVM CHRYSANTHI, ET DARIÆ VITA, ET MARTYRIVM.

XIX. MARTII.

AD ædificationem, vtilitatemq́; noſtram Deo placuit, vt Martyrum, qui ſuperioribus temporibus extiterunt, certamina literarum monumentis conſignarentur; non vt mortalium laudibus eos ſatiaret, quos conuiuio dignos fecit ſempiterno; ſed vt eorum exemplo nos commoneret, vt huiuſce vitæ voluptates aſpernaremur, & gloriæ perpetuæ gratia breues miſerias æquo animo perferremus. Omnis enim corporis dolor, ſi leuis eſt, facilè perferri poteſt; ſin grauis, celerem finem habet. Quamobrem negligendus eſt, & alacriter ſubeundus, vt mors æterna vitetur. Quòd ſi dolores iſti, qui cùm hodie ſint, cras non erunt; cùm hodie naſcantur, cras extinguentur; ita moleſti ſunt; quantò illi acerbiores putandi, quibus nullus proponitur finis? Quid, quòd exempla non deſunt eorum, qui conualeſcendi cauſa ſe, ſuaq́; medicis dedunt, ſeq́; & ſecari, & vri permittunt, & pocula ſumunt amariſſima, mortiſq́; metu nec amaritudinem ſentiunt, nec ignem reformidant, nec ferrum recuſant? Quòd ſi fallacis, & incertæ iſtius vitæ ſtudioſi, quò mortē differant, & ferri, & ignis moleſtias ſuſtinent, & amara hauriunt medicamenta; quantò alacrius acerbitates illæ ſunt perferendæ, quæ nos exiguum ad tempus cruciant, & premunt, vt in perpetuum extollamur; quæ amara nobis tormenta adhibent, vt ſempiterna dulcedine perfruamur; quæ breue præbent incendium, vt perpetuum refrigerium aſſequamur? Hæc Dei Martyres conſiderantes, vt de hoſtibus victoriam reportarent, omnia acerbitatum, tormentorumq́; genera pertulerunt. Sperabant enim, ſe, breui vita, gloriaq́; contempta, æternam illam aſſecuturos, & vitaturos perpetuum ignem, ſi temporarium hunc pertuliſſent. Huius nos item veræ gloriæ cupidi, mundū, mundiq́; cupiditates contemnamus; & quæ à ſanctis geſta ſunt, minimè obſcura fide celebremus; in primiſq́; ſanctorū martyrum Chryſanthi, & Dariæ hiſtoriam non minus illis, qui credituri ſunt, q̃ nobis, qui credimus, profuturā pura mente cōſcribamus.

Vir quidam Alexandrinus in ciuitate ſua illuſtris, ac princeps, ordiniſq́; Senatorij, nomine Polemius, Romam cum filio ſuo Chryſantho conceſſit. Qui à Senatu Romano amicè ſuſceptus, maximiſq́; honoribus ab Imperatore Numeriano auctus, ſellam in Senatu Romanorum obtinuit. Hic filium vnicū Chryſanthum, quem diſciplinis omnibus imbuendum curauerat, Philoſopho-

rum studio tradidit. Erat autem adolescens ingeniosus, & ad discendum aptissimus. Quantæ autem prudentiæ fuerit, res ipsa indicabit. Cùm enim omne scriptorum genus diligenter conquireret, incidit in libros Euangeliorum. Quibus accuratè perlectis, sic ipse secum: Tandiu te decuit, Chrysanthe, tenebrarum libros euoluere, quoad veritatis lumen inuenires. Non est autem sapientis, nec prudentis, vt à lumine rursum ad tenebras reuertaris. Perderes enim labores, quos suscepisti, si laborum fructum abijceres. Est autem laborum fructus, qui à Deo quærentibus datur. Sic enim præcipit Deus, quemadmodum legisti: Quærite, & inuenietis. Quamobrem si quod quæsisti, atque inuenisti, reliqueris, amentibus, ac stultis eris hominibus similis. Studiosè igitur complectere, quod toto est animo complectendum. Omnia, quæ grauia, molestaque sunt, desere. Magnam iacturam facies, nisi id, quod tot laboribus peruestigasti, inuentum generosè retinueris. Aurum inuenisti, inuenisti argentum, inuenisti lapides pretiosos. Idcircò quæsisti, vt reperires; & ideò reperisti, vt possideres. Caue sinas à te ipso diripi, quod inuenisti. Vtere, fruere primitijs laborum tuorum; & vide, ne, si eas reieceris, frustra conquisiuisse, atque expetisse videare.

Hæc cùm secum ipse locutus esset, quæritabat, ecquis esset diuinarum scripturarum magister; & quemadmodum eloquentes, ac literatos homines audierat, sic optabat magistros indoctos, & piscatores inuenire. Legerat enim Apostolum dicentem: Vbi sapiens? Vbi scriba? Vbi inquisitor huius seculi? Non'ne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? Nam quia non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Hæc ille cùm quotidie cogitaret, & Christi seruos conquireret, cuidam occurrit, qui dicebat, se nosse virum quendam christianum nomine Carpophorum, diuinarum scripturarum peritissimum; qui propter impiam persecutionem in montibus, in spelunca quadam habitaret, qui sanè locus, per q̃ paucis notus esset. His auditis, Chrysanthus valde gauisus est; & narrantis genua complexus, cum lachrymis supplicabat vt locum sibi, in quo vir ille Dei moraretur, indicaret. Dei autem prouidentia factum est, vt qui cum fide quærebat, ad eius notitiam mereretur peruenire. Cùm igitur sanctum Carpophorum presbyterum conuenisset, paucis mensibus omnes diuinas scripturas didicit; & in fide confirmatus, perfectus euasit in Christo, adeò vt septimo post susceptum baptismum die, Iesum Christum filium Dei publicè prædicaret. Quem cùm propinqui eius quidam homines clari, & potentes audiuissent, patrem ipsius conuenerunt, & reprehenderunt dicentes: Tibi crimini dabitur, & recidet in caput tuum, quòd filius tuus audet contra deos loqui. Dicit enim quendã Iesum Christum esse verum Deum. Quod quidem si peruenerit ad aures Imperatoris, nec tibi parcetur, nec nobis. Quis enim ausit hæc dicere, nisi q legibus Imperatorũ impudẽter aduersetur?

Iratus igitur Polemius pater, eum in obscuro, fœdoque carcere includendũ curauit, & paucissimo cibo vesperi tantùm nutriendum. At Dei vir Chrysanthus eam rem pro exercitatione, non pro supplicio accepit. Idque vulgatum, & omnibus notum fuit. Quidam igitur patri eius hoc consilium dedit; Si filium, inquiens, cupis ab hoc proposito dimouere, cura potiùs, vt in delicijs, & voluptatibus versetur; eique pulcherrimam aliquam, ac prudentẽ puellam vxorem adiunge, vt dum se maritum esse intellexerit, christianum esse obliuiscatur. Nam istas tenebras, atque cruciatus, quibus tu illum affligis, christiani laudi potiùs sibi, quàm supplicio ducunt esse. Hoc audito, Polemius triclinium veste serica ornari, & eò filium è tenebroso carcere pretiosis vestimentis indutum duci iubet, è numeroque suarum ancillarum formosissimas deligit,

ornatasq́ atq; eleganter comptas cum filio concludit, pcurans, vt in omnibus ciborum verſetur delicijs, minitansq́; virginibus, niſi Chryſanthũ à chriſtianæ religionis ſtudio ad voluptates pellexerint. Degebat igitur inter puellarum luſus vir Dei; ſed in propoſito ita perſtabat, vt & ciborum delicias contemneret, & virginum, tanquam aſpidum, contactus euitaret. Humi 1 cubabat. Aſſiduè precationibus incumbebat. Puellarum blanditias, tanquam ſagittas, fidei clypeo repellebat, & ad Deum clamabat; Surge, inquiens, Domine, in auxilium meum. Dic animæ meæ, ſalus tua ego ſum. Quis enim bellum hoc, quod diabolus excitauit, ſuſtinere queat, niſi præſtò adſit victrix dextera tua? 2 Errat, qui ſe putat poſſe virtute propria libidinem ſuperare, & caſtitatem ſeruare, niſi miſericordiæ tuæ imbre carnis extinguantur incendia. Non poterit animus ad aulas tuas appropinquare, niſi te ducem præbueris. Voluptas enim eſt improba quædam fera in vitæ nemore latitans, vt animas deuoret. Cuius ſiquis morſus effugerit, is tibi Deo ſaluatori debet ex animo gratias agere. Tuum eſt enim nos ab eiuſmodi periculis liberare.

1 Nota, Humi cubabat, aſſiduè precationibus incumbebat.

2 Sine Dei gratia virginitas ſeruari non poteſt.

Sic & beatus ſeruus tuus Ioſeph meretricis, tanq̃ immanis feræ, manus effugit auxilio tuo. Quem cùm pater Iacob deploraret; Improba, dicebat, fera deuorauit filium meum; nec vllam volebat admittere conſolationem. Verè enim nihil eum celabas. Sed tamen cùm dicerent filij eius: Vide, vtrum ſit hæc tunica filij tui: non indicaſti ei; ſed rem abſcondiſti, vt paternis lachrymis ſubuenires. Vxor enim Phutiphar, tanq̃ fera crudelis, eum inuaſerat, & vnguibus eum, quaſi leæna quædam, dilaniabat; &, quod grauiſſimum eſt, inſidias tendebat, vt ſolus cum ſola dormiret. Sed ſolus non erat, quoniam ope tua eum protegebas. Idcircò enim permiſiſti, vt eum ex profundo corde lugeret pater, vt iuſti precibus adoleſcentulus adiuuaretur. Quid enim aliud erat fera, niſi libido, per quam ipſe diabolus, & fœmina eum oppugnabant? Caro, & ſanguis adoleſcentiæ feruebat. Oculorum obtutus inuitabant. Accedebat heræ potentia, & ad turpitudinem adhortatio. Ornatus muliebris auro, margaritisq́; diſtinctus, atq; omni lapide pretioſo, oculorum aciem perſtringebat. Aderat odorum ſuauitas, & blanditiæ, quæ lapſus, mortisq́; occaſionem ſuggerebant. His omnibus Ioſeph, veluti innocentem agnum, inuaſerat, & tanquam leæna detinebat. Sed eum ex ore ipſius manus tua, Domine, eripuit. Etenim cùm eſſet nunciatum Iacob, filium eius viuere, reſpondit, magnum ſibi eſſe, quòd filius viueret; mirum enim eſſe, quòd crudelem illam feram effugiſſet. Tu enim, Domine, eras cum illo, & omnia, quæ faciebat, ope tua in manibus eius proſperè ſuccedebant. Nunc item ego te, Domine, ſupplex oro, vt mihi aduerſus iſtas feras opituleris, vt, quemadmodum ſerpentes dormiunt ad vocem incantantium, ſic ipſæ, me precante, dormiant, ne mihi libidinis bellum inferre queant. Quoniam agnoſco te verum Deum, qui homines in te credentes defendis, & inuictam illis virtutem elargiris. Hæc ille cùm dixiſſet, tam ingenti virgines ſomno ſunt oppreſſæ, vt niſi ex triclinio exportarentur, excitari non poſſent. Foris igitur cœperunt cibum. Verùm, cùm in locum, vbi erat Chryſanthus, reuertiſſent, grauis eas rurſum ſomnus complexus eſt.

Nunciatur hoc patri ab ijs, quibus id erat curæ; qui filium cœpit, vt mortuum, deplorare. Quidam autem ex amicis eius; Magicã, inquit, artem didicit à chriſtianis, & aduerſus ſimpliciores puellas facilè illi procedunt incantationes. Quamobrem eruditam aliquam, & prudentem introducito, & eum in ſententiam ſuam adducet, & alliciet ad voluptatem. Vbinam, inquit Polemius, puellam eiuſmodi reperiemus, quæ id perficere valeat? Eſt inter virgines Mineruæ vna, reſpondit amicus eius, ornatiſſima, quæ vultu eſt admo-

dum venusto, ingenij acumine, & prudentia, atq; eloquentia singulari, & iam nubilis ætate. Anteuertamus igitur, & petamus eam, indicemus'q; illi, quomodo se se habeat adolescens, vt eum ab instituto remoueat, atq; ipsi coniungatur. Perficiuntur hæc, atq; ipsa Mineruæ virgo, Daria nomine, cōponitur; quæ veste splendida, atq; ornatu pretioso fulgens ad Chrysanthū audacter ingreditur, blandis'q; sermonibus, & dulci, atq; ornata oratione conatur adolescētem à proposito remouere. Verùm Chrysanthus Dei præsidio munitus, diaboli iacula fidei scuto reiecit, & spiritū sanctum inuocans sic eam est allocutus.

Si temporariæ coniunctionis causa, ò virgo præclara, tam elegantem ornatū, & tam dulcem orationis copiam adhibuisti, vt me hominem mortalem alterius amore inflāmatum ab animi proposito abduceres, & mentem meā immutares; quantò magis debes operam dare, vt immortalis regis filij Dei tibi amorē concilies; quod quidem si volueris, non erit difficilè? Nam si animam simul cum corpore mundam, & ab omni macula puram, integram'q; seruaris; & cor tuū æquè, ac corpus exornaris; & quemadmodum extrinsecus splendes, sic mores tuos intrinsecus composueris; Angeli faueb unt tibi; Apostoli, & Martyres erūt amici; & operam dabunt, vt ipse Christus sit sponsus tuus; qui thalamum tibi incorruptis lapidibus, & margaritis construet in cœlo; dabit'q; delicias in paradiso perpetuas; & iuuentutis florem largietur immortalem; inscribet'q; dotem in libro vitæ sempiternæ. His Daria verbis cōmota; Nulla me, inquit, amoris causa hoc modo ornatam huc adduxit; sed patris tui lachrymis impulsa veni, vt te parenti restituerem, & ad deorum cultum reuocarem. Si aliqua, respondit Chrysanthus, tenes argumenta, quibus id mihi verè persuadeas, & cōsilium mutabo, & te diligēter audiam. Itaq; pro cōmuni vtilitate de his disseramus. Nihil, inquit Daria, magis vtile, aut necessarium est hominibus, q̄ religionem colere, & cauere, ne, ea neglecta, maximū deorum numen ad iram concitemus. Quem, inquit Chrysanthus, ò virgo sapientissima, cultum dijs exhibendum putas? Eum, inquit illa, per quem ipsi quoq; nostri custodes fiant. Quo'nam pacto, Chrysanthus ait, nostri custodes esse poterunt, qui canum ipsi egent custodia, ne à nocturnis furibus diripiantur, qui'q; & ferreis figuntur clauis, & plumbo confirmantur, ne ab aliquo deiecti præcipites ruant? Si imperita, inquit Daria, hominum multitudo sine simulachris posset numina colere, non esset necessarium illa conflare, & constituere. Nunc autem ex marmore, & auro, & argento, atque ære conficiuntur, vt cultores proprijs oculis discant, quos cogitatione complecti, venerari, timere'q; debeant. Disquiramus igitur, inquit Chrysanthus, quid referant ista simulachra, vt intelligamus, vtrum ijs adorationis cultus debeatur.

Deus nec censendus, nec existimandus est is, qui non omni sanctitate, gloria'q; præstet. Quid igitur habet falcifer Saturnus probitatis, qui proprios filios vix dum in lucem æditos sustulit, immo verò deuorauit; vt ipsius cultores conscripsere? Aut quid in ipso Ioue laudandum putas, qui quot dies vixit, tot flagitia, tot adulteria, tot homicidia perpetrauit? Insidiator patris, filiorum occisor, stuprator matronarum, sororis maritus, occupator regni, magicæ artis inuentor, multiplicium formarum opifex, satellex dæmonum, mortis conciliator, ijs deni'q; criminibus obstrictus, & eorum architectus facinorum, quæ ne audire quidem fas est. Qui igitur talis extiterit, eum tu ne credideris esse deum? Quòd autem talis fuerit, scriptores ipsi testantur; qui quos stulti, ac dementes homines deos appellant, eos & reges fuisse, & in bellis gerendis fortes, ac strenuos, & suo tēpore interijsse memorant. Ostende igitur, quid in ipso Ioue virtutis fuerit, qui ad mortem vsq; tam inimicus extitit omnis honestatis, vt & ipsum aëra raptu Ganymedis coinquinarit, & terram, dum sorores proprias, vt dixi, constuprarit.

Iam

Iam in ipso Mercurio quid deprehendis diuinitatis? Cuius forma capitis porcum, & monstrum imitatur, in vertice autem solùm capillos habet, & alas. Hic magicis artibus absconditas in terra pecunias indagabat; & incantationibus, ac virga, serpentum virus extinguebat; idq; dæmonum auxilio, quibus quotidie vel suem, vel gallum mactabat. Quæ porrò in ipso Hercule sanctitas fuit? Qui vicinis è medio tollendis fatigatus, seipsum diuino nutu viuū in ignem coniecit, & combustus est miser cum claua, & pelle, quas ipse gestabat? Quid? In ipso Apolline quæ virtus extitit? Vel in arcanis sacrificijs Dionysiacis, vel in ebrietatibus, & incontinentia? Reliquum est, vt ad Reginam Iunonem, & stultam Palladem, Veneremq; impudicam veniamus. Reperimus autem ipsas inter se contendentes, ac decertantes, quænam ipsarum pulchritudine cæteris antecelleret. Omnium Poëtarum, & Oratorum, atq; Historicorum libris iudicium illud decantatur, quod ob spretæ formæ contumeliā vindicatū est. Cur enim indignatæ sunt illæ? Cur hæc lætitia gestijt? nisi fœdæ voluptatis gratia? Probauit hanc pastoris sententia, illas improbauit. Cùm igitur omnes isti ab honore diuinitatis exciderint, cuinam omnium populorum consensus diuinos honores adiudicabit? Nihil autem est, quamobrem minutiores deos recenseamus. Vnum enim est caput, cui reliqua membra aptè consentiunt. Nam quis eorum tam stultus est, vt se deum, aut deam esse glorietur, cùm Saturnus, & Iuppiter, & Venus, quibus maiorem impij arbitrantur esse neminem, dei non sint? Quòd si isti, qui primas obtinent, miseri, scelestiq; sunt, vt demonstrauimus, quantò sunt infeliciores, qui illos, vt deos venerantur, & colunt?

Quando, inquit Daria, Poëtarum figmenta nullius sunt pretij, ad Philosophos confugiamus, quorum prudentia, vitijs omnibus amputatis, virtuti ceruices subijcit. Hi varijs interpretationibus mundi gubernationem significant. Nam deorum nomina allegoricè interpretantes, Saturnum dicūt esse tempus, Iouem caloris intensionē, Iunonem aërem appellant, Venerem ignem, Neptunum mare, Cererem terram; idemq; faciunt in reliquis dijs. Sed eorum, inquit Chrysanthus, imagines fieri solent, quæ semper adesse non possunt; terra autem nunq̄ non adest; ignis item semper est præstò; & aër omnibus patet. Itaq; cur hæc ex simulachris opera humana confectis adoranda censueritis, ignoro, & nullo pacto intelligo. Cur enim imagines, & simulachra potiùs q̄ ipsas res adoratis? Estne Rex vllus, aut Princeps, qui se ipsum despici, contemniq; iubeat, & effigiem suam adorari? Quòd si nemo est, qui ita præcipiat, nec vllus principatus id patiatur, confitendum est necessariò, statuis istis, & imaginibus non elementa, non deos exprimi; sed homines mortales. Argumenta tua, inquit Daria, rationem meam confirmant. Docui enim rerum imagines ab hominibus imperitissimis coli; nos autem res ipsas adorare. Scitè, inquit Chrysanthus, sententiam tuam conaris argumentis nostris confirmare. Omnes igitur elementorum cultores in medium adducamus. Ii si terram venerationis gratia tantùm colunt, dignum, ac debitum illi honorem exhibeant; neq; illam arent, aut alio pacto scindant, & exerceant; sed ab aratro, ligoneq; temperent. Alius autem neget esse deam, aratrumq;, & ligonem diligenter adhibeat, atq; agricolæ munus impigrè obeat, nec vllum ei honorem, vt cultor, aut adorator ipsius habeat. Cuinam, quæso, fructus vberes reddet? Nonne illi, qui eam citra vllam adorationem exercet? Atqui, si dea est, vt asseritis, cultoribus, & adoratoribus suis deberet omnia bona largiri. Neptunum itidem, siquidem est deus, sic adores, vt hyberno tempore nauiges; & cultu, atq; adoratione, non autem piscatione confidens, pisces expectato. Alius autem elementum inanimatum, atq; omni diuino honore putet indignum; sed

opportuno tempore fluctibus se se committat, & obsonium, non mare adorando, sed piscando conquirat. Vtri prosperè cessuram nauigationem, aut piscationem putas? Nonne illi, qui rectè, & opportunè munus illud aggreditur? Idem de reliquis elementis dicendum est. Nihil enim suis tribuent adoratoribus, quippe quæ non motu proprio, sed nutu diuino hominum necessitatibus seruiunt. Nam Dei iussu terra solis calore cõcipit, & cœli pinguedine gramina, & plantæ nutriuntur, & tẽporibus opportunis augentur, & fruges, fructusq; ferunt. Quamobrẽ ille solus meritò colendus, & adorãdus est, qui largitur hæc omnia, non autem res ipse, quæ nobis ab eo donantur, adorandæ sunt. Neq; enim literarum elementa discipuli, nec tabulas, aut libros; sed præceptores ipsos venerantur. Nec homines ægri, cùm à morbo fuerint liberati, medicamentis, aut ferro; sed ipsi medico honorem habent.

Chrysantho ita disserente, credidit Daria. Et de communi sententia constituerunt, vt coniugium inter se esse dicerent; sed tamen in timore Dei virginitatem seruarent. Cùm igitur sub matrimonij nomine Chrysanthus iam libente patre liber esset, Dariam domi suæ baptizandam curauit. Quæ, suscepto virginitatis velo, virgo sanctissima fuit; & exiguo temporis spatio scripturas diuinas omnes didicit. Beneuolè igitur inter se non corporea coniunctione, sed spiritus sancti societate versabantur. Et quemadmodum per Chrysanthum innumerabilis virorum multitudo; sic per Dariam incredibilis fœminarum numerus ad Christi gratiam concurrebat. Et multæ virgines, dimissis sponsis, se se dicabant Christo. Multi item adolescentes, spretis mundi delicijs, ac voluptatibus superatis, castitatemq; complexi, eidem Christo se consecrabant. Cæterum in ciuitate seditio repente orta est, publiceq; populus Celerinum Prætorem adit. Clamant adolescentes se desponsas sibi mulieres propter Dariam amisisse. Vociferantur fœminæ sibi Chrysanthum maritos eripuisse; atque ita suscipiendæ prolis spem adimi. Odiosa igitur crimina obijciebantur; & magnus erat tumultus, ac perturbatio. Itaque statim eos Prætor corripi iubet, & nisi idolis immolent, varijs tormentis affici. Tum Chrysanthus Claudio Tribuno traditur. Claudius autem eum militibus tradit: Abducite eum, inquiens, ex vrbe ad templum Iouis, vbi si inuicto Herculi sacrificare recusauerit, varijs eum, donec obtemperet, cruciatibus torquete. Tunc eum milites neruis madefactis vinciunt, vt illis arescentibus, & ad ossa vsq; penetrantibus angeretur. Confestim igitur vinctus ita premebatur, vt neruorum tormentum oculus videre non posset. Milites enim neruos miro artificio, nouisq; rationibus connectebant. Verùm cùm vincientium manus quieuissent, dicto citiùs vincula sunt dissoluta. Quapropter milites indignati eum in carcerem coniecerunt, & triplici compede strinxere; quæ quidem cùm ipsi astarent, & illuderent, in puluerem redacta est. Tunc milites sublatum lotio conspergebant, dicentes: Maleficia tua nunc tibi non prosunt. Sed fœtoris loco, odoris suauitas est consecuta, non aliter, quàm si roseus liquor diffusus esset.

Vitulo igitur excoriato, ipsum in eius pelle nudum incluserunt, & in sole collocarunt. Verùm cutis eius nihil est læsa, nec vllum vir Dei sensit incommodum, quamuis totum diem in vehementi calore, ardentiq; sole permansisset. Cathenis igitur vinctum obscuro in loco concluserunt. Sed illico fractæ sunt cathenæ; & tanq̃ lampades accensæ forent, ibi splendor illuxit. Quamobrem Claudio Tribuno cuncta nunciarunt. Qui cùm ad carcerem accessisset, & splendorem aspiceret, iussit, vt Chrysanthus foras ad se veniret. Et, Quænam, inquit, est vis ista præstigiarum, quibus hæc efficis? Omnes ego magos, incantatoresq; domui; nec vllam tantam magiæ potentiam inueni.

Omnes à me victi sunt; omnis eorum malitia meæ cessit voluntati. Cæterùm cùm te videam virum præclarum, & sapientem, nõ aliud abs te requiro, nisi vt audax deseras Christianorum institutum, quo tumultus, atque seditio in populo Romano excitatur, teq; genere tuo dignum præbeas, & omnipotentibus dijs debita facias sacrificia. Si in te, inquit Chrysanthus, inesset scintilla prudentiæ, facilè intelligeres, me non magica arte, sed Dei virtute adiuuari. Verùm tu me ita aspicis, quemadmodum & deos tuos, quos iniquè colis. Nam si oculi tui rectè cernerent, cognosceres deos tuos videndi vim non habere. Et si veritatem aures audirent tuæ, planè animaduerteres, eos vocem clamantium non audire. Si in animo tuo sensus aliquis esset intelligentiæ, perspiceres eos nihil intus habere, præter puluerem, & plumbum. Tunc Claudius tribunus eum palis alligatum virgis cædi iussit. Allatæ igitur sunt virgæ, quæ quidem in manibus militum erant admodum duræ, sed viri sancti corpori admotæ, instar papyri, molles factæ sunt. Quod quidem animaduertens Tribunus eum solui, atq; erigi, vestimentisq; indui imperauit. Et ad milites conuersus; Ego, inquit, vt scitis, omnes magorum, & incantatorum fraudes deprehendi; hîc autem nullum esse humanum maleficium comperio; sed diuinæ virtutis potentiam. Nam & neruorum vincula sponte dissoluta sunt; & compedes confractæ; & corij humiditas in solis ardore per totum diem non exaruit; & locus carceris obscurissimus luce illustratus est; & virgæ, quæ in militum manibus erant asperrimæ, inter verberandum, veluti papyrus, effectæ sunt molles. Quamobrem cùm synceritas in re, & iustitia, & veritas appareat, quid reliquum est, nisi vt nos omnes ad huius viri genua prostrati veniam petamus eorum; quæ iniquè in illum patrauimus; precemurq;, vt nos huic Deo conciliet, qui eos, à quibus colitur, in omni bello victores facit? Etenim quemadmodum nos vicit, sic omnes Principes nostros, & Imperatores superabit.

His dictis, Claudius cum omnibus militibus ad sancti Chrysanthi genua procidit; Verè, inquiens, cognouimus, Deum tuum esse verum Deum. Quamobrem oramus te, vt nos in eius cognitione instituas, eiq; quouis modo concilies. Si ad Dei cognitionem, inquit Chrysanthus, vultis peruenire, opus est, vt rectè non pedibus, sed animo progrediamini. Sic enim vnicuiq; nostrum propinquus est Deus, vt eum corde, fideq; conquirimus. Cumq; multis verbis eos instituisset, credidit Claudius tribunus, & Hilaria vxor ipsius, & duo filij Iason, & Maurus, & omnes amici cum tota familia. Crediderunt & milites cum omnibus domesticis suis; & vno omnes animo eodem die baptizati sunt. Et in doctrina Chrysanthi permanebant, eius de fide in Dominum nostrum Iesum Christum sermones libenter audientes, Et omni cùm timore, & reuerentia cupiebant pro Christi nomine pati. Cùm igitur omnes in Dominum credidissent, res peruenit ad aures Numeriani Imperatoris, qui iussit Claudium tribunum, lapide collo eius alligato, in medium mare proijci, & de omnibus militibus haberi quæstionem, vt qui abnegare Christum recusarent, capite plecterentur. Cæterùm tantam Deus gratiam credentibus largitus est, vt ambo Claudij filij, sine vlla quæstione Christum confiterentur, & pro nomine eius libentissimè mortem appeterent. Quorum exemplum imitati reliqui, vno omnes animo eadem hora martyrij gloriam adepti sunt.

Erat autem in eo loco, vbi interfecti sunt, vetus monumentum; in quo homines Christiani, cùm illud expurgassent, nocte omnia Sanctorum martyrum corpora posuerunt, haud procul ab vrbe, iuxta viam, quæ Mauri nuncupatur. Cùm autem frequentiùs eum in locum ingrederetur Hilaria Claudij vxor, à quibusdam comprehensa est. Quæ cum abstraheretur; Sinite, me,

inquit, precationem meam absoluere, & veniam quocunque volueritis. Cùm igitur 3 genibus flexis, expansisque manibus, oculos in cœlum sustulisset; Domine, inquit, Iesu Christe, quem ex toto corde confiteor, nunc me filijs meis adiunge, quos ex ventre meo ad tuam religionem aduocasti. Hæc cùm dixisset, tacitæ precationi se dedit, atque inter precandum spiritum reddidit. Qui autem illam cōprehenderant, repentinam ipsius mortem commiserati, duabus cum ipsa ancillis eius relictis, discesserunt. Illæ verò diligenter sepelierunt; & super ipsam paruum monumentum ædificarunt. Erat enim locus ipsius; & quia prope ipsum Sancti positi fuerant, ex eo tempore illic sibi domicilium constituerat.

3 Vide orationē flexis genibus, & expansis manibus.

At Numerianus Imperator iussit Chrysanthum in carcere profundissimo custodiri, vt simul cum Daria varijs cruciatibus afficeretur. Coniectus igitur est in carcerem Tullianum profundissimum, ac teterrimum, atque fœdissimum nudus, & ferreis vinctus compedibus. Daria verò in lupanar detrusa. Quibus vario tormentorum genere affectis varia Dominus gratia opitulatus est. Chrysantho enim odoris suauitatem, & lumen attulit. Dariæ verò leo, qui è stadio fugerat, auxilio fuit. Domum enim, vbi illa erat, & supplex precabatur, ingressus, se se in medio extendit. Quod ciues cùm ignorarent, salacissimum quendam iuuenem, ac flagitiosissimum miserunt. Sed cùm esset ingressus, insilijt in eum leo, prostrauitque, & pedibus conculcans, Christi virginem intentis oculis respiciebat, vt quid fieri vellet imperaret. At, re cognita; Adiuro te, inquit sancta Daria, per filium Dei, vt permittas illi audire sermonem meum. Leo autem, ipso relicto, fores obseruabat, ne quispiam alius introiret.

Tunc Daria ad iuuenem; Ecce, inquit, leonis feritas, Christi nomine audito, Deum colit; tu autem homo ratione præditus, tot in flagitijs, sceleribusque versaris, infelix. Quorum enim pudere te oportebat, in ijs te iactitas, & gloriaris. At ille prostratus ad pedes eius clamare cœpit; Iube, inquiens, me incolumem egredi, & ego omnibus prædicabo Christum, quem tu adoras, esse verum Deum, nec alium esse Deum præter ipsum. Iussit igitur Daria leoni, vt eum exire sineret. Cumque leo ab ostio recessisset, egressus est; & per totam vrbem cursitabat magna voce; Cognoscite, inquiens, omnes Romani, Dariam esse deam. Cùm autem audaces è stadio homines accessissent, vt leonem corriperent, diuina virtute leo singulos humi deiecit, detinebatque eos ad pedes sanctæ Dariæ, nihil eis mali faciens. Dixit autem illis sancta Daria: Si in Christum credideritis, poteritis incolumes abire; sin minus dei vestri liberent vos. At illi vna omnes voce clamarunt dicentes: Qui non credit Christum esse Deum viuum, & verum, hinc ne discedat viuus. Et cùm hæc dixissent, discesserunt clamantes: Credite, populi Romanorum, non esse alium Deum, nisi Christum, quem Daria prædicat. Tum Celerinus Prætor iussit ignem ad fores domus, vbi Daria cum leone erat, accendi. Igne autem viso, timuit leo, rugituque cœpit signa doloris dare. At Daria; Ne timeas, inquit, neque enim combureris, neque capieris vnquam, aut occideris, sed naturali morte interibis. Metu igitur deposito, egredere, & abi in pace, quoniam is, quem in me honorasti, liberabit te. Ceruice igitur inclinata, discessit leo, & per mediam vrbem incedens, neminem læsit. Qui autem ex ore eius erepti fuerant, baptismum omnes susceperunt.

Hæc omnia Imperatori Numeriano nunciata sunt, qui Pontio prætori iussit, vt Chrysanthum, & Dariam, nisi dijs immolarent, varijs tormentis excruciatos morte acerbissima afficeret. Cùm igitur eos Prætor hortatus esset, vt immolarent, & multa vltrò citroque dicta essent, iussit Chrysanthum in armamen-

tario suspendi. Sed confractum est lignum, & vincula dissoluta sunt, & faces extinctæ. Quicunq; autem sanctam Dariam contingebant, manuum ipsorum nerui obstupebant, & magnis doloribus cruciabantur. Quod quidem Prætor intuitus timuit, & celeriter ad Imperatorem accurrens, quod factum erat, nunciauit. Qui hæc non virtuti diuinæ, sed magicis artibus attribuens, iussit eos extra Vrbem abduci, & in via, quæ appellatur Salaria, effossa terra, viuos obrui. Illuc igitur sancti Chrysanthus, & Daria perducti, cùm in foueam canentes, & precantes descendissent, congesta terra, atq; lapidibus obruti sunt; & martyrio coronati, mortem simul, ac sepulturam inuenerunt; & quemadmodum in hac vita spiritu coniuges extiterant, sic vnanimes ex ea discesserunt, & à Deo suscepti sunt sacrificium viuens, & meritis affecti præmijs immortalitatis.

Porrò cùm Dei gratia multæ virtutes, & curationes eo in loco fierent, & solennis martyrij ipsorum 4 dies ab incredibili virorum, & fœminarum, & puerorum multitudine celebraretur in specu quodam propinquo, Numerianus, audita re, speluncæ os, atq; aditum obstrui iussit. Quod quidem celeriter factum est. Cumq; vndiq; terra demitteretur, omnes diuinorum mysteriorum communionem suscipientes, martyrij coronam summo cum gaudio perceperunt; inter quos erat presbyter Diodorus, Marianus diaconus, & clerici, atq; alij q̃ plurimi fideles, quorum nomina conquirere superuacaneum ducimus, cùm reperiri nequeant. Hæc autem omnia, vt gesta sunt, nos Varinus, & Armenius fratres conscripsimus, iussu sanctissimi Papæ Stephani, & in omnes ciuitates misimus, vt cuncti intelligerent, sanctos martyres Chrysanthum, & Dariam à Domino martyrij præmium in cœlesti regno percepisse; Cui gloria, & imperium nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

4 Cũ dies martyrij sanctorũ Chrysanthi, & Dariæ solennis celebraretur.

SANCTI PATRIS NOSTRI ANDREAE ARCHIEPISCOPI CRETAE HIEROSOLYMITANI IN ANNVNCIATIONEM SANCTISSIMÆ DOMINÆ NOSTRÆ DEI GENITRICIS ORATIO.

XXV. MARTII.

ADVENIT hodie omnium gratia, quæ primam illam execrationem soluit. Passim aduenit, vt omnia gaudio repleret. Quomodo autem aduenit? Non satellitibus, non exercitu Angelorum stipata, non ostentans aduentum suum; sed silentium, & quietem adhibens, vt lateret principem tenebrarum, & arte sapientiæ serpentem irretiret, draconemq́; decipiens, id est, mentem illam Assyriam, quæ in seruitutem suam omnem nobilitatem humanam redegerat, spolia ipsi detraheret. Neq; enim infinita eius erga nos misericordia tam præclarum manuum suarũ opus, nempe hominem, propter quem cœlos condiderat, terram firmauerat, aërem diffuderat, mare extenderat, & omnia, quæ sub aspectum cadunt, procrearat, affici detrimento sustinuit. Idcirco Deus in terra, Deus è cœlo, Deus in hominibus, Deus in Virginis vtero gestatur, qui nusquam concluditur.

Hinc hominis natura lætitiæ ducit exordium, & diuinæ conditionis initium sumit. Hinc multiplices suas à peccato natura diuitias separans, creatori, tanquam sponsa, exornatur. Hinc renouationem suscipit nostra formatio, & senex mundus cõtractã ex peccato vetustatem deponit. Lætetur cœlum desuper, & nubes pluant iustitiam. Stillent montes dulcedine, & colles exultent; quoniam misertus est Deus populi sui. Hodie enim mysterium, quod ante secula absconditum fuerat, declaratur; & omnia in Christo perfectionem recipiunt. Hodie rerum omnium potentia procreatrix, consilium, quod sibi in illis procreandis proposuerat, ad exitum perducit, vt malitiæ principis dolos ab initio excogitatos destruat. Itaq; lætantur homines, gaudent Angeli, & re-

creatis in se redit orbis vniuersus. Quæ mens hæc concipere? Quæ lingua explicare? Quæ oratio assequi? Aut auris percipere valeat? Meritò igitur diem hunc faustum, lætumq; dicimus, quo nostri generis massam à Deo assumptam celebramus. Ex quo lætitia gestit omnis creatura; & humana natura excitatur.

Hodie lætitiæ nuncius affertur; Dei erga nos benignitatis patent indicia; mundi totius salus ostenditur. Vnde'nam, & à quo, & cui affertur hic nuncius? E coelo, & à Deo, & Virgini viro desponsatæ. Quæ'nam hæc Virgo? Ec'quis iste vir? Et quibus nominibus appellantur? Illa quidem Maria, hic autem Ioseph. Ambo ex genere Dauidis. Quo internuncio hæc gesta sunt? Et vnde is venit? Archangelo Gabriele, qui ab altissimo missus, rem admirabilem nunciauit. Oportebat enim, vt minister altissimi, ex altissimis in terram proficiscens, maximè omnium admirandum mysterium indicaret. Quod'nam mysterium? Dei submissionem, arcanam seruandi generis nostri rationē, absconditam à seculo diuinæ voluntatis, prouidentiæq; consilium. Sed vbi hæc, & quando, & cuius gratia? In Nazareth ciuitate Galilææ, sexto mense ex quo Ioannes conceptus fuerat, vt venientem, dum adhuc in vtero gestaretur, nunciaret. Gabriel igitur ab æthereis sedibus ad terrestrem Dei thalamum deuolans, & ad Virginem accedens, sine strepitu, virginei partus arcanum significauit.

Hoc inter Deum, atq; homines, reconciliationis mysterium, Dei cum hominibus coniunctionem, assumptæ carnis diuinitatem, imaginis nostræ instaurationem, & mutationem in melius, atq; sublimem in coelos exaltationem hodie celebramus. Quamobrem omnia incredibili gaudio exultant. Lætatur omnis coelestium virtutum chorus, quibus gratum est, quòd Deo simus recōciliati, & meliorem in statum perducti. Benigni enim admodùm sunt, & hominum amantes, ac studiosi, quippe qui in ministerium mittuntur eorum, qui salutis hæreditatem sunt accepturi.

Res igitur omnes hodie lætentur, & gaudeant, triumphet ipsa natura. Aperitur enim coelum, & terra ratione inuisibili suscipit orbis Regem. Nazareth imitatur Eden; & ipsius Eden plantatorem in sinum suscipit. Pater misericordiarum abiectam naturam humanam vnigenito filio despondet suo. Et Gabriel mysterio inseruit, ac Virgini succinit illud, Aue; vt lætitiam, quam prima parens Eua perdidit, filia Adam orta ex Dauidis stirpe restituat. Hodie gloriæ pater genus humanum commiseratus, naturam in Adam corruptam benignis oculis intuetur. Hodie clementiæ largitor clementium viscerum suarum abyssum patefacit; & naturæ misericordiam effundit; vt aquæ copia maria contegat. Consentaneum enim erat, vt is, ex quo, & per quem, & in quo omnia consistunt, antiquæ contra nos execrationis sententiam misericordia commutaret; & gloria sua naturam, quæ in Adam fœdata fuerat, honestaret; & perniciosum patris mendacij consilium, quo primi parentes nostri ceciderāt, excluderet. Ideò magnus inter Reges, ac diuinus pater Dauid; Misericordia, inquit, & veritas obuiauerunt sibi; iustitia, & pax osculatæ sunt. Cur dixit hæc? An vt filij misericordiam ex bona patris voluntate, qua nostri misertus ipse misericordiæ dator factus est, excepto peccato, quales nos sumus, & veritatem aduentus eius, ad nos significaret? Neq; enim, vt aliquis fortè suspicatur, simulatam ex nobis humanitatem assumpsit, sed veram. Benignè enim, & humano more, ex hominis essentia sumpsit essentiam, qui omni est essentia præstantior, & totam naturam nostram in seipso diuinam reddidit. Neque dispensationem finxit; sed carnis veritatem suscepit, diuinitate ipsius aliena ab omni mutatione permanente.

Quoniam igitur misericordia, & veritas (vt prophetia testatur) obuiauerunt sibi; meritò iustitia, & pax osculatæ sunt. Iustitia quidem, quæ aduersus eum, à quo primi parentes iniuria affecti fuerant, sententiam tulit. Quando? Et apud quem? Hodie, & apud altissimum patrem, qui natura benignus, & hominum studiosus dignum duxit, vt filius suus vnigenitus humanam formam indutus, aduersarium condemnaret. Pax autem, quam è cœlo repente chorus Angelorum in ortu pacifici filij secundum carnem decantauit; Gloria, inquiens, in altissimis Deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas. Gloria nimirum, qua humana natura per Christum super cœlos euecta est, & super omnem principatum, & potestatē, & virtutem, vt Magnus inquit Apostolus. Pax autem, qua medius ipse conciliator intercessit, terrestribus cœlestia coniungens, & nouam in cœlum redeundi semitā mortalibus patefaciens. Bona porro voluntas, qua Patri placuit dilectum filium ad nos damnatos mittere; qui salutem nostram patri in ipso approbatam, eiusdem cum patre voluntatis expleret. Hoc nos hodie celebramus. Hoc Gabriel mandatum exequitur; & diuinitati, atq; humanitati nuncius est; reconciliationisq; pignus affert ad Virginem.

Nam misericordiarum pater genus nostrum peccati labe iam corruptū miseratus, meminit operum manuum suarum; nec passus est, vt in perpetuum periremus. Primùm legem tabulis lapideis inscriptam Mosis manibus imposuit. Quæ quidem lex cùm nihil admodum proficeret, viros diuino spiritu afflatos, nempe Prophetas futura prospicientes, ac denunciantes misit, qui rectas Dei semitas demonstrarent. Verùm, cùm ij, ad quos missi fuerant, sensibus occlusis, nihilominus in peccatis iacerent, non despexit opifex opus à se conflatum; sed ex optimo sinu suo, & perfectissimo, filium eiusdem potentiæ, sapientiæq;, ac bonitatis genitum misit ad nos indignos, ad quos fines seculorum deuenerunt. Satiùs enim esse duxit, vt peccatorum salutem perageret, q̄ vt opus à se confectum despiceret. Vni igitur ex præstantioribus Angelis mandat, vt mysterium exequatur; & amplitudinis suæ nutu sic illi, vt arbitror, imperat. Agè, Gabriel, abi in Nazareth ciuitatem Galilææ, in qua puella virgo habitat, nomine Maria, viro, qui vocatur Ioseph, desponsata. Abi, inquit, in Nazareth. Quid ita? Vt Deo gratissimum virginitatis decus, tanq̄ suauissimam rosam, è spinosa regione decerpat Omnipotens. Et propter prophetiam, quæ Nazaræum vocatum iri prædixit. Quem? Eum, qui à Nathanaële postea Dei filius, & Rex Israël vocatus est. Solet vtiq; Gabriel in Dei mysterijs minister adhiberi; vt patet in Daniele. Abi igitur in Nazareth ciuitatem Galilææ; cumq; illuc perueneris, hunc primum Virgini letitiæ nuncium affer, quem Eua iam amisit. Caue perturbes animum eius. Gaudij enim, non mœroris, hoc est indicium. Solatij, non perturbationis, hæc est salutatio. Quod enim maius humano generi gaudium esse potest, q̄ vt fiat diuinæ particeps naturæ, & vnum cum Deo propter coniunctionem in persona efficiatur? Quid porrò admirabilius, q̄ Dei submissionem eiusmodi videre, vt in mulieris vtero gestetur? O rem maximè omnium admirandam. Deus, cui cœlum sedes est, terra autem scabellum pedum eius, quem cœli non capiunt, qui idem, quod pater, solium habet æternitatis, in Virginis vtero concluditur. Quid maiore dignum admiratione, q̄ Deum sub hominis forma à propria diuinitate non deficientem intueri? Et humanam cernere naturam totam omnino cum suo creatore coniunctam, vt totus homo Deus euadat?

Gabriel igitur, cùm hæc audisset, mandatumq; diuino nutu confirmatum, sed viribus suis maius accepisset, inter metum, atq; lætitiam dubius hærebat, cùm nec sibi ipse fideret, nec iubenti repugnare tutum existimaret. Quamobrem

rem diuina iussa facessens ad Virginem deuolauit. Cùmq; Nazareth peruenisset, ad domunculã constitit; & cogitabundus, atq; hæsitans, hæc secum ipse, vt arbitror, volutabat: Quomodo quæ mihi à Deo mandata sunt, perficere aggrediar? Celeriter in thalamum introëam? At animum Virginis perturbabo. Tardiùs ingrediar? At puella introitum abscondere me voluisse iudicabit. Fores'ne pulsem? Quo pacto, cùm id non sit Angelorum proprium; nec quicq̃ eorum, quæ continent, aut continentur, impedire possit ea, quæ corporis sunt expertia? Ostium aperiam? At mihi, vel ostio clauso, licet ingredi. Vocem'ne Virginem nomine? At illi terrorem inijciam. Sic igitur faciam. Ex illius, à quo missus sum, voluntate gressum meum moderabor. Hoc enim illi propositum est, vt genus seruet humanum. Quod quidem reconciliationis consilium vt nouum est, & admirabile, sic est benignitatis, & clementiæ plenum. Quomodo igitur ad Virginem accedam? Gaudium illi nunciabo? An Dominum in ea dicam esse? An spiritus aduentum, aut altissimi obumbrationem significabo? Gaudium igitur illi nunciabo, indicabo mysterium admirabile, accedam, salutabo, succinam vocem hanc, Aue, Gaude, Lætare. Aptum ad fiduciam principium est salutatio. Hoc verbum mihi Virginem alloquendi aditum patefaciat. Nihil enim illi timoris potest inijcere; quinetiã animum eius leniet. Sic igitur exordiar, vt primùm illi gaudij, & lætitiæ nuncium afferam. His enim verbis decet Reginam salutare. Nam hoc est gaudij negocium, tempus lætitiæ, tranquillitatis imperium, consilium salutis, initium consolationis. Hæc ipse secum Archangelus.

Tum domum petit, & ad thalamum, in quo Virgo habitabat, accedens, sensim ad fores appropinquauit. Cùmq; iam esset intus, miti voce Virginem alloquens; Aue, inquit, gratia plena; Dominus tecum. Qui est ante te, hodie tecum est, & paulò post erit ex te. Illud quidem ab omni æternitate, hoc autem in tempore. O immensam humanitatem, ò benignitatem incredibilem, Non fuit satis gaudium indicasse, nisi ipsum gaudij auctorem inesse Virgini significaret. Illud enim, Dominus tecum, perspicuè Regis p̄sentiam declarat, qui sic ex ipsa corpus assumit humanũ, vt à ꝓpria gloria nõ recedat. Aue gratia plena; Dominus tecũ. Gaude, lætitiæ instrumentũ, per quod tristis execrationis sententia in lætum gaudij iudicium cõmutatur. Gaude, verè benedicta. Gaude, Virgo præclarissima. Gaude, ornatissimum diuinæ gloriæ templum. Gaude, sacrosanctum regis palatium. Gaude, thalame, in quo sibi Christus humanitatem sponsam adiunxit. Gaude, electa à Deo anteq̃ genita. Gaude, diuinum inter Deum, atq; homines conciliationis perfugium. Gaude, thesaure vitæ immortalis. Gaude, cœlum, in quo Sol gloriæ splendet; domicilium cœlo præstantius. Gaude, vnicum illius, qui nusq̃ capitur, amplissimum habitaculum. Gaude, sancta terra virginea, ex qua nouus Adam formatur, qui veterē Adam seruet. Gaude, fermentum sanctũ, ac Deo gratum, ex quo totius generis humani massa fermentatur, & in vnius corporis Christi panem euadit, & admirabili ratione coagmentatur. Aue, gratia plena; Dominus tecum; qui dixit: Fiat lux, & facta est lux: Fiat firmamentum, & factum est: cuius deniq; amplitudinis opera sunt omnia, quæ facta sunt. Gaude, gaudij mater sempiterni. Gaude, noua Dei arca, in qua Dei spiritus conquiescit. Arca, in qua noster Noë Christus humanitatem seruauit. Arca, in qua nouæ gloriæ sanctificatio, & qui natura sanctus est, in virginea naturæ officina corpus sibi ratione mirabili fabricatus est, non deponens id, quod erat; est enim immutabilis; sed assumens id, quod non erat; est enim benignus, & hominum amantissimus. Gaude, vrna aurea, quæ contines illum, qui dulce manna, & mel è petra ingrato populo subministrauit. Gaude, seraphica mystici carbonis ardentis forceps.

Salue, ſpritale præcognitionis perſpicuæ ſpeculum, per quod Prophetæ infinitam erga nos Dei ſubmiſſionem myſticè vaticinati ſunt. Gaude, ſpeculum, per quod iuſtitiæ Solem venientem è cœlo ſuſcipientes ij, qui denſis in tenebris peccati verſabantur, illuſtrati ſunt. Salue, Prophetarum, & Patriarcharum omnium decus, & clariſſima arcanæ præcognitionis humanæ tuba.

Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Et meritò benedicta; benedixit enim te Deus tabernaculum ſuum, quoniam paternæ gloriæ plenum Chriſtum Ieſum, hominem eundem & Deum in ijs, ex quibus, & in quibus naturis conſiſtit, admirabili ratione in vtero tuo geſſiſti. Benedicta tu in mulieribus, quæ cœleſtem theſaurum, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei recõditi, in ſacro virginitatis tuæ penu ſine anguſtia cõprehendiſti. Tu verè benedicta es, cuius vterus areæ cumulus eſt; quia benedictionis fructum, immortalitatis ſpicam Chriſtum, ſine ſemine, ſine cultoris labore, multiplicem frugum innumerabilium meſſem, noſtræ ſalutis agricolæ ꝑduxiſti. Tu verè benedicta, quæ ſola ex omnibus matribus creatori tuo mater electa es, &, quod eſt matrum omnium proprium, ignoras; cuius quoque excellentia virginitatis maternis doloribus corrupta non eſt, virgineo germine tuo ſigna tuæ caſtitatis integra conſeruante. Tu verè benedicta, quæ ſola ſine viri coniunctione filium genuiſti, qui cœlos condidit, & terram virginitate tua cœlis exæquauit. Benedicta tu in mulieribus, quæ ſola benedictionem ſuſcepiſti, quam Deus per Abraham gentibus omnibus promiſit. Tu verè benedicta, quæ ſola benedicti filij Ieſu Chriſti, & Saluatoris noſtri declarata es mater; per quam clamant gentes: Benedictus, qui venit in nomine Domini: &: Benedictum nomen gloriæ eius in ſecula: &: Implebitur gloria eius omnis terra, fiat, fiat. Benedicta tu in mulieribus, quam beatam dicunt omnes generationes; quam Reges honorant, Principes venerantur, diuites populi obſecrant, virgines, quæ vel præceſſerunt, vel ſequuntur, in templum Regis comitantur. Benedicta tu in mulieribus, quam Eſaias oculis propheticis aſpiciens, propheteſſam, & virginem, & laterem, & locum, & caput libri obſignatum arcana ratione nominauit. Benedicta tu verè, quam Ezechiel auroram, & portam concluſam, per quam ſolus Deus ingreſſus eſt, & rurſum concluſam appellauit. Tu ſola verè benedicta, quam vir deſideriorum Daniel mõtem vidit; & Abacuc admirabilis montem opacum. Montem quoque Dei, montem pinguem, montem coagulatum, montem, in quo placitum eſt Deo inhabitare, te tuus ille progenitor, atq; Rex propheticè decantauit. Benedicta tu in mulieribus, quam Zacharias rerum diuinarum inſpector eximius, candelabrum aureum vidit ſeptem lucernis, & ſeptem infuſorijs, id eſt, ſeptem ſpiritus ſancti muneribus exornatum. Tu verè benedicta, quæ, tanquam paradiſus, intra te contines ipſius Eden plantatorem Chriſtum; qui infinita virtute ex almo vtero tuo prodiens, inſtar fluuij, quatuor principijs per Euangelium rigat faciem vniuerſæ terræ.

Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Fructus, ex quo protoplaſtus Adam veſcens euomet veterem illam potionem, per quam fraudis venenũ hauſit. Fructus, ex quo ligni amaritudo dulceſcit; qui expurgat humanitatem; qui vero Iſraëli fontes vberrimos præbet in ſolitudine, qui aquas amaras efficit dulces; & nouum panis, ac cibi imbrem emittit. Benedictus fructus, qui ex incorrupta virginei vteri planta maturus racemos extulit. Benedictus fructus, ex quo fontes emanant aquæ ſalientis in vitam æternam. Fructus, ex quo vitalis panis Dominici corporis, & ſalutare immortalitatis poculum conficitur. Benedictus fructus, quem omnis lingua cœleſtium, terreſtrium, & infernorum celebrat triplici ſanctitate, in vna diuinitate trini-

tatem indicans personarum. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.

At illa turbata est, inquit, hoc sermone, & secum ipsa cogitabat, qualis esset ea salutatio. Non incredulitate, (absit) sed orationis potiùs nouitate commota. Mirabile enim vaticinium videbatur. Neq; diffidentia substitit, vt antea fecerat in adytis Zacharias. Quamobrem pœna illi ex procreandi instrumentis ad ea, quæ ad loquendum pertinent, translata est; & qui priùs liberis caruerat, tum loquendi caruit facultate. Sed cùm esset ab omni reprehensione remotissima, & ab hominum coniunctione, & cõsuetudine aliena cùmq; assiduè in rerum cœlestium contemplatione versaretur, ex ea salutatione non potuit non commoueri. Etenim cùm minimè esset audax, & ad loquendum velox, acri priùs rationis iudicio, quæ dicebantur, expẽdit, ne temere, & inconsideratè responderet. Quod sapienter admodùm indicauit Euangelista, Cogitabat, inquiens. Puræ mentis examine Angeli verba perpendebat, ne illa sine iudicio susciperet. Quæ'nam, dicebat, hæc est salutatio? Consentaneũ enim est, eam, vt pote nobilem, & Dauidis filiam, diuinarum scripturarum non fuisse ignaram, & animum statim ad primæ matris casum cõuertisse, cogitasseq; quomodo decepta corruisset, & mente veteres alias eiusdẽ generis historias cõprehẽdisse. Non immeritò igitur eam Euangelista cogitabundã descripsit: Sed vt prudentiam ipsius declararet, stabilem etiam mentis constantiam adiunxit, quæ respondendo nondum assentiretur, propterea quòd illi de rei æquitate consideranti non constaret. Turbationem igitur Virgo sedare studens, orationem non adhibuit; sed gestu solo parumper dubitationem significans, animi habitũ, & morum probitatem demonstrauit, secum ipsa cogitans, qualis esset ea salutatio. Sola'ne ego, dicebat, inter mulieres naturæ ordinem immutabo? Ego'ne sola ventris fructum feram sine viri congressu? Qualis hæc est salutatio? Quis mihi nuncium hunc attulit? Vnde ingressus est? Homo'ne est iste, qui loquitur? At corporis expers videtur. Angelus'ne? At loquitur, vt homo. Quid illud, quod video, sit, ignoro; & de eo, quod loquitur, dubito.

Quid igitur Gabriel? Vt Virginis turbationem animaduertit, ad nihil aliud attendens, statim vocem emisit, &; Ne timeas, inquit, Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum; quam amisit Eua. Gratiam dicens, animo dubitationẽ ademit; & quod fieri non posse videbatur, adijciens: Inuenisti gratiam apud Deum: fecit, vt credibile esset; & Virgini metum eripuit. Ne timeas, Maria; non sunt hæc fallentis verba; non venio, vt te decipiam; non loquitur fallax serpens; è terra tibi non loquor; sed bonum ex altissimis nuncium affero; nec bonum tantùm, sed lætitiæ plenum. Non ludicra, nec tristis hæc est salutatio. Dominus tecum; qui omnis lætitiæ largitor est, & mundi saluator vniuersi. Tecum est, qui de sinu patris non recedit, & in vtero tuo concipitur. Gratia plenam te appellaui, vt mysterij gratiam in te existentis significarem. Gratia plenam te esse dixi, quoniam totam gratiam suscipis in vtero tuo, & stolam verè diuinarum gratiarum splendore decoratã. Dominus tecum, adieci, vt potentiam in te præcurrẽtis declararem. Dominus enim est Deus potens, & Princeps pacis, & pater futuri seculi, idemq; tuus, ò Virgo, filius, atq; omnium saluator. Dominus tecum; gratia, & veritas tecum; Dominus quidem legis, pater autem gratiæ, & veritatis fons. Ne timeas, Maria, Dominus tecum. Qui omnium dominationum est princeps, qui patris luminum filius est, qui sine principio ab ipso genitus est, is in tempore ex te nascitur. Qui sursum totus est in sinu patris, is deorsum totus est in vtero tuo. Ipse tecum, & in te est. Adueniens enim in te desilijt; & in vterum tuum ingressus est; atq; in te comprehendi voluit, qui natura comprehendi non potest. Ne timeas, Maria; inuenisti enim

gratiam apud Deum. Gratiam, quam non suscepit Sara, quam Rebecca non inuenit, quam Rachel ignorauit. Inuenisti talem gratiam, qualem Anna, licet fuerit exaudita, non habuit. Tu sola ita mater es futura, vt simul etiam virginitatis decus retineas. Ne timeas igitur; inuenisti enim gratiam apud Deum. Gratiam, quã nemo vnquam accepit. Quænam talis esse queat apud Deum gratiæ pstantia? Inuenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. O rem admirabilem. Primùm illi dubitationis causam ademit, deinde rem explicauit. Vide autem quàm multa quàm paucis exequatur. Metum eripit, gratiam indicat, conceptus rationem exponit, partum prænunciat, filij nomen declarat.

Neque verò hîc cõstitit; sed vt amplitudinẽ eius maiestatis ostẽderet, subiecit: Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur; & dabit ei Dñs Deus sedẽ Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternũ, & regni eius nõ erit finis. Cernis quomodo Virginis metũ abstulerit? Cernis quantopere animũ eius confirmarit? Cùm enim altissimi filiũ dixisset, patrẽ orituri Dauidem nominauit. Statim igitur erectus est animus Virginis, vt indicant ea, quæ sequunt. Sed eius prudentiam cõsidera, quæ cùm hæc audisset, & immutabilẽ diuinæ volũtatis potẽtiam cognosceret, ad Angelũ; Quomodo, inquit, fiet istud, quoniã, virũ non cognosco? Noua, inquit, mihi, & quæ naturam superãt, nuncias. Nuptiarum sum expers. Desponsata enim sum, sed non cum viro coniuncta. Ioseph sponsum tantùm, non autem maritum agnosco. Domo, non lecto mihi iunctus est. Fœcundus quidem est venter, sed non cultus. Quomodo erit mihi hoc, quoniam virum non cognosco? Me'ne solam natura sine viri coniunctione matrem declarabit? Ego'ne præter naturam sola nouum, atque inauditum naturæ partum ædam? Nuptiæ non præcesserunt, virum experta non sum, Ioseph non maritum, sed sponsum, & custodem tantùm agnosco. Et quomodo erit mihi hoc?

Respondit Gabriel, & responsionis sublimitate Virginis diluit dubitationẽ: Cur hæc dicis, Virgo beatissima? Ego è cœlo veniens cœlestis affero nuncium conceptionis. Non de terra loquor tibi. Dixi, Dñs tecum; & tu dubitas, quomodo, id tibi sit futurũ? Ego eum, qui aduentum meum antecedit, in vtero tuo nuncio; & tu mihi de viro, deque terrena loqueris generatione? Et dicis: Quomodo erit mihi hoc? Quomodo hoc erit tibi? Cogita, quomodo virga floruerit, quomodo petra copiam aquarum effuderit, quomodo ignis in rubo ardens eum non combusserit. Quæ si credis, & id, quod nuncio, crede. Is enim hoc faciet, à quo & illa facta sunt. Noua, & præter naturam ratione mater es futura. Non vt Elisabeth, nõ vt Anna, ex qua tu orta es. Illæ enim ex virorum semine factæ sunt matres; tu autem sine viri coniunctione paries eum, qui sine semine in te inhabitat. Quòd si modum requiris, eum quoque tibi declarabo. Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Non enim ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis gignetur. Nulla carnis voluptas intercedet. Naturæ enim terminos superat. Quàuis enim naturalis conditionis omnino nõ sit expers futurus, quem paries; præstantiori tamen ratione concipitur, & sine vlla perturbatione, quemadmodũ & ab æterno sine perturbatione genitus est. Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Considera, quomodo Trinitatis mysterium declaretur. Spiritum enim sanctũ inquiẽs, non alium, quàm paracletum indicauit. Nam virtus apertè filium significat. Vox autem illa, Altissimi, Patris personam declarat. Illud verò, Obumbrabit tibi, mihi videtur innuere id, quod antea propheticis oculis Abacuc viderat, cùm montem vmbrosum Virginem appellauit, quasi obumbrantem illi Patris virtutem describens, & arcanum sibi tabernaculum efficientem in carnis assumendæ ratione, qua sibi templum corporis non manu factum, in vtero Virginis ab

omnibus

omnibus maculis alieno, atq; integertimo ipse Dominus fabricauit. Id quod ex sequentibus patet. Ait enim: Ideoq; & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Qui enim ex sancto Spiritu per sanctum Patrem diuina ratione formatur Puer, meritò sanctus erit, & filius altissimi vocabitur, cùm altissimi sit Verbum sempiternum.

Dilucidè igitur Virgini demonstratum est, quid, & vnde, & quale id, quod in ipsa conceptum est. Nempè sanctum, & ex ipsa, & filium Dei esse, quem pariet. Verùm vt clariùs adhuc, & expressiùs ostendat Verbi virtutẽ, Elisabeth exemplum adducit. Quasi diceret: Qui ventrem in vetula præter spem fœcundum efficere potuit, virginem etiam poterit præter naturæ rationem matrẽ reddere. Atq; ita subijcit: Quoniam non erit impossibile apud Deum omne verbum. His Virgo auditis, & inhabitantis spiritus splendore illustrata, & faustæ promissionis lætitia affectà, in tranquillitate versabatur, & animi gratiam cum pulchritudine oculorum præseferebat; quemadmodum de Dauide scriptura cõmemorat. Re enim admirabili, & salutatione gaudebat, in qua summa lætitia continebatur. Facilè igitur, sapienterq; Gabriel Virgini persuasit, vt miraculum crederet: Non erit, inquiens, apud Deum impossibile omne verbum.

Quid autem sequitur in Euangelio? Dixit autẽ Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuũ. Prudentiam virginis animaduertis? Vides præclaræ *cunctationis decus?* Cùm enim fœtus conceptionem, & filij ortum intellexisset, & *quis*, & cuius esset filius, & quo foret nomine appellãdus, & cu*ius sedis successor*, & quibus imperaturus, & Regni eius nullum finem futurũ, statim lætissimam vocem emisit; Ecce, inquiens, ancilla Domini; illud apertè significans: Ecce parata sum, & nihil prohibet. Animus promptus est, vterus opportunus, vtpote minimè inquinatus, & soli seruatus creatori. Ecce ancilla Domini, ad obediendũ parata, ad seruiendum idonea, ad suscipiendũ prompta. Fiat mihi secundum verbum tuum. Quoniam, inquit, quoad fieri potuit, rectè nunciasti, & quod faciendum est, diuina est gloria plenum; Ecce ancilla Domini, fiat mihi secumdum verbum tuum. O' prouidentiam, & gratiam admirabilem; ò consilium ab æternitate præcognitum, atq; institutum. Verè spiritus sanctus in Virgine inhabitabat, & virtus altissimi obũbrabat eam ex præfinito eius consilio, & præcognitione.

Et discessit ab ea Angelus. Cùm ea nimirum, quæ sibi mandata fuerant, perfecisset. Discessit ab ea Angelus; sed Dominus nõ discessit. Angelus enim, licet sit expers corporis, loco tamen includitur. Dominus autem, quamuis in Virginis corpore, atq; vtero capiatur, nullis tamen locorum terminis circunscribitur. Et ille quidem venientem ad salutem hominum nunciauit ex Virginis vtero oriturum. Hic autem essentiam nostram à se susceptam reformauit, naturæq; imaginem, ac dignitatem, quam contumacia primi parentes amiserant, restituit; eamq; supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, atq; omne nomen, quod in hoc, aut futuro seculo nominatur, prouectam, in cœlesti solio collocauit. Ipsi gloria, & imperium, & honor, & adoratio cum Patre, & Spiritu sancto, nunc, & semper, & in æterna secula. Amen.

ALOYSIVS LIPOMANVS EPISCOPVS VERONENSIS, CANDIDO, PIOQVE LECTORI.

PRIVSQVAM ad hunc, qui sequitur, diui Ioannis Chrysostomi sermonem legendum accedas, benigne Lector, est quòd te aliquantulum detineam, cautumq; reddam. Videbis nanq; magnum Chrysostomum eiusdem hic esse sententiæ, cuius & in libro de excidio Hierosolymitano Egesippus, & Eusebius Cæsariensis libro 2, cap. 1 Ecclesiasticæ historiæ, multiq; ex Græcis patribus fuisse leguntur; nempè beatissimum Ioseph sanctissimæ Deiparæ sponsum, filios ex alia vxore suscepisse, & inter cæteros Iacobum Apostolum, cognomento fratrem Domini: Ea verò deinde repudiata, seu, vt alij volunt, præmortua, in castitate vixisse, & liberos in disciplina, & timore Domini educasse. Huius etiam opinionis fuisse videmus diuum Hilarium Pictauorum Episcopum, super Matthæum cap. primo, & diuum Ambrosium Mediolanensem Antistitem, super Epistolam ad Galatas cap. 1. Chrysostomum quoq; secutus est compilator eius Theophilactus Bulgariæ Archiepiscopus, qui eundem Iacobum, & reliquos fratres, filios asserit fuisse Ioseph; sed alio modo, quàm Chrysostomus autumet. Cuius verba, vt melius res percipiatur, subnectam. Ait enim is super Matthæum cap. 13: Fratres habuit Dominus, & sorores, Ioseph filios, quos genuit ex vxore fratris sui Clopæ: Mortuo enim absq; liberis Clopa, Ioseph, iuxtà legem, vxorem eius accepit, & pueros procreauit sex, quatuor mares, & duas fœminas; Mariam, quæ dicebatur Clopæ filia secundum legem, & Salomen. Et hæc quidem ille. Vides igitur quid magni vtriusq; Ecclesiæ viri de beato Ioseph sentiant.

Ego, vt verum fatear, & animum meum coram Deo, teq;, ac toto Christiano orbe testatum faciam (pace sit dictum omnium horum præexcellentium virorum, quos in alijs sequor plurimum, amplector, & tanquam venerabilissimos patres vehementer obseruo; at in hoc mihi placere nequaquam possunt) semper contrariam tenui sententiam, tenereq; profitebor vsque ad mortem; nisi sancta mater Ecclesia diuersum aliquid super hoc statuat; vel nisi quis me potentioribus, & efficacioribus vrserit rationibus, vt à mea victus recedam opinione. Credoq;, & firmiter teneo, beatissimæ Virginis sponsum, virginem & ipsum fuisse, nec vnquam pudicitiæ suæ florem amisisse: Talem enim

matrem, talem sponsum, & talem, tantumq; filium, talem putatiuum patrem habere par erat. Et ne ex meo cerebro hæc eruta videatur sententia, tribus eam, si potero, enitar medijs confirmare: Sacræ primùm ipsius scripturæ fontibus, ijsq; piè, rectèq;, & secundum germanum sensum deductis; constanti etiam, vt credimus, & quæ vinci non possit, ratione: Tum demum sanctorum aliquorum patrum auctoritate. Quod nisi effecero, tum tu me imperitiæ, stultitiæq; arguito; atque ego liberam tibi concedam quicquid volueris credendi potestatem. Audi ergo diligenter, & patienter ausculta, quæ pro hac sententia firmanda tibi affero.

Ac primùm quidem id nobis explorandū censeo, num ex scriptur[illegible] quisnam verus pater, & quæ vera mater fuerit Iacobi istius minoris, qui etiam dictus sit frater Domini, reperiri possit. Credoq; non fore id difficile, immo ex propatulo loco satis constare. Sed assertio illa præmittenda, quam negare mihi nequaquam possunt etiam ij, qui vel sacras literas eminus salutauerint: Scripturam nempè sacram quotiens ita loquitur, Isaac Abrahæ, vel Iacob Isaac, hunc in audientium aures sensum, & intelligentiam immittere, & non aliam, Isaac esse filium Abrahæ, & Iacob filium esse Isaac. Hoc Lucæ 3 capite maximè ostendere possumus, vbi genealogia Domini ex Ioseph ascendendo vsque ad Deum describitur. Dicitur nanq; ibi: *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum x x x, vt putabatur filius Ioseph, qui fuit Heli*, subauditur filius, *qui fuit Matthat*, nempè filius; & sic de singulis vsq; ad Adam, de quo vltimo loco dicitur: *Qui fuit Dei*: & subintelligitur filius. Hoc idem probatur Ioannis vltimo, cum dicit Dominus Petro: Simon Ioannis amas me? Hoc est, Simon fili Ioannis. Quòd ita esse, ostendit Dominus ipse Matthæi xvi, vbi dicit ad eundem: Beatus es, Simon bar Iona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cœlis est. Bar enim Hebraicè, Latinè filium sonat.

Vnus est duntaxat locus, in quo propositio ista non currit, quando videlicet aliter interpretari scriptura ipsa te necessariò compellit: Et vt me intelligas, opportunū tibi affero exēplum Lucæ 6, vbi duodecim Apostolorū nomina recensentur, quo in loco inter cætera habetur: Et Simonem, qui vocatur Zelotes, & Iudam Iacobi, & Iudam Iscariotem, qui fuit proditor. Quomodo hic expones Iudam Iacobi? Filiumne? Minimè quidem, quoniam te alia scriptura ita facere prohibet. Quomodo ergo? Iudam Iacobi fratrem interpretaberis, quoniam is in sua Canonica Epistola, ita de seipso loquitur: Iudas Iesu Christi seruus, frater autem Iacobi. Vbi autem nulla nos adigit scriptura, semper prædicta regula, propositioq; tenenda est.

Venio nunc ad ipsum quæstionis scopum, & patrem Iacobi minoris dico non fuisse Ioseph, sed Alphæum. Hoc probamus ex Matthæi capite x, vbi ponens Euangelista duodecim Apostolorū nomina, ita inquit: Duodecim autem Apostolorum nomina hæc sunt. Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius, Philippus, & Bartholomæus, Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater eius, Thomas, & Matthæus publicanus, & Iacobus Alphæi, & Thaddæus, Simon Chananæus, & Iudas Iscariotes, q & tradidit eū. Marcus quoq; capite iij, & *Lucas capite vj*, & ipsi duodecim Apostolorū catalogum recensentes, sicut primum Iacobum cum Ioanne fratre, Zebedæi, ita Iacobum alterum Alphæi dicunt: Quòd si primum illum Zebedæi filium exponere cogeris (Eius enim filius fuit, vt ex Matthæo eodem capite iiij, & Marco cap. j constat) ita etiam secundum Iacobum, hunc videlicet minorem, fratrem Domini nuncupatum, Alphæi filium exponere, velis, nolis, compelleris. Cur enim Iacobum illum ex Zebedæo natum patre asseras, hūc autem ex Alphæo

natum neges? Aut ergo vtrosque filios expone, aut vtrosque nega; vel scripturam adducito aliquam, propter quam Zebedæum Iacobi maioris patrem dicere cogaris, Iacobi autem minoris Alphæum patrem non ita. Quam certò scio haud quaquam inuenire poteris. Crede ergo expositioni nostræ. Et hoc quantùm ad patrem pertinet.

Quæ verò Iacobi huius iusti mater fuerit, & ipsa scriptura se consulentibus aperit. Si enim legeris 27 Matthæi caput, inuenies profectò ita in eo scriptum: Erant autem ibi (nempè vbi crucifixus est Dominus) mulieres multæ à longè; quæ secutæ erant Iesum à Galilæa ministrantes ei; inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedæi. Et ne qua detur tibi dubitandi occasio, quis iste sit Iacobus, cuius mater Maria dicitur, scrupulum tibi omnem aufert Marcus cap. 15 inquiens: Erant autem & mulieres de longè aspicientes, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi minoris, & Ioseph mater, & Salome; quæ, cum esset in Galilæa, sequebantur eum, & ministrabant ei. Et quia futuros esse hæreticos præuidebat Spiritus sanctus, qui hanc Mariam, quæ Iacobi minoris, & Ioseph mater dicitur, eandem esse, quæ & Saluatorem nostrum peperit, quæque ex Ioseph marito Iacobum hunc fratrem Domini, & alios fratres eius genuisset, impudentissimè asserturi erant; Ioannes discipulus Domini dilectus, omnium Euangelistarum vltimus, hanc hæreticorum blasphemiam omnino sustulit, cùm dixit cap. 19: Stabant autem iuxtà crucem Iesu Mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalenæ. Mariam Cleophæ, idest, filiam accipe, secundum propositionem nostram primo loco positam. Ecce ergo quam alij Euangelistæ Mariam Iacobi minoris, & Ioseph matrem nominant, Ioannes sororem matris Iesu dicit, & Cleophæ filiam. Et quia soror erat sanctæ Dei genitricis, ideò Iacobus, Ioseph, Iudas, & Simon fratres Domini vsitato scripturæ more, quo filij duorum fratrum, seu duarum sororum, hoc est patrueles, vel consobrini, fratres nuncupari solent, & ipsi fratres Domini dicti sunt, Matthæi 13 in fine.

Ex his omnibus luce vt arbitror, clariùs meridiana liquet, patrem Iacobi minoris fratris Domini dicti, & fratrum illius fuisse Alphæum, eorum verò matrem Mariam sororem sanctissimæ Deiparæ, filiamque Cleophæ. Quæ autem Mariæ istius mater fuerit, ad præsens intactum relinquo (Fortè in fine huius epistolæ & de hoc aliquid dicetur) Non enim ad præsentem quæstionem multùm spectare videtur. Satis nanque nobis est scire, sororem illam beatissimæ Virginis extitisse. Quòd si Iacobus, & cæteri eius fratres, Alphæi, & huius Mariæ Cleophæ filiæ, filij fuerunt, videant, obsecro, quomodo id fieri possit, vt Ioseph pater Domini putatiuus ex alia vxore eos genuerit.

Venio modò ad rationem vrgentissimam trimembrem; cui iudicio meo nullus aptè satis, & idoneè respondere poterit; quæ est huiusmodi. Aut Ioseph aliam vxorem, ex qua Iacobum, & alios fratres suscepit, ante beatam Virginem habuit; quæ postea mortua est, vel repudiata. Aut simul cum beata Virgine & alteram illam habuit. Aut deniq; post mortem sanctæ Mariæ alteram vxorem superinduxit, ex qua filios illos suscepit. Nec enim quartum membrum mihi dare poteris.

Si primo modo dixeris, vt velle videtur Hilarius; videlicet ex priori coniugio filios illos susceptos, hoc profectò falsum est, & à veritate alienum. Nam isti coniunx, quam tu prætendis ante ductam, & postea mortuam, non potuit esse altera à Maria ista sorore matris Domini, quæ ab Euangelistis mater dicitur fuisse Iacobi minoris; quæ tamen tempore mortis Christi viua erat, &

stabat

stabat iuxtà crucem Iesu vnà cum sorore sua sancta Deipara, quæ dudum ante, & iam annis 33 fuerat ipsi Ioseph desponsata, vt superiùs ex Euangelijs ostensum est. Quòd si dicas: Ea quidem viua potuit esse, sed repudiata, vt vult Chrysostomus: vide, obsecro, quomodo id asserere possis, tum quia non conuenit viro iusto, cuiusmodi erat Ioseph Euangelio teste, sanctam mulierem, quæ continuè Dominum sequæbatur ministrans ei, repudiare; tum quia, ea adhuc viuente, minimè beatam Virginem sororem suam habere potuisset; vt in sequenti membro euidenter patebit.

Dices forsitan: Ambas Ioseph vno, eodemq; tempore vxores habuit, Mariam scilicet Domini matrem, & Mariam alteram sororem eius. Hoc simili modo mendacium esse conuincitur, sed & insulsius primo dicto. Nam licet Iacob Patriarcha duas simul vxores habuerit, Liam, & Rachelem, hoc tunc ex diuina permissione, aut etiam significatione factum est. Præsignificabatur enim in duabus illis sororibus Iudæorum Synagoga, & Ecclesia de gentibus congreganda, siue actiua vita, & contemplatiua. Quòd si fortasse in alijs quoq; factum fuisse reperiatur, quod haud credo facilè ostendi posse; id vsq; ad legis Mosaicæ promulgationem licuit: At ea lata, minimè; immò qui id faceret, mandatum est tolli de medio populi sui. Adduco autem tibi diuinam ipsam legem factum hoc omnino inhibentem, quæ est huiusmodi, Leuitici 18. *Sororem vxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec reuelabis turpitudinem eius, adhuc illa viuente*. Vel, vt alij legunt: *Vxorem cum sorore eius non accipies ad æmulationem, vel ad lacessendum*: Nempè sicut faciebant duæ vxores Iacob, quæ magna inter se ob virum ardebant zelotypia. Quam legem Isychius, Radulphus, cæteriq; libri illius expositores de eo intelligunt, qui vxori, simul & eius sorori iungatur, ita vt duas sorores pariter vxores habeat, illæq; in vnius viri contubernio simul habitent, aut quomodocunq;, vna viuente, quam cognouerit, alteram superinducat.

Superest ergo, vt tertium modum eligas, & dicas, post mortem sanctissimæ Virginis Ioseph hanc Mariam in coniugem accepisse, ex qua Iacobum minorem, & alios filios, & filias genuit. Hoc si dixeris, in eandem, & adhuc maiorem foueam te præcipitem dabis, à qua nunq̃ exire poteris. Nam cùm beata Virgo post mortem filij sui superuixerit, quomodo potuit Ioseph, ea mortua, sororem Mariam ducere, & Iacobum, & cæteros fratres eius ex ea generare, qui iam, adhuc viuente Saluatore nostro, grandæui erant, & in Apostolos eius assumpti; vt patet ex Euangelistarum libris, in q̃bus etiam Maria hæc Iacobi minoris iam profectò nati, & non nascituri matris titulo prænotata, iuxtà crucem Domini stetisse reperitur? Impossibilia hæc sunt, & eruditis auribus indigna. Vides iam, quocunq; te vertas, indissolubiles esse tricas, à quibus te explicare non possis? Non ergo verum, Ioseph ex alia vxore Iacobum minorem, cognomine fratrem Domini, genuisse.

Tertium erat medium, quo nostram hanc assertionem nos probaturos dixeramus, sanctorum nonnullorum patrum auctoritas, qui Virginem fuisse sanctum quoque Domini patrem putatiuum manifestè astruunt. Inter hos post Abdiam Babyloniæ Episcopum in vita sanctorum Apostolorum Simonis, & Iudæ, quam is eorum discipulus longo sermone descripsit, primum obtinet locum diuus Hieronymus, qui in libro de perpetua virginitate Mariæ contra Heluidium hæreticum ita ait: Tu dicis Mariam virginem non permansisse, ego mihi plus vendico, etiam ipsum Ioseph virginem fuisse per Mariam, vt ex virginali coniugio virgo filius nasceretur. Si enim in virum sanctum fornicatio non cadit, & aliam eum vxorem habuisse non scribitur; Mariæ autem, quam putatus est habuisse, custos potiùs fuit, q̃ maritus; relinquitur, virginem

eum mansisse cum Maria, qui pater Domini meruit appellari.

Huic proximè succedit diuus Augustinus, & ipse Ecclesiæ Doctor insignis; qui in fine sermonis 14 de Natiuitate Domini ita dicit: Habe ergo, Ioseph, cum Maria coniuge tua communem virginitatem membrorum, quia de virgineis membris virtus nascitur Angelorum. Sit Maria sponsa Christi, in carne sua virginitate seruata; sis autem & tu pater Christi, cura castitatis, & honorificentia virginitatis, vt de virgineis membris genitricis seculis christianis nulla sit zelotypia. Et paulò post: Gaude itaq; Ioseph, nimiumq; congaude virginitati Mariæ, qui solus meruisti virginalem affectum possidere coniugij; quia per meritum virginitatis ita separatus es à concubitu vxoris, vt pater diçaris Saluatoris.

Rupertus quoq; Abbas Tuitiensis super Matthæum capite 1, relatis Diui Heronymi verbis contra Heluidium, eius sententiam amplectitur, & approbat.

Sequitur hanc eandem, & Hugo de Sancto Victore, in Annotationibus super Epistolam ad Galatas, quæstione 5.

Demum Beda Venerabilis, quem de industria in vltimo loco reseruaui, in hanc sententiam & ipse accurrit, qui etiam super Marci caput 6 de fratribus Domini loquens, inter cætera ait: Fratres, & sorores Domini Iudæi secum esse testabantur. Qui tamen non liberi Ioseph, aut Mariæ, iuxtà hæreticos, putandi sunt; sed potiùs, iuxtà morem sacræ scripturæ, cognati ipsorum sunt intelligendi; quomodo Abraham, & Loth fratres appellantur, cùm esset Loth filius fratris Abrahæ. Cuiusmodi inuenies multa. Vides ergo, si quis dixerit hos Domini fratres, vel ex beato Ioseph natos, vel ex sancta ortos Dei genitrice, nedum inhonestam assertionem, sed etiam hæreticam inuentionem esse.

Quòd si adhuc clariùs, quomodo Iacobus, & cæteri fuerint Domini fratres, cognoscere desideras, & per quem sanguinis gradum, vel cognationis, siue affinitatis lineam; lege Hugonem ipsum in prædicto loco, qui abundè tibi in hoc satisfaciet id ipsum ostendere satagens. Quòd si fortè nec, quæ ibi dicit, tibi placuerint, nempè Cleopham post mortem Ioachim accepisse Annam beatæ Virginis matrem in vxorem; ex qua Mariam hanc Iacobi, & cæterorum fratrum matrem genuerit; quemadmodum nec mihi placere potest, tantam illam matronam post sterilitatis diuina gratia solutum impedimentum, & post dignissimæ illius plantulæ fœturam, nempè Reginæ Angelorum, & Dominæ nostræ ortum, mortuo Ioachim, vnum, atque alterum, vt vulgò dicunt, sibi maritos superinduxisse; & rursus, atq; rursus coniugales amplexus adamasse; dicito Cleopham, qui hanc Mariam Iacobi matrem genuit, fratrem germanum sancti Ioseph fuisse, vt Theophilactus asserit, qui ex coniuge sua, quæcunq; ea fuerit, Mariam hanc genuerit, quæ postea Alphæo nupta, mater horum filiorum effecta sit. Cùm ergo sanctissima Maria sponsa fuerit beati Ioseph, Cleophæ glos fuit, illeq; ei leuir, atq; filia eius Maria, beatæ Virginis neptis, quæ eius soror, more scripturarum, dicta fuerit, sicut Loth frater Abrahæ. Hincq; factum, vt Iacobus minor, & reliqui eius fratres, fratres etiam Domini dicti fuerint. Et hoc modo si dixeris, in nullam incides difficultatem. Quòd si nec hoc tibi placet, aliam tu excogita rationem meliorem, cui ego libens acquiescam, modò ne dixeris, sanctum, & iustum virum Ioseph à Deo ad custodiam castissimi templi eius, & Spiritus sancti tabernaculi, hoc est, beatissimæ Deiparæ, electum, & tanta dignitate decoratum, vt pater filij sui in terris dici mereretur, alterius se vxoris osculis, & amplexibus miscuisse, ac suauissimum decoræ pudicitiæ florem amisisse. Non quòd, si hoc fecisset, aliquid iustitiæ eius, aut beatissimæ Virginis, vel admirabilis filij eius sanctitati detraheret, cum honorabiles vbiq; prædicentur nuptiæ, & thorus immaculatus. Sed quia indecens quo-

dammodo Dei filio videretur, &, dum virginitatis gloriam, meritum, ac priuilegium in sua, sanctissimæq; matris persona primum dedicabat, eandem minime in patre quoque suo putatiuo, tanquam non suauiter omnia disponeret, cooptasset: Cùm ille maximè ad noui testamenti gratiam, in qua bibitur vinũ germinans virgines, pertinuisse videatur.

Quòd si dixeris: Et quid ad dicta sanctorum patrum contrariam sententiam tenentium respondebis? Quid, inquis, respondebo? De duobus alterum; vel (quod tangere visus est Beda) ab hæreticis hæc in eorum voluminibus fuisse interiecta, cuiusmodi plurima etiam alijs in rebus immista quandoq; cognoscere possumus; vel quæ ab eis dicta sunt, imprudentiusculè, ac minùs accuratè (prout humana fragilitas fert, quòd grauissimi etiam, & eruditissimi viri quandoq; dormitent) fuisse enunciata. Nam si maiori cum diligentia Euangelicos codices perpendissent, nequaquam Iacobum minorem fratrem Domini, filium Ioseph, sed Alphæi pculdubio asseruissent; sicut & Iacobum maiorem Zebedæi filium, & Petrum Ionæ, vel Ioannis astruere compulsi sunt.

Habes ergo meam, bone lector, hac de re sententiam; quam & te quoq;, si pius es, si castitatis, & sanctimoniæ amator, si beati Ioseph deuotus filius existis, secuturum non ambigo. Plura autem, si Veronæ in Episcopatu meo fuissem, super hoc forsitan collegissem, vbi & librorum mihi copia suppeditat, & adsunt nonnullarum Epistolarum schœdæ vltro citroq; missarum, dum recolendæ memoriæ Ioannes Cochlæus vir doctissimus, & de christiana republica optimè meritus, adhuc nobiscum in humanis ageret. Nam memini hac de re inter nos multa & dicta, & constituta fuisse. Hæc verò, quæ per me nunc apud nobilissimum Poloniæ regnum Pontificium Legatum agentem, & libris ferè carentem, atq; assiduè huc, illucq; obequitantem, ac negocijs difficillimis implicatum, quasi ex memoria dici potuerunt, tu & benignè suscipito, & æqui, boniq; consulito. Vale.

SANCTI PATRIS NOSTRI IOANNIS CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI, IN SANCTISSIMAE DEI GENITRICIS ANNUNCIATIONEM ORATIO.

RVRSVS lætitiæ nuncij, rurſus libertatis indicia, rurſum reuocatio, rurſum reditus, rurſum gaudia, rurſum à ſeruitute liberatio. Angelus cum Virgine loquitur, quoniam ſerpens cum muliere locutus fuerat. Sexto, inquit, menſe miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo ad Virginem deſponſatam viro. Miſſus eſt Gabriel, vt totius mundi ſalutem nunciaret. Miſſus eſt Gabriel, vt ſcriptum reuocationis Adam afferret. Miſſus eſt Gabriel ad Virginem, vt mulieris dedecus in honorem conuerteret. Miſſus eſt Gabriel, vt puro ſponſo thalamum pararet. Miſſus eſt Gabriel, vt inter creaturam, & creatorem ſponſalia celebraret. Miſſus eſt Gabriel ad animatum palatium Regis Angelorum. Miſſus eſt Gabriel ad Virginem deſponſatam quidem Ioſeph, ſed ſeruatam filio Dei. Miſſus eſt ſeruus incorporeus ad Virginem immaculatam. Miſſus eſt à peccato integer ad corruptionis expertem. Miſſus eſt lucernæ ſplendor, qui iuſtitiæ ſolem nunciaret. Miſſus eſt nitor auroræ, qui diei lumen præcurreret, Miſſus eſt Gabriel, vt oſtenderet eum, qui eſt in ſinu Patris, in matris etiam vlnis geſtari. Miſſus eſt Gabriel, vt indicaret, qui eſt in ſolio, in ſpelunca etiam iacere. Miſſus eſt miles, qui Imperatoris myſterium promulgaret. Myſterium, quod fide cognoſcitur, & curioſitate non inuenitur. Myſterium adorandum, non humana prudentia ponderandum. Myſterium diuinis, non humanis rationibus explicandum.

In menſe ſexto miſſus eſt Gabriel ad Virginem. Quem ſextum menſem dicit? Quem? Ex quo nimirum Eliſabeth bonum accepit nuncium. Ex quo Ioannem concepit. Vnde id planum fit? Ipſemet Angelus Virginem alloquens ſic interpretatur: Ecce Eliſabeth, inquit, cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua, & hic menſis eſt ſextus illi, quæ vocatur ſterilis. Menſe ſexto; ſcilicet conceptionis Ioannis. Oportebat enim, vt miles anteiret; conſentaneum erat, vt miniſter antecederet; æquum erat, vt index Domini præſentiam ſignificaret. Menſe ſexto miſſus eſt Angelus ad Virginem deſponſatam viro. Deſponſatam, non autem coniunctam. Deſponſatam quidem, ſed ſeruatam. Cur deſponſatam? Ne celerius latro myſterium intelligeret. Nam

per Virginem quidem Regem esse venturum improbus non ignorabat, quippe qui Esaiæ ipse quoq; verba illa audierat: Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium. Itaq; singulas virgines obseruabat, vt vbi mysterium impleri animaduerteret, infamiam pararet. Idcircò Dominus per desponsatam venit. Quæ enim desponsata fuerat, deinceps in manum sponsi tradenda erat. Mense sexto missus est Gabriel ad Virginem desponsatā viro, cui nomen erat Ioseph. Audi quid de hoc viro, & de Virgine dicat Propheta: Dabitur hic liber obsignatus viro scienti literas. Idest, Virgo planè immaculata. A' quo dabitur? A' sacerdotibus vtiq;. Cuinam viro? Fabro Ioseph. ✱ Hic Ioseph, fratres, claro priùs iunctus matrimonio susceperat liberos; post autem, vxore repudiata, in castitate vixit, & liberos in disciplina, & timore Domini educauit. Cùm enim Paulus Apostolus ad Euangelij promulgationem proficisceretur, & vnum ex filijs eius reperisset; Alium, inquit, Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini, non ex Maria, sed ex Ioseph genitum.

✱ Cautè hoc lege; nā Ioseph etiā virginē fuisse credimus; qđ superius euidētissimis medijs conuicimus.

Cùm igitur sacerdotes casto Ioseph Virginem despondissent, eam illi commendarunt, nuptiarum tempus expectantes. Verùm eam ipse suscipiens, integram erat conseruaturus. Id quod multò ante Propheta pronunciarat; Dabitur, inquiens, liber obsignatus viro scienti literas, hoc est, matrimonio coniuncto; & dicet: Non possum legere. Cur non potes legere, Ioseph? Non possum, inquit, legere, quia liber est obsignatus. Cui seruatur? Rerum omnium procreatori pro domicilio. Sed ad propositum reuertamur. Mense sexto missus est Gabriel ad Virginem. Qui profectò eiusmodi à Deo mandata accepit: Ades huc, Angele, minister esto mysterij grauis, & reconditi; miraculo inserui. Misericordia mea commotus, ad requirendum Adam, qui aberrauit, descendere festino. Peccatum prostrauit eum, qui ad imaginem meam factus est; corrupit opus manuum mearum; infecit decus à me confectum. Lupus deuorat alumnum meum. Exulat incola Paradisi. Vitæ lignum à flammeo gladio custoditur. Clausus est locus deliciarum. Errantis me miseret. Hostem capi volo. Placet, vt virtutes omnes, quæ in cœlo sunt, mysterium hoc lateat, & tibi soli sit manifestum. Vade ergo ad Mariam Virginem. Vade ad animatam ciuitatem, de qua loquitur Propheta; Gloriosa, inquiens, de te dicta sunt, ciuitas Dei. Vade ad Paradisum meam ratione præditam. Vade ad portam Orientalem. Vade ad habitaculum Verbo meo dignum. Vade ad alterum cœlum, quod est in terra. Abi ad nebulam leuem; & præsentiæ meæ illi nuncia integritatē. Abi ad sanctuarium mihi paratum. Abi ad thalamū diuinæ humanitatis meæ. Abi ad purum cubiculum ortus mei secundum carnem. Loquere in auribus arcæ meæ ratione præditæ, vt paret mihi auditus ingressum. Caue offendas, aut turbes animum Virginis. Templum illud diuinum modestè adi. Prima tua vox illi gaudium afferat. Dic: Aue gratia plena: vt ego miserear afflictæ Euæ.

Audiuit hæc Angelus, & secum, vt par erat, hæc cogitabat: Noua res hæc est, cuius intelligentia nullis verbis explicari potest. Quem metuūt Cherubin, quem Seraphin intueri non possunt, quem omnes Virtutes Angelicæ comprehendere nequeunt, speciali quodam modo nunciatur cum puella Virgine conuersaturus, & propriæ eius personæ præsentia significatur, immo verò ingressus per auditum ei promittitur. Qui Euam condemnauit, eius filiam glorificare tantoperè festinat? Ait enim: Vt paret mihi auditus ingressum. Nunqd potest Virginis vterus eum capere, qui cōprehendi non potest? Verè mysterium magnum, & venerandum. Sic Angelo cogitanti; Quid, inquit Dominus, turbaris, ò Gabriel, nouitate rei? Non'ne paulò ante missus es à me ad Zachariā sacerdotem? Non'ne illi Ioannis ortum nunciasti? Non'ne incredulo sacerdoti pœnam intulisti? Non'ne senem taciturnitate mulctasti? Non'ne quæ tu pro-

nunciasti, ego rata habui, & comprobaui? Non'ne nuncium tuum res ipsa consecuta est? Non'ne sterilis concepit? vterus paruit? sterilitatis morbus discessit? naturæ fugit inertia? Quid est, quod ego non possim efficere? Cur igitur dubitas? Tunc Angelus; Naturæ, inquit, errores, Domine, corrigere, morborum nebulam dissoluere, membra mortua ad vitalem vim reuocare, naturæ præcipere, vt liberos gignat, à certis membris sterilitatem remouere, senescentem stipulam ad viridem formam reducere, terram infœcundam statim efficere manipulorum matrem, solitum est tuæ virtutis opus. Testis est Sara, tum Rebecca, post autem Anna; quæ cùm graui sterilitatis morbo laborarent, abs te liberatæ sunt. Virginem verò sine viri congressu parere superat naturæ leges, & præsentiam tuam in puella denunciat, vt quem cœli, terræ'q; termini non capiunt, Virginis vterus comprehendat. Quomodo, inquit Dominus, me tabernaculum Abrahæ potuit continere? Quoniam, inquit Angelus, hospitalitatis pelagus habebat. Verùm illic, ò Domine, te conspicuum Abrahæ præbuisti in ostio tabernaculi, & pertransisti, qui omnia comples. Quomodo autē feret Maria diuinitatis ignem? Solium tuum ardet splēdore illustratum, & Virgo te ferre poterit, vt non comburatur? Si læsit, inquit Dominus, rubum ignis in solitudine, lædet omnino Mariam quoq; præsentia mea; sin ignis ille, qui diuini ignis mei præsentiam significabat, rubum potiùs irrigauit, q̃ combussit, quid de Veritate dices, non in igne flammæ, sed in pluuiæ specie descendente?

Tunc Angelus Dei iussa facessens, Virginem adijt, & clara voce; Aue, inquit, gratia plena; Dominus tecum. Non est amplius diabolus contra te. Vbi enim priùs hostis ille vulnus inflixit, illic medicus adhibet medicamentum. Vnde mors ingressus principium habuit, inde vita sibi aditum patefacit. Per mulierem mala fluxerunt, per mulierem emanant bona. Aue, gratia plena. Ne te pudeat, quòd mulier causa damnationis extiterit. Tu enim Iudicis, & Redemptoris mater existes. Aue, gratia plena, quæ mundi paries Saluatorem. Aue, gratia plena, genitrix vitæ, quæ mortem delebit. Aue, animatum Dei templum. Aue, cœli, terræ'q; pariter domicilium. Aue, naturæ illius, quæ comprehendi non potest, amplissimum habitaculum. Per hanc adest, charissimi, ægrotantibus medicus in tenebris considentibus; illuxit iustitiæ sol, tempestate iactatis factus anchora, portus'q; tutissimus, Deo inuisis, & inimicis reconciliatio, captiuis redemptio, in bello versantibus munitissimum propugnaculum; ille nimirum, qui est pax nostra. Qua quidem pace vtinam detur nobis frui, per gratiam eiusdem Dei nostri Iesu Christi; Cui gloria, & imperium cum Patre, & Sancto spiritu, in secula seculorum. Amen.

SANCTI PATRIS NOSTRI ISAACII, QVI FVIT VIR DEI, VITA.

XXVII. MARTII.

POST venerandæ, & immaculatæ, ac pretiosæ Crucis Domini nostri Iesu Christi inuentionem, post imperium Constantini Magni Imperatoris, callidus, & vafer, ac versipellis serpens, qui semper piorum hominum generi inimicus, & inuidus, atq; maleuolus aduersatur, & fidem Saluatoris nostri Iesu Christi semper impugnat, tale quiddam in Dei Ecclesias machinatus est. Regnante enim impio, & iniquo Imperatore Valente, magnus aduersus Orthodoxam fidem impetus factus est. Nam ipse Arianorum hæresis studiosus, ac defensor iussit, vt sanctæ fidelium Ecclesiæ 1 clauderentur; vetuitq;, ne solita in ipsis sacrificia fierent; quinetiam alias earum diruendas, alias in stabula redigendas curauit. Atq; hæc quidem superbia diu viguit. Quo sanè tempore magnus erat luctus, & dolor seruorum Dei. Precabantur autem nocte, ac die, vt Dominus Deus ad misericordiam moueretur, & iustitiam exerceret. Sic igitur tunc agebatur, vt olim sub Herode Rege pro Apostolorum principe actum est.

1 Hic est hæreticorum mos, sistas fideliũ Ecclesias, ne solita in eis fiant sacrificia, claudere, alias diruere, & alias ĩ stabula redigere.

Deus ergo aliquot annis interiectis, cuiusdã serui sui monachi, qui Isaacius vocabatur, spiritum, vt pro Susanna quondam Danielẽ, excitauit. Qui vt Elias Propheta, cùm Angelicam vitam instituisset, ab Oriente profectus est. Eius autem oratio lucernæ instar ardebat. Diuinus enim spiritus, & gratia cœlestis in ipso quiescebat. Hic cùm Imperatorẽ iniquè se gerere perspiceret, vehementer dolebat, & angebat, orabatq; Dñm, vt è sublimibus, & sanctis sedibus suis despiceret, & misericordiã suam demonstraret. Audiuit eum Deus, quemadmodum Mosem aduersus Pharaonẽ, & contra Imperatorem hostiũ impetum concitauit. Eo enim tempore Barbari apud Danubiũ congregati, copias suas contraxerant, & bellũ aduersus Imperatorem mouebant, ac totis viribus in vrbẽ ingredi conabant. Magnus igitur tumultus exortus est, & multa præda agebat. Coëgit & Imperator exercitum suũ; & in hostẽ expeditionẽ parabat. Verùm idem illi accidit, quod Sauli Dauidis inimico contigerat. Neq; enim reuersus est. Nam Samuelis Prophetia in ipso quoq; expleta est, q Deum ad iracundiã incitasset.

Cùm igitur ad bellum pficisceretur Imperator, occurrit ei beatus Isaacius, & sic illũ est allocutus: Imperator, Orthodoxorũ Ecclesias aperi, & Deus iter tuum fortunabit. At ille viro sancto ne respondere qdem dignatus est; sed eo, vt stulto, relicto, discessit. Alio die vir sanctus Imperatorẽ rursum assecutus; Aperi,

inquit, Imperator, Ecclesias Orthodoxorum, & bellum prosperè conficies, ac victor reuerteris in pace. Imperator se ipsum colligens, & cogitans, quid sibi vellent ea verba; Reuerteris in pace; voluit ei Ecclesias liberas dimittere. Coactoq; consilio, de patefaciendis Orthodoxorum Ecclesijs consultabat. Verùm qui eo tempore Præfectus erat, cùm esset ex impio Arianorum grege, persuasit Imperatori, ne beatum Isaacium audiret; sed contumelia affectum, afflictumq; dimitteret. Quibus verbis adductus Imperator, virum pium cõtempsit. Sed ille iustum Dei iudicium expectabat.

Paucis autem diebus interiectis, Imperatorem ꝓficiscentem rursum assequif, arreptoq; equi ipsius freno, cœpit eum tum reprehendere, tum adhortari, vt sibi cõcederet, quod postulabat. Sed ipse noluit. Erant autẽ prope viam spinæ cum paliuris adeò densis, & asperis, vt quoduis animal introisset, non posset se se inde viuum expedire. Hunc Imperator locum, tanq̃ laqueum conspicatus, iussit, vt virum sanctum illuc conijcerent, quò interiret. Verum cùm in spinas coniectus esset, ita molliter iacebat, vt si in lectulo conquiesceret; nec vllo modo læsus est. Cùmq; Imperator cum exercitu discessisset, accesserunt tres viri candidis vestimentis induti, quos vir beatus non agnoscebat, & eum incolumẽ extraxerunt, seq; ab eius oculis subduxerũt, vt nõ posset intelligere, quinam essent. Sed cùm in se reuersus fuisset, cognouit esse Angelos Dei; & 2 flexis genibus, gratias egit Domino, cui curæ sunt ij, q timent eum. Cùmq; diu precationibus incubuisset, & Deum laudasset, surrexit; & spiritu sancto corroboratus, per aliam viam, occurrit Imperatori, & constitit in eius conspectu. At Imperator eum aspiciens, admiratus est, & viri sancti præsentia sic obstupuit, vt loqui nõ posset. Ipse verò cum fiducia; Tu quidem me, inquit, interiturum in spinis existimasti, verùm me Deus per Angelos suos viuũ seruauit. Quamobrem audi me, Imperator, & aperi Ecclesias Orthodoxorum, & aduersarios superabis, & cum laude, & gloria reuerteris. Imperator, etsi libertatem, & vultum hominis admirabatur, non tamen paruit. Erat enim cor eius excæcatum, & alienum à Deo. Sed duobus Senatoribus Saturnino, & Victori virum sanctum tradidit; Hunc mihi, inquiens, custodiendum curate, donec reuertar in pace; & tunc eius arrogantiam meritis pœnis afficiã. At sanctus Isaacius Spiritu sancto plenus, vt olim aduersus Achab Regem Israël Michæas Propheta, ita respondit: Si reuersus in pace fueris, scito in me non locutum esse Dominum Deum. Tu quidem manum conferes; sed non poteris hostibus resistere, & ab eorum conspectu fugies. Demum capieris, & viuus igne conflagrabis.

2 Flexis genibus Sanctus gratias egit Domino.

Tradito igitur viro sancto custodibus, discessit Imperator, verbis eius commotus, ac perturbatus. Et cùm esset bellum initurus, in oppidum quoddam Danubio propinquũ ingressus, exercitũ lustrauit, diemq; prælio dixit. Cùmq; paucis diebus quieuisset, signa contulit, atq; conflixit. Sed quemadmodum vir sanctus prædixerat, hostium impetum sustinere non potuit. Itaq; se fugæ commisit, & in agrum, in quo stabulum erat palearum plenum, peruenit, ibiq; cum Præfectò, per quem corruptus fuerat, se abscondit. Barbari verò, qui sequebantur, cùm illic eum latitare comperissent, igne circuniecto stabulum incenderũt. Atq; ita miser combustus spiritum reddidit. Totus autem eius exercitus Thessalonicã se cõtulit, & Gratianũ Imperatorem Romanũ expectauit. Qui cùm ad eum, Deo fauente, peruenisset, alterum eis Imperatorem, nomine Theodosiũ, virum fidelẽ, gloriosumq;, & orthodoxæ fidei studiosissimum constituit. Atq; ita Romã Gratianus reuersus est. Milites aũt, suscepto Imperatore Theodosio, læti cũ ipso Constantinopolim ꝓfecti sunt. Saturninus verò, & Victor, q̃bus sanctus Isaacius custodiendus traditus fuerat, ad Imperatorem salutandũ accesserunt; petieruntq; à viro sancto, vt pro se Deum precaref. Colebãt enim eum, vti Prophetam,

Prophetam, quoniam quæcunq; Imperatori futura prædixerat euenissent.

Duxerunt autem eum in ciuitatem, & inter se contendebant, vter ipsorum viro sancto domum ædificaret. At ipse, cognita eorum contentione; Audite: inquit, me, serui Christi; nolite contendere; mihi gratum est studium vestrum: Sed quia vobis cordi est, vt humilitati meæ perfugium paretis, quid vobis faciendum sit, dicam. Si quis anteuerterit, vt mihi domum ædificet, illic habitabo omnibus diebus vitæ meæ. Ipsi autem, audito sancto viro, certatim domum cœperunt extruere. Ac Saturninus quidem, cùm locum extra portam, quæ Collarida dicitur, possideret, illic ædificabat. Victor autem, in palatij loco, qui Arenosus appellatur, domum construebat. Cùm igitur ambo beati viri nomine ædificium molirentur, Saturninus adhibita diligentia, ita volente Deo, domicilium ex duplici constans contignatione perfecit. Et virum beatum adiens: Ecce, inquit, serue Dei, habitaculum tibi construxi. Veni igitur, atq; ibi habita. Accessit vir sanctus, atq; illic in nomine Dei nostri permansit. Victor autem magno ambitu domicilium cùm extruxisset, venit, & vidit, se à Saturnino fuisse superatum. Itaque magno affectus dolore, supplex ad sancti viri se pedes prostrauit; Oro te, inquiens, pater, vt meum quoq; locum accipias, & in eo cõmoreris, quandò eum nomine tuo ædificãdum curaui. Cùmq; multis verbis obsecrasset, respondit ei iustus Isaacius; Fili, inquiens, quo in loco voluit me Deus habitare, in eo quiescam, donec vitæ meæ finis aduenerit. Et benedixit ei, atq; dimisit. In domicilio igitur suo lætus commorabatur.

Saturninus autem, & Victor frequenter eum inuisebant, ducebantq; secum & alios amicos; & ea, quæ subleuandis pauperibus sunt necessaria, subministrabant. Domum etiam vterq; suam illum vocabant, vt eis Dominus in eius ingressu, & exitu benediceret. Quòd si contingebat, vt, eo seriùs egrediente, portæ ciuitatis essent clausæ, consistebat, & 3 orabat, factoq; Crucis signo, sponte sua portæ aperiebantur, atq; ita exibat, gratias agens Deo. Saturninus autem cùm eum vehementer diligeret, attulit ei tabulas totius loci, vt proprius esset ipsius mansionis. 4 Noctes igitur, & dies assiduas Deo preces offerebat; nec vnquam cessabat pauperibus eleemosynas distribuere. Quòd si vsu veniret, vt aliquis ab eo pauper in via peteret eleemosynam, statim exuebat pallium suum, & pauperi dabat. Omni autem tempore vitæ suæ grauitatem seruauit, spiritu feruens, vt ait Apostolus, Domino seruiens, spe gaudens, in tribulatione patiens, 5 orationi instans, necessitatibus sanctorum communicans, omnibus benedicens, maledicens nemini, Angelorum imitans vitam, vestigia sequens apostolica, tum zelo, tum sacrificio, tum desiderio Christi, omnem mansuetudinem erga omnes homines præseferens, Dei virtutibus ornatus, minimè pugnax, ab omni maleuolentia, & malitia alienus, pacem, & quietem quærens, aduersarios monens, & cohortans, vt confiterentur, & adorarent sanctissimam Trinitatem, in quo consistit hominum salus, vtq; cœlestem Angelorum ordinem, & diuinam vitam imitarentur. Prouectus autem ad senectutem bonam, ad quam Abraham in terra promissionis, ad communem vitæ finem properauit.

3 Portas ciuitatis clausas, oratione, & signo Crucis aperiebat.

4 Ecce nocturnas, & diurnas assiduas preces.

5 Vide sãcti viri catalogũ virtutũ, & q̃ eius essent exercitia.

Quodam igitur die conuocatis omnibus fratribus, longo eos sermone instituit, & cohortatus est, vt stabiles, ac firmi in fide permanerent, & procul ab omni reprehensione Dei mandatis obtemperarent; atque ita illos Christo clementissimo cõmendauit; & virum fidelem, atq; constantem, ac disciplinæ suæ studiosum elegit, quem illis præficeret; & Deum precatus eos dimisit. Cùm autem venisset hora, vt è corpore ad Deum migraret, in pace spiritum suum sanctis Angelis tradidit. Magnus verò inter fratres clamor, & luctus exortus

6 Ecce gloriosum, & celebrē Sancti viri sepulturā. Ecce sāctas, & pretiosas eius reliqas.

7 Vide Sanctū apud saluatorem Christū pro nobis assiduè intercedere.

est, qui cum lachrymis dicebant: Pater, sis memor nostri. Et curantes eum, pro dignitate extulerunt. 6 Ciues autem vniuersi ad obitum eius concurrerant, & ad tumulum vsq; sunt eum comitati; & sanctas eius, ac preciosas reliquias in æde sancti Stephani protomartyris, in sacro altari collocarunt. Ac cæteri quidem, ad sua quisque loca reuersi sunt. Fratres verò ad mansionem ipsius Deum collaudantes redierunt. Migrauit ad Dominum sanctus pater noster Isaacius VI Calend. Aprilis; & assiduè pro 7 nobis apud Saluatorem Christum intercedit, fiducia vtens apud Deum, & Patrem; Cui gloria, & Imperium, & adoratio, & laus debetur, cum vnigenito eius filio, & spiritu sancto, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

SANCTORVM IONAE, ET BARACHISII MARTYRIVM.

XXIX. MARTII.

SABORIVS Persarum Rex XVIII anno regni sui aduersus Ecclesias Christi, & eos, à quibus Deus omnipotens colebatur, persecutionem exercuit. Iussit enim Magis, vt sancta Christi templa diruerent, & Christianorum monasteria incenderent. Præterea imperauit, vt Christiani conquirerentur, inuentiq; cogerentur dijs sacrificare; & qui parerent, magnis afficerentur honoribus; qui verò parere recusarent, varijs tormentis, & supplicijs grauissimis excruciarentur. Eo tempore erant in regione Persarum, in quodam vico, qui vocatur Iasa, duo fratres Ionas, & Barachisius, viri iustitia, fideq; pleni, qui magna cum reuerentia mandata Domini obseruabant. Hi sancti, audita Christianorum persecutione, mansionem suam reliquerunt, & ad eum locum, vbi impij Magi Christianos omnes acerbissimè excruciabant, profecti sunt.

Cùm autem essent in vico, qui dicitur Bardiaboch, & ad carcerem, in quo Christiani inclusi tenebantur, accessissent, orarunt carceris custodem, vt sibi ad Christianos damnatos ingredi permitteret. Cùmq; ingressi essent, nouem inuenerunt viros condemnatos, qui impij Regis Saborij decretis aduersabantur. Cùm igitur sancti Ionas, & Barachisius vidissent eos in cruciatibus, & salutassent, cœperunt illos cohortari, ac dicere: Fratres, ac patres, nihil timeamus; sed in nomine Crucifixi certamen vnum sustineamus, vt coronam assequamur sempiternam, quemadmodum & fratres, patresq; nostri martyrio ipsi quoq; sunt assecuti. Hac sanctorum Ionæ, Barachisijq; oratione illi magis adhuc confirmati, se mutuò cohortabantur, & gratiæ, vt ita dicam, oleo se vicissim ad patientiam, & tormentorum, atq; martyrij perfectionem vngebant, & corroborabant. Sanctorum autem Martyrum, qui in carcere vincti erant, nomina hæc sunt, Zanitas, Lazarus, Marothas, Nerses, Helias, Mares, Abibus, Sembeethes, & Sabas. Hi pro Christi nomine cùm multos cruciatus pertulissent, & in ipso martyrij certamine vitæ cursum preclarè confecissent, firmam fidem seruantes, incorrupta, atq; immortali martyrij corona magna cùm laude redimiti, in cœlum ad Angelorum choros aduolarunt.

Post autem quidam Magi sanctum Ionam, & Barachisium apud tres Magorum principes Masdrath, & Seroth, & Maarnesem, à quibus sancti damnati fuerant, accusarunt, quòd neq; immolarent, nec Regis mandatis obedirent, nec solem, & ignem, & aquam odorare vellent; quodq; nouem illi Martyres eorum sermonibus adducti, regijs decretis non obtemperassent. Tunc

Magorum principes indignatione pleni, eos ad se adduci iusserunt, atque ita allocuti sunt: Adiuramus vos per nostrum Regem Regum Saborium, vt verè nobis ad ea, de quibus fueritis interrogati, respondeatis: Paretis'ne Regis voluntati, & obeditis decretis eius, & adoratis solem, & ignem, & aquam, vt iubet ipse Rex, an non? Responderunt sancti Ionas, & Barachisius: Loquemur vobis; vos autem ita nos audite, vt Principes, & Regis Persarum Iudices decet. Vos enim delegit Iudices, & omne iudicium suum in manibus vestris collocauit, vt iustè iudicetis. Non'ne debetis, præclari Iudices, magis, q̃ terrenum Regem, timere eum, qui vobis sapientiam, & intelligentiam dedit, & Deũ, qui cœli, & terræ, atq; omnium spirituum imperium habet, agnoscere, qui'q; temporum distinguit varietates, atq; omnia moderatur, & vobis prudentiam largitus est, vt iudicetis eos, qui in carne sunt similes vobis? Adiuramus igitur vos, vt verè, syncere'q; dicatis nobis, quem deum abnegare debeamus; cœlestem'ne, an terrenum? æternum, an caducum? Nos enim credimus in Deum, qui fecit cœlum, & terram; non autem mortali homini credimus. Neq; enim debemus homini credere, qui exiguo viuit temporis spatio, & moritur, ac sepelitur, quemadmodum nos, & in aliorum hominum numero ponitur.

His auditis, Magorum princeps vehementer indignati, atque impio furore pleni, quòd Rex ipsorum contumelia esset affectus à sanctis, qui mortalem eum assererent, virgas asperas è malis punicis, atque spinosas afferri iusserunt, vt cæderentur. Sed imperarunt priùs, vt separarentur, quò neuter posset, quid ab altero dictum esset, intelligere, atq; ita in Christi certamine confirmari. Tum Masdrath, & Seroth, & Maarnesem, tres Magorum principes considentes, vt de sanctis quæstionem haberent, iracundè iusserunt, vt sanctus Ionas solus adduceretur. Quo quidem adducto; Quid tibi, inquiunt, faciendum sit, dispice. Si deos veneraris, & adoras, soli'q;, & igni, & aquæ sacrificas, & quæ à Rege Regum Saborio iussa sunt, perficis, liber cum honore dimitteris; alioqui te acerbissimis tormentis, & supplicijs grauissimis afficiemus. Neq; verò putes nos tibi esse inimicos; ipsi enim tibi nihil mali faciemus, nisi tute saluti tuæ malè consulueris. Respondit sanctus Ionas; Istius, inquiens, ego salutis non egeo propter Iesu Christi vitam. Præterit enim, nec vnquam permanet. Quamobrem nunquam negabo Dominum meum Iesum Christum viuentem in secula, quoniam ipse est spes omnium Christianorum; nec confunduntur, qui sperant in eum. Sic enim nobis pollicitus est; Amen, amen, inquiens, dico vobis, quiquis me negauerit coram filijs hominum, & ego negabo eum coram patre meo, qui in cœlis est, & coram sanctis Angelis. Veniet enim in nubibus cœli, in gloria patris sui, & Angelorum, atque Archangelorum. Iam'q; paratus est, vt vnicuiq; homini reddat secundum opera ipsius. Quæ cùm ita sint, facite in me, quod vobis mandatum est; neq; enim putetis, nos domum Dei relicturos, aut ab eo vllis terroribus defecturos, qui nobis concessit, vt sanctæ domui eius seruiremus, & nobis dixit: Vos estis lux mundi: & rursum; Vos, inquit, estis sal terræ. Quòd si sal euanuerit, in quo salientur ea, quæ salienda sunt? Quare, si, vt suadetis, vestro Regi Regum obtemperemus, & iussa eius faciamus, non solùm negabimus Dominum nostrum; sed causa erimus, vt vos omnes illum negetis, & perniciem omnibus afferemus.

Hæc cùm audiuissent Magorum principes, ita concitati, iusserunt, vt lege Persica vinciretur. Traiecta igitur virga inter manus, & crura, iners humi iacebat vir sanctus, tanquam lapis. Ministri autem eum virgis è malo punica spinosis verberabant, nec prius destiterunt, q̃ eius lacerata sunt latera. Ipse verò dum vapularet, non repugnabat, sed Deum laudans dicebat: Gloria tibi,

Deus

Deus patrum nostrorum, Abraham, Isaac, & Iacob, qui eduxisti nos ex hoc mundo, & dignatus es, nos ad amorem, & fidem sanctam tuam adducere (Nam per fidem Abraham iusti cognouimus fidem sanctam tuam) cùm tamen pauca pro multis patiamur. Et nunc, Domine, da nobis patientiam, vt perficiamus omnia, quæ nobis Spiritus sanctus tuus præcepit; qui & canticum nouum cecinit per os patris nostri Dauidis. Fac nos dignos, qui faciamus ea, quæ dicit. Ait enim: Vnam petij à Domino, hanc requiram, id est, vt semper sim tecum, Domine. Hoc mihi, Deus, quod expecto quotidie, per martyrium elargire. Hæc sanctus Ionas cùm dixisset, magna voce Magorum principibus; Ego, inquit, à rege vestro peccatore, & omnibus amicis eius, quicunq; sint (sunt enim omnes satanæ principes) discedo, & omnes ipsos abnego; & à sole, ac luna, & stellis, atq; igne, & aqua, quos esse deos asseritis, alienus sum, nec vllo modo illos adoro; sed credo in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, veram Trinitatem, quæ seruat mundum vniuersum, fecit'q; deos etiam vestros, quos nobis per vim adorandos censetis.

Hæc audientes Magorum principes iusserunt, vt pes eius funiculo vinciretur, atq; ita in pruinam, & glaciem extraheretur, ibi'q; totam noctem iaceret, (erat enim hyems) obseruaretur'q;, quid frigoris causa faceret. Ministri fecerunt imperata, & illic eum vsq; ad sequentem diem reliquerunt, cùm iniqui Iudices rursum considentes in tribunali, sanctum Barachisium adduci imperarunt. Quo adducto, & coram ipsis consistente; Quid agis, inquiunt, Barachisi? Immolas'ne, & solem, atq; ignem, & aquam adoras, & veneraris; quemadmodum & frater tuus Ionas, mutato consilio, fecit, an tormentorum certamẽ vis in corpore tuo suscipere? Respondit sanctus Barachisius: Quemadmodũ frater meus adorauit, sic ego adoro, & veneror, & colo. Vos de ipso falsum retulistis. Nam Veritas non permisit, vt id faceret. Quis enim mentem eius exæcare potuisset, vt, relicto eo, à quo ipse creatus est, adoraret ea, quæ creata sunt, vt hominibus seruiant? Si adoranda essent, non seruirent hominibus; sed homines illis inseruirent. Dedecus enim esset igni, si nobis seruili ordine deseruiret. Nunc autem videmus homines non solùm diuites, verumetiam pauperes, non bonos tantùm, sed malos ignis vti seruitio. Cùm igitur ignis constitutus sit seruus noster ab eo, qui fecit illum, iniquum est, velle nos cogere, vt ignem adoremus, quem Deus ad humanos vsus creauit, & abnegemus ipsum Deum, qui fecit cœlum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt. Aequum est potiùs, vt gloria, & adoratio, atq; omnis honor à Regibus, & Principibus, & Ducibus, & omni spiritu tribuatur ei, à quo & sublimia, & profunda facta sunt; cuius arcana consilia nemo potest comprehendere, neq; valet ad sublimitatem gloriæ eius peruenire; cùm tamen auxilio ipsius egeant omnes filij hominum. Ipse enim alit omnes, nullius indiget, omnia moderatur. Illud tantùm à nobis requirit, vt nomen Domini cognoscamus, nec sinamus nos figmentis, & erroribus decipi. Sic enim iubet: Ne feceritis vobis idola, nec adoraueritis opera manuum vestrarum, nec vllam aliam rem procreatam. Quoniam ego sum Dominus Deus vester, qui à principio sum, & sine fine permaneo. Et non est alius Deus præter me. Et gloriam meam alteri non dabo, neq; virtutes meas sculptilibus, neq; honorem meum idolis. Ego occido, & vitam præbeo; & non est, qui manus meas possit effugere.

Tunc irati Magorum principes, cœperunt eos admirari, & ipsorum constantiam, ac dicere: Ne iudicemus illos hoc tempore, ne quis eorum, qui pij sunt, & solem, & ignem, & aquam adorant, auditis eorum sermonibus, à religione nostra deficiant, & immolare recusent; noctu potius illos audiamus, cùm omnes dormiunt, & conquiescunt, ne quis cognoscat, quæ ab ipsis dicuntur,

aut quæ fiunt à nobis. Tunc igitur iudicium intermiserunt. Nocte autem, cùm magna esset quies, considentes iusserunt, sanctum Barachisium adduci; & magno cùm silentio eum audiebant. Cùmq; multa vltro citróq; dicerentur, & in ea disputatione sanctus Barachisius diuina sapientia munitus victor existeret, indignati iusserunt, duas glebas æneas ardentissimas sub axillas ipsius admoueri, & dixerunt ei: Per Regis Regum Saborij coronam abijce alteram è glebis in terram, vt intelligamus, te Deum tuum abnegasse. Respondit sanctus Barachisius: Ministri satanæ, & principes scelerati, per salutem Dei mei, & interitum satanæ patris vestri, non timeo Regem vestrũ, & neutram glebarum in terram abijciam; sed vtrasque propter nomen Christi perferam. Quin etiam vos adiuro per viuentem Deum, vt ad hunc cruciatum maiores alios, si quos habetis, adiungatis. Quis enim ad bellum proficiscitur, & in prælium ingreditur, qui non promptus sit mortem oppetere, vt magnam gloriam, & præmia multa, & locum principis à Rege consequatur? Hæc cùm à sancto Barachisio dicerentur, ingenti dementia victi Magorum principes, iusserunt plumbum liquefieri, & in palpebras eius, & nares conijci. Rursumq; liquefieri plumbum iusserunt, & in fauces eius, & aures infundi, ne audire, loquiúe posset. Post autem ministris illum tradiderunt dicentes: Abducite eum in carcerem, ibiq; vno pede suspensum includite.

Tunc imperarunt, vt beatus Ionas iterum ad conspectum suum adduceretur. Quo quidem adducto; Quomodo, inquiunt, se habet corpus tuum; & quomodo noctem illam totam glaciei, ac frigori expositus transegisti? Respondit beatus Ionas, &, Nullam, inquit, mihi credite, regij Principes, Deus meus, in quo animus meus conquiescit, noctem vnquam mihi æquè tranquillam largitus est, ex quo me peperit mater mea; nec memini vnquam, ex quo sentire potui quid sensus sit, vllam omnino noctem ita mihi quiescenti suauem extitisse. Consolatio enim mihi præsto fuit ex sancto illo ligno, cui affixus fuit Dominus meus Iesus Christus. His auditis, iniqui Magorum principes dixerunt; Atqui frater tuus Barachisius Deum tuum abnegauit; & tu adhuc in sententia permanes obstinatè? Respondit sanctus Ionas; Scio, inquiens, & ego, fratrem meum abnegasse diabolum, & omnes angelos eius, seq; perfectè Christo Domino addixisse. Non'ne, dixerunt Magorum principes, magis expedit tibi, vt à Deo tuo deficias, q̃ vt vitam amittas? Respondit sanctus Ionas: O cæci, & stulti, quomodo vos esse prudentes iactitatis? Expendite, quæso, pro vestra prudentia veritatem. Non potest homo, qui triticum habet in horreo reconditum, & seruat illud, quamuis & imbres, & niues, & fulmina, & reliquæ aëris iniuriæ vigeant, sibi temperare, quin ipsum triticum sumat, & manibus suis in terram iaciat seminans in nomine Domini. Sperat enim ex semine exiguo se messis tempore, Christo fauente, aream repleturum. Quòd si triticum in horreo suo reliquerit, & non seminauerit, deficiet, & crescere non poterit. Idem in hominibus licet considerare. Si quis in hoc mundo pro nomine Domini nostri Iesu Christi animam suam perdiderit, in nouo mundo, cùm venerit ad eos hominum filios renouandos, qui in ipsum credunt, & voluntatem eius faciunt, renouabit illos in lumine suo, quod nunq̃ præterit, neq; dissoluitur. Eos verò, qui præcepta ipsius, mandataq; negligunt, in ignem conijciet, qui nunq̃ extinguitur; neq; enim carbones habet ignis ipsorum, vt scriptum est, nec lucem habet eorum flamma.

Hæc ille cùm dixisset, diu Magorum principes obmutuerunt, sermonem ipsius admirati. Postea verò dixerunt ei: Ne erres, Iona, neq; scripturas sequaris; multos enim scripturæ decipiunt. Respondit beatus Ionas; &, Rectè, inquit, dixistis, scripturas decipere; decipiunt enim scripturæ Græcorum. Nec

aliud magis homines decipit, quàm vita mundi huius. Quisquis autem Christi gustat afflictionem, is nunquam fallitur. Quemadmodum enim cùm diues aliquis amicos ad conuiuium vocat, illi, relictis proprijs ædibus, accedunt; sciunt enim se ad lætitiam inuitari; cùm autem discubuerint, ac vinum degustarint, si suaue sit, gaudent, & largiùs bibunt, nec postquam ebrij facti sunt, domum reuerti possunt; sed eorum domestici apprehendunt illos, domumque deducunt; postridie autem manè, cùm iam vinum edormierint, & crapulam exhalarint, valde lætantur, quòd apud domesticos suos sint: Sic & Christi serui, cùm se à Principibus in carcerem vocari sentiunt, se ad certamina, & tormenta ire non ignorant. Cùm igitur accesserint, & biberint, & cruciatibus, atque amore Christi ebrij euaserint, nec familiæ, nec liberorum ampliùs, nec famæ recordantur; nec aurum, aut argentum, aut quicquam aliud curant; sed Reges, & Principes aspernantur, & Regem vnum expectant magnum Christum; cuius nos milites sumus, in secula seculorum permanentes; cuiusque regnum non præterit, sed manet in æternum.

His auditis, iusserunt Magorum principes, vt sancto Ionæ, tanquam plura, quàm opus esset, locuto digiti manuum, ac pedum præciderentur. Quod quidem ministri cùm effecissent, amputatos digitos in conspectu ipsius proijcientes dixerunt: Ecce nunc quomodo digitos tuos in terra disseminauimus. Expecta igitur, & cùm messis tēpus aduenerit, aderunt tibi multi digiti. Respondit sanctus Ionas: Ego digitorum, & manuum non egeo multitudine, Deus, à quo factus sum, me in ea renouatione, quam in nobis est effecturus, ipse renouabit. Audientes hæc Magorum principes, iracundia pleni iusserunt, picem in magno vase liquefieri, & caput eius à ministris abradi, tum ipsum sanctum in saccum ita conijci, vt caput extaret. Fecerunt iniqui ministri, quod fuerat imperatum, & sancti viri cutem capitis, ac linguam in vas pice plenum imminiserunt; deinde totum etiam ipsum sanctum in picem in medio vasis vehementissimè æstuantis coniecerunt. Verùm sancto Iona in vas coniecto, statim tota pix è vase defluxit, ita vt eum non attingeret, nec vlla in parte læderet. Rem mirabilem, ac nouam admirati homines impij, & videntes virum sanctum nullum ex tanto tormento damnum accepisse, cochleam afferri iusserunt, & in ea sanctum poni, vehementerque comprimi, ac dissecari. Fecerunt ministri imperata, ipsumque in cochlea compresserunt, & omnia illius ossa confregerunt, deinde ipsum medium dissecuerunt. Cùm autem dissectus esset, imperarunt impij Magorum principes, vt corpus eius in lacum profundissimum conijcerent, ac diligenter obseruarent. Atque ita factum est.

Sancto igitur Iona Martyrij coronam assecuto, iusserunt, rursum ad quæstionem sanctum Barachisium adduci; atque ita eum allocuti sunt: Parce membris tuis, Barachisi, & noli intempestiuè teipsum perdere. Respondit eis vir sanctus; Neque ego, inquiens, meipsum formaui, neque perdā. Dominus, à quo factus sum, me virtute sua renouabit, eripietque me è manibus vestris, & è manibus Principis vestri nequissimi, qui opificem suum Deum non agnoscit, sed diaboli voluntatem defendit, studetque perficere. Hæc cùm à Sancto dicta essent, duo ex Magorum principibus Masdrath, & Seroth ad Maarnensem cōuersi; Nos, inquiunt, Regem Regum Saborium afficimus ignominia. Isti enim errore suo confisi neminem verentur. Ita locuti ardentes ira vultus suos ad beatum Barachisium cōuerterunt, iusseruntque ipsum in spinas conijci; deinde arundines afferri, findique medias, & sancti viri carni admoueri, tum funiculo tenui ipsum circunuinciri, atque comprimi, donec arundines in carnem penetrarent; post autē imperarunt, vt arundines extraherentur, vt eius carnes dilacerarent. Sic igitur fecerunt ministri, & carnes ipsius dilaniarūt. Tunc in cochleam, in qua sanctus

Ionas sectus fuerat, inijci iusserunt impij, atq; ibi omnia ossa eius perfringi. Quæ cùm essent confracta, Magorum principes ministris imperarunt, vt in fauces ipsius picem ardentē conijcerent. Atq; ita beatus Barachisius animam reddidit, & ad sanctorum martyrum numerum ascriptus est.

Cùm autem vir quidam pietate insignis, nomine Abdissotas, sanctos Ionā, & Barachisium martyrio coronatos intellexisset, accessit, & sanctorū tabernacula quingentis miliarisijs daricis, & tribus vestimētis sericis emit ab ijs, à quibus seruabant. Neq; verò sola sanctorū Ionæ, & Barachisij corpora mercatus est, sed illorum etiam, qui ante ipsos martyrium pertulerant. Iurauit autem emptor, neminem è principibus resciturū, custodes sanctorum corpora vendidisse, dixitq; se illorum, qui martyrio essent affecti, veterem amicum esse. Custodes enim iusiurandum exegerant, veriti, ne, si res ad principum aures peruenisset, in aliquod periculum inciderent. Sanctorum, qui martyrij palmam tulerunt, nomina hæc sunt, vt superius diximus, Ionas, & Barachisius, Zanitas, Lazarus, Marothas, Nerses, Elias, Mares, Abibus, Sembecthes, & Sabas. Vndecim hi pugiles, gloriosiq; Martyres ad finem vsq; pro Christo decertarunt, passiq; sunt se varijs cruciatuū generibus torqueri, vt in Christi fide constantes apparerent, & præclarum virtutis specimen, & exemplum, ac formam posteris relinquerent. Hi sancti beatissimi, & Christi milites inuicti strenuè pro Duce suo pugnantes, & victoriam de Christi hostibus reportantes, stolam lucis induti sunt, & incorruptam ab ipso gloriæ coronam obtinuerunt. Et nos omnes eorum [1] precibus, & supplicationibus apud Deum adiuuamur.

[1] Ecce quomodo Sancti in alia vita orāt pro nobis; nosq; eorum precibus, & supplicationibus adiuuamur.

Interfecti sunt nouem ex ijs Christi Martyribus VI Cal. Aprilis, reliqui autem duo IIII Cal. eiusdem mensis. Hanc autem sanctorum Martyrum historiam conscripsit Esaias Adami filius; qui cùm eques esset Regis Persarum Saborij, & cum Magorum principibus, vt auditor tantùm, & spectator eorum, quæ fiebant, interesset, atq; ita omnia, quæ in hoc certamine contigerunt, ab initio ad finem vsq; audisset, ac perspexisset, ea ad omnium ædificationem, atq; vtilitatem, & salutem, literarum monumentis mandauit, vt talem pro Christo virtutem omnes studeant imitari; Cui gloria, & imperium, in secula seculorum. Amen.

MENSIS APRILIS.

SANCTORVM AMPHIANI, ET AEDESII, QVI EX EADEM MATRE NATI SVNT, VITA, ET MARTYRIVM AB EVSEBIO PAMPHILO SCRIPTVM.

II. APRILIS.

GRAVIS serpens,& tyrannus crudelis,cùm recens, in omnes nactus esset imperium,& ab ipso exordio cum Deo bellum sibi gerendum proposuisset, impudentiùs,q̃ oẽs illi,qui ante ipsum imperauerant, persecutionem aduersum nos aggressus est. Maximianus hic fuit. Cùm vbiq; gentium magnus esset tumultus in Christianos excitatus, & alij alia in loca se se conferrent, vt imminentes effugerent calamitates, quis è nobis Amphiani martyris studium,& pietatem erga Deum ꝓ dignitate valeat explicare? Nondum ætate corpus confirmarat hic genere nobilis,vt qui ex parentibus è Lycia illustribus, & diuitijs, ac dignitate præstantibus ortus erat, cùm parentum diligentia Berytum, tanquam ad bonarum literarum emporium,missus est; vbi variæ doctrinæ, disciplinarum'q; genera sibi comparauit. Verùm hæc ad rem propositam enarrandam haud erant necessaria. Illud in sancta illa anima admiratione, & explicatione dignum fuit, quòd in tali ciuitate præstantior extitit, q̃ vt iuuenum consuetudine, & familiaritate corrumpi posset. Mores enim seniles, & grauitatem, honestam'q; vitæ rationem complexus, nec ætatis lubrico, nec voluptatibus se vinci permisit; sed, tanq̃ bonorum fundamentum, temperantiam,& castitatem, atq; modestiam sibi ipse proposuit. Et cùm satis in literarum, doctrinæ'q; studijs profecisset, in patriam redijt. Vbi cùm propter dissimiles propinquorum mores cum illis versari non posset, spretis rebus

istis caducis, ab eorum consuetudine recessit; & syncera, atque integra fide, Dei virtute duce, in hanc nostram se contulit ciuitatem, nempè Cæsaream, vbi preciosa illi martyrij corona parata erat. Cùmque nobiscum in diuinarum rerum studijs versaretur, & in sacris literis à magno martyre Pamphilo exerceretur, non vulgarem ad virtutem habitum adeptus est, ex quo sibi ad Martyrij palmã aditum patefecit; quemadmodum iam declarabimus.

Quis spectando non obstupuit? Quis audiendo non est admiratus fiduciam, loquendi libertatem, studium, continentiam, orationem illius ad Iudicem, responsa, prudentiam, in primisque confidentiam, & contentionem diuino zelo, & firma in Regem omnium Deum pietate plenam? Cùm igitur tertio anno persecutionis aduersum nos concitatæ passim rursus contra Christianos impetus fieret ex Maximiani decreto, quo ciuitatis magistratus iubebantur summam adhibere diligentiam, vt publicè omnes dæmonibus sacrificia, & libationes offerrent; præcones statim per omnes vrbes clamabant, vt viri, & mulieres cum filijs ad idolorum templa sese conferrent. Tribuni autem, & centuriones per domos, & biuia ciuium nomina describebant. Deinde singulos nominatim vocantes cogebant, vt facerent imperata. Cùm igitur omnes vbique incredibili malorum tempestate iactarentur, sanctissimus Dei martyr Amphianus, nemine conscio, præclarum, & omni præstantius ratione facinus aggreditur. Ad Vrbanum gentis præfectum contendit, & neglectis omnibus militum copijs, dexteram ipsius apprehendit, & diuino quodam gestu modestiæ simul, atque fiduciæ pleno monet, vt ab errore desistat; neque enim fas esse, vno, & solo, ac verò Deo post habito, idolis inanimatis, & spiritibus immundis sacrificare. Erat profectò Deus ipse, qui homines impios per adolescentem redarguebat. Eò autem illum perduxit Crucis nostræ virtus, quæ tanquam voce missa testabatur, suos milites, qui verè tales essent, tantùm ab impiorum hominum mentibus distare, vt non minas solùm, & quoduis mortis genus contemnerent, verùm etiam tantùm à mutatione, atque in deteriorem statum conuersione abessent, vt generoso animo, & constanti lingua in omnes oratione libera vterentur, ac testatum relinquerent, sibi in animo esse, omnibus persecutoribus, si fieri posset, persuadere, vt ab inscitia se remouentes, omnium Saluatorem, solumque, & verum Deum agnoscerent. Cæterùm dæmonum ministri, milites illi, Præfectique satellites, ea re, velut spiculo quodam, mente perculsi sanctum iuuenem corripiunt, & in faciem cædunt, humique prostratum pedibus conculcant, & corpus totum comprimunt, labraque dilacerant. Quæ ille omnia fortissimè sustinuit, donec in obscurum, atque intimum carceris locum coniectus est. Vbi cùm noctem illam compedibus vinctus mansisset, postridie ante Iudices sistitur.

Tunc gentis præfectus Vrbanus, vt crudelitatis suæ, tanquam egregiæ alicuius virtutis, specimen æderet, omne cruciatuum genus aduersus Martyrem exercuit, adeò vt eius latera vsque ad ossa, & viscera tunderentur; iussitque vultum eius, atque ceruicem tot verberibus, & plagis affici, vt à nemine ampliùs agnosceretur. At Dei Martyr, tanquam adamas quidam, sic erat animo, & corpore firmus, ac stabilis, vt diuinam vndique virtutem spiraret. Cùmque de multis Iudex interrogaret, ille nihil aliud, nisi se christianum esse respondebat. Et cùm rursus ex eo quæreretur, quis, & vnde esset, & ubi habitaret, nihil aliud, nisi se Christi seruum esse confitebatur. At ille furori iam cedens, & inuicta martyris voce superatus, iussit, vt pedes eius funibus oleo madefactis vincirentur, ignisque succenderetur. Ministri facessunt iussa, & Martyr sublimis suspenditur, horribile aspicientibus spectaculum. Latera enim eius erant confracta, corpus tumidum, facies deformis, pedes autem tandiu combusti sunt, vt caro, ceræ instar, liquefacta deflueret. Ignis verò ad ossa vsque penetrabat. Quos omnes cru

elatus, ille, qui eos perferebat, aspernabatur. Habebat enim intus auxiliatorē Deum, qui manifestam omnibus eum implorātibus opem, tanq̃ lucem, præbet. Quapropter maiore fiducia Martyr, maioreq; libertate replebatur; & maxima voce clamans, suam erga Deum pietatem testabatur, fauente ipsi Iesu saluatore nostro, & hæc in ipso admirabilia spectacula ædente. Illi enim rabie concitati furebant, vt dæmones; & animi dolore confecti, tanq̃ ipsi cruciatus illos perferrent, dentibus frendebant, & ratione destituti cogebant eum fateri, quis, & vnde esset, & vbi haberet domicilium, & immolare, & decretis obedire. Sed eos Martyr veluti ebrios aspiciens, ne respondere quidem illis dignabatur, & interrogationibus eorum vna illa voce satisfaciebat, qua Christum, & Patrem eius, & Spiritum sanctum solum se Deum nosse profitebatur.

Iam igitur victis, ac defessis aduersarijs, in carcerem rursum ductus est. Et ea quæ subsecuta est, die, cùm in eadem confessione permaneret, damnatus est, vt in profundum maris conijceretur. Quæ autem postea consecuta sunt, incredibilia visum iri non dubito apud eos, qui ea non conspexerunt. Minus enim auribus, q̃ oculis habetur fides. Quod cùm ita sit, non æquum est tamen, vt miraculum silentio prætereamus. Huius autem rei testes sunt mihi omnes, qui Cæsaream incolūt. Nulla enim ætas hoc admirabili spectaculo caruit. Cùm enim in pelagi profundum sanctum Dei hominem, lapidibus ad pedes eius suspensis, proiecissent, ingens confestim fragor, & commotio, atq; æstus tum ipsum mare, tum circunstans littus ꝑturbauit, motusq; maximus vrbem concussit vniuersam, simul q; diuini Martyris corpus exanime pelagus, tanq̃ ipsum ferre non posset, ante ciuitatis portam eiecit. Iacens igitur mortuū ante portam ciuitatis horrendum spectaculum exhibebat. Et magnus omnia personans motus à Deo concitatus, grauem omnibus incolis indignationē minabatur. Quod cùm per vrbem percrebuisset, ad portam omnes spectandi gratia concurrebant, pueri, viri, senes, itemq; fœminæ cuiusq; ætatis, virgines etiam, quæ domi asseruabantur. Omnes autem tam viri, q̃ mulieres vnum & solum Christianorum Deum confitebantur. Ac talis quidem fuit admirabilis Amphiani finis, qui iiij Nonas Aprilis Martyrio coronatus est. Similes autem postea cruciatus haud multo tempore interiecto, frater eius Aedesius pertulit.

Hic, & anteq̃ frater ipsius ad Deū concessisset, philosophiæ se dedidit, & varias artes, disciplinasq;, non Græcas solùm, sed Romanas didicit, diuq; Pamphili discipulus fuit. Et cùm sæpissimè se Christianum professus esset, diuturnaq; supplicia in carcere ꝑtulisset, ad æris metalla primùm in Palæstina damnatus est. Et post hanc calamitatē, Alexandriæ incidit in Hieroclem, qui totam Aegyptum administrabat. Hunc cùm in Dei martyres iniuria sæuientē animaduertisset, sanctasq; Dei virgines tradentem lenonibus, qui eas omni nequitia, & libidine contaminarent, nec tantam iniquitatem perferre posset, simile fraterno facinus aggreditur. Nanq; diuino repletus zelo procedit, & verbis, ac factis Hieroclem confundit. Manu enim sua illi plagas in os infligit, humiq; supinum prosternit, & cædit, ac monet, ne audeat contra naturæ leges Dei seruos offendere. Hæc & alia multa cùm ille & dixisset, & fecisset, postea strenuè corpori suo illatos cruciatus pertulit; donec in mare coniectus eundem, quem frater, habuit vitæ finem. Atq; Alexandriæ certamē hoc subijt.

Ex ijs autem martyribus, qui in Palæstina fuerunt, post Amphianum Agapius ad certamen peruenit. Deo nostro sit honor, & gloria in secula seculorum. Amen.

SANCTORVM THEO DVLI LECTORIS, ET AGATHOPODIS DIACONI MARTYRIVM.

IIII. APRILIS.

FLORENTEM erga Deum pietatem fraude sua diabolus semper conatur euertere. Neq; tamen strenuos pietatis milites valet offendere. Sed eos duntaxat vincit, qui Christi gratiæ adhærent imbecilliùs. Quemadmodũ enim cùm regionem aliquam, in qua diu pax viguit, bellum inuadit, viri fortes corpora sua vulneribus, mortiq; obijciũt, vt gloriæ coronam consequantur; ignaui autem, ac timidi cedunt aduersarijs, maluntq; corpora integra conseruare, q̃ gloriam assequi: Sic, cùm draconis satellites aduersus Christi seruos bellum mouent, si quis nondum firmam in Deo fidem habet, fragilitate victus à proposito recedit: qui autem Christi verbis animum armauit, is pietatem constanter tuetur, ac seruat, necullo modo ab improbo inimico conuincitur. Verùm Theodulus in primis animũ perturbationibus superiorem prætetulit; qui cùm fiduciæ erga Deum haberet socium Agathopodem virum generosum, ingentem impietatis tempestatem, idololatriæq; bellum, quod, Maximiano Cæsare imperante, per totum orbem terrarum ardebat, immutabili mente discussit. Nam cùm equites passim percurrentes, populos Imperio subiectos cogerent rerum omnium Procreatorem abnegare; & Tyrannus ille omni studio, atq; vi ad pietatem euertendam incumberet; alius alio fugiebat; cùm omnibus immolare recusantibus impiè mors esset proposita. Et qui vitam magnifaciebant, statim exiguæ voluptatis gratia mortem sibi, ac supplicium æternum comparabant. Qui autem parùm erant in fide salubri confirmati, cruciatibus victi verum Deum negabant. Et interea quidem diabolus eius scenæ auctor, cùm imbecillioribus esset superior, gaudebat. Theodulus verò, & Agathopus omne tempus in domo Dei consumebant, 1 ieiunijs, & precationibus vacantes, orantesq; Deum, vt impietas ipsa prosterneretur.

1 Ieiunijs, & precationib' vacãtes, orãtesq; Deum.

Milites igitur, atque Præfectus hominum constantiam admirati, quòd, cùm cæteri latitarent, ipsi soli palàm Dei verbum prædicarent, eos post vincula aspectu multò gratiosiores in certamen adduxerunt. Theoduli enim genæ primo pubertatis flore vigebant, cùm esset adhuc incorrupta corporis modestia adolescentulus. Huic parentes erant Thessalonicenses, viri illustres, fratres autem Capito, Metrodorus, & Philostorgus; qui etsi adhuc essent ætate iuuenes, perfectam tamen erga Deum pietatem colebant, & natura, atq; mori-

bus, martyris propositum amplectebantur. Antequam autem pateretur, futuri certaminis à præstantiore pignus accepit. Cùm enim impium decretum nondum esset promulgatum, intempesta nocte quiescens, manu illud apprehendit, ex quo excitatus est. Quid autem illud erat? Annulus quidam ex materia noua conflatus, cuius in pala ea erant signa, ex quibus facilè constaret, munus ipsum à Deo quatuor elementorum moderatore venisse. Si enim cum homines grauissimis, ac desperatis morbis laborantes solùm attigissent, illico liberabantur. Ac Theodulus quidem erat eiusmodi. Agathopus autem illi consentiens vir erat senex, tum capitis canis honoratus, tum animi proposito, quod vitæ rectè transactæ congruens obtinebat. Ambo puri pietatis ministri. Omnes enim corporis voluptates reijcientes, ad vnum Deum, Deiq; Verbum Iesum Christum assiduè respiciebant. Alter enim 2 Diaconus erat eorum, quæ ad credentium salutem peragebantur. Alter autem, cùm esset Lector, Apostolorum, Prophetarumq; lectionibus audientium fidem confirmabat. Is sæpe dæmones importunos, qui naturam hominum tum sermone, tum corpore peruertere conabantur, simplici verbo, & signo Dei omnipotentis sic adiurabat, vt à Dei figmento recedere cogerentur, & potentiam illius, qui per Theodulum operabatur, confiteri.

2 Vides in ordine Ecclesiastico diuersos esse gradus? Nã vn' horum Diaconus, alter verò Lector erat.

Hos in iudicium adductos Faustinus, qui tũc Thessalonicæ Præfectus erat, in sublimi sella sedens, vt vidit, vnam illam vtrunq; vocem emittere: *Christiani sumus: manibusq;* coniunctis vno ore, atq; vna mente idem dicere, atq; sentire, confestim veritus est, ne egregio animi proposito mortem contemnerent. Itaque iussit, vt omnes secederent; seq; amicum simulans, blanda oratione Theodulum in sententiam suam adducere aggressus est; Mihi, inquiens, obtempera, adolescens, ne inani fraude deceptus vitam amittas. At ille subridens; Ego, inquit, iampridem dolos effugi; vereor autem, ne tu, dum fraudem, dolosq; sequeris, te primum in mortem conijcias sempiternam. Præfectus autem his verbis nihil commotus, eum tum muneribus, tum honoribus ad sacrificandum adducere conabatur. Sed Hospes quidam, qui Iouis sacerdotio fungebatur; Si, inquit, honoribus adduci non potes, vt deis immoles, cruciatibus cogeris Imperatoris decretis obtemperare. Atqui, respondit Theodulus, nullus cruciatuum vestrorum terror tantùm apud me valebit, vt minis vestris inferior esse deprehendar. Sed cùm rursum Faustinus hortaretur, vt pareret, cogitaretq;, quantum inter splendidam vitam, & mortem acerbam interesset; Id, inquit, ipse quoq; considerans, exiguum huiusce vitæ curriculum decreui contemnere, vt perpetuam in cœlo vitam assequar. Quamobrem vel igni corpus meum trade, vt intelligas, quamuis illud corrumpatur, animam tamen integram permanere; & quantò magis à rebus ex materia constantibus recedit, tantò esse validiorem. Ecquis, inquit, Præfectus, tibi persuadere potuit, vt hodie velles cruciatus, mortemq; despicere? Deus, inquit Theodulus, qui cuncta prouidẽtiæ lege moderatur, & filius eius Iesus Christus, Verbum patris; cuius ego militiæ cum à teneris vnguiculis ascriptus sim, eam nunq̃ deseram; sed vitam potiùs, q̃ signum eius derelinquam.

Faustinus autem cùm vellet eius dicta confutare; Præclarè, inquit, tecum agitur, adolescens, qui & signa, & claustra feras Dei tui. Sanè, inquit Theodulus, is enim pietatis minister sum, vt nec igne vnquam, nec ferro claustra rationis, aut fidei meæ signũm sis perfracturus, effecturusue, quominùs Christũ Deum prædicem. Faustinus adolescentis prudentiam admiratus, ministris, vt propiùs adducerent Agathopodem, imperauit; & summissè sic eum est allocutus: Immola, quandoquidem & Theodulus, qui antea decipiebatur, nunc se immolaturum pollicetur. Cognito Agathopus dolo; Et ego igitur, inquit,

prompto animo sacrificium faciam Deo, eiusq; filio Iesu Christo; siquidem his floridum Theodulus sacrificium se facturum promisit. Non his, inquit Faustinus, sed duodecim dijs, à quibus orbis regitur vniuersus, se pollicitus est sacrificaturum. Deos, inquit Agathopus, caput paulisper mouens, eos appellas, quos artis solertia ex materia corruptibili in hominum formas conflauit? Quos homines, cùm paulò ante manibus suis confinxerint, tanq̃ præstantiores venerantur? Qui cùm tollere manum velint, non possunt? Qui nec oculis vident, nec pedibus ambulant, nec vllo sensuum munere funguntur? Quos cùm animatos olim Græci laudarint, fœminarum, & puerorum amoribus contaminatos ostenderunt? Quos, qui tales nunc artes profitentur, argento, & quaternis obolis vendunt? Omisso igitur Deo vero omnipotente, dijs indignis sacrificiũ faciam, vt illud fictis oculis aspiciant? Laudes decantabo, quas auribus ex auro, argento'ue confectis exaudientes, earum me rerum, quarum expertes sunt, dominum faciant? Hæc illo differente, Præfectus veritus ne oratione sua cæteros, qui iudicandi erant, in Dei fide confirmaret, celeriter ipsum cum Theodulo in carcerem duci iussit.

Eos autem ad meliora tendentes turba sequens varijs modis oppugnabat. Alij enim Theodulum adolescentem commiserati, eum à constanti animi proposito dimouere studebant. Alij Agathopodis tempora canis exalbentia conspicati, vno omnes consensu clamabant: Tu'ne quoq; Agathope, es adolescens, vt quod bonum, æquumq; sit, dispicere nequeas? At ipsi in animi pio proposito constantes, quæ dicebantur, negligebant; & in carcerem ingressi tacitè precabantur. Nocte autem media cùm eos Deus secundum quietem opportunis visis confirmasset, læti surrexerunt, & magna voce Christum omnium salvatorem collaudabant. Deinde cùm pura lachrymarum aqua manus lauissent, 3 genibus flexis, Deó vna prope lingua supplicabant dicentes: Deus rerum omnium opifex, & moderator, qui naturam constituisti, & chaos abolesti, qui cœli polos fabricatus es, & Soli splendorem donasti, vt cuncta per diem illustraret; & Lunam fecisti, vt noctis tenebras discuteret, vtrumq; autem cum cæteris sideribus mundi rebus omnibus augmentum præberet; qui terræ plantas, & animalia, mari pisces, aëri volucres largitus es; vt mare quidem proprijs muneribus homini à te pereato deseruiret; aër congruentibus auium cantibus laudes tuas personaret; terra verò è sinu suo nobis varios fructus æderet, vt tibi soli rerum omnium Domino, quàm maximas possemus, gratias ageremus; tu genus nostrum, quod impietate obstrictum, nihil eorum, quæ sibi præcepta fuerant, volebat obseruare, sed ebrietatibus, & crapulæ, atque nequitiæ, relicta iustitia, incumbebat, in æternam ire perniciem non permisisti. Neq; aduersario nostro dæmoni concessisti, vt tantùm in nos debaccharetur, vt rationem nostram ad tartarum vsque deprimeret; sed crimina nostra obliuione delens voluntaria, è cœlestibus sedibus Filium tuum vnigenitum ad homines demisisti, qui naturam assumens humanam, essentiæ mortali dignitatem adiungeret immortalem, vt homines in peccatis oberrantes Verbo tuo, per quod procreati sunt, ad pietatem reuocares. Tu enim cum Filio tuo, & ipse Filius tecum, & cum sancto Spiritu, rebus maximè omnium admirandis homines impios ad pietatem adduxisti. Sic enim Lazarus, qui vitæ munere defunctus quartum iam diem in sepulchro iacebat propter te naturæ lege, & mortis potestate superatis, voce tua ex inferis ad vitam redijt. Sic homo quidam, cùm videndi careret facultate, solo luto oculis eius per manum tuam imposito, videndi vsum obtinuit. Sic olim & mulier, quæ sanguinis fluxu laborabat, fimbriæ tuæ vestis contactu spe celeriùs sanitatem recuperauit. Sic placuit tibi, Deus, vt verbo tuo solo is, qui in grabato gestabatur, statim grabatum humeris ipse suis gestaret. Ita

3 Genibus flexis Sancti orant.

ret. Ita nunc etiam placeat tibi, vt nos impiorum cruciatus superantes, ad cœlestia regna perueniamus.

Hæc sanctis Theodulo, & Agathopode precantibus, qui eodem in loco, aut homicidij, aut adulterij rei detinebantur, confestim, deposita mortis formidine, ad beatorum pedes prostrati, supplices criminum suorum veniam poscebant. Turbæ verò, quæ foris erant, carceris claustris confractis, insilierunt, magna rerum, quæ dicebantur, affectæ admiratione. At Vrbanus quidã, qui tunc Thessalonicæ quæstor erat, impiusq; diaboli contubernalis, cursu ad Præfectum contendit, magna voce clamans, atq; denuncians, multos recusaturos immolare, nisi serui Dei celeriter è medio tollerentur. Quamobrem Faustinus vehementer perturbatus, atque commotus propter illos, qui in carcerem irruerant, iussit, vt adolescens simul cum sene adduceretur. Mirabantur autem omnes, quomodo vterq; rebus futuris gauderet. Non aliter enim lætabantur, quàm si non ad supplicium, & mortem, sed ad triumphum, & celebritatem aliquam iucundam ducerentur. Itaq; vultus hilares habebant, & Dei Verbum prædicabant.

Cùm igitur ad tribunal constitissent, Faustinus ad Theodulum; Quo, inquit, nomine appellaris? Respondit ille: Theodulus vocor. Nonne, inquit, didicisti, æquum esse, vt omnibus, quæ dominus omnium Maximianus imperat, obtemperetur? Respondit Theodulus, & ait: Quæ cœli, terræq; Dominus imperat, ea planè obseruanda esse didici. Quæ autem præcipit Maximianus, si æqua sunt, obseruanda esse censeo; sin iniqua, nequaquàm. Ecquis, inquit Faustinus, cœlum fabricatus est? Deus, respondit Theodulus, omnipotens, Deiq; filius Iesus Christus, qui Verbum est Patris. Ille'ne, inquit Faustinus, quem grauissimis cruciatibus affectum Iudæi crucifixerũt? Ille ipse, respondit Theodulus, quem crucifixerunt Iudæi (Id enim propter nos pati voluit) & quem ijdem paulo post à mortuis in vitam reuocatum, & columbæ instar in cœlum ascendentem aspexerunt. Hæc enim fecit, vt mortem expugnaret, & superborum rationem redargueret. Cur non potiùs, Faustinus inquit, deis nostris immolandum censes? Quoniam, respondit Theodulus, is potiùs colendus est, à quo simulachra confecta sunt, quàm ea ipsa, quæ delectationis, & fraudis effecta sunt gratia. Quod enim facit, eo, quod fit, præstantius est. Cùm igitur Faustinus adolescentem vestimentis spoliari iussisset, ministri eum acerbè discruciabant, clamante præcone: Sacrifica, & dimitteris. Theodulus autem; Vestimenta quidem, inquit, à corpore diuellere poteris, mentis autem fidem à Deo non auertes in æternum. Cumq; liberiùs loqueretur, & proposita tormenta negligeret, Maximianumq; sæpiùs tyrannum appellaret, iussit Faustinus, quosdam alios tormentis, quæ ferre non poterant, coactos coram illis sacrificare. At Theodulus; Isthæc, inquit, tormenta parua sunt, atq; ridicula. Maiora tibi aduersum nos excogitanda sunt, vt perfectam in Deo coniunctionem nostram perspicias, quæ pro religione cruciatus omnes perferre potest. Necesse est, inquit Faustinus, vt hodie eas, quas Christiani scripturas appellant, in medium proferas. Si resipiscis, inquit Theodulus, & idololatriam fraudem existimas, & idcircò Apostolorum, & Prophetarum verba requiris, vt mentem tuam in vera pietate confirmes, libenter id faciam; sin minus, ne putes me Dei gratiæ proditorem futurum. Atqui, Faustinus inquit, corpori non parcam tuo; sed illud feris dilaniandum obijciam, nisi mandatis meis celerrimè volueris obedire. In corpus meum, respondit Theodulus, tibi sæuire licet, vt libet. Quæ autem mihi iniusta videntur esse, ea vt faciam, ne grauioribus quidem propositis cruciatibus, adduci vnquam potero.

Cùm igitur in his disputationibus multum esset temporis consumptum, nec Theodulus vellet scripturas prodere, alij aliunde accedebant, qui adolescentis

animum tum muneribus allicere, tum minis terrere conabantur. At ille, tanquam murus vndique ferro, lapidibusque munitus, & munera, & minas aduersariorum repellebat. Tunc Faustinus ministris tacito nutu, quid fieri vellet, indicauit; qui Theodulum vt capite damnatum eò duxerunt, vbi sontes, damnatique puniri solent. Cùmque carnifex gladium eduxisset, Theodulus, porrecta ceruice, hisce verbis ad Deum clamauit: Gloria tibi, Pater illius, qui pro nobis mortem subire voluit. Ecce ego quoque moriar, quia te liberè confessus sum. Cùm igitur Faustinus accepisset, Theodulum ceruicem vltro porrexisse, vt ea cæde coronaretur, eum ad se reduci iussit. Atque interim Agathopodem interrogabat; Tu, inquiens, quomodo vocaris? Respondit ille: Agathopus. Cuius es conditionis? Eiusdem, cuius & Theodulus. Quænam, inquit Faustinus præfectus, tibi cum illo est necessitudo? Num genere tibi, & natura coniunctus est? Respondit Agathopus. Genus quidem nobis diuersum est, sed iidem mores. Et quantùm genere distamus, tantù in fide coniuncti sumus. Ergo, Præfectus inquit, ad idem ambo supplicium, vt verba tua indicant, properatis. Si eodem pacto, inquit Agathopus, ab istis ærumnis discesserimus, simul etiam à Deo remunerationem capiemus. Nonne, inquit Faustinus, turpe est, te perinde, atque adolescentem, decipi, & in apertum periculum ruere? Minimè, inquit vir sanctus, sed quantò sum ætate prouectior, tantò æquius est, vt eò contendam, quò Theodulus in primo ætatis flore fortitudine sua peruenit. Faustinus autem; Caue, inquit, Theodule, ne tu adolescens istiusmodi verbis decipiaris, vt temere in gladium ruas. Iste enim cùm iam canus sit, nihil noui facit, si ad finem festinat. Tua verò diuersa conditio est. Ad hæc promptissimè Theodulus; Haud ita me, inquit, ignauum, aut imbecillum existimo, vt pro pietate senem esse, quàm me fortiorem censeam. Sic eos dicentes, & Christum inuocantes corripuerunt ministri, vinctosque rursum in carcerem duxerunt. Ipsi autem collaudabant Deum, cuius auxilio diabolum superasse videbantur.

Porrò circunsteterunt nobiles quidam lachrymantes. Ad quos Theodulus: Quid sibi, inquit, vult iste concursus, & lachrymæ? Vestram, inquiunt illi, calamitatem miseramur. Ipse verò vultu admodũ tranquillo subridens; Nihil est, inquit, cur, miserijs vestris omissis, nos rerum meliorum appetentes commiseratione prosequamini. Hæc Theodulo dicente, miles accessit, & vtrunque ferro vinxit, atque interiùs duxit, quò turbam irruentem excluderet. At illi cùm nox aduenisset, Deum collaudantes obsecrabant, vt se in religione constantes conseruaret; atque ita tranquillè quieuerunt. Verùm piorum fautor, adiutorque Iesus Christus ipsis idem sentientibus idem etiam visum futurorum indicium immisit. Videbantur enim sibi eodem tempore oram soluisse, cùm magna pelagus tempestas occuparet; itaque fractis remis, & malo, & quicquid nauim seruare posset, cùm cæteri fluctibus obruti perijssent, se piscium in morem ad littus adnatasse; & gubernatoris solertia seruatos, ac splendidis vestimentis indutos amœnum in montem, cuius cacumen cœlum attingeret, conscendisse. Hoc vterque visum nocte cùm aspexisset, somno soluti æquè enarrabãt, ac si alter ignoraret. Sed cùm parem vtrique gratiam fuisse subministratam cognoscerent, bonã in futurum spem suscipientes, laudes diuinas pro tanto munere decantabant, atque dicebant: Quis vnquam, benignissime Deus, tantum audeat optare, quantum ex filij tui clementia quiescentes percepimus? Quis est adeò feris moribus præditus, vt tanta commotus beneficentia non omnibus voluptatibus pietatem anteponat? Quis ad benemerendum tam promptus est, vt filius tuus Iesus Christus, qui per visum nobis gratiam, & coronam ante certamen ostendens, nos in stadio pietatis fortiores reddidit, & constantiores? Hæc illi dum precarentur, custodes ingressi sunt dicentes, Theodulum, & Agathopodem à Præfecto re-

quiri. At illi 4 cùm Christi signum in frontibus suis fecissent, ministros vincti sequebantur?

Magnus autem inter amicos, & necessarios luctus exortus est. Cogitabant enim eos ad cædem rapi. Verùm Theodulus ad eos hilari vultu; Si pro amicitia, inquit, lachrymatis, lætari potiùs debetis, quòd tam honestis in rebus probemur; sin inuidia commoti successibus nostris doletis, commune pietatis stadium patet, & fidei promulgatio pariter omnes vocat; paucis tamen coronã præbet, illis nimirum, qui nec diuitiarum, nec voluptatis studio tenentur. Dum adhuc loquerẽtur, Faustinus præfectus in sublimi tribunali sedens, eos tertiùm interrogauit; & cùm nihil aliud responderent, nisi: Christiani sumus, & pro Christi nomine omnia pati volumus: ipse vultu tristi sententiam tulit, vt Theodulus, & Agathopus immolare recusantes in mare proijcerentur. Ministri igitur beatorum manus post terga reuincientes, ceruicibus eorum lapides suspenderunt, quorum pondere in profundum deprimerentur. Nauigia igitur vndiq; propinquorum, & amicorum plena concurrebant, qui partim pro naturæ necessitudine lachrymabantur, partim eos beatos prædicabant, quòd draconem in certamine superassent. Sed cùm ad locum morti destinatum scapha appropinquaret, quidam Faustinum deprecabantur, vt sententiam mitigaret. Qui tandẽ precibus eorum adductus virum præclarum Fuluium ad eos misit, qui peteret, *vt thure duntaxat* vellent Deum abnegare. At illi, vt iam in Dei gratia *perfecti, Christum* Iesum tantùm inclamabant. Verùm cùm iam spatij *multũ præterijsset*, & ministri vellent priùs Agathopodẽ in mare deijcere, ille, ore in cœlum sublato, verba hæc voce solitò clariore pronunciauit: Ecce hoc *rursum* lauachro hodie omnem peccati contagionem abluere, & ad Christum Iesum animis puris contendere festinamus.

His dictis, milites in fluctus etiam Theodulum in certamine pietatis victoriæ corona redimitum proiecerunt. Mare autem cum eos suscepisset, fractis lapidum vinculis, multò pulchriora propinquis corpora ipsorum reddidit. Et paulò post 5 Theodulus apparens cum stola, & decoro habitu præcepit, vt facultates suæ viduis, & orphanis ex æquo distribuerentur; vt post suum à nobis discessum videretur, non solùm velle in calamitate constitutos consolari, verùmetiam propinquos ad idem pietatis studium incitare.

Horum igitur Sanctorum memoriam singulis annis conuenientes meritò celebramus. Aequum enim est, vt eos laudibus, & votis annuis decoremus, qui pro veritate se fortiter gesserunt; studeamusq; fidem ipsorum pro viribus imitari. Christi gratia martyrio coronati sunt sancti Theodulus, & Agathopus pridie Nonas Aprilis, ad gloriam Patris, & Filij, & Spiritus sancti, in secula seculorum. Amen.

4 At illi cùm Christi signũ in frontibus suis fecissent

5 Si Sancti verè essẽt emortui, vt garriunt quidam, quemõ post decessum sãctus Martyr cum decoro habitu appareret, & de rebus suis dispõneret?

MARTYRIVM SANCTAE THERMES, ET PHERBVTHAE EIVS SORORIS, EIVSQVE ANCILLAE.

V. APRILIS.

TEMPORE nostræ persecutionis, Regina repente in morbum incidit; quæ cùm Iudæorum Crucis inimicorum esset studiosa, eosque libenter audiret, accesserunt ad eam, atque dixerũt, Symeonis Episcopi, cognomẽto Iombaphæi, sorores, vt fratris necem vlciscerentur, venenum ipsi, quo interiret, miscuisse. Quod cùm ad Regis aures peruenisset, sancta Therme statim cum sorore, & ancilla comprehensa est. Erat autem hæc virgo sacris in rebus exercitata; immo verò omnes erant in Iesu Christi fide optimè institutæ. Habita de illis quæstio fuit in palatio. Maupta enim Magorum princeps cum duobus alijs principibus, Regis mandato Iudex fuerat constitutus. Cùm autem sancta Therme cum duabus reliquis in iudicium esset adducta, perspecta Iudices pulchritudine ipsius (erat enim forma admodùm venusta) improbo singuli amore vehementer exarserũt; nemo tamen alijs rem indicauit. Sic igitur illas sunt allocuti.

Cur orbis terrarum Reginæ, ac dominæ veneficium parastis? Quo quidem crimine dignæ estis mortis supplicio. Hîc sancta Therme respondens; Cur nos, inquit, in crimen vocatis, quod à veritate abest quàm longissimè? Cur nobis calumnias struitis? Si sanguinem nostrum sititis, quid vobis impedimento est, quominùs illum bibatis? Si mortem nostram optatis, ecce manus vestræ quotidie cædibus coinquinantur; & nos propter Deum nostrum malumus mori, quàm ipsum abnegare; est enim vita nostra. Et quemadmodũ scriptum est, vt vnum Deum adoremus, & illi soli seruiamus, sic etiam facimus. Et cùm alibi scriptũ sit: Maleficos non sines viuere: quomodo nos maleficæ, quæ scelus id grauius ꝑpe Dei abnegatione iudicamus? Vtrique profectò crimini mors proposita est. Audiebant Iudices virginem cum voluptate; & pulchritudinis, atque sapientiæ ipsius admiratione loqui non poterant. Sed quisque secum ipse sic cogitabat: Regem hortabor, vt illas liberet, & hanc mihi vxorem ducam. Mauptas autem; Vix tandem rectè, inquit, dixisti vobis non licere esse maleficis: Verùm fraternæ mortis vlciscendæ causa id perpetrastis. Ad hæc virgo sancta respondit: Quid mali fratri nostro accidit, vt nos propter ipsum à Deo viuente vitam nostram seiungere debeamus? Quamuis enim vos illum improbitate vestra, & æmulatione

tione

tione interfeceritis, tamen viuit, & gaudet in regno cœlesti; quod quidem Regnum, potentiam, & imperium vestrum euertet. Quæ illa cùm diceret, iusserunt eas in carcerem duci, & custodiri.

Diluculò autem misit ad eam Mauptas nuncium, qui diceret: Si vis, orabo Regem, vt liberet vos à morte, & eris mihi vxor. Quibus verbis auditis, strenua virgo, & si non potuit non commoueri, tamen ita 1 respondit: Os tuum obstrue, canis immunde, inimice Dei, & omnis veritatis; nec audeas amplius verbum impurum effundere in aures meas. Neque enim ista cogitatio cadit in mentem meam; Absit. Semel enim dicata sum Christo Domino, cui virginitatem meam seruo, & fidem, ac veritatem tueri studeo; solus enim est sine peccato, & liberare me potest ab immundis manibus, & impuris cogitationibus vestris. Mori non timeo, nec vllum cœdis genus reformido. Hæc enim via, quam mihi adornatis, me ducet ad charissimum fratrem meum Symeonem, vt dolorum, & gemituum, quos post necem ipsius pertulit anima mea, solatium, & consolationem accipiam. Miserunt itidem ad eam reliqui duo Principes nuncios; quos illa pariter cum indignatione reiecit. Quamobrem cùm se victos ab illa perspicerent, & cupiditatem suam inanem esse animaduerterent, consilium inierunt, & falsum, atque iniquum ad Regem testimonium detulerunt, eas esse maleficas, asserentes.

1 Cur sãcta virgo hãc respõsione3 dedit, nisi quia crimē est maximum Deo sacratas Virgines nuptiali thalamo copulari?

Quo Rex audito, decreuit, vt nisi Soli immolarent, occiderentur. Quod quidem decretum cùm ad eas perlatum esset, responderunt, se Deum cœli, ac terræ effectorem adorare; nolle autem honorem Deo debitum, Soli ab ipso pro creato tribuere; nec vllis minis posse à charitate saluatoris, & Domini sui Iesu Christi reuocari. Quæ cùm dixissent sanctæ Virgines, vno Magi consensu, magnaq; voce è terra tollendas pronunciarunt, ꝙ Reginæ pharmaca præparassent, quibus interiret. Statim igitur Rex hanc in eas sententiam tulit, vt quo mortis genere Magi vellent, afficerentur. Negabant enim homines impij, atque impuri, fieri posse, vt Regina conualesceret, nisi virginum corpora duas in partes ita dissecarentur, vt Regina per medium illarum incederet. Sed Mauptas rursus, cùm ad supplicium ducerentur, ad Sanctam misit, qui diceret, si vellet sibi obsequi, curaturum, vt nec ipsa, nec reliquæ puellæ interficerentur. At virgo sancta, clara voce; Canis, inquit, immunde, cur hæc loqueris, quæ ego audire non possum? Ad finem enim huius vitæ peruenire cupio, vt perpetuò viuam. Absit, vt caducam hanc mihi vitam parem, qua morte peream sempiterna.

Eduxerunt igitur illas extra ciuitatem, & pro vnaquaq; ipsarum binos palos ita defixerunt, vt vni eorum collum, alteri pedes earum alligarent. Et cùm eas sic extendissent, assumpta serra fabrili singulas in binas partes dissecuerunt. Et terna ligna procera in vna parte viæ, terna in altera constituerunt, illisq; sanctarum Virginum corpora suspenderunt. O spectaculum horrendum, ac miserabile, spectaculum lachrymis, luctu, stupore, & gemitu prosequendum. Si quis lachrymas non habet, accedat, & erumpent ex oculis eius fontes lachrymarum. Ecce corpora candida, & sancta trophæum in via constituunt, in quibus illæ omni vitæ suæ tempore grauitatem, & virginitatem coluerunt. Libertas in ignominiam versa est earum, quæ modestiam, & æquitatem in proprio thalamo exercebant. Ecce gloria mutata est in contumeliam. Quandiu quiescet, & expectabit diuina iustitia? Sed cùm ad iudicandum exurget, non parcet amplius, nec miserebitur. Quàm multa audet superbia; quæ tamen cum ceciderit, non consurget, nec habebit, vbi consistat. Hæc profectò Sanctarum ligna fructus iustitiæ ferunt. Verè isti sunt Arabiæ lupi crudeles, bibentesq; sanguinem, qui virgines has secuerunt, ac suspenderunt. De ipsis

cogitabat beatus Propheta cùm diceret: Viuentes vtique absorbuissent nos. Cùm irasceretur furor eorum in nos, viuentes ad inferos deduxisset nos. Quis tam horribili facinore lætari potuit? Quis tam immane spectaculum sine lachrymis intueri? Nemo profectò. Aut si quis potuit, is ab hominis natura est alienus, nec ex genere Adam profectus est.

Tulerunt igitur infelicem Reginam, quæ in ea via per Sanctarum corpora transiit, magna illam caterua prosequente. Rex enim diem illum celebrabat. Martyrio coronata est sancta Therme, cum sorore, & ancilla, Nonis Aprilis, in Christo Iesu Domino nostro; Cui gloria cum sanctissimo Patre, & benignissimo ipsius Spiritu vitæ largitore, nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

VITA, ET MIRACVLA MAGNI, ET BEATI PATRIS NOSTRI EVTYCHII PATRIARCHAE CONSTANTINOPOLITANI, AB EVSTATHIO HVMILI PRESBYTERO CONSCRIPTA.

VI. APRILIS.

MAGNVM nobis argumentum propositum est; sed tenuis facultas suppetit ad explicandum. Animus, ardet; sed friget lingua, nec viri magni res admirandas, & vitam optimè institutam potest enarrare. Cogitatio ampla; sed angusta dictio. Materiæ multùm ad Dauidis turrim ædificandam; sed architectus insipiens, & imperitus. Verùm Dominus Deus omnipotens insipientibus sapientiam præbet; verbumque suggerit euangelizantibus virtute multa; ac digito suo, idest, Spiritu sancto aperit aures surdorum; & linguam, quæ vix, aut ne vix quidem ad dicendum moueri potest, disertam reddit; qui ex lapidibus etiam potest suscitare filios Abrahæ. Non ignoro, eum, cùm diues sit, duos obolos ita suscipere, vt eos auro, & topazio præferat, quippe qui ne calicem quidem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli datum vnquam aspernetur.

Quid igitur ab hoc munere suscipiendo deterrere nos debet? An quòd ea nobis non adest orationis copia, vt pro dignitate possimus virum diuinum laudare? Minimè verò. Neque enim (vt magnus inquit Basilius) quod totum inter coelum, ac terram interiectum spatium oculis pertransire nequeamus, propterea nolumus intueri, quantùm possumus. Itaque nec ego, quamuis orationis laborem inopia, & argumentum difficile propositum sit, iners, atque ignauum otium amplectar; neque eorum similis ero, qui cùm timidi sint, nec vllum habeant vsum nauigandi, solo maris aspectu deterriti, ne experiendi quidem causa littori propinquas vndas audent attingere. Sed beatissimi viri fretus auxi-

lio, populorum studio conabor pro viribus satisfacere. Scio enim, illos eo fore contentos, non quantum viro huic magno æquinoq́ debetur, sed quantulum apud me pauperem reperietur. Neq; enim illi soli erant Deo grati, qui vitulos ipsi pretiosos, & oues ad sacrificium afferebant; sed similam item, & turturem, & columbam, parua quidem, & vilia, sed puta tamen munera offerentes laudabantur. Ex eo enim, quod quisq; habet, non ex eo, quod non habet, censetur. Eo igitur, qui dixit: Qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur, confisus, licet imperitiam meam non ignorem, tamen quæ à magno hoc viro præclarè gesta sunt, explicabo; vel potiùs occasionem peritioribus dabo laudandi eum, qui omni superior est laude, quiq; sibi ipsi magna [illegible] Siquidem, (vt sapiens ait) argentum ignitum est lingua iusti, & labia iustorum stillant gratias. Ingens enim ex veris eius sermonibus splendor fulget. Nec Sol aliena, sed propria luce illustratur. Magnum orbis lumen doctor Eutychius aliorum non eget laudibus, vt perfectus obscuratur. Nec illi gloriæ coronam aliunde sumptam imponimus; sed quemadmodum inquit Propheta Dauid: Omnis gloria filiæ Regis ab intus circundata varietate; sic & diuinum illud, sacrumq; caput omnibus virtutum generibus est exornatum, & tanquam sublimis quædam fax perpetuò splendet omnibus in hoc vitæ pelago nauigantibus, vt ad eam respicientes in portum tutissimum, & quietissimum, cursum dirigant.

Hic igitur magnus vir, Deiq; seruus, Pontifex sanctus, non ab hominibus, nec per homines, sed per Iesum Christum constitutus, alter quidam Iob in patientia iustus, ab omni reprehensione alienus, pius, verus rectè demonstratus est. Verùm, quoniam de Iob facta est mentio, non alienum erit, vt ex eiusdem historia memorandi huius Pontificis præconia recenseamus, tum propter multa, quæ illi aduersa contigerunt, tum propter fortitudinem, qua illa pertulit. Ac primùm quidem Iob vir fuit in regione Vsitide diues gregibus, & armentis, atque pecunia. Huius autem diuitiæ, & copiæ in eo sitæ erant, quòd nihil possideret, nihil haberet. Ille pro septem filijs ex vitulis, & hircis Deo sacrificium offerebat; hic non pro septem, sed pro decies mille, immò verò pro innumerabilibus populis sacrificium sine sanguine, & sine diuisione diuisum semper faciebat. Cæterùm quia & regionis, & loci, & generis dignitatem Iob historia commemorat, huius nos item admirandi viri regionem, & locum, & parentes consideremus. Videbimus enim eum ex Christianis, & Orthodoxis parentibus, & illis genitum, & educatum fuisse. Radicem inuestigemus, cuius est ramus, & ex fructu arborem agnoscamus. Nam ex arbore iustitiæ, vitæ fructus oritur. Qua igitur è regione, & loco, & qua ex radice magnus hic fructus ortus sit; si tamen fructus est dicendus, ac non potiùs vitis florida, & abundans perennis vitæ ramis, & charitatis erga suos pampinis circunuoluta, & loco filiorum exuberans morum pulchritudine, suauesq;, & maturos virtutis racemos abundè ferens, ex quibus vinum lætitia cor afficiens emanauit; quandoquidem est terra, quæ semen suscipiens fructum profert vel trigesimum, vel sexagesimum, vel centesimum; quem quidem fructum ædidit fruendum ijs, qui habitu sunt perfectiores, quiq; sensus ad discernendum bonum à malo habent exercitatos; si qui sunt, qui id nesciant, intelligere necessarium est.

Magnus igitur hic vir è regione Phrygum oriundus est, & in oppido, quod diuinus Pagus dicitur, natus. Fausto sanè, ac præclaro nomine appellatum est hoc oppidum. Quid enim præclarius, quàm vel à Deo fuisse habitatum, vel diuinum hunc hominem ædidisse; vt propheticè quodammodò propter illum sortitum sit hoc nomen? Hic enim vir admirabilis tam gratus in patriam extitit, vt eam muro inexpugnabili circundederit.

Templum

Templum enim in ea ✠ sanctorum Quadraginta martyrum exædificandum curauit, vt locus ipse multis de causis diuinus vocari debeat, cùm refugium, & salus sit multarum animarum, eorumq́; in primis, qui Angelicam, & solitariam vitam complectuntur. Cùm igitur multa in ea regione zizania, id est, homines nouarum rerum studiosi, atq; hæretici exorti essent, magni huius viri parentes illis obstiterunt. Erant enim veluti clara quædam lumina, & vitæ verba tenebant, venenatasq́; feras conculcabant; quippe qui virtutem acceperant calcandi super serpentes, & scorpiones, & omnem potestatẽ inimici. Quis eius patriæ ciuis auum huius præstantis viri, eodemq́; nomine dictum Eutychium ignorat, qui inter sacerdotes excelluit, & gratiã habuit à Deo dæmonas eijciẽdi, morbosq́; curandi? Ante quem à spiritibus immundis vexati, cùm in eius vultu præfulgentem gratiam ferre non possent, statim concidebant. Quod malũ accidere illis consueuit, qui arcano Dei consilio spiritibus immũdis traditi sunt ad carnis interitum, vt spiritus saluus fiat in horrendo Iudicij die. Verùm clemens, & misericors Deus, qui non patitur, eos, qui in tentatione versantur, supra vires tentari, cùm tentationis prouentu remedium laborantibus per viri sancti manuum impositionem afferebat.

✠ Quòd vir sãctus tẽplum sãctorũ Quadragĩta martyrum in sua ciuitate ædificandum curauerit, indicio est opus hmõi Deo gratum esse.

Ex hac sacra radice filia nomine Synesia pullulauit, quæ nomini suo facilè respondit; fuit enim verè prudentiæ mater. Cùm igitur rectè educata esset, & adoleuisset, opportuno tempore à Domino, viro moribus, sensuq́; simili matrimonio coniuncta, vt paulò post ostendemus, concepit, ac genuit filium primogenitum Eutychium magnum Patriarcham. Anteq̃ enim fingeret seruum suum Deus in vtero, nouit eum; & anteq̃ exiret è vulua sanctificauit, & hoc illi nomen imposuit. Quos enim præsciuit Deus, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & sanctificauit. Beata, quæ illum gestauit, quoniam talis patris mater extitit, Anna non minor, quia & Samuele maior hic. Illa enim promisit, se Domino consecraturam filium, quem peperisset. Nam Deo supplicans; Si dederis, inquit, semẽ viri, cõsecrabo ipsum in conspectu tuo omnibus diebus vitæ eius. At hæc maius quiddam fecit. Cùm enim nihil esset pollicita, Deo fructum suum obtulit. Illa, quem precibus impetrarat, in lucem ædidit vnius gentis sacerdotem, & Prophetam Samuelem. Hæc illius, quem laudamus, mater, sponte datum totius Orientis Pontificẽ, & patrem patrum sanctè peperit; & visione, quam viderat, dignum educauit. Cùm enim illum adhuc in vtero gereret, lux eam circumfulsit, & lectulum, in quo iacebat, adeò vt eo spectaculo non mediocriter territa secum ipsa sæpè cogitaret, quidnam sibi vellet res tam admirabilis. Portendebat autem, vt ego arbitror, lucidam ex ea stellam, immò verò iustum virum sole septies lucidiorem oriturum, qui multos in tenebris, & inertia sedentes, vt exitus docuit, illustraret.

Sed quid de marito eius, & patre magni huius patrum patris dicemus? Præclara'ne ipsius facta præteribimus, an de ipso quoq; pauca quædam breuiter attingemus? Quis vt Alexander (nam illi id erat nomen) æquè generosus? Quis Imperatori, & Principibus æquè charus? (Nam quantopere æterno Imperatori Deo gratus fuerit, filij ab eo geniti honores declarant) Inuicta erat in bellis dextera Belisarij, qui summus tũc erat dux. Hunc ille plurimi faciebat, & magno in honore habebat, vt inter strenuos, fortesq́; viros maximè præstantem. Cùm igitur & apud Imperatorem, & apud Principes magnam gloriam obtineret hic etiam Christi miles, nulla tamen re magis erat colendus, q̃ q; talis filij pater extitisset. His ergo maioribus, & parentibus, viris Christianis, & orthodoxis, & admirandis genus duxit magnus hic, atq; admirabilis vir Eutychius; & apud ipsos enutritus, & educatus primam ætatulam transegit. Neq; verò ipse educationis locus prætermittendus videtur. Est enim magna, & felix Au-

gustorum ciuitas. Reperimus autem, & diuum Paulum Apostolum ortus, educationisq; suæ mentionem facere, cùm ortum se esse dicit in Tarso Ciliciæ oppido, & ad pedes Gamalielis educatum, atq; institutum.

Quæ igitur magnum Eutychium ciuitas enutrierit, videamus. Augustopolis dicta est. In qua sanctum etiam, ac salutiferum baptisma suscepit, qui multos filios ipse regenerauit, & superiori mundo peperit. Illud item admirandum est, q eum auus edocuit. Narrabat enim vir optimus, cùm ab auo ad sacrum lauachrum ductus esset, ab illo didicisse, vt cùm baptizatus genua esset flexurus, ita precaretur: Bonam mihi mentem, Domine, elargire, & fac vt literas discam, & aduersarios meos superem. Quæ quidem institutio à Spiritu sancto profecta est, quo ipse repletus fuit, posteaq̃ sanctum catholicæ, atq; apostolicæ, Ecclesiæ baptisma suscepit. Enutritus igitur apud magnũ auum in sanctissima eius Ecclesia iuxta Augustopolim, in qua ille erat presbyter, & rerum sacrarum custos, in prima sua ætatula literas didicit, mores composuit, incessum'q; & habitum, atque hilarem vultus modestiam, & omnia deniq;, quæ ad perfectionem pertinent, percepit. Nec absurdum fore puto, quando ipse quoq; puer fuit, si ludicra quædam eius ætatis exposuero.

Domum, in qua cum auo suo commoratus est, in hodiernum vsq; diem Clona, id est, ramum appellant. Sic autem appellata est, quoniam in ea duodecim erant aui eius fratres, tanq̃ eiusdem arboris rami, quamobrem & Clonades dicebantur; magnarum enim arborum rami quoq; ipsi sunt magni. Hîc cùm multi pueri quadam die essent congregati, is institutus est ludus, vt principum, & sacerdotum nomina sibi quisq; mutuò daret, & sumeret. Quidam etiam manu propria nomen suum cum aliqua dignitate in pariete describebat. Quare magnus hic vir diuinitus motus, cùm suum nomen scripsisset, adiecit Patriarchæ dignitatem. Sic enim adhuc in eo pariete manu eius ludicris literis inscriptum legitur: Eutychius Patriarcha. Quis id non admiretur? Lusit quidem & Isaac cum Ismaële, sed Patriarchatus dignitatem tacuit, quãuis Patriarchæ filius esset vnigenitus, & ex ipso tribuum esset profectura multitudo, & multarum gentium patrem fore Deus Abraham promisisset. Constat & magnum Alexandriæ ciuitatis Episcopũ Athanasium ludum eiusmodi cum æqualibus suis constituisse, vt memoriæ proditum est ab ijs, qui vitam ipsius conscripserunt. Verùm ne Athanasius quidem de se tale quiddam scripsit, aut dixit. Sed magnus Eutychius solus ab incunabulis, veluti alter Samuel, futura prospiciens, diuino spiritu impulsus Patriarchalem dignitatem, & gratiam sibi à patre luminũ datum iri pronunciauit. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, vt ait diuus Iacobus.

Cùm igitur duodecim iam esset annorum, & eum tempus aliò extra aui domum vocaret, vt implerentur in eo, quæ à Domino fuerant præfinita, non audiuit, quemadmodum Abraham: Exi de terra tua, & de cognatione tua (Neq; enim Deo parentes, & propinqui eius aduersabantur) Sed, quemadmodum Iacob ab Isaac, & Rebecca, ad vrbium Reginam missus est à parentibus, & auo, quem diximus, eo quidem consilio, vt in disciplinis grauioribus erudiretur. Sed maius tamen opus, vt ostendetur, eum vocabat. Nam vt Iacob in Mesopotamiam profectus, filias Laban Liam, & Rachelem accepit vxores; qui sanè Laban mundi figuram gerit, & eius filiæ Ecclesiam ex Iudæis, gentibusq; conflatam significant: Sic & nouum Iacob, magnumq; Patriarcham Eutychium Deus, Ecclesia ex vtroq; populo cõiuncta, paulò post nouæ Romæ Pontificem constituit. Verùm cùm disciplinas, quarum singulas & vulgus, & sapientes admirantur, omnes ipse percurrisset, & in vnam quodãmodo coëgisset, æqualesq; suos superasset, ad eam, quæ vera, & sola sapientia est, se totum

contulit, nihil mali ex vetere illa, & spinosa, atq; inquinata doctrina trahens; sed, iuxta prouerbium, omissis spinis, ex insipientibus Philosophis, si quid in eis boni, & religioni consentaneum erat, tanq̃ rosas decerpens. Didicerat enim, sibiq; planè persuaserat, sapientiam huius mundi, vt diuus Apostolus ait, non sursum descendere; sed esse terrenam, animalem, ac dæmoniacam, nec vllum spiritus fructum ipsam complectentibus afferre; cœlestem verò sapientiam, primùm quidem esse castam, deinde pacificam, modestam, suasibilem, plenam misericordia, & fructibus bonis, quibus illi, qui eam colunt, perfruantur. Hanc summo complexus studio magnus hic Dei vir, bonum consilium cœpit, quod non auferretur ab eo, sed quo ipse seruaretur. Sic enim ait sapiens: Bonum consilium custodiet te, & pia cogitatio seruabit te. Quod quidem consilium re ipsa statim executus est per sancti Spiritus perfectionem. Gratiam non distulit, nec dixit: Cras veniam, atque perficiam: sed cùm dixisset, Volo, res ipsa confestim subsecuta est. Quandoquidem Deus est admirabilis consiliarius. Omne enim datum bonum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum. Verùm ecquod illud consilium fuit? Vt terræ terrena relinqueret; & omnem Aegyptiacam voluntatem sub sabulo sepeliret; cursuq; ad montem virtutum, hoc est, ad monachorum Angelicum chorum contenderet. Qua de re mox latiùs loquemur.

Cùm igitur hoc consilium cœpisset, ac super petram, quæ Christus est, rectè ædificatus esset, & firmum, ac stabile maneret hoc fundamentum, occasio quædam illi à Deo oblata est, quæ ꝓpositum eius paulisper impediret. Quemadmodum enim, qui iter faciunt, atq; in ipso itinere inter se colloquuntur, repentino aliquo tonitru territi, per modicum tempus iter simul, atq; sermonem intermittunt; eo autem cessante institutum iter, sermonemq; repetunt: Sic viro huic admirabili contigit. Dum enim vitæ solitariæ rationem iniret, Pontificatus illi dignitas oblata est. Summa enim contentione petijt ab eo ciuitatis Amaseorum Episcopus, & quidam alij, vt Lazichenorum Episcopatum susciperet. Horum ille studijs, precibusq; coactus, cùm eam esse Dei voluntatem existimaret, cessit necessitati, seq; illi muneri, vt agnum innocentem, obtulit. Verùm cùm adhuc in regia ciuitate commoraretur, primùm spiritalem Lectoris gratiam accepit, quam Dominus sanctificauit. Accepto enim libro, legit; & cùm illum plicuisset, ministro reddidit. Neq; illud prætermittendum est, ꝙ primùm capillos non obscuro, nec quouis in loco, sed in sancta æde, & cùm quadam venerationis occasione deposuit. Quis autem locus hic sanctus fuerit, audire operæpretium est. Gloriosæ Dominæ nostræ Dei genitricis, & semper virginis Mariæ templum in Vrbitui regione, in Imperatoris campo situm, omnibus est notum. In hoc ex parua ætate magnus hic vir die, noctuq; diuinis precationibus vacabat, & sancti corporis, pretiosiq; sanguinis Christi Dei nostri communionem sumebat. Hîc ille, tempore iam id requirente, spiritales sacerdotij gratias accipere concupiuit. Verè altera Sion declarata es sancta Christi matris Ecclesia, quoniam in te missus est Spiritus sanctus super diuinum hunc, & Apostolicum virum. Et tu vir Dei desiderio desiderasti gratiam, cuius iam diu amator eras, quamq; in ipso sanctuario accipere expetebas.

Quid igitur actum est? Paratus erat, qui pretiosum illius caput tonderet. Priuatum quærebant locum; & dignus repertus est. Ecquis iste locus? Sanctum baptisterium. Illuc concesserunt. Cumq; non inuenirent, vbi considerent, Dei prouidẽtia factum est, vt in almi lauachri crepidine is sederet; & contra ipsius, atq; tondentis voluntatem, diuino tamen consilio contigit, vt omnes eius capilli in lauachrum deciderent. Admiratione digna sunt, quæ magno viro acciderunt: Sacer enim fons, qui iam ipsum regenerauerat, tanq̃ mater, rursum ca-

pillos eius suscepit; quod quidem mea sententia significabat, innumerabilem hominum multitudinem per ipsum in eo sacro huius Augustæ ciuitatis fonte regenerandam. Sicut enim nemo potest cœli stellas, aut arenam maris, capitis'ue capillos enumerare; ita nemo poterit numero comprehendere regale sacerdotium, gentem'q; sanctam, quam per aquam, & spiritum regeneratam Deo vir sanctus obtulit. Eo igitur capillorum in sacrum fontem lapsu id fuisse præsignificatum existimo; & propterea silentio prætereundum esse non censui. Et ipse cuncta, quæ sibi contingebant, tanq̃ à Deo missa, suscipiebat, & diligenter obseruabat. Id cùm euenisset, decreuit, se nunq̃ abluere, nec aqua communi caput irrigare. Quod quidem re ipsa præstitit, illotus manens vsque ad finem vitæ suæ. Paruit enim illi Dei mandato: Vouete, & reddite Domino Deo vestro: Et, Bonum est viro, cùm tulerit iugum ab adolescentia sua. Et hæc quidem ante primum gradum acta sunt.

Quid postea? Paulò post & alter Stephanus apparuit cùm Diaconi iugum subijsset, factis, & verbis potens, vita, & moribus multos componens, ac docens, quomodo diuinum ministerium perficere oporteat, & in domo Domini versari, quæ est Ecclesia Dei viuentis. Sed cùm paruo tempore in gradu Diaconatus ex diuinorum Canonum præscripto mansisset, vt de pluribus benè mereretur, ad 1 Presbyterorum cathedram prouectus est. Considerate autem, quo'modo, ordine, & ratione illi cuncta cesserint. Nihil præter ætatem, omnia perfecta, omnia diuina gratia plena. Ordinis autem ratio cùm omnibus in rebus, tũ in gradibus pietatis optima est. Cùm triginta esset annorum, Presbyter creatus est, ætate corporis congruente ad perfectionem accedens. Hanc ætatem Christus super omnia Deus videtur honorasse, qui cùm triginta esset annorum, baptizatus est, me, & quæ mea sunt, omnia sumens, vt ego, quæ illius sunt, per personæ coniunctionem acciperem. Cùm igitur in Presbyterorum sede consideret, cum'q; vt inquit Dauid, exaltarent in Ecclesia populorum, & in cathedra Presbyterorum laudarent, gradum illum quoq; exemplo suo decorauit; cùm non simul satus esset, atq; æditus, vt fabulæ Gigantes fingunt, neq; vt repentini quidam, & die vno, tanquam è luto, formati populorum Præsides. Non enim repente ad eum gradum venit. Nam is non erat, qui gradum persequeretur; sed gradus ipse illum secutus est, vt ait scriptura: Misericordia tua, Domine, subsequetur me. Cùm igitur omnia ex diuino præscripto, & lege perfecisset, iam'q; speraretur Lazichenorum futurus Episcopus, ab ea remotus est cura ab ipso Deo, qui meliora semper, ac præstantiora prospicit seruis suis. Neque enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ: inquit Dominus per Prophetam. Homo quippe in faciem respicit, Deus autem intuetur cor.

1 Vide quomodo sãctus pater p̃ gradus Eccl'iasticos ad Presbyteratũ p̃ductus sit. Non ergo oẽs homines ex æquo sũt sacerdotes.

Cùm igitur consilium illud mutatum esset, & Lazichenæ vrbis Episcopatus ad alium deuenisset, pristinum propositum complexus, incorruptas diuitias tractare decreuit, & prudentem patrem familias imitari, qui promens ex thesauris suis omnia noua, & vetera pretiosam emit margaritam, & superlucratus est. Sic & vir admirabilis blandas vitæ voluptates, & sensus pulchrè commutauit; dans'q; temporaria, vt acciperet sempiterna, propter excellentem cognitionis magnitudinem, imitatus est Apostolos, qui, relictis omnibus, secuti sunt Christum. Se totum solitariæ vitæ tradidit, monachi 2 vestem induens, & re, atque habitu, & sermone philosophiam illam amplectens, quam ex vtero matris adamauerat. Imitatus est Eliam Thesbitem, & Ioannem Baptistam, qui exercitationis viam imitari volentibus ostendentes, solitudinem primi coluerunt. Quanquam magnus Eutychius non solitudinem, non Carmelum, sed Amaseorum metropolim elegit, vbi desiderio suo satisfaceret. In hac enim

2 Ecce quomodo monachi vestem propriam habebant.

ciuitate sanctum est monasterium, quod sanctissimi quondam Episcopi Meletius, & Vranius, & Seleucus exædificandum curarunt. Ac Meletius quidem, & Seleucus, cùm sanctissimam Amaseorum Ecclesiam rexissent, in ea sanctè dormierunt, & in hodiernum vsque diem miracula, & curationes operantur. Nam de magno quidem Seleuco miraculum celebratur, quod per illum Deus, cùm adhuc viueret, operatus est.

Cùm enim fames grauissima regionem occupasset, non mediocre periculum erat. Etenim cùm ex horreo, quod adhuc manet, totum esset frumentum exportatum, custos non ferens flagitantium impetum, ad sanctum Seleucum accessit, horreiq; claues reddidit; Non est, inquiens, frumentum in horreo, & efflagitantis populi multitudinem ferre non possum. Acceptas claues vir sanctus in lectulo suo posuit, & per totam noctem, vt solitus erat, precari Deum non destitit, vt admirabilem potentiam suam ostenderet, quò populum suum alere posset, ac sustentare. Postridie igitur manè, cùm ad sanctum Episcopum de more religiosissimi clerici venissent, ipse ad custodem; Accipe, inquit, claues, frater, & subueni pauperum necessitati. At ille rursus iureiurando affirmauit, nihil in horreo esse frumenti. Cùmq; obstinatus in incredulitate perstaret, ad clericos conuersus vir magnus; Benedictus, inquit Dominus; Abite cum illo, & cognoscite, vtrum vera dicat, necne. Cùm autem abijssent, & vellent ostium aperire, vix potuerunt introire præ frumenti multitudine. Manet autem ad hunc vsque diem inscriptum testimonium, Centies mille frumenti modios ex horreo sancti Seleuci precibus exportatos. Hactenus de beato Seleuco. Vranij verò, qui in Iberis sedem obtinuit, & illic defunctus est, tumulus adhuc curationes elargitur; idq; patet ex ægrotantibus, qui in æde, in qua sanctus hic requiescit, ad eius tumulum passim appropinquantes, morbis liberantur, & sani cursitant collaudantes Deum.

In hoc igitur magno monasterio, quod ipse postea tum ædificijs, tum cultu diuino, tum prouentibus amplificauit, monachi magnus Eutychius 3 habitum induit. Cùmq; succinctos haberet lumbos in veritate, & sancti Spiritus armaturam suscepisset, totius monachorum cœtus in ea metropoli gubernandi prouinciam cœpit; ex quo catholicus, seu generalis appellatus est. Qua quidem dignitate nihil elatus est, nec eam in animo suo magni faciebat. Omnem enim caducæ, ac miseræ huius vitæ splendorem, vt inanem, aspernabatur; quippe qui hominis gloriam, vt florem fœni esse non ignoraret. Itaque cùm maximus esset omnium, ac primus, ita se gerebat, vt si vnus è multis extitisset. Sic enim Dominus præcipit: Qui vult inter vos esse primus, sit omnium vltimus, & minister. Dictum enim illud: Dux aliorum es constitutus, ita te gere, vt si vnus esses ex illis: planè meminerat, & obseruabat. Iam cùm omnia non exiguo tempore, nempe decem annorum spatio in eadem mansione degens, eiq; præsidens fecisset, & docuisset, multosq; Deo cohortationibus, & doctrina sua lucratus esset, illud Euangelicum obseruans: Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum: & illud: Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ: meruit illa verba audire: Euge serue bone, & fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. Et sic illustris effectus est, vt cùm, instar ardentis, & absconditæ lampadis, sub modio esset, electus sit, vt super candelabrum positus fideles omnes illustraret; & omnibus, vt ciuitas super montem posita, clarus fieret. Sed quomodo hæc gesta sunt? Dei prouidentia factum est, vt in negocio quodam ad omnes Christianos pertinente, magni huius viri opera requireretur. Negocium autem fuit eiusmodi.

3 In hoc monasterio monachi habitum induit.

Scitis vos omnes, viri studiosi, sanctum Concilium quintum in hac regia ciuitate fuisse celebratum, regnante diuo Iustiniano Imperatore, qui Christianæ religionis studiosissimus fuit, & diligentissimus in congregandis sanctissimis Episcopis, qui tria illa capita dijudicarent, id est, Theodoreti scripta contra duodecim capita sancti Cyrilli; & epistolam Ibæ ad Marim Persam conscriptam; & Theodori Monsuestiæ Episcopi Iudaicas nugas, & maledicta. Quæ quidem diligenter explorata, & iustè improbata, meritoq; damnata fuerunt ab ipso sancto œcumenico Concilio. Cùm igitur omnes Episcopi sanctissimi conuocarentur, Amaseorum item Metropolita accersebatur, vt ad hanc vrbium reginam harum quæstionum gratia se conferret. Verùm cùm infirma corporis valetudine ille impediretur, Deo ita prospiciente, vt latentis huius sancti viri Eutychij thesaurus manifestus fieret, primùm Metropolitanus per alios probos, venerandosq; viros, qui erant persuasuri, vt regnantem hanc ciuitatem acciperet, deinde ipsemet illum hortatur, vt sibi velit obsequi, & pro se ad Concilium prompto animo, vt qui sit dogmatum diuinorum peritissimus, proficisci. Cessit vir sanctus cohortationibus. Erat enim ita promptus ad obtemperandum, vbi salutis lucrum sperabatur, vt tardus ad obsequendum, vbi animæ detrimentum, & damnum erat propositum. Verùm cùm initio rem ægrè ferret, vt Moses olim, cùm in Aegyptum ad liberandos filios Israel mitteretur, vidit & nouus hic Moses, si non rubum ardentem, at clibanum, vt Abraham, conflagrantem. Audiuit & vocem, non quæ diceret: Ne appropinques huc: aut, Solue calceamentum è pedibus tuis: quibus verbis præcipitur, vt terrenæ, carnalesq; cogitationes deponantur; sed verba similia: Abraham, Abraham, per memetipsum iuraui, dicit Dominus, benedicens benedicam tibi; & multiplicans multiplicabo te; & erit semen tuum, sicut astra cœli. Tot enim, talesq; sunt, qui non ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex aqua, & spiritu, & alijs spiritalibus gratijs illi nati sunt filij. Quæ autem visio illa fuerit, quam vidit, & quæ illa vox, quam audiuit, commemorare est operæpretium. Rursum nouus Ioseph, rursum nouus Daniel fit magnus hic vir.

Videbam, inquit, in visione noctis digitum manus Domini in firmamento cœli, & montem sancto Monasterio imminentem (Est enim mons ille valde sublimis, & excelsus, in quo sancti martyris Thalæi ædem constructam videmus) cuius vertex mihi à digito illo ostendebatur; & vox audiebatur dicēs: Illic eris Episcopus. Quis per montem illum aliud, q̃ vrbium reginam, vt exitus docuit, significari existimasset? Est enim verè montium reliquorum, ac ciuitatum vertex, atq; fastigium, de quibus ait Dauid: Rigans montes de superioribus suis. Siue enim virtutes Angelicas, siue montes ipsos, & ciuitates intelligas, vtroq; modo veritas apparet. Cùm igitur visionem hanc vidisset, Deum, qui illam ostenderat, deprecabatur, vt sacrum illud munus, & periculum, quod ex eo immineret, à se transferret; vtq; sibi potiùs concederet, in futura vita bonis illis, quæ iustis promissa sunt, perfrui, atq; audire verba illa: Esto super decem ciuitates. Sed Deus, qui nubes ducit ab extremis terræ, quiq; à gregibus ouium vocauit Dauid, vnxitq; illum Prophetam, & Regem, elegit & mitem hunc virum; & occasione illa, quam dixi, in vrbium amplissimam duxit. Mansit autem apud Patriarcham, qui tunc erat. Menas appellabatur, eratq; vir sanctissimus, & diuinus. Cùmq; angelicam ageret vitam, futuraq; prospiceret, magnum Eutychium hortatus est, ne à se discederet; ostendensq; illum sancto clero, dixit: Hic monachus erit successor meus. Confestim autem illum misit ad Imperatorem, apud quem cùm de rebus propositis disputaretur, apparuit omni diuina, humanaq; disciplina instructissimus. Cùmq; congressus esset cum

hæreticis, qui soliti sunt verbis digladiari, non ad vtilitatem, sed ad simpliciorum euersionem; illi non potuerunt resistere sapientiæ, & spiritui, quo loquebatur. Cùm enim quidam 4 negarent, eos anathemate feriendos, qui post mortem deprehensi essent hæretici, ipse diuinarum scripturarum testimonijs anathemate puniendos esse demonstrauit. Rex enim Iosias, inquit, cùm id prophetia ante significasset, ossa eorum, qui vitulis immolarant, post mortem effodit, atque combussit. Idem ergo in hæreticos seruandum est, vt post mortem anathemate damnentur.

4 Nota hæreticos etiã post mortem excõmunicari posse.

Hunc igitur Imperator, & qui astabant, admirati magnoperè coluerunt, & obseruarunt. Itaque maiore cum libertate deinceps in regia versabatur; & maiores cognitionis eius diuitiæ apud Deum, atque homines declaratæ sunt. Amabat autem eum Imperator, immo verò Imperatorum, ac Regum omnium Dominus; cui cùm ante ortum nostrum nota sint omnia (quos enim præsciuit, & prædestinauit, hos & vocauit, & glorificauit) magnum etiã Eutychium summa cum gloria vocauit ad Pontificatus dignitatem. Paucis enim post diebus sanctus Dei seruus Menas, regiæ vrbis Patriarcha, de quo mentionem fecimus, in senectute bona, & dierum plenus, quos cum Dei gratia transegerat, hinc ad Angelorum, & sanctorum Patrum vitam migrauit. Cuius quidem obitus nuncio ad Christianissimum Imperatorem perlato, multi certatim incredibili studio conabantur amicos Imperatoris promissis, & muneribus corrumpere, vt hominibus indignis pontificatum deferret. Sed qui omnia facit, & mutat, quique corda scrutatur, & renes, Deus, in manuque sua cor Regis continet cum finibus terræ, quietissimi Imperatoris cor ad virum dignum inclinauit. Qui celeriter vni è Referendarijs (Petrus hic appellabatur) mandauit, vt quæreret, & teneret, & congruenti honore custodiret magnum Eutychium. Quod sanè factum est. Sed audite visionem, quam is, dum seruaretur, vidit. Videbar, inquit magnus ille vir, magnam quandam, & præclaram domum videre, & lectum splendidè stratum, in quo mulier, nomine Sophia, iacebat; quæ cùm vocasset me, ornamentaque demonstrasset, vidi mox domui adiacens solarium niue repletum, & puerum in solario stantem, nomine Sotericum, qui è solario casurus videbatur, nisi ego præueniens è niue eductum à lapsu conseruassem. Hoc viso quid aliud significabatur, nisi pulcherrima Ecclesiæ sanctissimæ opera? Hæc enim erant illa ornamenta. Per puerum autem in niue periclitantem, dogmatica disciplina laborare indicabatur. Quæ quidem omnia sancti viri præsidentis operam, & diligentiam requirebant.

Cùm igitur hæc ita processissent, sancto Clero, sacroque Senatui liberè consilium suum exposuit Christi studiosissimus Imperator, affirmans, se de illo diuinam visionem vidisse. Cùm enim, inquit, in æde sancti Petri Principis Apostolorum, in qua Senatus habebatur, me somnus complexus esset, in quiete vidi Principem Apostolorum mihi magnũ Eutychium ostendentem, dicentemque: Fac, vt hic sit Episcopus. Hæc cùm ita se habere iureiurando affirmaret Imperator, omnes ipsius contentionem, ac studium, quod diuino quodam splendore vultus declarabat, conspicientes, vno animo, eademque mente, & cunctis suffragijs, atque vna voce ante tempus conclamarunt: Dignus est, dignus est. Cùm igitur illi omnia ordine, & ex diuinorum 5 Canonum præscripto contigissent, & tempus esset, vt sacrarum 6 manuum impositione, & initiatione consecraretur pater, & magister ipsorum, adducitur ad sanctum altare, qui multos ad illud sacerdotes, atque pontifices erat adducturus; precibus, ac manu, & diuinis, ac venerandis oraculis consecratur; sancto Spiritu inungitur; vel potiùs sanctificatus ipse vicissim præsentes omnes Pontifices sanctificat; ouis errantis typum super humeros tollit; in sedem sublimem ascendit; in solio

5 Vide quomodo etiã tunc diuini Canones erant in obseruantia.

6 Vide etiam quõo Epi precib⁹, & impositiõe manuum consecrabant, ac sancto spiritu liniebantur.

sedet; atque pastorum principem Christum in cœlum reuertentem imitatur. Dicit enim ipse quoque populo vniuerso verbum illud, quod coniunctionem, conciliationem'q́, & conseruationem significat, nempe: Pax omnibus: & ab omnibus illud vicissim accipit. Præclarè diuinus Dauid ante de ipso pronunciauit: Quàm magnificata sunt opera tua, Domine; omnia in sapientia fecisti. Quæcunque enim in hunc acta sunt, diuina sunt plena sapientia, lætitia'q́ fideles omnes afficiunt.

Aequum autem est, vt annorum ipsius numerum cognoscatis, vt q̃ perfectus, plenus'q́ concurrerit, intelligi possit. Quadragesimo ætatis suæ anno creatus est Patriarcha. Par enim erat, vt omnia perfecto viro essent perfecta. Hunc quippe numerum in diuina scriptura, tanquam mysticum, perfectum'q́ reperimus. Nam & Isaac ex Sara Abrahæ filius vnigenitus, cùm quadraginta esset annorum, Rebeccam duxit vxorem, cùm ad illud vsq́ tempus in virginitate permansisset; qui profectò Isaac Christi mysterij, & Ecclesiæ ex gentibus congregandæ figuram expressit. Quid Moses ille magnus, seruus'q́ Dei? Non'ne cùm quadragesimum ageret ætatis annum, fratres suos inuisit in Aegypto; & cùm vidisset Aegyptium quendam iniuriam Iudæo afferentem, illi, qui afficiebatur iniuria, Aegyptio interfecto, auxilium tulit? Expletis rursum quadraginta annis, in Madian diuina illa visione, quam in monte Sina vidit, factus est dignus; ꝙ rubus, cùm arderet igni, non comburebatur. Audiuit & vocem dicentem sibi: Vidi afflictionem populi mei in Aegypto, & gemitum eorũ audiui, & descendi, vt eruerem ipsos. Veni, & mittam te in Aegyptum. Quid hoc significat, nisi ipsum eligi præfectum, & liberatorem filiorum Israelis? Iam quomodo leges diuinas digito Dei in tabulis inscriptas accepit? Non'ne posteaq̃ ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, in quibus & noui testamenti mysteria didicit? Ac meritò quidem Moses duplicem hunc numerum adhibuit, cùm esset lex, & sub ipsa lege. Imperfecta enim est lex. Quid omnium saluator, ac liberator Christus Iesus, qui legẽ impleuit? Non'ne ipse quoq́ numerum hunc obseruauit, cùm dies quadraginta, & totidem noctes ieiunauit, omnem'q́ mox tentationem, atque omnem impetum inimici sustinuit, dedit'q́ potestatem hominibus calcandi super scorpiones, & serpentes, & omnem potestatem inimici? Et post resurrectionem non'ne varijs modis versatus cum sanctis Apostolis, ac discipulis suis, quadragesimo die benedicens illis discessit ab eis, & ferebatur in cœlum, relicta illis, & per ipsos Ecclesiæ suæ pace, quam acquisiuerat sanguine suo? Ex multis hæc pauca volui commemorare, vt ostenderem, omnia, quæ in sanctum hunc virum collata sunt, diuina quadam gratia contemplatione digna processisse.

Verùm quis deinceps fuit, cùm esset consecratus, & sublimem illam dignitatem accepisset? Sanctitas ei similis, quæ per linguas ignitas super singulos Apostolos descendit, super ipsum item requieuit. Et Spiritu sancto plenus loqui cœpit, quemadmodum ipse Spiritus dabat eloqui. Meritò posset hìc aliquis totum illum scripturæ locum accommodare: Erant autem in Hierusalem viri religiosi ex omni gente, quæ sub cœlo est. Verè enim ex omni gente erant religiosissimi Episcopi in noua Hierusalem Constantinopoli congregati, trium illorum capitum gratia, quæ ante recensui. Cùm igitur conuenisset multitudo, & confusa esset, audiuerunt ipsum loquentem alia lingua aduersus diuersas linguas hæreticorum. Alia enim est rectè loquentium, & in recta fidei confessione manentium lingua; alia eorum, qui in superbia sua loquuntur iniquitatem aduersus Deum altissimum. Itaque ignita sancti viri lingua sustulit eos in finem, Spiritus sancti ope, & sanctissimis Episcopis adiuuantibus; vt Moses Israelitæ ferens opem, Aegyptium'q́ percutiens. Dogmata enim hæreticorum

à veris

à veris Israëlitis tenebrosa, execranda'q; existimantur; quamobrem & damnata sub fabulo sepeliuntur. Iam quæ in magno illo quinto Concilio acta fuerint, scitis omnes vos, viri doctissimi. Quare non est necesse, vt aliquid de illis dicamus. Quòd si qui sunt, qui ea ignorent, facilè poterunt intelligere. Sed hoc loco congruet id, quod à Dauide dictum est: Sacerdotes tui induantur iustitia, & sancti tui exultent. Item'q; illud, quod ab Apostolo dictum est: Induite armaturam Spiritus sancti, quo possitis omnia tela inimici ignita extinguere. Indutus igitur lorica iustitiæ, & calceatis pedibus in præparatione Euangelij pacis, in omnibus sumens scutum fidei, & galeam salutis, & gladium Spiritus, quod est Verbum Dei, spinas amputauit; & vias asperas, planas reddidit, eiectis lapidibus, id est, maledicis, & detestandis hæreticorum sermonibus, ex vera fidei via; & medium maceriæ parietem soluens, per sanctorum dogmatum expositionem, & comprobationem sanctissimis Dei Ecclesijs pacem reddidit.

Res autem accidit admirabilis, & illius animo digna; quæ, vt arbitror, vel potiùs scio, nunq̃ accidet, nec est euentura. Cùm enim multa diuersis locis, atq; temporibus sancta Concilia celebrata sint, ex quo religio Christiana constituta est, nemo vnq̃, nisi magni huius, atq; diuini viri tempore, quatuor simul Patriarchas conuenisse meminit. Itaque cunctis dubitationibus, & controuersijs, non violentia, nec necessitate, aut partium studio, atq; affectione, sed demonstrationum, & cohortationum vi dissolutis, summa pax, & magna tranquillitas in Dei Ecclesia est consecuta. Quatuor autem Patriarchæ sunt hi: Vigilius veteris Romæ, Eutychius hic nouæ Romæ, Apollinarius magnæ Alexandriæ, Domninus Antiochiæ; qui tanq̃ vnum in corpus ex quatuor elementis conflati, vnanimes, idem'q; sentientes, manus inter se coniunxerunt, vt oraculum illud psalmi testatur: Flumina plaudent manibus in idipsum: Montes exultabunt. Et quod à Zacharia dictum est: Erit in die illa commotio Domini super eos magna, & capiet vnusquisq; manum proximi sui, & manus eius cum manu proximi sui coniungetur; & Iudas pugnabit in Hierusalem, & congregabit robur omnium populorum per circuitum. Quadruplicem igitur, & auream quodammodo quandam magnam cathenam conficientes, in templum Dei, hoc est, in magnam Ecclesiam ingressi sunt, & diuinum, incruentum'q; 7 sacrificium obtulerunt, semel, & solum Christum Dominum, pastorum'q; principem imitati, qui vnica oblatione sanctificauit vniuersos, semel passus in fine seculorum. Omitto, q̃ sacerdos semel in anno in Sancta sanctorum ingrediens latriæ figuram, & vmbram exprimebat. Quatuor hi fluuij tollentes contritiones montium, iuxta illud: Eleuabunt flumina fluctus suos: opiniones hæreticorum, quæ apud fideles sunt maculæ quædam, & sordes, eiecerunt à vocibus aquarum multarum, id est, 8 scripturarum, & patrum testimonijs; lætitiam'q;, & gaudium sanctis montibus, hoc est, Christi Ecclesijs pepererunt. Quis vidit, quis audiuit res eiusmodi? Pulchri sanè, & admodũ pulchri sunt fluuij, qui egrediuntur è paradiso, multò tamen magis laudandi sunt quatuor hi, qui in paradisum ingressi sunt. Paradisus enim est Ecclesia Dei, in qua plantati sunt, in montem hæreditatis, in habitaculum paratum, quod Dominus sanctificauit, quod parauerunt manus eius, qui regnat in seculum, & vltra. Horum igitur consensu, & coniunctione Dominus Deus noster fortis, & potens in bello, currus Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare, delectos hæresεum fautores, trium'q; capitum impietatem demergens, nouo nimirum Mose manum tollente, & virga, idest, cruce filios contumaciæ in aqua maris suffocante. Filij autem Israël ambulauerunt per siccum in medio maris.

Cùm igitur ex quatuor Pastorum concordia, recto'q; sensu factum esset veluti

7 Missam appellat diuinũ, incruentum'q; sacrificium.

8 Nota quòd & scripturarum, et patrũ testimonijs cõfutauerũt hæreticos.

vnum ouile, atque vnus pastor, & omnis disciplinæ moderatio super sacerdotes, & sacerdotum præsules conquieuisset, discesserunt ad suas singuli ciuitates, & populos magno cum gaudio. Ac diu quidem tunc omnes vbique Ecclesiæ Dei in pace versatæ sunt. Ambulabant enim, & ædificabantur in timore Dei, & sancti Spiritus consolatione replebantur. Relictus autem est solus nouus hic omnibus in rebus Iacob, & magnus Patriarcha Eutychius. Nam vt ille quondam luctatus est cum homine (neque enim is homo fuit, qui benedixit Iacob, & mutauit nomen eius in Israëlem; Quoniam si fortis, inquiens, fuisti luctando cum Deo; & quæ sequuntur) ita hic aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tam visibiles, quàm inuisibiles, solus pro Christo Deo nostro bellum suscepit, solus subijt Ecclesiarum solicitudinem, restititque vsque ad sanguinem, nocte, & die pugnans aduersus hostes veritatis. Graues enim, & Arabici lupi non desinebant Dei gregem oppugnare, mala excogitantes, & loquentes peruersa, captiuasque ducentes animas simpliciorum. Non exiguo tempore hic Dei seruus creditum sibi gregem à Pastorum principe Christo super aquam refectionis, & in loco pascuæ collocauit, quod firmum erat conseruans, quod fractum alligans, quod debile confirmans, quod aberrabat, reducens sermonibus, & rationibus opportunis, vt peritus pastor. Ardore diei, & glacie noctis vrebatur, vt Iacob Patriarcha, qui pro Lia, & Rachele seruiuit Laban pecora pascens annis quatuordecim. Verùm ille pro ouibus rationis expertibus labores perferebat; quorum quidem laborum merces erat manifesta. Nam quæ sublimioris speculationis sunt, coniugium scilicet illud Iacob cum duabus sororibus, ea figuram quandam præseferebant Ecclesiæ ex Iudæis, & Gentibus congregatæ, quam Christus omnium Deus sibi despondit. Aliam autem orationem hæc requirerent. At magnus hic vir Dei Eutychius pari annorum numero, quot sunt Apostoli, Christi gregem pauit, quem ipse Pastorum princeps, Apostolorum principi Petro commendauit; Si diligis, & amas me, inquiens, pasce oues meas, & pasce agnos meos. Nanque oues has cruce obsignatas, & virtutibus varias in vnum ouile, idest, in sanctam catholicam, & apostolicam Ecclesiam congregatas, alieno non seruientes, nec audientes conseruauit. Oues enim propriæ semper audiunt vocem veri pastoris. Neque enim fuit mercenarius pastor, neque vt fur, aut latro, aut peregrinus, aut alienus, in ouile ingressus est; sed diuina lege, & optimo ordine cum disciplina, & gratia congruente, commendata est illi Ecclesia Dei, quam virginem, castamque Domino conseruauit.

Cæterùm hoc ferre diu non potuit inuidus, atque honestatis inimicus diabolus, qui insolens, ac superbus dicit: Fortitudine mea capiam orbem vniuersum, tanquam nidum; & tanquam oua derelicta tollam, & auferam manu mea fines gentium. Cùm enim florentem, ac plenam Christi aream cerneret, & frumentum maturum, ac multiplex, & ad cœlum vsque pertingens, quid fecerit zizaniorum sator, & generis nostri hostis, quid machinatus sit sapiens ille ad faciendum malum, quomodo zizania in frumentum coniecerit, videamus. Specie pietatis, & honoris ignominiosi (vt ait Apostolus: Zelum habent, sed non habent scientiam) tanquam aper de sylua, & singularis ferus per simpliciores pulchram Ecclesiæ vineam deuastare aggressus est; & ventos immisit, atque procellam in domum benè super petram ædificatam, immò verò in ipsam petram. Quæ tamen firma permansit, illaque vt puluis paulò post dissoluta sunt. Verùm quinam zelus iste fuerit, seu gloria, aut pietatis species, paucis explicemus. Scitis vos omnes, qui pij Imperatoris Iustiniani diuinorum dogmatum studium meministis, quomodo is in eam potissimum curam incumberet, vt omnes hæreticorum rationes vnà cum ipsis hæreticis improbaret, & euerteret; quod quidem & fecit, tum argumentis, & demonstrationibus, tum testimonijs scripturarum. Hic

nescio quo auctore, & magistro cœpit execrabilem, ac detestandam, & perniciosam opinionem illam sub specie religionis probare, quæ Domini nostri Iesu Christi corpus ex ipsa diuinitatis coniunctione incorruptũ asserebat. Quæ quidem, vt cancer, serpens, atq; depascens totum ꝑpe orbem perdidisset, nisi noster Phinees anteuertens restitisset. Sed quod huic morbo remedium adhibitũ est? Sanctorũ Apostolorũ, & Prophetarũ, atq; Doctorũ testimonia, & demostrationes sunt multæ, quibus vsus est ille ad pestiferum illum morbum opprimendum. Perniciosa enim omnino pestis est, affirmare, incorruptum fuisse Domini nostri Iesu Christi corpus ante resurrectionem. Quis enim adeò stultus est, vt Domini corpus ex eo, ꝙ cum diuina natura copulatum fuit, incorruptũ asserat, cùm, hoc concesso, colligendum sit necessariò, fictam, & simulatam humanæ carnis susceptionem extitisse? Quomodo enim incorruptum corpus pati potuit, aut circuncidi, aut pannis inuolui, aut lacte nutriri? Quæ si illam vitæ largitricem carnem subijsse credimus, Crucem item, & clauorum foramina, & lanceæ vulnus confiteri oportet. Incorruptum igitur de illo dici non potest, nisi per hoc verbum intelligamus, corpus illius nulla vnq̃ fuisse peccati macula contaminatum, aut in sepulchro non esse dissolutum. Verùm hæc à magno, diuinoq; doctore Eutychio scriptis studiosè sunt, & acriter disputata. Ex quibus si quis veritatem ignorat, facilè eam poterit intelligere. Longiores enim essemus, si ea vellemus persequi. Videamus igitur quid, posteaq̃ patrum attulit testimonia, consecutum sit.

Cùm magnus hic vir longa oratione Imperatori, non esse id Ecclesiæ catholicæ dogma, comprobasset, animam suam (vt ait Ezechiel Propheta) quæ ad propositum pertinerent explicans, seruauit. Illi verò malorum inuentores in peccatis suis perierunt. Instar enim sæpè cadentis guttæ, & petram excauantis, Imperatori persuaserunt. Atq; huius quidem improbæ opinionis magistri execranda nugacis Origenis, & Euagrij, & Didymi dogmata defendebant. Quorum nomina libens prætereo, ne malo malum rependere videar, & contumelia calumniam persequi, & contra propositum, & mores sancti Eutychij facere; qui ex beato Saluatoris nostri mandato, non esse malum pro malo reddendum, sed contrà potiùs maledicentibus benedicendum, & pro persequentibus precandum, tum factis, tum verbis docuit. Quanq̃ silenda potiùs videntur, q̃ prædicanda, quæ tunc gesta sunt. Quamobrem vt ipse vir sanctus edocuit, quæ silentio sunt digna, prætereamus. Vigil igitur iustitiæ oculus malitiam impunitam abire non permisit; sed calumniam omnino retexit, & patefecit, adeò vt illi ipsi ore proprio coniurationem confessi sint, & vltionis æquitatem collaudarint. Erant autem, qui hæc machinati sunt, non solùm ex eorum numero, qui plurimùm valebant apud Imperatorem, verùmetiam ex sacerdotibus, qui erant insignes, quiq; magnas Ecclesias gubernabant (Si tamen sacerdotis nomine digni sunt homines improbi, & calumniatores) quos tamen omnes iustitia puniuit, obstruens labia aduersus iustum loquẽtia iniquitatem in superbia, & despectione. Isti igitur, vt dictum est, execrabiliũ, & impiorum dogmatum studio simplicitatẽ Imperatoris peruerterunt; & sub Incorrupti occasione, iniquẽ, vt demonstrabitur, & præter diuinos Canones, atq; Ecclesiastica instituta beatum, ac pium virum oppugnarunt. Sed eos iustus iudex & in hac vita puniuit, & mox ad inferorum supplicia detrusit sempiterna.

Cùm igitur studijs istorum diuturna vis morbi esset adaucta, & vulnus iam intractabile, atq; adeò immedicabile euasisset; cumq; Imperator, assumpta charta, in qua detestanda illa opinio, ꝙ Domini corpus ex diuinæ naturæ copulatione incorruptibile fuerit, continebatur, eam diuino, magnoq; pugili Eutychio perlegisset, flagitabat, vt sententia, & suffragio suo illam comprobaret. At ille,

vt æquum erat, primùm cohortationibus vtens, negabat eam esse doctrinã Apostolorũ; quãobrem se illi nec animo posse, nec verbis assentiri. Deinde cùm nec cohortationibus, nec admonitionibus posset Imperatori psuadere, ne qd contra catholicam Ecclesiã, et recta dogmata faceret, omnem curã, et solicitudinẽ suam in Deum reijciens, Apostoli verbis testatus est, se nihil vtiliũ omisisse, quod non nunciarit, atq; in posterũ ita se confirmauit, vt p Christi fide vellet omnia ppeti; Certò, inquiens, scio, nec mortem, nec vitam, nec præsentia, nec futura, nec afflictionem, nec angustiam, nec famem, nec nuditatem, nec gladium, nec exilia posse me separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Hæc vir sanctus verbis primùm, mox autem factis comprobauit. Constat enim facta esse subsecuta. Cùm enim nollet dogmatis errorem suscipere, & Aphtardocitas comprobare, statim malorum inuentores, qui omnia facilè audent, principes illi, & sacerdotes annui congregati in auditorium, & conuenientes, meditati sunt inania, & stulta aduersus Dominum, & aduersus Christum eius, & Imperatori persuaserunt, vt virum omnibus ornatum virtutibus è sede exturbaret, in eaq; alium constitueret, qui studijs, & opinionibus suis consentiret. Quod quidem & factum est. Nam cùm festus dies sancti Timothæi apud Hormisdæ regionem in nouo palatio celebraretur, ac sanctus Eutychius rem diuinam faceret, Tribunus militum, & satellites, immanis feræ ministri Episcopatum inuaserunt, comprehensis & distractis viri sancti familiaribus, qui contra illum testificarentur, vt quoquo modo illum non sine causa ex Episcopatu eiectum fuisse ostenderent. At vir magnus cùm eorum inuasionem in Episcopatum, & quosdam è suorum numero illinc violenter abstractos, & in carcerem coniectos fuisse cognouisset, peracto sacrificio, distributaq; sancta Communione, in sacrario mansit. Dicebant enim quidam graues viri, si è sacro templo exiret, fore, vt interficeretur; quosdam enim armatos, atque in Antiochi prædio collocatos eo consilio foris eum expectare.

Hæc vir beatus cùm accepisset, constitit ante altare, solitisq; vestibus, & superhumerali indutus, quod semper secum habebat, vsque ad vesperam precationibus incubuit, Deum obsecrans, vt Ecclesiam suam tranquillam, & recta dogmata conseruaret. Cùm autem fecisset obsecrandi finem, sacerdotes, & monachi, qui aderant, hortati sunt eum, vt cibum caperet; quod & fecit. Cùmq; paululum quieuisset, affuit cum gladijs, & fustibus, multoq; cum præsidio militari magna illa fera, qui Eterius appellabatur; correptumq; sanctum virum, nudum, & nihil habentem in monasterium, quod Choracudin appellant, asportauit. Quo in loco cùm vno die commoratus esset, & propter monasterij paupertatem, malè tractaretur, misericordia commoti (nam viri sancti virtutem aduersarij quoq; admirabantur) eum in Osiæ, idest Sanctæ, sic appellato monasterio propè Chalcedonem collocarunt. Nec ampliùs quærentes, vtrum iure, an iniuria è sede fuisset eiectus, coacto post diem octauum conuentu Episcoporum, & Principum, virum sanctum, quem indicta causa eiecerant, in ius, vt se defenderet, vocarunt, q; libellus aduersus eum Consessui esset oblatus. Quid autem libellus contineret, non sine risu potest audiri: Quòd vnctus esset, q; auiculas comedisset, q; multas horas genibus flexis orasset; & alia his magis adhuc ridicula. Ab eiusmodi igitur criminibus, vt sese purgaret, eum accersiuerunt. Sed vir sanctus Episcopis, & Principibus, qui Consessus mandato nuncium attulerant; Ad quem, inquit, accedit is, & quem me vocatis? Illi veritate coacti responderunt: Ad dominum nostrum, & patrem. Quibus ipse rursum; Quis est, inquit, iste dominus, & pater vester? Venimus, inquiunt (tanquam occultis quibusdam verberibus vapularent) ad Patriarcham nostrum dominum Eutychium. Patriarcha ego, inquit ille, Patriarcha Dei gratia sum, nec à

nec à me quisquam hominum tollet hanc dignitatem. Quis est ille, quem meo in loco collocastis? Quibus verbis cùm illi respondere non possent, victi reuerterunt ad eos, à quibus missi fuerant. Verùm idem conuentus iterum, & tertiò contra 9 Canones eum vocauit. Sed ille semper congruenter respondit; Si canonicum, inquiens, iudicium constitutum est, detur mihi Clerus meus, & ordo Patriarchatus, & veniam, defendamq́; me, & accusatorum meorum vtar testimonio. Hæc illi responsa cùm accepissent, nihil consentaneũ facientes, sentẽtiam contra ipsum tulerunt ipsis iudicibus dignam. Quam tamẽ beatus vir anteuertens, subiecit omnes pœnis Canonicis, donec resipiscerent.

9 Vide sacrorũ Canonũ maiestatem, quam isti cõculcabant.

Verùm cùm finem accepissent consessus illius ludi, is, qui consilium Achitophelis disiecerat, axesq́; curruum Pharaonis confregerat, dissipauit etiam illorum consilium implicans eos inter se: qui cùm occasionem honestam non reperirent aduersus iustum, vt quæ iniustè egerant, iustè viderentur egisse (erant enim iidem iudices, & accusatores) eum ex loco, vbi erat, in insulam, quæ Princepo dicitur, transtulerunt. Ad hanc appulit insulam beatus vir cum tempestate die sabbati, nocte profunda. Cùm autem illuxisset, antequam quicq̃ aliud ageret, vidit Crucem in pariete pictam cum hoc elogio: Christus vobiscum est, state. Qua quidem re vehementer lætus gratias egit Deo, qui hanc sibi consolationem attulisset. Sed cùm in illa insula tres hebdomadas sub magna militum custodia transegisset, rursum ab eisdem iudicibus decretum est, vt Amasceorum metropolim peteret, maneretq́; in monasterio, quod ipse constituerat. Quod & factum est. Quæ autem illic aduersus eum acta, scriptaq́; sint, dicere, ne longior sim, supersedebo. Satis enim est, quod ad hoc propositum dixit Ezechiel ex persona Dei: Eo tempore auertã faciem meam ab eis, & inquinabunt Episcopatum meum, & ingredientur in sancta mea sine reuerentia, & facient inquinationem magnã. Sed quæ deinde euenerint, videamus.

Fidelis Dei seruus Eutychius Paulo similis declaratus est, & ad eum quoq; Pauli historia referri potest. Sic enim de Paulo scriptum est: Vt autem iudicatum est, vt in Italiam nauigaremus, tradiderunt Paulum, & quosdam vinctos Centuroni, nomine Iulio. Sic & de sancto viro factum est. Nam posteaq̃ multa temere consulta essent, tandem, vt diximus, decretum fuit, vt ad Amasceorum metropolim se se conferret, & in suo ipsius monasterio viueret. Hoc ille nuncio doluit fortasse? Aduersatusne est? Vel succurrit illi, quod Dominus prædixerat: Nemo Propheta acceptus est in patria sua? Minimè verò: Sed prompto animo omnia subijt. Gaudebat enim, ꝙ dignus habitus esset, qui pro nomine Dei contumelia afficeretur. Studebat enim non solùm vt in illum crederet, verùm etiam vt pateretur: Quoniam fides sine operibus mortua est. Imitatus est hac item in re super omnia Deum, qui dorsum suum tradidit flagellis, & genas alapis, & faciem suam non auertit à fœditate sputorum. Cuius liuore sanati omnes sumus. Qui etiam dixit: Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Si patrem familias Beelzebub vocauerunt, quantò magis domesticos eius? Hoc egit & seruus Dei. Decreuerat enim, omnes potiùs perpeti acerbitates, q̃ fidem prodere, vt exemplo suo multi confirmarentur, stabilesq́;, & immobiles in recta fidei confessione permanerent. Quod quidem & factum est. Omnes enim patriarchæ, multiq́; Episcopi, præcipueq́; Orientales recusarunt Imperatoris opinioni subscribere, & ei tum synodo, tum scriptis restiterunt, inprimisq́; sanctissimus Theopolis Patriarcha Anastasius, qui easdem, quas magnus Eutychius (ærumnasne dicam, an coronas?) pertulit. Cùm igitur indicta causa damnatus esset exilio, parataq́; essent iam omnia, nos item cum illo persecutionem pro Christo, & exilium ferre decreuimus: Quo quidem constituto, ille omnes, qui aderant in insula, ore osculatus, vt Ephesios Paulus in

littore; animo autem totam Ecclesiã sibi à Deo creditam in osculo sancto, tam Domino, à quo ipsam acceperat, commendauit.

Eorum igitur, qui nos ducebant, & qui miserant, arbitrio in monasterio ipsius constitimus, tanquam in exilio, vt ipsi arbitrabantur; quod tamen vir sanctus salutiferum sibi, & multorum bonorum causam existimabat. Quæ autem tunc in via publica gesta sunt, vtrum molesta, acerbaq́ue fuerint, an miraculis, & ægrotantium curationibus plena, vt orationis longitudo vitetur, prætereo. Quandoquidem, maioraq́ue publicè perspecta sunt, cùm viri sancti reuocatio celebrata est. Descendit igitur in Amaseam magnus pugnator Eutychius, vt Abraham olim, & eius nepos Iacob in Aegyptum, ambo Patriarchæ, propter famem. Nam quod Saluator noster Iesus Christus in eandem Aegyptum descenderit, vt rem excellentiorem cum honore prætermus, & propter leuem nubem, & propter casum manu factorum simulachrorum. Nam descensus quidẽ ille multis miraculis claruit. Dei enim carnem humanam induti præsentia quid non admirabile efficeret? Nec magnorum Patriarcharum descensus miraculo caruit; vt facilè declarant nobis omnibus plagæ illæ, quas à Deo Pharao accepit propter Abraham, & Saram; quamobrem eos cum honore dimisit; & Ioseph declaratio: & Iacob, atq; filiorum eius ad ipsum profectio. Hæc quidem illis admirabilia contigerunt: Sed magno Eutychio non minora concessit rerum omnium effector Deus. Quæ autem hæc, quantaq́ue fuerint, multis omissis, videamus. Hæc quidem nos perspeximus, & audiuimus, & manus nostræ contrectauerunt; & quæ vidimus, testamur. Qui enim dixit: Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora his faciet: &: Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis huic monti: Tollere, & transfer te in mare: & fiet ita: ipse dedit seruo suo gratiam sanitatum, vt morbos curaret, & dæmonas eijceret. Curationibus quidem efficiendis necessarium est, vt & curandorum fides adsit, & curantium virtus. Quorum vnum si defuerit, alterũ nihil proderit. Vtrunq; enim simul operatur. Non potuit, inquit Euangelista, de Domino loquens, illic signa facere ꝓpter illorum incredulitatem. Quamobrem, qui cum fide ad virum hunc sanctũ accurrebant, plus gratiæ accipiebãt, cùm omnia sint credenti possibilia, viro sancto nimirum traditã sibi à patre luminũ gratiam impartiente. Hinc autem exordiar. Vos, qui eiusmodi narrationibus delectamini, attendite.

Sed vnde, aut à qua gratia exordiendum est? Quamuis alia sint miracula præstantiora, ab hoc tamen initium sumendum existimo. Erat in vrbe Amasea quidã Androgynus legitima vxore copulatus, qui cùm filijs procreãdis operã darent, ita frustrabãtur, vt infantes, anteq̃ ex ventre exirent, immaturi præriperentur. Ex quo parentes ipsi magno mœrore afficiebãtur. Quid igitur faciunt? Vtile consilium capiunt. Confugiunt ad Deũ, qui mortuos etiam potest per seruos suos in vitam reuocare. Imitantur viduam illam Sareptanam, cuius filium Elias suscitauit. Sunamitidem imitantur, quæ cucurrit ad Elisæum, cùm filius eius in cœnaculo mortuus iaceret. Confugiunt & ipsi ad beatum virum; supplicant, vt precibus suis impetret, ne infantes sibi in lucem æditi statim moriantur. Qui cùm pro illis precatus esset, ambos vnxit 10 oleo sancto, tum eo, quod è pretiosa Cruce, tum illo, quod ex sanctæ, puræq́ue Dei genitricis, & perpetuò virginis Mariæ nostræ Dominæ veneranda imagine scaturire solet Sozopoli, dicens: In nomine Domini nostri Iesu Christi. Hæc enim verba cunctis ægrotantibus, qui ad se accedebant, solitus erat adhibere, quemadmodum & diuus Iacobus præcepit; Infirmatur, inquiens, aliquis è vobis, vocet Ecclesiæ presbyteros, & orent super eum vngentes ipsum oleo; & oratio fidei saluabit infirmum; &, si peccata commiserit, remittentur ei. Cùm igitur precandi finem fecisset, & tanq̃ gratia quadam afflatus taceret, mox: Nomen, inquit, illi Petrum imponetis, & viuet. Erat enim mulier grauida. Cùm autem ego adessem, & re-

10. Oleo sancto tum preciosæ Crucis, tum quod ex imagine Dei genitricis emanabat, ac inuocatiõe nominis Christi, ægrotantes sanabat sanctus pater,

spondissem; At si fœminam, inquiens, pariet, ecquod illi nomen imponent? Minimè, inquit ille, sed Petrum vocabunt, & saluus erit. Quibus verbis gaudentes, tanquam puerum nondum natum in vlnis gestarent, domum reuersi sunt. Tempore iam impleto, peperit filium, quemadmodum ante viderat, & prædixerat seruus Dei. Quem cùm baptizandum curassent parentes, & nominassent Petrum, postea vnà cum ipso ad virum sanctum accedentes, complexi sunt pedes eius, & confessi sunt, quæ sibi fecisset Deus, & quod sui misertus esset. Impositis autem puero manibus vir sanctus benedixit ei. Sed cùm creuisset ille, qui ex præcognitione, & precibus genitus fuerat, alter natus est illis. Itaque venientes rursus ambos filios ad sanctũ virũ attulerunt, laudãtesque Deũ, rogabant, quo nomine postremus deberet appellari. Qui geminos filios intuitus, illud Salomonis venustè vsurpauit; Frater, inquiens, fratris fultus auxilio, est tanquam ciuitas munita. Parentibus autem ipsorum dixit: Ioannem hunc appellabitis, quoniam in æde sancti Ioannis preces vestras Dominus Deus audiuit. Creuerunt autẽ pueri; & vulgatum est hoc in tota illa ciuitate; & omnes collaudabant Deum. Sed rem aliam admirabilem Dei auxilio à viro sancto factam videamus.

Senex quidam è villa, quæ ad sanctissimam Ecclesiam pertinebat, filium habebat surdum, & mutum annorum circiter quatuordecim. Quem cùm ad sanctum virum perduxisset, supplicabat, vt ipsi à Deo opem impetraret. Itaque cùm pro illo preces fudisset, omnes eius sensus inunxit oleo sancto, terque Nunechem (nam illi id erat nomen) vocauit. Ac primo quidem die obscurè respondit; cùm autem tres ibi dies mansisset, & oleo sancto inungeretur, solutum est vinculum linguæ eius, & planè audiebat, ac loquebatur. Sed cùm vellet eum pater in monasterio relinquere, noluit Dei seruus. Senex igitur, assumpto filio, domum magno cum gaudio reuersus est. Audiamus, & aliud insigne miraculum.

Quidam alius eiusdem loci, qui inter ipsius sanctissimæ Dei ecclesiæ clericos electus erat (Cyrillus ille appellabatur) filium 11 habebat, qui cùm quinque esset annorum, & eò amplius, nec loqui poterat, nec alimentum accipere; nec vitæ prope, nec mortis erat particeps. Hunc cùm ad virũ sanctum perduxissent, ille solitas preces adhibuit, & sanctam 12 cõmunionem impertiuit, & cùm panem cõmunem benedixisset, dedit ei, atque dimisit. Ex illa autem die solutum est vinculũ linguæ ipsius, & loquebatur, edebatque, & bibebat, cùm Dei gratia sanitatem recepisset. Videamus & aliud huic simile, immò verò admirabilius.

Est oppidulũ quoddam, nomine Zala, ipsi metropoli Amaseæ propinquum. Quidam inde profecti quadrimulum puerum ad sanctum virum adduxerunt. Hic nihil aliud, nisi ex matris vbere nutrimenti paululum capiebat. Erat autẽ prope carnis, & corporis expers, neque colorem vllum habebat. Sed tanquam spica vento corrupta, quæ cùm nondum creuerit, exilem quandam, atque inanem granorum, & aristarum speciem habet; sic & ille puer videbatur. Potuisses omnes illius costas, & neruos, & ossa numerare. Hunc vir Dei magnus cùm aspexisset sic exsiccatum, & parentes ipsius dolore tabescentes, Dei, qui ea, quæ non sunt, facit, vt sint, implorans auxilium, totum pueri corpus inunxit oleo pretioso, & sanctam 13 cõmunionem impertiuit; cùmque panem cõmunem benedixisset, parentibus dedit, præcepitque, vt mero panem illum intingerent, pueroque præberent. Quod illi cùm fecissent, voti cõpotes facti sunt. Dicebant enim se postridie magnum in eo carnis discrimen aspexisse. Accepisse enim mediocre nutrimentum; idemque tertio die, et alijs deinceps cõsecutis fecisse. Tenebat autem panem in manu sua, & coram parentibus edebat, mouebatque oculos suos, qui antea reconditi vix cerni poterant, & singulos astantium intuebatur. Dicebant præterea parentes eius, puerũ, ex qua hora pro illo vir sanctus orasset, vbera matris attingere noluisse; sed oblato cibo fuisse nutritum. Læti igitur parẽtes cum filio sano

11 Clericus filium habuit secundũ Orientalis Ecclesiæ cõsuetudinem.

12 Particulare hoc factũ nõ arguit pueros esse communicãdos, quoniam illi ex Pauli præscripto se probare nõ possunt.

13 Itẽ nec hoc. Et nota hic creaturarum benedictionem.

in oppidulum suum reuerterunt. Hic si quærat aliquis, cur integrã statim puer non receperit sanitatem, is sciat Dei iudicia abyssum esse multam. Videmus autem Dñm quidem ac Deum nostrum arcano consilio infirmos quosdam statim non curasse. Cùm enim luto cæci oculos inunxisset; Abi, inquit, in Siloam, & laua. Et lotus vidit. Et cùm alij manus imposuisset, rogauit, ecquid cerneret. Respondit ille; Video, inquiens, homines, vt arbores ambulantes. Ex quo patet, eum quibusdam sanitatem paulatim tribuisse, eas ob causas, quas nouit is, qui, quid cuiq; sit vtile, non ignorat. Sed hæc hactenus. Aliud miraculum explicemus.

Filius cuiusdam opificis Amaseæ repentino morbo correptus ad portas mortis appropinquauerat. Hunc pater vlnis impositum ad monasteriũ gestauit, vt viro illum sancto offerret, quò eius præcibus sanitatem recuperaret. Eo tẽpore vir sanctus alijs negotijs distinebatur. Quamobrem cùm satis diu pater expectasset, volebat discedere; Quid adhuc, inquiens, vexem beatum virum, cùm puer moriatur? Sed qui aderamus, considerãtes Deum posse mortuos etiam in vitam reuocare, hominẽ paulisper morati sumus. Videbamus autem puerum omnino maxima corporis parte defecisse. Eius igitur moti periculo, sanctũ virum accersiuimus; qui nulla interiecta mora venit, & 14 precibus adhibitis, puero manus suas imposuit, vnxitq; oleo sancto, ac domum dimisit. Postridie pater reuertit, cum lachrymis gratias agens Deo pro salute filij sui. Interrogatus autem quomodo se haberet puer, respondit, Dei gratia, & sancti viri precibus omnino conualuisse. Tota enim, inquit, nocte lusit, vigilq; lætatus est. Haud multò post nos item puerum vidimus, & collaudauimus Deum, qui mortuis etiam vitam reddit. De hoc quoq; satis dictum est. Ad aliud miraculum transeamus.

14 Precibus, impositione manuũ, & oleo sancto puerũ ægrotum sanauit.

Agrestis qdam mulier cum filio septẽni quibusdã de causis in vrbẽ venerat. Sed dæmonis incursu repente pueri pedes obstupuerũt, adeò vt stare nullo modo posset. Mater autẽ tristis, & lugens filium ad sanctũ virum portauit; q cum precibus oleum sanctum pueri pedibus adhibuit. Finita autẽ precatione, mater volẽs experiri, vtrum puer stare posset, deposuit ipsum; qui primò qdem tremẽs videbatur esse casurus; verùm vbi paulatim fiduciã sumpsit (blandis enim sermonibus, q aderant, animos illi faciebant) stetit intrepidus, & nihil est cõmotus. Cùm igitur repente firmatæ essent plantæ ipsius, & tali, cum matre reuersus est domũ saliẽs, & laudãs Deũ. Nos quoq;, qui miraculũ videramus, quõ is scilicet alienis pedibus in tẽplum ingressus, pprijs pedibus egrediebat, collaudauimus Deum, qui talẽ gratiã seruo suo nostris etiã tẽporibus largitus eẽt. Audiamus et aliud miraculũ magis venerandũ, si qdẽ morb? magis miserãdus, ac nouus fuit.

Hæret ciuitati Amaseæ monasteriũ fœminarum à Flauia nuncupatũ. Quædam igitur illius monasterij mulieres puellam ad optimũ virum pduxerunt dicentes, eam omnino nõ admittere sanctã cõmunionem; sed cùm illã sit acceptura, magno timore, ac tremore corripi, & clamare, & cum tristitia sanctũ Domini corpus auersari, licet dies Dominica celebretur, & sanctũ Christi corpus, & sanguis distribuat. Quibus verbis, nos fidẽ non habentes, diximus virum sanctũ ad puellam accessurum, & preces solitas adhibiturũ cum cõmunione. Verùm cùm puella ad sacrã cõionẽ appropinquaret, deprehẽdimus esse vera, q dicebantur. Cùm enim illam magno cum labore in os accepisset, eã cum vomitu, agrestiq; voce proiecit. Sed astantiũ qdam manu porrecta illã excepit, atq; in ignẽ coniecit. Nos autem territi, ac mœsti domum puellã dimisimus hortantes, vt postridie reuerteretur. Quæ cùm reuersa esset, vir sanctus, solitis precibus adhibitis, omnes puellæ sensus vnxit 15 oleo sancto; sed cùm ad os peruenisset, illa vocem agrestem emittens, magnam euomuit fœditatem, immò verò spiritum immundum, qui miseram affligebat. Post autem permisit vir sanctus, vt discederet, & sanctam susciperet cõionem; quam illa Dei gratia sine vlla formidine, aut concussione.

15 Et hic sãcti vnctiõe olei, & precibus puellam dæmoniacã sanat Eutychius.

cussione percepit. Suspirans autem vehementer puella, posteaq̃ sanctum corpus, & pretiosum sanguinem suscepisset; Ecce, inquit, deinceps colothim (sic enim illius regionis pueri panem nondum sanctificatum appellant) percipiam. Et omnes collaudauerunt Deum, qui res admirandas, & nouas, atq; incredibiles facit, quarum non est numerus, etiam per seruos suos. Mirabilis enim est Deus in sanctis suis.

Iuuenis quidam in arte pingendi peritus, eam in domo Chrysaphij piæ memoriæ in ipsa ciuitate Amaseorum exercebat. Hic aliquando veterē ex pariete Veneris picturam delebat, vt historias pias reponeret. Volebat enim vir ille ex domo sua superiore Archangeli oratorium facere, ex inferiore autem oratoriū sanctæ, immaculatæq; Dominæ nostræ, Dei genitricis, & semper virginis Mariæ. Cùm igitur pictor fœdam impudicæ Veneris historiam euertisset, dæmon, qui illi inhærebat, artificis manum sic inuasit, vt inflammata tumesceret, & graui vlcere affecta necessariò amputanda videretur. Quare cùm periculum aspiceret, vtile capit consilium, & ad virum sanctum confugit, vt per ipsum à Deo auxilium impetret. At ille, cùm pro ipso Deum orasset, vnxit oleo sancto dexteram ipsius manum, quæ inflammatione, atque vlcere laborabat; idq; fecit tribus diebus; & manus eius diuino auxilio conualuit, atq; alteri similis reddita est. Et quo in loco pictor vulnus acceperat, in eo memoriæ, & grati animi declarandi causa sancti viri depinxit imaginem; vt manus, quæ curationis beneficium accepérat, medicum suum secundum Deum testaretur. Huic simile & aliud factum est.

Puerum ab impuro dæmone vexatum sculptor quidam ad beatum virum duxit. Qui cùm magno viro precanti astitisset, propterea ꝙ paruulus puer erat, astantium quidam ad sculptorem; Gesta, inquit, vir, puerum, vt sanctificationem assequatur. Quod ille fecit. Absoluta autem precatione, ambo discesserunt. Postridie verò sculptor venit lugens, ac dolens, ꝙ manus dolorem ferre non posset. Cùmq; ex eo quæreretur: Quid luges? Quid habes? Posteaq̃, inquit, puerum gestaui, manus mea incredibili dolore torquetur. Dæmon enim, relicto puero, inhæsit mihi; atq; ille quidem curatus est, ego autem versor in discrimine. His vir beatus auditis, subridens, dæmonem, ꝙ talia fecisset, contempsit; & pro misero illo precans liberauit eum, nihil aliud ei præcipiens, vt faceret, nisi vt precationibus incumberet. At ille, neglecto viri sancti mandato, tumoremq;, & ardorem manus timens, ad medicos confugit, vt impleret id, quod dictum est: Qui peccat in eum, à quo factus est, incidet in manus medici. Erat enim manum suam perditurus. Itaq; cùm omnia in medicos, & balnea consumpsisset, & nihil adiumenti perciperet, sed magis laboraret, rursus ad medicum, qui argentum non exigebat, sed gratis operam suam egentibus impertibat, accessit. Qui nihil moratus, aut veritus, Deum misericordem obsecrauit, vt liberaretur; quod & factum est. Ille enim precibus postea incumbens, vt sanctus iusserat, à doloribus, & inflammatione liberatus est, adeò vt Deum laudās artem suam solitā exerceret. Verùm quando in eorum, qui à spiritibus immundis vexati, curatiq; sunt, mentionem incidimus, de apostata quodam verba faciamus, eò ꝙ non vulgarem vtilitatem ea res afferre potest his, qui monasticum habitum paruifaciunt, & reprobant.

Iunior quidam ab improbo, & graui dæmone ita vexabatur, vt quoties illum affligebat, à nemine posset contineri. Omnes enim superabat, omnes conterebat. Hunc miserum ad virum sanctū, qui impuros eiusmodi spiritus expellendi gratiam à Deo habebat, adduxerunt. Qui pretiosæ Crucis telum dæmonibus formidabile, & oleum eius, vexati fronti cùm adhibuisset, ille signo Crucis, tanq̃ clauo ignito, transfixus, clamare cœpit, & spumas effundere, & fu-

rere, & dentibus frendere, vt non ab vno, sed à multis dæmonibus vexari videretur. Cùm enim multi eum monachi tenerent, omnes superauit, & afflixit. Et cùm diu sic esset vexatus, tandem vt mortuus iacuit. Quamobrem illum omnino à dæmone liberatum arbitrabamur. Sed cùm postridie reuertisset, peiora patiebatur. Cùm igitur diu fuisset afflictus, & vexatus à dæmone, admirabatur Dei seruus, & secum ipse cogitabat, cur ab eo dæmon non recederet; dixitq; mihi, vt miserum hominem interrogarem, quis esset, & vnde ipsi tam improbi dæmonis incursus contigisset. Cùm igitur ille mente constitisset, diligenter quæsiui de statu eius, & quomodo pueritiam transegisset. At ille; Cùm, inquit, ingressus essem puer in monasterium sancti Ioannis in arce (sic enim Amaseæ locus qdam appellatur) ibiq; nõ paruo tempore mansissem, piæ tandẽ exercitationis ptæsus, & 16 habitu monachi spreto, exiui è monasterio, & simul cum habitu vitam mutaui, nam & mulierẽ cognoui, & alia multa peccata commisi. Itaq; nunc, vt videtis, sum in hoc statu, & ab immundo spiritu miserè detineor, & affligor. Mihi, siquid potestis, opitulamini. Hæc cùm ex nobis vir sanctus didicisset, immò verò nos ab illo didicissemus (Nisi enim ipse cognouisset, non præcepisset nobis, vt hominem vexatum de statu ipsius interrogaremus. Quod quidem eo consilio fecit, vt exemplo illius nos confirmaret; eosq;, qui vitam monasticam, & Angelicam negligunt, & aspernantur, moneret, vt resipiscerent) suggessit illa verba Iob: Qui vulnus meum cernitis, timete: Et, Ne dederis in commotionem pedem tuum: Et, Nemo mittens manum suam ad aratrum, & vertens se retrò, aptus est ad regnum cœlorum. Hæc ille, & multa alia his similia cùm dixisset ad vtilitatem, & confirmationem præsentium monachorum; vexatum hominem ob ea, quæ dixerat, commiseratus, valde suspirans, & continenter orans, ea Dauidis verba ex persona miseri illius hominis pronunciauit: Dixi, confitebor aduersum me iniquitatem meam Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei. Ac sanctus quidem vir ad hunc vsq; versum psalmum pronunciauit. Non alienum autem est, vt versum, qui sequitur, adijciamus: Pro hac orabit ad te (non quilibet; sed quis?) omnis sanctus in tempore opportuno. Illud autem tempus est opportunum, cùm petuntur à Deo, quæ illi placent. Petite enim, inquit, & dabitur vobis. Quærite, & inuenietis. Pulsate, & aperietur vobis. Cùm igitur homo vexatus confessus esset, pro ipso rursum solitas preces vir sanctus obtulit Deo; hortatusq; est, vt in monasterium, in quo erat, reuerteretur, habitumq; reciperet, quem abiecerat, & affecerat contumelia. Quod ille cùm studiosè fecisset, non est ampliùs à dæmone vexatus; sed in monasterio mansit, prudenterq;, ac modestè se gessit. Quamobrem laudabant Deum, qui ibi erant, atq; dicebant: Hodie salus domui huic facta est. Quoniam frater hic noster mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus est. Impletum & illud est: Multùm valet oratio iusti assidua. Audiuit etiam ab illo is, qui curatus fuerat: Ecce sanus factus es, noli ampliùs peccare. Sed iam reliqua miracula persequamur.

16 Vides ex hoc loco non debere monachum à religione deficere, & institutum suũ desere rere?

Homo quidam eo laborans morbo, qui totum corpus depascitur, ad sanctum virum confugit, supplicans, vt sibi à Deo misericordiam impetraret. Qui miserum morbo propè consumptum aspiciens, non mediocriter cõmotus est. Adhibita igitur oratione, vnxit oculos eius, & manus oleo sancto; præcipiensq;, ne vinum omnino gustaret, dimisit. Ille verò libenter paruit, sciens, quæ ab hominibus effici nequeunt, Deo esse facilia; & exemplo Naaman Syri domũ suam reuersus est. Sed cùm anni spatium præterijsset, rursum idem vir redijt; gratias agens Deo, & laudans illum, q morbus ampliùs non serperet, sed cohiberetur, atq; deficeret.

Alius quidam ad virum sanctum accessit, dicens, se ab vrbe Cumano esse,

& annum iam esse integrum, ex quo lumen non vidisset. Et causa hæc erat. Cùm illi controuersia cum quodam in iudicio intercederet, iurare coactus est; &, tanq̃ periurij nullum esset crimen, peierauit. Deus autem consulens saluti eius, excæcauit eum. Quo quidem affectus supplicio, cùm lucem non cerneret, & manu duceretur, venit ad virum Dei, & peccatum confessus est, & oculorum cæcitatem indicauit, rectè colligens, Deum sacerdotibus maximam potestatem per sanctos Apostolos tribuisse. Illis enim dixit: Quæcunq; ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis; & quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis. Proinde cùm vir admirabilis soluendi munus (suorum enim quisque peccatorum cathenis obstringitur) atque curandi haberet, Deum orauit omnipotentem, vt ipsi tum periurij veniam, tum oculorum sanitatem concederet. Et absoluta super eum 17 precatione, vnxit illum oleo sancto tribus diebus, & liberauit. Ita factum est, vt qui alienis manibus, & alienis oculis ductus venerat, proprijs oculis in suam ciuitatem reuersus sit Deum laudans. Et hos quidem paucos è multis commemorauimus, quos de facie nouimus, qui curati sunt. Magna enim quotidie virorum, & fœminarum, & puerorum multitudo ad eum confugiebat, qui cùm varijs morbis, & manifestis, & occultis laborarent, misericordiam Dei omnes assequebantur. Fœminæ pueros adhuc lactentes gestabant, qui lugebant, & quærebantur, quòd nutrimento carerent suo. Et matres ipsæ dolebant, q̃ lactis fontes essent exsiccati. Miserandum igitur erat spectaculum, & suspiria, ac gemitus, clamoresq; varij. Quid ageret vir Dei magnus, cùm matres simul, ac filios lugentes, vociferantesq; cerneret, hos quidem propter famem, illas autem, q̃ se filijs orbari animaduerterent? præsertim cùm tam esset mitis, tam erga omnes clemens, tam misericors? Nonne animus eius vehementer commouebatur? Commouebatur planè; ex quo etiam impetrabat postulata. Cùm enim precaretur, dicebat ea, quæ Moses ille magnus: Domine, si dimittis eis peccata, dimitte; sin minus, dele me de libro, quem scripsisti. Quibus verbis obsecrans Deum, efficiebat, vt misereretur eorum, qui misericordiæ ipsius indigebant.

17 Ecce quomodo p̃catione, & olei sancti vnctione vir beatus multos ægrotos sanabat.

Operæpretium est igitur, vt ex multis mulieribus, quæ, cùm id paterentur, ad eum confugerunt, & curatæ sunt, vnam memoremus, quæ cùm esset curata, redijt ad monasterium, & gratiam Dei prædicauit; Cùm me, inquiens, lac defecisset, ad sanctum virum accessi cum filio meo; cùmq; ille pro me precatus esset, & oleum dedisset, è monasterij foribus egredienti vbera lac suggesserũt, diuq; tantam copiã effuderunt, vt et alios pueros lactare possem. Quamobrẽ qui eam ante viderant domos alienas frequẽtare, vt filio lac inueniret, videntes illã sic abundare, vt alijs etiam lac copiosè præberet, Deum collaudabant, cuius ita ampla sunt beneficia, vt vbi afflictio abundauit, ibi magis abundet lætitia. Qui paruũ hoc miraculũ putet, arbitror esse neminem. Quinetiam eos, qui rectè sentiunt, illi simile, & par existimaturos censeo, quod sterili cõtigit. Nam queadmodum illa pariendi quidem naturã habebat, sed tamen parere non poterat; sic & huius vbera natura quidem lactis fluxum habere debebant, sed is exaruerat, vt per seruum Dei exuberaret. Veritatem enim dico in Christo. Multæ mulieres tum hoc morbo, tum alijs multis occultis, & grauibus laborantes, veniebant, & Dei opem exorabant. Ac de curationibus quidem huiusmodi, licet plurima dici possint, satis hæc sint.

Nunc videamus, & aliam gratiam huic sancto viro concessam à Deo. Quæ quidem, vt ego sentio, non multum differt ab ea, quam habuit Elias Propheta, & quæ in Sareptis fuit declarata. Quanq̃ Thesbites quidem famis, quam ore ipse suo populo intulerat, particeps fuit; & à vidua, quæ se, filiumq; neglexit, benignè susceptus est hospitio. Cui ille gratiam hanc retulit, vt neque

in hydria deesset farina, neq; in vase oleum. Hic autem, quasi secundus quidam Elias, famem ipse non intulit, sed multos fame laborantes precibus aluit. Causam autem exponam. Impiorum Persarum in Rempublicam nostram impetum omnes scimus, cùm nouus Nabuchodonosor Chosroës Sebasten venit, & Melitenem. Cùm igitur in magnas tunc angustias, atque discrimen adductæ res essent, vicini omnes ferè tum Nicopoli, tum Cæsarea, tum Comanis, tum Zala, ex alijsq; finitimis ciuitatibus Amaseam, tanq̃ in locum munitissimum, se conferebant, non tam vrbis præsidio, q̃ viri sancti precibus confisi. Omnes enim & ciues, & inquilini, qui magna ex parte erant Iberi, & hospites reliqui suas secundum Deum in hoc sancto viro spes collocarant. Ex eius enim ore pendentes, & verba ipsius audientes seruati sunt. Meritò igitur in tali tumultu innumerabilis hominum multitudo in vrbem concurrit. Sed cùm ibi diu esset commorata, magna cibariorum penuria consecuta est. Itaq; omnes ad sanctum ipsius monasterium, tanq̃ tutissimum in portum, confugiebant, vt simul cum corporibus animos pascerent. Quare cùm magnus quotidie sumptus fieret, & fames in dies cresceret, tum propter nostros exercitus, tum propter Dei, & Reipublicæ nostræ aduersarios, magna omnes in mœstitia, & angustijs versabamur. Cùm enim multitudini panis subministraretur, sic exinanitæ sunt arcæ monasterij, in quibus farinæ conseruabantur, vt ne vnius quidem hebdomadæ cibus in eis reliquus esset. Cùm igitur horrei custodes monachi religiosissimi farinam imminui, & flagitantium cernerent crescere multitudinem, ad virum magnum accesserunt, illum scripturæ locum vsurpantes: Transiens in Macedoniã adiuua nos, quoniã farina iam in arcis deficit, & spes victus nobis adimitur. At ille, nulla interposita mora, nihil dubitans, sed opulentæ Dei misericordiæ fidens, in eum ingressus est locum, in quo arcæ erant farina prope iam vacuæ. Et cùm Deum obsecrasset, ministros hortatus est; Bono, inquiens, animo estote; quantum enim egentibus impertitis, duplum Dominus Deus noster largietur. Spero enim, quemadmodum olim ex hydria farina nõ defecit, ita nunc minimè defuturam. Nam licet inclinaueritis ex hoc in illud (vt est in psalmo dictum) hoc est à pleno ad id, quod est inane, tamen fex eius non erit exinanita. Sed edent omnes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum Deum nostrum. His verbis gaudio repleti religiosissimi monachi alacriter mandata exequebantur, panem omnibus accedentibus distribuentes. Atque hoc quidem modo magnam populi turbam fame laborantem diu nutriuerunt. Et eò sanè maius miraculum apparuit, q cùm farinæ in annum paratæ nihil adderetur, & tantum quotidie insumeretur, tamen non solùm non defecit, verùm etiam, posteaq̃ noua farina esset illata, farina vetus diu, immò semper satis fuit, sicut scriptum est: Comedetis vetera supra vetera, & vetera à conspectu recentium efferetis. Sine pœnitentia enim sunt dona Dei.

Ac de miraculis quidem, quæ à sancto viro gesta sunt, satis sit, hæc pauca commemorasse; reliqua alijs conquirenda, & commemoranda relinquemus. Non tamen erit alienum, vt miraculũ, quod in eum factum est, recenseamus. Ecquod istud est? Illud nimirum, quod ad eius pertinet reditum ad propriam sedem: quam tamen nunquam omnino reliquit. Cùm igitur duodecim annorum spatio, atque eo amplius in monasterio à se constituto mansisset, & res admirabiles, quas commemorauimus, atque alias multas Dei auxilio perfecisset, summa miraculorum, quæ ab illo gesta sunt, ea fuit, quam circa ipsum Deus ostendit. Non enim legatus, non Angelus, sed ipse Deus, qui per turbinem, & nebulas Iob fuerat allocutus; qui tardus est ad vindictam, & celer ad remunerationem; qui non relinquit omnino virgam peccatorum super sortem iustorum, vt non discant malitiam iusti; in fine certaminum claro præconio pugi-

lem alloquitur; Accinge, inquiens, vir, lumbos tuos. Interrogabo te, tu autem mihi respondebis. Opinaris'ne me aliter tecum loqui, quàm vt iustus appareas? Hoc est vulnerum medicamentum, hæc certaminis corona, hæc patientiæ remuneratio, hoc futuræ mercedis pignus; idem, qui dolere facit, rursum recreat. Nemo putet, eum sine tentationibus, & afflictionibus, aut grauibus periculis totum tempus in monasterio suo transegisse. Non enim deerant hostes tum visibiles, tum inuisibiles, qui conijcerent eum in caminum tentationum, perturbationumq; flammam incenderent, & doloribus eius adderent incrementum; vt illum psalmi versum posset dicere: Super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Qui omnes multis modis sanctum monasterium ita vexabant, vt tæderet nos etiam viuere, nisi Angelus Domini descendisset, & flammam ignis discussisset, fecisset'q; medium caminum ignis, vt spiritum roris refrigerantem. Quoniam igitur oportebat, aurum probatum è fornace eximi, vt splendidius videretur (Tales enim sunt Sancti, qui transeunt per tentationes; quorum sub persona; Transiuimus, inquit Dauid, per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium) eduxit & egregium pugnatorē in refrigerium Deus, qui tentationes dissoluit; Non te, inquiens, deseram, nec derelinquam; quemadmodum & Apostolus ait: Fidelis autem est Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis sustinere; sed faciet cum tentatione, & prouentum tentationis. Verùm quisnam huius exitus, aut liberatio, breuiter audiamus.

Cùm ex hac vita discessisset is, quem Deus arcanis quibusdam de causis, quas ipse nouit, in sedem huius ærumnosi, magniq; viri irrepere permiserat; cùmq; pius populus pastorem, doctoremq; suum flagitaret, & ad piæ memoriæ Imperatores Iustinum, & Tyberium, in primis'q; ad imperatorum, & regum omnium verum Imperatorem, ac Regem Deum nostrum exclamaret, vt fidei custos, Trinitatis buccinator, rectæ'q; religionis defensor, qui omnia omnibus fiebat, vt plures lucrifaceret, sibi redderetur; suscipientes illi diuinum populi fidelissimi studium, & charitatis ardorem, quo ipsi quoque iampridem erga sanctum virum flagrabant, pio populo id, quod petebat, concesserunt. Illud enim semper optauerant cùm multis alijs de causis, tum ob eam præcipuè, q eos Imperatores futuros prædixerat. De quibus, quamuis ad orationis exitum properemus, tamen cùm tempus hoc exigat, pauca dicenda sunt, ne in illius, qui talentum defoderat, periculum nos item incidamus. Quæ igitur illis prænunciata fuerint commemorabo.

Tribus circiter annis ante Imperium Iustini, futura prospicienti, & magno Pontifici patefactum fuit, ipsum imperaturum. Qui, nulla interposita mora, vt eum in Dei timore confirmaret, tutiùs'q; vitam eius ad pietatem incenderet, cùm in Iucundianis quodam die Senatus haberetur, in remotum quendam locum, Dei seruus Eutychius Iustinum seduxit, quo quidem in loco fenestra erat (hoc enim erit signum, vt lapidum cumulus olim inter Iacob, & Laban testimonium fuit) &; Audi, inquit, amplissimè vir, quamuis humilis ego sim seruus, & sacerdos Dei. Significauit mihi Deus, te post auunculum tuum fore Imperatorem; quare vide, ne huc illuc occupationibus distraharis; sed attende tibi, & operam da, vt dignus euadas, qui Dei perficias voluntatem. His auditis, Iustinus gratias egit Deo, & viro magno respondit ad hunc modum: Deus me dignum faciat, vt voluntati eius obtemperem, meq; gubernem, & regam arbitrio tuo. Atq; hæc quidem sic acta sunt. Cùm autem vir magnus esset in insula, quæ Princepo appellatur, quodam die narrabat nobis; In visione, inquiens, noctis quidam mihi gladium dedit duorum imagines continentem, Iustini, & coniugis eius, qui & mihi arridebant. Sed quidnam id significaret, ab eo quesiuit vnus ex ijs, qui illic præsto erant, num illius gladij

visione sectionem aliquam, vel rei finem portendi sciret. Minimè, inquit ille; sed hi ipsi regnabunt, & me liberabunt; imperatorio enim habitu indutos aspexi. Quòd imperauerint, perspicuum est. Quòd autem fuerit liberatus, quodq; exilij eius multæ vltiones extiterint, omnes nouimus. Atque hæc quidem ab illo prænunciata, perfectaq; sunt.

Quid porrò de piæ memoriæ Tyberio prædixerit, videamus. Primùm quidem ipsum Tyberium notarium apud Iustinum, anteq̃ esset Imperator, collocauit. Deinde cùm apud Sirnium Abarici belli causa ageret, scripsit ad eum vir admirabilis. Scribendi autem hæc fuit occasio. Tribunus quidam militum Amaseæ commorantium, cupiens apud Tyberium gratiam inire, acceptis à sancto viro literis commendatitijs, ad eum alacri animo Sirmium profectus est. Atque illius quidem epistolæ argumentum erat eiusmodi. Sed tamen Imperij quoque prænunciationem continebat. Post proœmium enim epistolæ sequebantur hæc verba: Nunc quidẽ in parte Reipublicæ gubernacula tibi cõmisit Deus, mox autem & finem concedet. Hoc nemo nostrum tunc animaduertit. Sed vbi Cæsar creatus est, tunc intelleximus. Epistolam enim ille, vt postea audiuimus, seruauit. Ac de duorum quidem Imperatorum prædictione satis dictum est. Quid autem & de præsenti Imperatore Mauritio Christi studiosissimo iam duo de viginti annis prænunciarit, explicemus.

Cùm ageret vir sanctus in monasterio in ea rerum perturbatione, contigit, vt omnes, qui Ponti prouinciam incolebant, venirent ad sanctum hunc virum, magnam ex illius sermone vtilitatem percepturi. Cùmq;, vt in colloquijs fit, alij alias prouincias laudarent, magnus Dei vir, cùm de Arabisenorum ciuitate mentio fieret, venustè dicebat ad principes, qui inde venerant: Magna est ciuitas vestra, & de illa meritò dici potest: E' Nazareth potest aliquid boni esse? Id autem ita pronunciabat, vt non diceret, se id affirmare, ne se sublimem, sed humilem ostenderet. Omnis enim, qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur. Et hæc quidem Amaseæ prædicta sunt.

Cùm autem Deo placuisset, vt suam in sedem restitueretur, biennio ante obitum Tyberij Imperatoris contigit, vt ipse Tyberius in morbum incideret. Et inuisit eum Dei seruus, atq; conualuit. Per visum enim intellexerat, tunc eum non esse moriturum. Cùm igitur multa dicerentur de successore, siquid humanitus ei contigisset; Non morietur; dicebat vir magnus. Et cum diuersi nominarentur, Beatus nihil respondebat. Sed cùm pijssimus hic Imperator Mauritius nominatus esset, se colligens, ea, quæ ante cognouerat, atq; prædixerat, aperuit; Verè, non est alius, inquiens; idq; iureiurando asseruit. Tunc igitur & quæ Amaseæ dicta fuerant meminimus. Quamobrem de his nemo dubitet. Idcircò enim & personas, & tempora, & loca, & occasiones expressimus, ne quis nos putaret hæc in eius gratiam confinxisse. Qui enim capit, capiat; & qui non vult credere, ne credat. Quid enim mihi de his, qui sunt foris, iudicare? Sed eò reuertamur, vnde digressi sumus, cùm de viri sancti reuocatione loqueremur.

Cùm igitur Christi amantissimi populi clamores exaudiuissent Iustinus, & Tyberius Imperatores, statim magna cum celeritate, ingentiq; gaudio scribas generosissimos miserunt ad sanctum virum, vt eum vel inuitum, & recusantem ad regiam ciuitatem reducerent. Hi cùm ad eum peruenissent, reddiderunt ei literas Imperatorum. Quas ille cùm perlegisset, suspiciens in cœlum, & lachrymans egit gratias Deo; Ecce, inquiens, Domine, labia mea non prohibebo. Quoniam tu cognouisti cogitationes meas de longè, semitam meam, & funiculum meum inuestigasti; & omnes vias meas præuidisti. Mirabilis facta est etiam ex me scientia tua; confirmata est, & non potero ad eam. Quis

nouit mentem Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Quis ea, quæ Deus altissimus decreuit, dissipabit? Num dicet figmentum ei, qui se finxit: Cur me fecisti sic? Audiui auditionem tuam, Domine, & timui. Cogitaui opera tua, & obstupui. His, & alijs multis verbis cu'm gratias egisset, & in sancto monasterio diuinum sacrificium obtulisset in sede constitutus (dies tunc erat Dominica) postq̃ salutiferæ etiam 18 Crucis memoriam die quartadecima mensis Septembris splendidè celebrauimus; monasterio, & omnibus habitantibus in eo benedixit, vniuersæq; ciuitati; omnesq; Deo comendans iter suscepit. Comitatus est autem eum vsque ad regiam ciuitatem Archiepiscopus. Videre licuit nouum planè spectaculum, & diuina illius anima dignum, mixta inter se contraria, dolorem & gaudium, luctum & lætitiam, cùm alij quidem ob eius discessum dolerent, alij propter ipsius reuocationem lætarentur. Diuersas eorum oculi lachrymas effundebant, partim mœroris, partim gaudij plenas; immò verò ob nimiam exultationem lachrymæ ex omnium oculis effluebant. Lachrymæ enim (vt omnes sciunt) etiam cùm ingens gaudium præcesserit, oboriuntur, quæ nec cor affligunt, nec animos eorum, quorum viscera commouentur, excruciant. Vbi enim peccatum non antecessit, nec dolores consequuntur. Princeps Apostolorum peccauerat, ideò amarè dicitur fleuisse. Quòd si peccata non adsint, obortæ lachrymæ, non lachrymæ, sed lætitiæ latices sunt appellandæ. Vtrunq; in ipsa vite fieri videmus. Cùm amputatur, & circunfoditur, tanq̃ dolens lachrymat. Contra cùm luxuriat, & racemos pendentes vndiq; habet, lætitiam, atque hilaritatem his præbet, qui eam coluerunt. Hoc igitur modo Dei seruus omnes, qui ciuitatem incolebant, lætitia afficiens, & gaudio, cùm eos Domino commendasset, vix tandem ab illis diuelli potuit, & proficisci.

18 Nota antiquissimũ festum Exaltationis sanctæ Crucis die quartadecima Septembris.

Quis ea, quæ tunc admirabilia contigerunt, pro dignitate valeat explicare? Quæ lingua narrare queat assiduos, & varios concursus, & congressus, faustas acclamationes; cùm vna omnes, & clara voce dicerent: Benedictus, qui venit in nomine Domini: Et, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax? Sciebant enim, qui ita clamabant, à Domino dictum esse: Qui vos accipit, me accipit: Et qui accipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Infirmos autem iuxta viam afferebant, vt vel vmbra fortis viri eos attingeret. Qui pro ratione fidei à Deo auxilium accipiebant. Accidit & res admirabilis; nam cùm ab Euchaitis vir sanctus discederet, mulier quædam cum filio ægrotante progrediens, sic est à multitudine conculcata, vt de ipsius, deq; filij eius salute omnes desperarent. Quæ tamen euasit incolumis, morbusq; discessit. Atque ita totum iter nostrum perfecimus. Cùm autem ad Nicomediensium Metropolim peruenissemus, videbamur nobis alium in mundum venisse. Quare, tanq̃ è somno excitati, vtrum ea essent vera, cogitabamus. Et quemadmodum narrat historia de Principe Apostolorum, ꝙ, cùm Angelus, Petri latus attigisset, dixit ei: Cingere, & calcea te caligas tuas, & sequere me. Transeuntes autem primam & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ vltro aperta est eis. Post hæc autem existimabat Petrus, se visum videre. Sic & magno contigit Eutychio. Cùm enim Nicomediam peruenissemus, verè cognouimus, Deum misisse Angelum suum, & Petri imitatorem eripuisse de manu omnium, qui ei struxissent insidias. Non solu'm enim fidelis, & Christi studiosus populus, regale sacerdotium, gens sancta congruentes acclamationes ædebat, & gratias agebat Deo; sed incredulus etiam, & à grege nostro alienus populus Hebræorum, propemodu'm pueros illos imitans, clamabat: Benedictus qui venit in nomine Domini: Et, Crescet fides Christianorum.

Cu'm hoc igitur honore ex honesta peregrinatione in vrbium reginam in-

gressus est propugnator, vt fortis olim, ac magnus Athanasius Alexandriam. Talia enim de ipso diuus Gregorius conscripsit: Neque aliquis arrogantiam ei tribuat. Pullus enim asinæ virum illum portabat; & rami, ac stragulæ vestes variæ illum excipiebant; & alij præcinebant, ac præsultabant. Neque verò solùm multitudo puerorum, sed omnium linguæ certatim faustis acclamationibus vtebantur. Prætereo varios plausus, & thura, quæ incendebantur, atq; ignes, qui ita vbiq; fiebant, vt tota vrbs ardere videretur. Omitto conuiuia publica, & noua ædificia, & quæcunq; solent ciuitates efficere, vt gaudium, lætitiam'q; significent; quæ quidem omnia abundè fuerunt exhibita. Tanta profectò vir admirandus, & magnus Eutychius exceptus est celebritate, vt cùm honorificæ multæ iam fuerint, nulla post hominum memoriam splendidior extiterit. Illud igitur Esaiæ Prophetæ eximij meritò huic congruere dixeris: Adducent fratres ipsorum (id est viri fideles, & pij) Leuitas, & Sacerdotes in splendidis mulis cum vehiculis in sanctam ciuitatem munus Domino. An non ita fuit? Immò verò patrem, pastorem'q;, ac magistrum suum fidelis populus duxit in sanctam ciuitatem, nouam Hierusalem, atque reginam vrbium.

Quis dicendo assequi possit res admirandas, quæ tunc terra, mari'q; gestæ sunt? Quomodo mare constratum sit, terga'q; sua nauibus subijciens terræ factum fuerit simile, adeò vt sine impedimento possent omnes super ipsum incedere? Nemo enim præ hominum multitudine poterat aquam à terra discernere. Et erat terra omnis, atq; mare labium vnum, vox'q; vna diuina, & cœlestis omnium simul Domini, & creatoris sui Dei gloriam celebrantium. Hæc dicta sunt, vt qui sciunt, recordentur; & vt qui nesciunt, discant. Quid porrò? Prætermittemus'ne reliqua? Minimè verò. Quæ'nam ista sunt? Diuino consilio factum est, vt vnde discessus principium fuit, inde reditus etiam initium habuerit. Cùm enim dies 19 festus sancti Thimothei in Hormisda, vt ante diximus, celebraretur, illinc vir pius Sacrificium faciens sublatus est; & ea pertulit, quæ passus est. Cùm autem cursum explesset, tanq̃ sol, exultauit, vt gigas currens viam, à summo cœli; & occursus eius vsq; ad summum eius. Rursum enim in Hormisda restitutus est, tanquam sponsus ingrediens in thalamum suum. Et non fuit, qui se absconderet, aut calore eius non frueretur. Omnes enim fideles sanctitatis, & gratiæ eius participes extiterunt, vel per visum, vel per tactum. Multi etiam per salutationem, & dulcem congressum delectabantur. Alij per auditum vehementer gaudebant. Fama enim eius paulò post per omnem terram est peruagata. Cùm igitur noctem ibi transegisset, manè sumpto superhumerali, quod secum ipse semper gestabat, cum sancto clero suo in augustam ædem sanctæ & immaculatæ Dominæ nostræ, Dei genitricis, & semper virginis Mariæ, quæ in Blachernis sita est, concessit. Illic enim erant pij Imperatores Iustinus, & Tyberius; qui hilari vultu, & magno cum honore sanctum virum suscipientes, quæ tempori conueniebant, collocuti sunt. Et quia dies erat Dominica, & diuinum ipse 20 Sacrificium erat facturus, eum dimiserunt.

19 **Dies festus sancti Thimothei.**

20 **Quotiens historia hæc de Sacrificio mentionẽ facit, de Missa semper intelligẽdum est; nam verũ, & proprium sacrificium hodie aliud nõ extat in Ecclesia.**

Quis non commemoret hîc opportunè verba illa Psalmi: Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam? Si quis enim illam tempestatis, & tentationis, seu persecutionis diem, ac noctem cum hac reuocationis, & reditus eius, summæ'q; pacis, ac tranquillitatis die, nocte'q; comparet, magnam sapientiam, & scientiam in vtroq; tempore, negotio'q; reperiet. Nam in persecutionis tempore sabbatum, & hyems erat. Vigesimo enim secundo mensis Ianuarij die vir sanctus tentatus, & eiectus fuit. Reuocatus autem est die tertia mensis Octobris, quæ erat Dominica. Qua quidem die, & illi, qui viro sancto insidias

ſidias ſtruxerant, atq; eum in exilium eiecerant, Aetherius, & Addæus, quorum hic quidem Vrbis Præfectus erat, ille autem Antiochiæ Curator, mortui ſunt. Et quemadmodum ambo virum ſanctum eijciendum curauerant, ita meritam ambo mercedem perceperũt. In hac igitur die, & vir optimus sedẽ recepit, atq; Eccleſiam ſuam, & ipſi priuati ſunt vita multis annis ante quàm ipſe reuocaretur. Prophetica item illa verba huc poſſunt accommodari: Et erit quo in loco dictum fuit: Hic populus meus non eſt (vt quibuſdam tunc videbatur) vos illic filij Dei viuentis vocabimini. In Hormiſda enim, vt dictum eſt, facta fuit reuocatio. Qui verò ſtadia, equitatus, & huiuſmodi res cogitant, ignorant illud: Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum: Beati eſtis, cùm maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos, mentientes propter me. Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.

Iam & de ſuperhumerali pauca dicenda ſunt. Neq; enim illi in ea expulſione fuit ereptum, ſed apud eum manſit. Cùm enim quidam è clericis ſuaderent Aetherio, vt ipſum adimeret ſancto viro, ille, neglectis eorum verbis, recuſauit. Itaque cùm ipſe in indignatione verſaretur, eis, qui ad ſe inuiſendum venerant, confeſſus eſt; Quæ, inquiens, feci domino Eutychio, ea in me cumulatè reciderunt. Per homines eius oppugnaui eum, per homines meos oppugnatus ſum. Veſtimenta illius diripui, omnia mihi directa ſunt. Vnum tantum non ademi, id mihi quoq; relictum eſt. Cùm enim me clerici cohortarentur, vt illi adimerem ſuperhumerale, id non feci. Et ecce cùm in hac ſim calamitate, zona tantùm, & dignitatis meæ inſignia non ſunt à me ſublata. Lugens ille quidem hæc narrabat, pœnitentiæ tamen tempus non inuenit, quãuis multis lachrymis eam quæſiuiſſet. Ac de his quidem ſatis. Ad rem inſtitutam redeamus.

Cùm vir ſanctus, vt dictum eſt, cum Imperatoribus congreſſus eſſet, & vix tandem ab illis diuelli potuiſſet, videns populum Chriſti, paſtoriſq; ſui ſtudioſum, ſine interpellatione gratias agentem Deo, precatus eſt eum, vt bonus ipſius eſſet remunerator. Atque ita cum vniuerſo populo fideli in ſanctam Dei magnam Eccleſiam ingreſſus eſt, non ſine labore tamen, tanq̃ in regnum Dei, cùm magna premeret multitudo, quæ diuinum templum occuparat. Cùmq; in locum editum, vt Moſes olim in montem Sinai, aſcendiſſet, ſublatis ad Deũ manibus, populi preces, & ſupplicationes cœleſti Deo, & patri offerre, Deiq; miſericordiam ad populum deducere videbatur. Neque enim aliud propter populi multitudinem fieri poterat. Tonitrus autem, & buccinæ progredientes, id eſt, aptæ diuinorum oraculorum lectiones, clariùs, & vehementiùs pronunciatæ cum timore, & magna compunctione peragebantur. Quid tum? Diuina caligo ſanctum operuit altare; ſuper quo cùm incruentum 21 ſacrificium obtuliſſet, fideli populo diſtribuit; quæ quidem diſtributio ab hora tertia ad nonam vſque perducta eſt, cùm omnes ab ipſo vellent accipere communionem. Quoties enim diſtribuebat, omnes ad eum ſine ceſſatione concurrebant. Nam qui rectè ſentire ſoliti erant, nulla videndi eum ſatietate afficiebantur. Sed quantò quis illi magis hærebat, tantò magis attrahebatur, eodẽ erga illum affectus modo, quo erga magnetem lapidem ferrum, quod arcana quadam illius vi naturali pertrahitur. Ita vir admirabilis omnes, qui videndi ipſum ſtudio tenebantur, amanter attrahebat. Erat enim totus gratioſus in habitu, ſpecioſus tum animi, tum corporis pulchritudine, ſublimis operibus, ſenſu humilis, virtute venerandus, necnon congreſſu valde benignus, & affabilis, manſuetus, miſericors, ſermone dulcis, ſed dulcior moribus, aſpectu angelicus, animo multò magis. Nequeo omnes illius tum animi, tum corporis

21 Incruentum ſacrificiũ oblatum, ſanctã Miſſam appellat.

dotes explicare; gestus, aptam omnium membrorum conformationem, vnde plerunq; interior homo dignoscitur; vultus hilaritatem, & gratiam, de qua Salomon; Cor, inquit, gaudens (in Deo nimirum) exhilarat faciem; oculos lætos, & pupillas eorum integras, tales sunt enim, qui aspiciunt recta, & qui annuunt iusta, dentes candidos, purus enim est, & cœlestis iustorum cibus; ignita labra, ardentia verba, & pura; & gratias ab illis stillantes; contractas, & rectas aures, ad omnem diuinam vocem suscipiendam idoneas; collū, vt Dauidis turrem ædificatum, atq; ad ferendum Christi, & spiritalem diuinæ charitatis iugum, & Ecclesiarum solicitudinem accommodatum; albam sacri capitis comam; & Aaron barbam similem, qua vitæ splendor, & perfectio significabatur; ad hæc corporis fragrantiam, tanquam vnguentum, quod descendit in oram vestimenti sacerdotalis; ætatis moderationem, quæ ætatem secundum Christum perfectam ostendebat; latas manus, quæ liberalitatis amplitudinem indicabant; congruentes digitos, & aptos ad diuinos sermones, & dogmata conscribenda; rectos omnino pedes, ac firmos, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinantes; sed per tritam, & regiam semitam, quam bos, & asinus, idest, populus Christianus ex Iudæis, Gentibusq; collectus, calcat incedentes.

Quis cōpositum eius incessum, & pulchros totius corporis motus describat? Sic enim incedunt modesti, speciosiq; pedes euangelizantium bona, euangelizantium pacem. Ex quo quidem incessu diuinus, & perpetuus ipsorum animi motus agnoscitur. Quis pro dignitate laudabit pallorē ita in eius facie florescētem, vt mali punici corticem, aut cuiuspiam alterius pallentis pomi colorem suaui odore coniunctum? Talis profectò est verè temperantium vita, durior illa quidem, sed quæ variorum, atq; optimorum fructuum dulcedinem continet in cellis spiritalibus; & spirat, vt scriptum est, alijs quidem odorem mortis in mortem, alijs autem odorem vitæ in vitam. Quis nō admiretur firmum, & stabilem, & constantem doctrinæ eius sermonem, quem nocte, & die facere nō desinebat, vt, quemadmodum de magno Basilio diuus Gregorius ait, & tranquillè reprehenderet, & docendo laudaret; & vtrunq; ita moderaretur, vt neutra ratione offenderet; sed & in reprehendendo patris dulcedinem, & in laudando grauitatem seruaret; vt nec lenitas dissoluta, nec grauitas aspera; sed illa prudens, hæc modesta, vtraq; sapiens videretur. Quid vobis describam virum, quem antea Paulus expressit, cùm magnum illum Pontificem cœlos penetrantem laudaret? Illuc enim vsq; audet oratio peruenire; si quidem Christos esse didici eos, qui secundum Christi præcepta viuunt. Hic totus erat dulcis, totus amabilis; qui cùm adhuc esset in terra, à spiritu sublatus terram reliquerat, & extra carnem, & mundum semper erat; vitamq; his, quæ cernuntur, agebat sublimiorem, diuinas illas formas suscipiens, quæ cum inferioribus, & mutabilibus istis nō cōmiscentur. Verè purum Dei speculum semper fuit, lumini lumen adiungens, & splendidius obscuriori. Cum Angelis versabatur, cum Archangelis Deum collaudabat. Deo homines consecrabat, & superiori mundo per sanctam baptisma, atq; alia spiritalia munera procreabat. Quis hæc, & his similia de viro diuino pro dignitate recensebit? Quis orator, quis diuinarum narrationum scriptor hæc, vt decet, persequetur? Vtinam adesset diuus Gregorius, vt nunc etiam magnum Basilium laudaret. Nam huius sancti viri sunt multæ, magnæq; virtutes, & ad sancti Basilij mensuram accedentes. Sufficit autem discipulo (ait Dominus) si sit sicut magister eius. Vtinam, inquam, beatus ille adesset, qui virtutes has dignè pronunciaret. Neq; enim ego, qui nec dicendi facultate, nec scientia valeo, sum ad illas idoneus explicandas. Itaq; veritus, ne similis ei deprehenderer, qui talentum vnum accepit, atq; defodit; & in periculum inciderem; illis argumentum, materiamq; suggessi, qui res ab illo gestas,

valent conscribere. Sed adhuc quidem ad radicem montis versamur. Necesse est autem, vt quæ vir optimus post reditum gessit, paucis exponamus.

Vixit'ne (vt rursum vtar illis verbis, quæ de magno Athanasio diuus Gregorius scripsit) vt tanti populi præfectum oportebat? Non docuit autem, quemadmodum vixit? In adeundis periculis pro veritate cuipiam cessit? An ex certaminibus minus honoris, q̃ alij, reportauit? An post reditum aliquid de pristina virtute, constantia'q; remisit? Nequaquam; sed isdem semper in eius vita, tanquam in lyra, concentus fuit. Facta, verba, certamina, pericula, quæ ante reditum, quæ post reditum ab illo gesta sunt, perpetuam viri constantiam, probitatem'q; testantur. Nam posteaquam recepit Ecclesiam, ita se comiter, benigne'q; gessit, vt ne inimicis quidem reditus eius fuerit iniucũdus. Verùm hæc alij admirentur, & laudent, quibus otium est paruas etiam illius res gestas admirari. Cùm paruas dico, eum cum seipso, & res illius inter ipsas comparo. Paucæ enim ex rebus ab illo gestis satis essent ad alium illustrandum. Quæ igitur per nouum hunc Athanasium post eius reditum Deus gesserit, videamus. Nemo putet, eum ex rerum perturbatione vllam spiritalium munerum iacturam fecisse, aut ea vllo pacto fuisse imminuta. Quinetiam aucta, cumulata'q; sunt, vt ex ijs, quæ pauca de multis commemorabimus, intelligetis.

Vos, qui reditum eius memoria tenetis, non ignoratis, magnam, ac diuturnam, antequam reuerteretur, pestem extitisse; quæ quidem ita sæuiebat, vt, nisi hic à Deo electus, tanquam alter Phinees, obstitisset, omne genus hominum, atque omnis ætas interijsset. Quomodo autem placatus est Deus? Supplicationibus, 22 quas ipse cum Christi studioso populo adhibuit, à sanctissima magna Ecclesia incipiens vsq; ad ædem sanctæ, & immaculatæ Dominæ nostræ, Dei genitricis, semper'q; virginis Mariæ, quæ in Blachernis colitur. Dum igitur supplicationes ad Christum Deum nostrum, quem ipsa Virgo de Spiritu sancto concepit, fierent, pepercit ille populo, Angelum'q; cohibuit, qui ciuitatem sine intermissione percutiebat. Imitatus est in hac re vir admirabilis Dauid Prophetam, qui, cùm propter populi enumerationem pestis debaccharetur, dicebat ad Deum: Ego peccaui, dem ego pœnas. Isti quid peccauerunt? Et postquam vidit Angelum in area Ornan Iebusæi, orauit'q; eum, immò verò Dominum, ne extenderet manum in Hierusalem, exauditus est. Quamobrem & altare constituit in ipsa area, & Domino boues immolauit, & placatus est, & mors sæuire desijt. Non'ne magnus, ac mansuetus Eutychius offerens rationabile, & incruentum sacrificium Deo, idem effecit? Neq; enim aliter extentas manus demisisset, nisi populi salutem impetrasset. Ab eo igitur die vsque ad beati viri vitæ finem Christus Deus noster à populo prouocatus iram cohibuit. Ac reditus quidem ipsius primum opus hoc fuit, quo salutem omnibus communem impetrauit. Aliud, quod per eum Deus omnipotens fecit, videamus.

22 Supplicationibus ab Ecclesia ad Ecclesiã factis, sãctus vir pestilentiã abegit.

Nobilis quidam puer, qui apud Calopodium Augustæ primicerium manebat, immò verò ab eo nutritus fuerat, aduerso quodam casu in oculo iniuriam acceperat, & magno in discrimine versabatur. Nam Medici, qui eum curabant, adiumenti nihil attulerant; sed contrà potiùs morbum auxerant. Quamobrem ad optimum medicũ confugit, qui solis precibus valebat morbum expellere. Quod & factum est. Nam solita 23 precatione adhibita, pretioso oleo laborantem oculum inunxit; & Dei gratia restitutus est sanitati. Sed aliud admirabilius videamus.

23 Olei inũctione, & precatione Sãctus laborãti oculo subuenit.

Cum Cyrillo Catulo multis annis vxor vixerat. Quæ cùm in aquam intercutem incidisset, & multum in medicos impendisset, nihil opis inuenit, sed de salute desperabat. Hanc maritus in varia loca ducendam curauit, fore sperãs, vt aëris mutatione cõualesceret. Fortè tunc vir sanctus in Paleatico morabatur.

Quòd cùm ille Christi, vxorisq; suæ amans intellexisset, & viro sancto notus esset, nulla interposita mora, mulierem ad eum duxit, supplicans, vt pro illa Deum obsecraret, vt à morbo liberaretur. Sic autem intumuerat, vt molem ventris eius spectantes omnes admiraremur. Verùm cùm ille precatus esset, & oleo sancto vnxisset, dimisit eam. Post aliquot autem dies cùm vir sanctus eodē in loco esset, vir duxit vxorem suam, gratias agens Deo, & omnibus ostendens eam ab illo morbo, & calamitate liberatam. Sic enim tumor ventris euanuerat, vt eo morbo nunquam laborasse videretur. Quo quidem miraculo perspecto, multi collaudabant Deum. Erat autem mulier illa annorum amplius quadraginta. Verùm ne quibusdam narrare videar incredibilia, finem faciam. Neque enim vltra Gades, vt diuus ait Gregorius, transeundum. Et magnus ille Nissensium Pontifex Gregorius docens orationem non esse longiùs protrahendam, quàm gratiarum mensura patiatur, de sorore sua sic loquitur: Hæc ab illa gesta sunt omnia; quæ licet incredibilia videantur, vera tamen sunt, & credibilia apud eos, quibus ea planè nota fuit. Si aliqui carni nimis addicti, fieri non potuisse putant; hi nesciunt, pro ratione fidei munerū fieri distributionem; vt fide pusillis parua tribuantur, magna autem illis, qui fidei sunt amplitudine prædíti. Verùm ne Dei muneribus detrahēdi occasio detur incredulis, sublimiora miracula prætermittemus, hæc, quæ recensuimus, satis esse ad historiam absoluendam existimantes. Quæ quidem verba de magno item Eutychio dicta, scriptaq; intelligantur.

Cùm igitur Dei seruus cursum confecisset, fidemq; seruasset, deinceps repositam sibi iustitiæ coronam expectabat. Vixit, posteaq̄ reuocatus est, & in sublimen sedem restitutus, annos quatuor, & menses sex; vt omnes vitæ ipsius anni fuerint septuaginta. In eo autem otio quos aduersus omnem hæresim, spiritu sancto adiuuante, sermones conscripserat, omnibus fidelibus, & Orthodoxæ, atq; Apostolicæ Ecclesiæ filijs promulgauit, cùm eos exemplo priùs, & vita planissimè, & apertissimè comprobasset. Docuit non esse fimo & luto, hoc est, vitæ caducæ, & rebus istis instabilibus inhærendum. Hanc enim vitam esse veluti figuli rotam, quæ assiduè impletur, & circumuoluitur, aut Lunæ similem, quæ perpetuis mutationibus obnoxia nunq̄ in eodem statu permanet. Cùm igitur ita vixisset, vt viuendi norma posset esse Pontificibus; sic autem docuisset, vt rectæ disciplinæ regulam dogmata eius continerent; cupiebat iam dissolui, & esse cum Christo, licet propter multorum salutem in carne manere magis esse necessarium iudicaret. Sed ipsum quoq;, cùm homo esset, animi à corpore seiunctionē subire oportebat. Qua quidem de re quotidie philosophabatur, & eadem, quæ Basilius, & Gregorius, sentiebat, & loquebatur. Quorum vnus; Carnem, inquit, despice, quæ præterit: Animum cura, qui est immortalis. Alter autem; Vtinam, inquit, grauem hanc exuar tunicam, vt accipiam leuiorem.

In his ille versatus, & semper hæc meditans, & cum magnis patribus ita viuens, vt non minùs Basilij, & Gregoriorum, & magni Dionysij, & reliquorum sanctorum Patrum, Apostolorum, & Prophetarum sermones, & dogmata, q̄ aërem hunc spiraret, tamen quibusdam mente imperfectis suspectus erat, quasi ab eis in resurrectionis ratione dissentiret, cùm tamen homines stulti non intelligerent, nec de quibus loqueretur, nec quæ affirmaret. Quid mirum est, si puerili mente præditi, sic de ipso sentirent, cùm Dominus, ac Deus noster in digito Dei dæmonia eijciens, in principe dæmoniorum ea eijcere putaretur? Quid de diuo Paulo? Cùm in Areopago de Iesu, deq; resurrectione loqueretur, non'ne dictum est: Quid vult nugator hic dicere? Quid q Basilius virtutum fundamentum, & sancti Spiritus propugnator, ab imperfectis existi

matus est, Deum esse Spiritum sanctum non confiteri? Quæ cùm ita sint, non est mirum, si & de hoc sacro capite magno, diuinoq; viro * Eutychio, qui fuit Ecclesiæ columna, & lumen, & venerandis Patribus omnino similis, tale quiddam suspicati sunt isti, qui resurrectionis rationem non capiunt. Absit enim, vt rectis Ecclesiæ sanctæ, & Apostolicæ dogmatibus contraria vnquam senserit. Plenæ sunt eius orationes sententijs hac de re sanctorum Patrum. Qualis est illa diui Gregorij. Inquit enim: Si quis dicit, Christum ita nunc deposuisse carnem, vt ab ea nudam diuinitatem & esse, & venturam asserat, is aduentus eius gloriam ne videat. Qui igitur fieri potest, vt cùm hanc suis in sermonibus sententiam posuerit, ab illis discreparit? Neq; enim aliter loquebatur, ac sentiebat. Absit. Cor illi prauum nunquã fuit, nunquã animus duplex. Non ignorabat ille, cùm ex animo, & corpore ita constemus, vt corporis ministerio, & opera animus vtatur, fore, vt si rectè simul se gesserint, simul etiam bonis immortalibus perfruantur; & corpus si afflictum fuerit, & in seruitutem redactum, supplicia simul cum anima vitet sempiterna. Vtrunq; enim simul aut coronatur, aut condemnatur. Oportet enim omnes sisti ante tribunal Christi, vt quisq; recipiat, quæ per corpus gesit, siue bonum, siue malum. Nam vtrunq; in hac vita simul operatur; & vtrunq; ante Christi tribunal sistendum est. Iustum autem erit tribunal illud. Ibi non erit acceptio personarum, nec dimidia ex parte iudicium fiet; sed (vt Ecclesiastes ait) cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni abscondito siue bonũ, siue malũ sit. Quod qdē iudiciũ ideo iustũ erit, qa post resurrectionē nec corpus sine anima, nec anima sine corpore, cum quo semp vixit, vnquã reperietur; sed immortalitatis pulchritudine corpus simul cum anima decorabitur.

Hæc ille, & his sublimiora considerans, cupiebat à corpore discedere, & ad Dominum proficisci, & illis Dauidis verbis vtebatur: Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus: Et, Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Videbat & calamitates, quæ huic magnæ ciuitati erant euenturæ; & instituta, studiaq; nostra non bona; & die, ac nocte Deum clementem precabatur, vt vel minas remitteret, & ciuitati nihil inferret mali; vel sibi vitam adimeret, ne afflictionē eius intueretur. Et, quæ precatus est, impetrauit. Voluntatem enim timentium se facit Dominus Deus, & preces eorum exaudit, & seruat eos. Hæc illo precante, ac supplicante, exauditus est statim, vt indicant illa Prophetæ verba: Adhuc loquente te, dicam, Ecce adsum. Instabat tempus, plenitudo temporis, corona anni, immo verò annorum bonitas, celebritas celebritatum, vniuersæ resurrectionis primitiæ, Christi Dei nostri 24 Resurrectio, in qua lætatur cœlum, & terra; de qua dicit diuinus ille Dauid: Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea: & constitui iubet diem solennē in condensis vsq; ad cornu altaris, idest, ad Angelicas vsq; virtutes; quemadmodum & scissũ velum declarat, cœlestia terrestribus aperiri, & res procreatas vna omnes voce procreatorem, ac Deum suum collaudare; iuxta illud: Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra. Cùm igitur hanc diem hilari animo is celebrasset, q de illa ita disseruerat, vt nemo alius, cùmq; sanctissimam magnam Ecclesiam lustrasset, & sacra lauachra constituisset, omnes Pontifices, & sacerdotes, & Impatorē, & Senatũ, atq; vniuersũ Dei populũ salutauit; cùm tñ multi id, qđ fiebat, ignorarent, ac ea de more fieri arbitrarent. Ipse autem solus rem nouerat.

Quomodo hæc ego nunc sine lachrymis possum cōmemorare, qui miser eo die ampliùs, quàm solebam, angelicam ipsius faciem osculatus sum? Cùm enim id bis, terq; fecisse, satiari nō poterã. Et cùm ex me qreret, cur ita sæpe id facere; Quia, inquã, hodie tãtùm mihi licet. Atq; ita cōtra me pphetaui. Quod

* Aduerte, Lector, q is est ille Eutychius Cōstãtinopolit. nus Patriarcha, quo cũ qstionē de resurrectiōe habuit diu. Gregorius Papa, dum in ea ciuitate is sedis Apostolicæ Apocrysariũ ageret, quem admodũ habes in libro Moraliũ 14 ca. 31. & 32. Et licet hic auctor illum ab errore excusare contēdat, pfatus tñ vir sãctus apertè testat, eũ in hóc articulo cecidisse; licet ante mortē sese correxerit. Quod ipsum multis sãctis viris accidisse cōperim⁹. Lege pfatuʒ caput 32.

24 Resurrectio Dominica celebritatum celebritas

uenã nõ fuisset; prius enim, quàm ille, mortuus sũ; solus relictus sũ orphanus, solus margaritã amisi, solus thesaurum in agro cõdidi, solus aberro, tanquàm ouis non habẽs pastorẽ, solus lugẽs, & mœrens obambulo totũ diẽ. Paulò post aũt oẽs, qui bonorũ ipsius participes extiterũt, verba illa mecũ, vt arbitror, pnunciabãt: Extinctũ est lumẽ oculorũ nostrorũ. Erepta nobis est lux animarũ. Vitæ nostræ præsidiũ est dissolutũ. Cõcordiæ signaculũ ereptũ est, & charitatis vinculũ sublatũ. Imbecilliũ firmamentũ confractũ est. Propter te, pater, nox ẽt p die in vita pura splẽdebat; nũc dies etiã in tenebras cõuertetur. Sed lamẽtationibus, præsertim aũ tps nõ est indulgendũ, ne illud ab eo audiamus: Nolite flere sup me.

25 Nota cùm sacrosãctũ, & salutiferũ Dñi nři Iesu Chri corpus vniuerso populo distribuisset. Non dicit signum corporis, vt volunt præsẽtis tẽporis nouatores.

Cùm igit sacrificiũ totũ explesset bonus pastor, & vniuerso populo fideli sacrosanctũ, & salutiferũ 25 Dñi nostri Iesu Christi corp' distribuisset, in sanctũ Episcopiũ reuersus modicũ cibũ cũ solitis familiarib' hilari vultu cœpit. Post cibũ aũt cùm paulisp quieuisset, & tẽpus, quo lãpades accẽdebantur, exigeret, vt ad officiũ vespertinũ accederet, cõtractio quædã totũ eius corpus inuasit. Quã obrẽ qdã è clericis religiosissimis eũ obsecrabãt, vt cõquiesceret; sed precibus efficere nõ potuerũt, quominùs iret ad officiũ vespertinũ. Sãcto igit Spiritu cõfirmatus in sanctã Dei Ecclesiã se cõtulit. Popul' aũt illũ expectabat. Oẽs enim illũ sẽper qdẽ, sed tũc potissimũ, cùm Apostolica erat stola indutus, aspicere cupiebãt. Cùmq; varias preces vespertinas cũ illa psoluisset, sacrũ altare osculatus est, fidelemq; gregẽ Deo cõmendauit. Et ex altari visibili quodãmodo ad inuisibile de virtute in virtutẽ pgrediẽs, preces pegit, clausis omnibus sẽsibus, & à populo totus separatus. Reuersus igitur in Episcopium in lectulo suo decubuit, vehementiq; febre circa mediam noctẽ correptus est. Atq; ita mansit septem dies, assiduè precibus incumbens, seq; 26 signo Crucis muniens.

26 Assiduè precibus incumbens, se q; signo Crucis muniens.

27 Vides Imperatorẽ à Patriarcha benedici? Ergo is illo maior est.

Cùm igit morbi uis intenderetur, idq; ad religiosi Imperatoris Tyberij aures peruenisset, ea re valdè pturbatus, ciuilibus omnibus curis intermissis, de illo sollicitus erat, medicosq; præstãtissimos misit, qui eũ curarẽt, à quo multi, varijq; morbi curati fuerãt. Qui sanè medici plus ex eius doctrina opis pceperũt, quàm illi' corpori cõtulerunt. Nullũ enim medicamentũ sibi passus est adhiberi; Præceptũ, inquiẽs, posuit, & nõ præteribit. Medicũ habeo, qui mihi pro arbitratu suo medebitur. His auditis, Imperator magno cũ desiderio, & fide beatũ virũ inuisit, primùm quidẽ vt ab illo 27 benedictionẽ acciperet, deinde vt intelligeret, quis post illũ pastor esset populũ gubernaturus. Benedixit ille quidẽ Imperatori, sed alterũ reticuit, nõ quòd ignoraret, sed pter quasdã causas, quas, Deo sibi aperiente, ipse nouerat. Quare cùm ea, quæ res, & tẽpus postulabat cũ Imperatore locutus esset, hilari, lætoq; vultu ille discessit. Ego aũt à quibusdã Imperatoris familiarib' accepi, ei fuisse à sancto viro prænunciatũ, celerẽ ipsi mortẽ instare. Idq; verũ fuisse euẽtus docuit. Nã quatuor post mẽsibus è vita decessit Christi amãtissimus Imperator. Cùm totã igitur hebdomadam ægrotasset vir ille simplex moribus, & gubernãdi sciẽtia multiplex, sapiẽs oratione, & mẽte sapiẽtior, magnus Patriarcha, pro omnibus Deũ orãs mẽte firma vsq; ad septimã horã Dominicæ primæ post Pascha (decebat enim septimã getis ppriã pficere) cùmq; omnibus benedixisset, vt olim Iacob filijs suis, colligẽs & ipse nouus Iacob pedes suos circa nonã, aut decimã noctis horã in Dei manus spiritũ suũ cõmendauit; & ex hac vita discẽdẽs in senectute bona, ab angelis ad cœlestes choros sublatus est. Quod qdẽ ex duobus miraculis, quæ tũc acciderũt, facilè intelligi potuit. Cùm enim anima eius à corpore seiũgeretur, vniuersus populus in Ecclesia clara voce exclamauit: Chyrie, eleison: postquàm chori præfectus lucernæ precationem absoluisset, ac diceret: Miserere nostri, Domine, miserere nostri secundũ magnã misericordiã tuã: Domine, exaudi, & miserere. Conuersus igitur populus fidelis à ministro magno cum clamore ad Deum remisit pastoris, & doctoris animam sanctam, ita gubernatore Deo rem mode-

stante. Quis hoc non admiretur? Quis non item illud, quod nec eius oculi, nec reliquæ corporis partes vllius opera, vt componerentur, indiguerunt? Quandoquidem & oculi ita decorè sub palpebris conditi sunt, vt dormientibus solet naturaliter. Labra autem aptè conclusa sunt; & manus ante ipsum pectus complicatæ; totum deniq; corpus tam decorum sponte sua situ, habitumq; retinuit, vt nullius opera, aut manus requireretur; mirumq; esset, quod diuina illa anima suum ipsius corpus tam benè composuisset.

Sed quid deinde sit consecutum, videamus. Rursum Basilius alter declaratus est, de quo magnus hæc dicit Gregorius: Cùm iacturam ciuitas sensisset, se vt pupillam derelictam conquesta est; peregrinationem, tanquam tyrannidem, incusauit; & animam comprehendere, quasi manibus, aut precibus retineri posset, concupiuit. Cùm igitur omnia funeri necessaria parata essent, Sanctus ipse sanctorum manibus sublatus gestabatur. Certatim autem singuli vel oram vestimenti, vel sacrum feretrum attingere studebant. Quid enim corpore illo sacratius, aut purius? Alius ad eos, à quibus gestabatur, appropinquare; alius aspectu tantùm, tanquam ex illo quoq; perueniret vtilitas, frui cupiebat. Plenæ erant plateæ, plenæ porticus; omnes ædium fenestræ, omnia tecta, & fastigia, & culmina referta erant. Premebant se mutuò, qui præibant, qui sequebantur, qui prope erant, qui aduentabant, innumerabilis hominum, ætatum omnium multitudo, omnes, qui apud Imperatorem in honore erant, in primisq; Præfectus vrbis, qui omnes in viri sancti funere honestando superauit. Interfuisset etiam Imperator, nisi ea cura cum detinuisset, ne aliquis tumultus in populo nasceretur. Omne militum genus 28 interfuit, omnes sacerdotum ordines, monachorum innumerabilis multitudo. Psalmorum cantus cum lamentationibus contendebant. Cedebat perturbationibus philosophia. Nostri cum externis, externi cum nostris contendebant, vtri magis lugentes plus perciperent consolationis. Illud admirabile fuit, atq; incredibile, quod ex tot hominum millibus nemo vllum in periculum incidit, præsertim cùm multæ etiam fœminæ onus in vtero gestantes videndi diuini corporis gratia accederent. Atq; vt aliquem epitaphium adiungam, externis honoribus interior cumulatur. Multorum quidem lachrymas excitauit, sed ea maior gloria fuit, quod omnium animis defixus inhærebat. Corpus, vix rapientium manibus ciuitatis, in sanctorum Apostolorum templum illatum est; & in sanctorum patrum tumulo conditum. Appositus est Patriarchis Patriarcha, Præconibus magnus Præco, Martyribus Martyr, Apostolis, qui per eorum vestigia semper incesserat, vbi sanctorum etiam Apostolorum Andreæ, Lucæ, & Timothei corpora conquiescunt, ante ipsum altare, ad basim eius (quem quidem locum sibi ipse viuens elegerat) vt ne post obitum quidem ab altari sancto corpus eius recederet; cùm anima eius altari in cœlis assisteret, atq; ibi cum sanctis Angelis, & Apostolis pro vniuerso populo preces effunderet. Aequum erat, vt corpus, quod cum illa anima coniunctum fuerat, quod cum illa simul incesserat, & certamina pertulerat, in terra nunquam ab almo altari seiungeretur, sed cum populi sacerdote supplicante, & munera Dño Deo offerente, pro populo suo, & ciuitate quodammodo supplicaret. Nam 29 corpora sanctorum parem cum animis ipsorum vim habent. Pretiosa enim in conspectu Dñi mors sanctorum eius. Et, Protegam ciuitatem hanc, inquit Dñs, propter me, & propter Dauid seruum meum. Magnæ nobis consolationi sunt Sancti, qui per fidem expugnauerunt regna, adepti sunt repromissiones, & plus valent post vitæ commutationem.

Agitè nunc etiam magni Basilij laudatores mihi orationis paupertate laboranti opitulamini. Ego plura quidem cupio præterire; sed aliud me post aliud trahit, & tanquam in corpore omnibus partibus æquè pulchro quicquid occurrit, pulchrius videtur, & orationem ad se conuertit. Agitè igitur egregias illius dotes persequimini, vos, qui illarum & laudatores, & testes existitis. Præclarum inter vos certamen suscipite viri simul, ac fœminæ, adolescentuli, & virgines, senes, & iuuenes, sacerdotes, & populus, monachi, & qui cum alijs viuitis, qui in contemplatione, & qui in actione versamini. Alius assiduum

28 Ecce magnifica sancti viri sepultura, cum populi, sacerdotum, & monachorum multitudine, cum psalmorum cantu, & lamentationibus.

29 Aduerte ad hæc duo magna dicta. Corpora sanctorum parem cum animis ipsorum vim habere. Et sanctos plus valere post vitæ commutationem.

30 Vide virtutū catalogū, q in sancto viro florebant; & quibus ipse detinere tur exercitationibus.

... 30 in ieiunijs, & preibus, tanq corporis, & materiæ esset expers, studiū laudet. Alius in vigilijs, & psalmis decantādis constantiā. Alius asperā, atq incredibilē in victu austeritatē, aut animi demissionē. Ali⁹ obliuionē iniuriarum, qua qdē in primis excellebat, ex Apostoli pcepto ita dicētis: Sol nō occidat sup iracundiā vestrā. Omnis igit illi⁹ chor⁹, vos, q circūstatis, q suggestū attingitis q estis inferi⁹, q ex nris, aut externis adestis, meā laudationē cōficite. Ali⁹ alias hui⁹ noui Basilij virtutes celebrate. Qui in iudicijs præsidetis, legislatorē laudate. Qui ciuitatē regitis, ciuē. Qui ex populo estis, popularē. Qui eruditione delectamini, magistrū. Virgines, virginē. Coniuges, castū. Qui solitudine gaudetis, amantē solitudinis. Qui frequētia, iudicē. Qui simplicitate, ducē. Qui cōtemplatione, theologū. Qui in reb⁹ secūdis versamini, moderatorē. Qui in aduersis, consolatorē. Senect⁹, baculū. Iuuētus, disciplinā. Paupertas, largitorē. Opulētia, custodē. Videntur mihi & viduæ defensorē, & pupilli patrē, & inopes pauperum studiosū, & hospites hospitalē, & fratres fratrū amantē, & ægroti medicū cuiusq morbi, ac medicinā, & sani sanitatis conseruatorē, & oēs deniq eū laudibus efferre, q omnia factus est omnibus, vt oēs, aut plurimos lucraret. Ego quidem sic amborum patrum virtutes laudibus immiscui, vt lautiore apparatu cōuiuas eiusmodi epulis gaudētes acciperē. Vobis aūt, q tāto studio iusta magno Eutychio psoluistis, nihil aliud cōsuluerim, nisi vt ad illū sēp respiciatis; atq sēp vos eū cernere, & ab ipso vos cerni existimetis. Hæc ē laudū ipsius sūma. Hic diuini viri virtutū thesaur⁹.

Vos aūt, q me benignè audiuistis, tu'q; in primis diuinū, sacrum'q caput, meæ orōnis paupertati veniā date. Mosaicum illud de agni esu mandatum expendite; qd' ita se hēt: Decima die mēsis primi tollat vnusqsq agnum p familias, & domos suas; si autē minor est numer⁹, q vt sufficere possit ad vescendū agnū, assumet vicinū suū, q cōiunctus est domui suæ. Si ad vni⁹ agni esū multos cōuocandos pcepit, qd ad vni⁹ pastoris, & talis pastoris laudationē fieri pcepisset? Ego, sācte pater, cum tuis laudib⁹ celebrādis par esse nō possē, legi obtēperās, nō paupes vicinos, sed æquales tuos, ac pares, viros eximios cōuocaui, nō vt agnū vnā edi cōspicerent, sed vt pastorē, & pegrinationis sociū collaudarēt. Aequum est enim, vt homines priuati, & q argētum nō hñt, id est, q orōnis diuitijs carēt, eāt ad aquā viuā, & ex pprijs puteis, & fontibus hauriāt. Neq n. fas est ad alienos fontes, hoc est ad externā disciplinā, & scientiā pficisci. Quæ igit, pr sctē, ex tuis rectè factis asseq potui, ea pmpto animo sitiētibus ppinaui. Quæ aūt vires meas supabāt, ea sapiētib⁹ reliq psequēda; quorum verba, sicut scriptū est, sūt tanq stimuli, & claui igniti. Da n. sapiēti occasionē, & sapiētior erit. Innotesce iusto, & adijciet, vt suscipiat te. Et diu⁹ Apostolus; Vra, inqt, abundātia illorum inopiā suppleat, vt & illorum inopia vræ sit abundantiæ supplementū, vt fiat æqualitas: Et, Quæ desūt Chri afflictiones, eas impleo in carne mea. Et rursū; Quæ enim mihi deerāt, ea veniētes fratres impleuerūt. Et vos igit, viri pfecti, q viri hui⁹ sancti, diuini'q pris, ac magistri laudatores, ac veri filij estis, animi mei studiū, & ppensionem boni consulite; & quod laudationi deest, implete, immò verò totum hoc omis suscipite; vt impleatur id, quod scriptum est: Frater fratris saltus auxilio, ciuitas firma, atque munita.

31 Habes hîc multa. Sanctorum animas esse in cœlo. Sāctos inuocandos. Sāctos vitæ nostræ cursum dirigere, & post mortē nos in cœlo recipere. Sāctos p nobis orare.

Tu verò beatissime, ac sāctissime pr, ē 31 cœlo nos aspice, & vitæ nræ cursū ad salutē dirige, vt cùm hinc decesserim⁹, recipias nos in sinū Abrahæ, & in æterna iustorum tabernacula, vbi purius, atq pfectius, quæ abs te de sctā, & eiusdē essentiæ, & sēpiterna Trinitate didicimus, videam⁹. Eā, pr, p nobis famulis tuis, & pro grege tuo, & fidelissimo hoc, Christi'q amātissimo populo deprecare, vt æterna bona consequamur, in Christo Iesu Domino nostro; Cum quo, Deo & Patri gloria, & adoratio, simul cum sancto, & bono, & vitæ largitore Spiritu, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

Sancti

SANCTI CALLIOPII VITA, ET MARTYRIUM.

VII. APRILIS.

THEOCLIA mulier quædam pia, ac timens Deum cum tota familia sua, multas faciebat eleemosynas, & sanctè viuebat. Hæc viro nupsit senatorio, qui nullos ex ea, quoniam erat sterilis, liberos suscipiebat. Dei tamen munere tandem concepit. Sed cùm adhuc vterum gereret, maritus eius defunctus est. Quamobrem in magna opulentia filium peperit, & Calliopium appellauit, qui in omni diuinarum literarum sapientia educatus est. Erat autẽ Pergæ Pamphiliæ patricius. Verùm cùm eo tempore contigisset, vt idololatriæ error vigeret, & veritas conderetur, & multi sacrificarent idolis, sanctus Calliopius assiduè 1 ieiunijs, & precationibus incumbebat. Quod cùm ad Iudices delatum esset, beata mater eius Theoclia consuluit filio, vt vitandi iudicij causa, aurum, vestimenta, seruosq; sumeret, & illinc nauigaret. Pompeiopolim igitur Ciliciæ se contulit. Vbi cùm impius præfectus Maximus, bacchanalia, & ludos, & choreas, & conuiuia idolis celebraret, admirabatur pius adolescens, quænam illa essent. Ipse enim ieiunijs perpetuò vacabat. Ab illis igitur, qui aderant, percontatus est, quid illud esset. Qui cùm respondissent, deorum esse celebritatem; Veni, inquiunt, & tu, vt conuiuij particeps fias. At ille; Christianus, inquit, sum, & Christum ieiunijs celebro, nec quæ sunt flagitiosis, atq; impuris idolis immolata, licet in os eorum, qui Christum colunt, ingredi.

1 Sanctus assiduè ieiunijs, & precationibus incũbebat.

Hæc cùm ad aures Præfecti peruenissent, iracundia plenus iussit eum in iudicio sisti. Quod cùm esset factum; Ecquod, inquit Maximus, nomen est tibi? Christianus sum, inquit, & Calliopius vocor. Cur, ait Maximus Præfectus, cùm per orbem vniuersum deorum celebritas peragatur, tu in isto errore persistis? Vos, inquit Calliopius, in errore, tenebrisq; versamini, qui, relicto Deo viuente, qui cœlum, & terram, & quæ in eis sunt, omnia Verbo procreauit, saxa sensus expertia, & ligna putrida, quæ sunt manuum impiarum opera, colitis, & adoratis. Adolescentia, inquit Præfectus, te petulantem reddit, & magnos tibi cruciatus parat. Dic igitur, è qua gente sis, & ex quo genere. E` Pamphilia sum, inquit Calliopius, & patricius genere, &, quod nobilissimum est, Christianus. Dic mihi, Præfectus inquit: Parentes habes? Mater, respõdit Calliopius, superest; nã pater iandiu defunctus est. Per solem, ac deos omnes, Præfectus inquit, si uis

esse pius, & dijs immolare, filiam, quam vnicam habeo, tibi vxorem dabo. Si vxorem, inquit Calliopius, ducere decreuissem, non priùs filiam tuam acciperem, quàm mater mea id sciret, & approbaret. Verùm sic habeto, me Christo meo credidisse, & puluerem hunc, quem Deus constituit, & ad similitudinem suam fecit, purum, & sine macula ante Christi tribunal sistendum esse. Quamobrem fac, quæ tibi videntur; ego enim Christianus sum.

Scelestissime, inquit Maximus Præfectus, istiusmodi verbis futurum putas, vt ira commotus te celeri supplicio necandum curem? Falleris. Neque enim id faciam; sed corpus tuum omni cruciatuum genere confectum in ignem conijciam. Quantò, inquit Calliopius, pluribus me tormentis excruciabis, tantò mihi ea perferenti corona splendidior contexetur. Nemo enim, vt scriptum est, coronabitur, nisi legitimè certauerit. Tunc Maximus iussit, vt ei vincto plumbatis virgis omnia ossa confringerentur. Beatus autem Calliopius, dum vapularet; Gratias, inquit, ago tibi, Christe, quia dignus effectus sum, qui propter nomen tuum verbera sustinerem. Mihi, inquit Maximus præfectus, obtempera, & dijs immola, vt patriam videas, & matrem tuam, & ne spolieris diuitijs, ac fortunis tuis. Tormentorum enim sentis acerbitatem. Dulcedinem, inquit Calliopius, promissæ à Christo quietis degusto, & tormenta non sentio. Nec in aliena regione me esse puto, cùm Domini sit terra, & plenitudo eius. Et hic quoque patriam cerno, matremque meam. Nam mater mea est Christi Ecclesia sacrosancta, & patria mea est cœlestis illa Hierusalem. Nostra enim conuersatio in cœlis est. Quòd si mihi corpoream matrem obijcias, audi quid Christus Deus meus dicat: Qui amat patrem, aut matrem, plusquam me, non est me dignus. Nam quòd ad diuitias pertinet, eas negligo, & malo Christi Cruce affligi, quàm caducis stulti mundi delicijs frui.

Maximus præfectus; Quàm est, inquit, excors. Crudis neruis ventrem eius cædite, dicentes: Noli vnum pro alio stultè respondere, sed aptè ad interrogata. Insane, inquit Calliopius, & quauis fera crudelior, & à Christi pietate, qui in cœlis est, aliene, tibi veritatis rationem expono, quam tu animi oculis non cernis, aures occludens, ne Domini sermonem exaudias, & contra legum præscripta iubes me, tanquam homicidam, verberari? Rotam, inquit Præfectus, collocate, & magnum ignem succendite. Rotæ tanta vi alligatus est adolescens, vt totus discerperetur. Quo quidem cruciatu cùm acerbissimè angeretur; Christe, inquit, præsto sis seruo tuo, vt ad finem vsque laudetur in me nomen tuum, quamuis indignus sim seruus tuus: Et cognoscent omnes, eos, qui in te sperant, non confundi in æternum. Statim igitur accedens Angelus Dei flammam carbonum extinxit; & ministri, cùm vellent rotam voluere, non poterant. Delicata autem ipsius membra totam rotam sanguine consperserunt. Erat enim acutis gladijs circummunita. Iussit autem Præfectus, eum solui, & à rota dimoueri. Spectatores dicebant, iudicium illud iniquum esse; & dolebant, quòd talis adolescens tam acerbè torqueretur. Sed Maximus; Nonne, inquit, dixi tibi, te adolescentia esse petulantem, & propterea grauioribus cruciatibus affectum iri? Canis, inquit Calliopius, impudentissime, tu me sic alloqueris, quasi crudelissima recusem, aut deprecer tormenta tua? Infelix, inquit Præfectus, credis te contumelijs effecturum, vt te celeriùs occidendum curem. Verùm haud ita erit. Deis igitur immola, vt quæ reliqua sunt, tormenta lucrifacias. Non permittet, inquit Calliopius, Christus meus, vt puram meam in Deum fidem peruertas. Arbitratu tuo corpus excrucia, recepturus à Deo in die Iudicij merita præmia. Qua enim mensura metiris, eadem remetietur tibi. Ferreis, inquit Maximus, cathenis vinctum in interiorem carcerem conijcite: nemo curam illius gerat; nemo impiorum amico-

tum ad eum accedat; beatum se putet ob ea tormenta, quibus propter ipsius impietatem aduersus deos affectus est. Statim igitur vinctus in carcerem interiorem coniectus est, vbi sine intermisione Deum laudabat.

His auditis, mater, facto testamento, ducentos quinquaginta seruos libertate, peculioq; donauit; & quicquid auri, aut argenti, aut vestimentorum habebat, pauperibus reliquit; a possesiones autem Ecclesiæ sanctæ largita est. Tum celeriter in Ciliciam ad sanctisimum filium suum Calliopium cōtendit. Et in carcerem ingressa procidit ante pedes eius, & vulnerum cruorem abstersit. Sanctus autem Calliopius cathenis, & corporis tumore ex verberibus contracto, cohibebatur, quominùs posset assurgere, & ad matrē accedere. Sed ita locutus est: Opportunè venisti, mater, vt testis esses Christi cruciatuum. Mater autem filij corpus aspiciens dilaniatum; Beata ego, inquit ad sanctisimū filium suum Calliopium, & beatus fructus ventris mei, quoniam, vt Anna, dicaui te sacrum munus Domino Iesu Christo; vt Sara, obtuli te Deo holocaustum gratum, & acceptum Domino sacrificium. Mansit autem totam noctem illam in carcere ad ipsius pedes prostrata. Simul autem ambo precabantur, & laudabant Deum. Et circa mediam noctem magna lux carcerem illustrauit, & vox eos sic allocuta est: Vos estis sancti Dei & Christi confessores, euersoresq; idolorum, qui patriam, & pecunias reliquistis, vt cum Christo pateremini.

a Vides quomodo etiam antiqui sancti possesiones suas donabant Ecclesijs, quas moderni hæretici violenter nunc ab eis auferūt?

Cùm autem illuxisset, Præfectus; Voca, inquit, Christianorum sectæ studiosum Calliopium. Demetrius autem centurio ad Calliopium; Nunc saltem, inquit, ab insania discede, & Imperatorum decretis obtemperans dijs sacrifica, vt viuas; alioquin vt magister tuus suffigeris in crucem. Admiror, inquit Calliopius, impudentiam tuam, qui cùm sæpè ex me audieris, Christianum me esse, & Christianum esse moriturum, & in Christo victurum, tam impudenter pergas veritatem oppugnare. Festino eandem, quam magister meus pertulit, mortem oppetere. Hæc cùm ille dixisset, Præfectus ex responsis Martyris animaduertens, eum à proposito deduci non posse, sententiam tulit, vt quinta sabbatorum Paschæ in crucem ageretur. Quod mater eius intelligens, quinq; nummos ministris dedit, vt eum cōtraria ratione, quàm Christus Dominus crucifixus fuit, affigerent cruci. Quinto igitur sabbatorum pronus, & in caput crucifixus est, & die parasceuæ animam egit. Et vox de cœlo audita est, ita sonans: Veni, ciuis Christi, & cohæres sanctorum Angelorum.

Mater verò sanctisimi, ac beatisimi filij corpus complexa, & Christum laudans, in eius complexu spiritum reddidit. Et accedentes fratres, eorum corpora in loco sacro sepelierunt, collaudantes Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum; Cui gloria, & imperium in secula seculorum. Amen.

SANCTORVM TERENTII, APHRICANI, ET SOCIORVM MARTYRIVM.

X. APRILIS.

DECIVS Romanorum Imperator, idolorum studio cupiens omnes in exitij baratrum pertrahere (erat enim filius diaboli) in vniuersas Imperio subiectas prouincias edictum misit, vt omnes Christiani ad immolandum, & comedendum ea, quæ idolis essent immolata, pertraherentur. Quòd si qui recusarent, in iudicium vocati plecterentur. Decretum hoc cùm in Aphricam ad Præfectum Fortunatianum esset perlatum, ipse sedens in tribunali populum conuocauit, & sic est allocutus: Dijs immolate, alioqui supplicijs afficiemini. Et, his dictis, tormenta in medium proferri iussit: Quibus conspectis, multi perterriti Præfecto obtemperarunt, & à Christi religione defecerunt. Quidam tamen ex ipsis, numero quadraginta, in Christi fide fortiter mori decreuerant, seq; mutuò ita cohortabantur: Videte, fratres, ne Dominum nostrum Iesum Christum abnegemus, ne ipse quoq; abneget nos. Mementote Dominum olim dixisse: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam antem non possunt occidere. Timete potiùs eum, qui potest animam, & corpus perdere in gehennam.

Fortunatianus ad hos; Video, inquit, vos viros & ætate perfectos, & sapientia præditos; quamobrem miror, cur vos eiusmodi dementiæ tradideritis, vt vnum Deum & Regem dicatis, quem Iudæi, vt hominem sceleratum, crucifixerunt. Respondit omnium nomine sanctus martyr Terentius: Si nosses, Præfecte, Crucifixi virtutem, relictis idolorum erroribus, ipsum coleres, & adorares. Est enim filius Dei, benignus, diues, clemens, & misericors, qui Patris nutu, & voluntate in terram descendit, diuinitatemq; suam humanæ naturæ coniunxit, & pro salute nostra Crucem subire voluit. Fortunatianus, his auditis, dixit ad eos: Immolate, alioqui membra vestra comburens delebo vos. Putas, inquit Terentius, nos terrore commotos sententiam mutaturos? Non adeò sumus ignaui, vt, relicto vitæ largitore, Deos alienos adoremus. Fac igitur celeriter, quod tibi lubet, aduersum nos, quoniam strenui, & constantes Christi cultores sumus. Indignatus Præfectus iussit eos, vestimentis detractis, in idolorum templum trahi. Idola autem auro, argentoq;, & pretiosis erant vestibus exornata. Ingressus Fortunatianus dixit eis: Magno deo Herculi sacrificate. Gloriam enim, & potestatem eius conspicitis. Erras, inquit Terentius, & ignoras id, quod

tibi vtile est. Dei enim isti tui, lapides sunt, & ligna, & æs, & ferrum. Ornati autem sunt auro, vt homines decipiant, & abducant ab æterna vita. Nam ipsi quidem non vident, nec loquuntur, nec audiunt, nec ambulant, quippe qui ab hominibus sculpti, conflatiq; sunt, & in hominũ speciem conformati, vt ad hanc impiam cogitationem eos, qui sibi parent, conuertant. Similes enim eorum sunt, qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis. Dicite, quæso: Isti, quos deos asseritis, possunt'ne sibi ipsis opitulari, & eos, à quibus læduntur, vlcisci? Quòd si ipsi sibi auxilio esse non possunt, quomodo nobis opitulabuntur?

Hæc audiens Præfectus, iussit Terentium, & Aphricanum, & Maximũ, & Pompeium in carcerem interiorem detrudi, & omni diligentia custodiri; Cras, inquiens, audiam illos. Beatum autem Zenonem, & Alexandrum, & Theodorum cum reliquis socijs, qui erant omnes numero triginta sex, ad tribunal adductos sic alloquitur: Cùm ex priori vestra contentione nihil vtilitatis perceperitis, parete mihi, & magno deo Herculi immolate. At illi; Sæpius iam, inquiunt, diximus, nos esse Christianos, id quod ex superioribus quæstionibus intelligere potuisti; nec tu nobis vnquam persuadebis, vt idola impura colamus, & adoremus. Facilè enim possumus quicquid in hãc sententiam dixeris confutare. Non vultis, inquit Præfectus, cohortationes meas audire? Atqui inuictorum Imperatorum iussa facere cogemini. Et iussit eos asperis virgis, & neruis vapulare. At illi, sublatis in cœlum manibus, vna omnes, & clara voce dixerunt: Aspice, Domine, & adiuua seruos tuos, & libera nos ab aduersario. Quibus auditis, magis adhuc eos virgis cædi imperauit, donec multi satellites vnus post alium eos verberando defessi sunt, & lora, ac virgæ defecerunt. Rursum autem iussit, eos fustibus cædi. Verùm licet omnia ipsorũ viscera contererentur, adeò tamen hilares, ac læti erant fortium Martyrum vultus, vt omnes Sanctorum patientiam, atq; constantiam admirarentur.

Postquam igitur cæsi fuerunt, dixit ad eos Præfectus: Immolate, & liberabo vos. Sancti autem tacebant. Sed Præfectus iratus pyras incendi iussit, & terga eorum aduri, cùm ea prius aceto, & sale conspersa essent. Tunc sancti Dei Martyres suspicientes in cœlum dixerunt: Domine Deus noster, qui tres pueros Ananiam, Azariam, & Misaëlem de camino ignis liberasti, nec eos lædi permisisti; qui Danielem ex ore leonum eripuisti; & de manu Pharaonis Mosem seruasti; & sanctam Theclam ab igne, & theatro, & feris, ac bestijs marinis defendisti; qui amicis tuis perfectum regnũ largitus es; qui filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum à mortuis excitasti; qui multa, variaq; dona nobis dedisti; qui lucem procreasti, & cœlum sicut pellem extendisti; qui stellas dinumeras, & suis eas nominibus vocas; qui in fines terræ misisti veritatem; exaudi nos supplices, & ex calamitatibus libera; quoniam tua est gloria in secula seculorum. Amen. Cùm precandi finem fecissent, Præfectus ira desæuiens iussit eos suspensos dilacerari. Quod quidẽ dum fieret, sanguinis riui ex eorum corporibus defluebant. Neq; tamen cruciatuum acerbitate commouebantur. Deus enim confirmabat eos, & robur, ac fortitudinem subministrabat. Præfectus autem ad eos: Persuaserunt'ne vobis tormenta, vt ab insania recedatis? an adhuc in impietate vestra permanetis? Illi nihil responderunt. Ad vos, inquit rursum Præfectus, hæc loquor. At sancti Dei Martyres suspicientes in cœlum ita locuti sunt: Deus omnipotens, qui Sodomorum vrbem propter ipsorum nequitiam igne succendisti, & in solitudinem redegisti, hoc etiam impiorum domicilium nunc propter iustitiam tuam euerte. Cùmq; Christi 1 signum frontibus suis impres-

1 Cùmq; Christi signũ frontibus suis impressissent.

fissent, insufflarunt aduersus idola; & ea statim confracta in puluerem redegerunt. Tunc sancti Martyres ad Præfectum; Cernis, inquiunt, deos tuos? Vbi est robur ipsorum? Potuerunt'ne sibiipsis opitulari? Haud multò post autem & templum corruit. Cuius euersione indignatus Præfectus iussit, vt sancti Martyres capite plecterentur. Qua illi sententia læti collaudabant Deum, & gaudentes ad locum præfinitum peruenerunt; & genibus flexis, oblatis'que ceruicibus, confestim interfecti sunt. Accesserunt autem viri religiosi, & sublata eorum corpora in loco sacro condiderunt.

Tūbeatū Terentiū, & Aphricanū, & Maximū, & Pompeium adduci iubet, & dicit ad eos: Dijs immolate, alioqui malè estis perituri. Et nemo poterit eripere vos è manibus nostris. Christiani sumus, vt sæpissimè iā diximus, responderunt Martyres, & in Christo spes positas, & collocatas habemus. Dæmones non adoramus, neque deos tuos colimus, & tormenta tua negligimus. Proinde, quos uis, adhibe cruciatus. Deo enim adiuuante, te à nobis victum iri confidimus, quemadmodum & diabolus superatus est à Christo, qui nos ad cupiditates tuas vincendas corroborat. His auditis, iussit eos in custodiam abduci, & cathenis eorum colla, & manus, pedes'que compedibus vinciri. Eos igitur ministri, vt iussi fuerant, in carcerem coniecerunt. Imperauit prætcrea, vt tribulos ferreos in terram proijcerent, quibus configerentur; & nemini Christianorum ad eos accedere permitterēt, ne cibum afferrent. Verùm circa mediam noctem lux fulsit in carcere, & Angelus Dei stetit in conspectu ipsorum, & dixit ad eos: Terenti, & Aphricane, & Pompei, & Maxime, serui Dei altissimi, consurgite, & corpora vestra curate. Et accedens Angelus tetigit cathenas eorum, & ceciderunt. Et ecce mensa coram ipsis benè instructa. Et dixit ad illos Angelus: Quiescite, & cibum capite, quem vobis Christus misit. Sancti autem, Christo collaudato, comederunt. At custodes, splendore perspecto, ingressi sunt, vt viderent, quid illud esset; & inuenerunt eos gaudentes; & Præfecto rem nunciarunt. Qui postridiè eos ad tribunal adduci iussit; &, Nondum, inquit, supplicijs edocti estis, vt ab amentia vestra discedatis, & dijs immoletis? Respondit Terentius: Stultitia hæc nobis erit, & omnibus, qui diligunt Deum. Quod enim stultum est Dei, sapientius est hominibus; nam hominum sapientia apud Deum stultitia est. Stulti, & amentes essemus, si, relicto Deo, dæmones, quemadmodum tu facis, adoraremus. Quibus verbis Præfectus iratus iussit eos vngulis lacerari. Dum autem id fieret, illi precabantur Deum dicentes: Iesu Christe fili Dei viuentis in secula, lumen Christianorum, spes nostra certissima, præsto sis nobis, & fer auxilium; & ne confundas nos propter sanctum nomen tuum. Christi igitur ope subleuati, cruciatus non sentiebant.

Itaque iussit eos Præfectus in carcerem retrudi. Et conuocatis omnibus ferarum incantatoribus imperauit, vt sæuas omnes feras, & crudeles, quas haberent, aspides, & viperas, afferrent, & cum ipsis includerent. Quæ quidem feræ ad pedes eorum accedentes, eos nihil omnino lædebant. Sancti verò considentes psallebant, & Deum collaudabant. Cùm'que tribus diebus, & tribus noctibus cum sanctis inclusæ mansissent, quarto die sub noctem misit Præfectus, qui viderent, verum à feris consumpti essent. Sed qui missi fuerant, ad carceris fores appropinquantes, audiebant eos psallentes, & collaudantes Deum. Cùm'que diligentiùs vellent intueri, quid ageretur, carceris tectum conscendentes, sanctos viderunt, qui considebant, & Angelum Dei stantem ante faciem ferarum, &, ne ad eos appropinquarent, prohibentem. Et Præfecto celeriter, quæ viderant, nunciarunt. Summo igitur mane sedit in tribunali, & iussit, vt incantatores feras suas sumerent; & Sancti ad tribunal adducerentur

tur. Incantatores igitur cùm ad carceris ostium incantationibus suis feras ad uocarent, illæ non audiebant. Sed cùm ostium carceris apertum ab illis esset, vno omnes impetu egredientes, quoscunque nactæ sunt homines occiderunt, & in solitudinem profectæ sunt. Tum custodes ad Præfectum Sanctos adduxerunt. Qui cùm eos nulla in parte læsos aspiceret, furore concitus eos capite damnauit. Sancti autem egressi sunt læti; canentesque dicebant: Liberasti nos, Domine, ab iis, qui nos affligebant; & qui oderant nos, confudisti. Ministri verò, eductis gladiis, fecerunt imperata. Atque ita sancti in Christi confessione martyrii palmam acceperunt.

Eorum autem corpora rectè componentes viri religiosi in loco, qui duobus passuum millibus ab vrbe distabat, sepelierunt, ad gloriam Saluatoris nostri Iesu Christi, qui viuit, & regnat in secula seculorum. Amen.

SANCTI ANTIPAE PERGAMI ASIAE EPISCOPI MARTYRIVM.

XI. APRILIS.

CVm aduersus Christianos persecutionem excitasset Domitianus, qui Apostolorum tempore Romanum imperium obtinuit, per orbem vniuersum ad omnes magistratus missæ sunt literæ, vt homines Christiani decretis Imperatoris parerent, & sine vlla excusatione stultam idolorum religionem colerent, eorumq́ue templa omni honore venerarentur. Tunc fidelis verum Deum confitentium multitudo patefacta est, & magna Martyrum pro Christi Saluatoris fide vbique decertantium virtus apparuit. Tunc & Ecclesiæ, fideiq́ue basis, & Christianæ veritatis fundamentum, atque æternæ diuinitatis Vnigeniti præco Ioannes Apostolus præstantissimus in Pathmum insulam relegatus est. Vbi dum magnum Christi Martyrum cœtum ijs, quæ de septē Ecclesijs 1 scripsit, cōfirmaret; Antipas testis meus fidelis, inquit, qui occisus est apud vos, vbi Satanas habitat. Ex ijs Apostoli verbis intelligi potest, quibus essent moribus præditi homines illi, qui Pergamum incolebant, vbi erat Satanæ domicilium. Ibi nec naturæ lex seruabatur, nec vlla erant iudicia. Tantum sibi quisque iuris vindicabat, quantum viribus, & robore valebat. Sibiq́ue satis iusti videbantur, & fortes, ac boni, qui Christianum aliquem detulissent.

1 Nota beatū Ioanem Apostolū, & Euangelistam Apocalypsim scripsisse.

Cùm igitur Christianorum cœtus magno in discrimine versaretur, Antipas vir strenuus, & constans nihil turbabatur; sed tanquam in Angeli naturam esset ex homine conuersus, fortiter resistebat, nec vlla prorsus in re formidabat, quinimmò sæpius prodibat in publicū; & tortorum minas negligens in medio ipsorū fulgebat; & puræ, synceræq́ue fidei splendore tenebricosos idololatriæ errores discutiebat. Quamobrem omnes, qui putabantur dij, fugiebant, & ne vnus quidem eorum audebat in ea vrbe manere, in qua Sanctus ipse commorabatur. In somnis igitur sacrificulis suis dæmones apparebant, dicentes, se nec sacrificiorum esse participes, nec nidorē suscipere, propterea quod à Christianorum principe Antipa fugarentur. Quare indignata multitudo in Antipam impetum facit, eumq́ue comprehendit, & in locum, vbi fieri sacrificia solebant, trahit. Et Præfectus sic eum alloquitur: Tu'ne es Antipas ille, qui nec ipse decretis Imperatorum obtemperas, & alios, ne obtemperent, adhortaris;

taris; & sacrificia, quæ fieri à nobis solent, ita perturbas, vt deorum nemi-nem pinguedine, aut nidore frui permittas; ex quo factum est, vt dij omnes recesserint; & periculum imminet, ne tueri ciuitatem ampliùs velint? Satis sit tibi ad hunc vsq; diem Christianæ superstitioni vacasse. Resipisce iam, & legibus nostris pare, vt dij, qui pulcherrimæ huic vrbi præsunt, curare nos, ac tueri queant. Quod si facere recusaris, & partium tuarum studio, deorum neglexeris religionem, ex Romanorum legum præscripto meritis supplicijs afficieris. Respondit beatus Antipas: Vnum hoc scito, me Christianum esse, & impio Imperatoris decreto ab omni ratione alieno parere omnino nolle. Et quoniam quæstionibus tuis respondendum est, id faciam libenter. Si enim dij, quos adoratis, & quos totius orbis dominos asseritis, sic ab homine mortali fugari se dicunt, vt cùm vestri defensores, ac vindices esse debeant, opem vestram implorent, facilè potestis errorem vestrum agnoscere. Qui enim se ipsos vlcisci non possunt, & ab homine vno vinci se confitentur, quomodo gentem vniuersam in aliquo periculo constitutam, aut ciuitatem aliquā poterunt liberare? Hoc considerantes debetis nunc saltem à pernicioso errore vestro discedere, & in Christum credere, qui descendit de cœlis, vt hominum genus conseruaret. Qui sanè Christus in fine seculorum venturus est iudex omnium, daturusq; singulis congruentia factis eorum, vel præmia, vel supplicia.

Respondit Præfectus: Vos nouis à vobis inuentis legibus, & institutis vultis obtemperare, neglecta deorum religione, quam iam inde ab initio nobis à maioribus per manus traditam accepimus, à quibus & hæreditas ad nos peruenit. Idcirco enim nos illorum vestigijs inhærentes; ab eis discedere tutum non arbitramur; cùm vetera recentibus præstent; & quæ temporis longitudine sunt confirmata, nouis sint laudabiliora. Quamobrem ipse quoq; mutare sententiam debes, nec eum hominem in viuendi ratione sequi, qui paulò ante cognitus est, & præstigijs quibusdam vitam mortalium perturbauit, præsertim cùm in crucem suffixus sit sub Pontio Pilato præside. Imperatorum igitur decretis pare, vt nobiscum sine periculo vitam transigas; habebis enim nos omnibus in rebus propitios, & amantes, vt filios, quandoquidem ætas id postulat tua, vt te perinde ac patrē diligamus. Ad hæc vir Sanctus; Licet, inquit, innumerabilibus argumentis aures meas obruas, non tamen ero tam stultus, & imprudens, vt cùm iam ad extremam senectutem peruenerim, nec à morte procul abesse possim, sententiam mutem, & vitæ miserabilis, ignominiosæq; gratia, à confirmata fidei confessione discedam. Noli igitur mentem meam circumuenire in rerum diuinarum assidua lectione versatam. Neq; ab initio fuit vllus deorum vestrorum, nec quicquam ab illis vtile ad vos vnquam pfectum est. Sed ipsi turpibus, & obscœnis hominibus prauè viuendi materiam afferentibus, & turpium voluptatum occasionem demonstrantibus vos addixistis. Quòd si vetustissima quæq; sunt obseruanda, cur non & Cain fratricidij inuentorem imitamini? Cur non eos vobis proponitis imitandos, qui cœlum conscendere conati sunt; aut qui se cum proprijs sororibus cōmiscere nō sunt veriti, vnde diluuium genus eoꝝ deleuit, quia piam, ac rectam viuendi semitā ingredi neglexerunt? Quamobrem si vos item istos propter antiquitatem, & eorum flagitia imitari volueritis, non per aquam ampliùs, sed per ignem æternum, & vermem, qui nunquam dormit, consumemini, nisi resipueritis.

Hæc, atq; alia multa loquentem virum iustum corripiunt homines impij, & ad Dianæ templum trahunt, vbi erat statua bouis æneci, quem igne succenso multò ante inflammarant. In hunc beatum Martyrem coniecerunt. At ille cùm se Christi a signo muniuisset, dum eiusmodi cruciatu diu torqueretur, ad hunc modum precabatur: Deus, qui mysterium in arcanis bonorum the-

a At ille cùm se Christi signo muniuisset.

sauris reconditum nobis aperuisti, Dominum nostrum Iesum Christum, per quem & arcana consilij tui patefecisti, gratias ago tibi pro vniuersis beneficijs tuis, qui nos in te sperantes seruas, & me hac hora dignum fecisti, vt ad eorum ascriberer numerum, qui pro nomine sancto tuo martyrium pertulerunt. Spiritum meum ab hac hodie vita discedentem suscipe; & concede, vt apud te, atq; vnigenitum filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum gratiam inueniat; vt & qui postea futuri sunt benignitatis participes tuæ, nomen sanctum tuum collaudent in Christo, per quem honor habetur tibi in secula seculorum. Amen. Facto precandi fine, tanquam graui somno captus spiritum reddidit, & gloriosa Martyrij corona redimitus in [3] cœlum euectus est.

[3] Vide Sanctorum aĩas statim post martyrium ferri in cœlum.

Tunc viri quidam pij reliquias ipsius magno studio collectas in hoc loco Pergami collocarunt, vbi nos congregati gratias agimus Deo pro ijs, quæ in nos benignè egit. Hunc enim Martyrem nobis largitus est; qui tanta præstitit virtute, vt locus hic, vbi martyrium pertulit, in hodiernum vsque diem miraculis excellat; & magnæ in eo fiant curationes, quibus & Deus, qui præstat omnibus, & vnigenitus filius eius Dominus noster Iesus Christus cum sancto Spiritu laudatur; & pia sanctorum in Christo Martyrum memoria celebratur, quæ animos nostros quasi viua quadam voce quotidie incitat ad eum in Sanctis ipsius imitandum; Cui gloria, & imperium in secula seculorum. Amen.

SANCTI SABAE GOTTHI VITA, ET MARTYRIUM.

ECCLESIA Dei, quæ est in Gotthia, Ecclesiæ Dei, quæ est in Cappadocia, & omnibus Ecclesiæ catholicæ Christianis vbiq; gentium habitantibus, misericordia, pax, & charitas Dei patris, & Domini nostri Iesu Christi impleatur. Quod à beato Petro dictum est: In omni gente, qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est ei: nunc etiam verum esse declaratur. Hoc enim in beato Saba confirmatum est, qui est martyr Dei, & Domini nostri Iesu Christi. Cùm enim genere Gotthus esset, & in Gotthia in medio generationis prauæ, atque peruersæ vitam ageret, ita viros imitatus est sanctos, & cum ipsis omni genere virtutum Christum coluit, vt in mundo, tanquam stella, fulgeret. Iam inde enim ab ipsa infantia Domini nostri Iesu Christi religionem complexus, eam virtutem perfectam existimauit, vt in filij Dei cognitione in virum perfectum euaderet. Verùm quia diligentibus Deum omnia cooperãtur in bonum, strenuè aduersus hostem pugnans, & huius vitæ malis superior existens, atq; pacem cum omnibus habens, ad supernæ vocationis brauium peruenit.

Memoriæ igitur, & ædificationis piorum gratia, nos, posteaq; is in Domino conquieuit, tacere, & quiescere nequaquam permittimur; sed ad præclara ipsius facta conscribenda impellimur. Fuit enim 1 fide rectus; religiosus; ad obediendum in omni iustitia promptus; mitis; imperitus sermone, non autem scientia; cum omnibus pacificus; pro veritate loquens; os idololatris obstruens; non superbus, sed (quod humiles decet) subiectus; quietus, non autem petulans in loquendo; ad omne opus bonum propensissimus; psallens in Ecclesia, eius q; magnam curam gerens; pecuniam, possessiones q; despiciens, nisi quatenus necessitas exigebat; sobrius; omnibus in rebus continens; à fœminarum abhorrens consuetudine; 2 precationibus, & ieiunijs quotidie incumbens; ab inani gloria alienus; omnes ad rectè viuendum incitans; quæ ex virtute, atq; officio sunt, exequens, fugiens q; contraria; integram deniq; fidẽ, quæ per dilectionem operatur, obseruans; ac nunquam desinens in Domino cum libertate loqui. Neq; enim semel, sed sæpè, antequam pro fide martyrio coronaretur, re ipsa se ipsum veræ pietatis acerrimum defensorem ostẽdit.

Cùm enim Gotthiæ principes, & magistratus cœpissent Christianos homines infestare, & cogere, vt ederent ea, quæ essent idolis immolata, & Gẽtiles

1 Vide viri sancti virtutes, & exercitia.

2 Precationibus, & ieiunijs quotidie incumbens.

quidam consilium illud iniisset, vt Christianis propinquis suis pro immolatis, quæ immolata non essent, proponerent, quò propinquos suos seruarent, persecutoresq; deciperent; re cognita, beatus Sabas non solùm ipse comedere cibos vetitos recusauit, sed in medium prodiens protestatus est omnibus; Si quis, inquiens, ex carnibus illis comederit, Christianus esse non potest. Atque ita cauit, ne omnes in diaboli laqueum inciderent. Hac de causa qui fraudem hanc moliebantur, eum ex illo vico expulerunt; Sed postea reuocarunt. Cæterùm cùm rursus mota esset persecutio, quidam ex eiusdem vici Gentilibus victimas dæmonibus offerentes, iureiurando volebant affirmare, neminem in vico suo Christianum hominem reperiri. Verùm Sabas cum fiducia iterum in medium prodiens, & ad consessum illorum accedens; Nemo, inquit, pro me iuret; ego enim Christianus sum. Denique, instante persecutore, prædicti Gentiles, celatis propinquis suis, iurarunt, non esse in vico suo, nisi vnum Christianum. Quo audito, Princeps iniquitatis iussit, vnum illum, (hic autem erat beatus Sabas) adduci. Et cùm esset adductus, ex ijs, qui circunstabant, quæsiuit, quid ille haberet in bonis. Cùmq; respondissent, nihil amplius, quàm id, quo erat indutus, contempsit eum vir iniquus; Neque prodesse, qui eiusmodi est, inquiens, nec obesse potest. Atque ita locutus iussit eum extrudi.

Post autem cùm ingens rursum in Gotthia à peccatoribus persecutio moueretur, & [3] sanctus Paschæ dies appropinquaret, ad aliud oppidum voluit proficisci, vt cum Guttica presbytero sanctum illum diem celebraret. Sed iter facienti vir illi magnus, aspectuq; splendido apparuit, & dixit ei: Reuertere, & vade ad Sansalam presbyterum. Sabas autem respondit; Abest, inquiens, Sansalas. Fugerat enim propter persecutionem, & in Romania commorabatur; sed tunc propter diem Paschæ domum redierat. Quamobrem Sabas, cùm eius reditum ignoraret, ita responderat, & ad Gutticam presbyterum ire contendebat. Verùm cùm mandato illius magni viri à se conspecti parere nollet, repente cùm serenum tunc esset, magna niuis copia terræ faciem sic occupauit, vt iter intercluderetur, & Sabas progredi non posset. Intellexit igitur se Dei voluntate ab itinere prohiberi iubentis, vt ad Sansalam presbyterum se conferret. Quare Deo gratias agens reuersus est; & cum gaudio Sansalam conueniens, narrauit ei, & alijs compluribus id, quod in via perspexerat. Simul igitur Paschæ diem celebrarunt. Cæterùm tertia post celebrationem nocte ecce ex impiorum decreto Atharidus Rhotesti reguli filius cum magna impiorum latronum manu in pagum irruit; & cùm domi suæ Presbyterum dormientem offendisset, eum vinciri iussit simul cum Saba, quē è lectulo nudum sustulerant. Ac Presbyterum quidem in curru collocarunt; Sabam autem nudum, vt erat genitus, per spinas, quas repente inciderant, pertraxerunt comprimentes eum, & fustibus, ac flagellis verberantes; adeò erant aduersus Dei seruos immites, ac sæui.

[3] Et sāct⁹ dies Paschæ appropinquaret.

Sed hostium crudelitas viri iusti patientiam, ac fidem exercuit. Cùm enim dies aduenisset, in Domino glorians persecutores suos allocutus est ad hunc modum: Nonne me per loca aspera, & spinosa nudum, & sine calceis pertraxistis? Cernite, an pedes mei læsi sint; vtrum in corpore meo appareant verberum signa, quæ mihi inflixistis. Videntes illi nullum in eius carne vestigium extare crudelitatis suæ, sublatum axem super humeros eius imposuerunt, & ad extremas axis partes manus ipsius extenderunt, pedesq; similiter ad alterum axem alligarunt; & deniq; super axes ipsum proijcientes, vt humi supinus iaceret, effecerunt; nec prius eum torquere destiterunt, quàm maxima noctis pars præterijsset. Verùm, ministris dormientibus, mulier accessit,

& soluit

& soluit eum. Nocte enim excitata fuerat, vt domesticis cibum pararet. Ille verò solutus eodem in loco mansit intrepidus cum muliere, & eam adiuuabat. Sed posteaquam illuxit, re cognita, crudelis Atharidus manus eius vinciri iussit, eumq; ad trabem domus suspendi. Nec multò post venerunt quidam ab Atharido missi, & cibos idolis immolatos attulerunt, sic Presbyterum, & Sabam alloquentes: Hæc vobis magnus Atharidus mittit, vt comedatis, & animas vestras à morte liberetis. Hæc nos, respondit Presbyter, non edimus; neque enim nobis licet. Quamobrem Atharidum cohortamini, vt nos potiùs iubeat crucifigi, aut alio genere mortis interfici. Beatus autem Sabas; Quis, inquit, hæc misit? Responderunt: Dominus Atharidus. Vnus, inquit Sabas, est Dominus Deus, qui in cœlis est. Impuri, & profani sunt isti perditionis cibi, quemadmodum & Atharidus ipse, à quo missi sunt. Ita loquente Saba, vnus è seruis Atharidi ira inflammatus vas in sancti viri pectus coniecit, tanto cum impetu, vt omnes, qui aderant, crederent eum statim interiturum. Verùm ille pietatis studio vulneris dolorem superans, Nunc, inquit, ministre, arbitraris ictu me tuo sustulisse? Sed ita habeto, me adeò non doluisse, vt mihi videaris lanæ vellus in me coniecisse. Cuius rei perspicuum illud indicium fuit, quod nec exclamauit, neque, vt in dolore fieri solet, ingemuit, neq; vllum in eius corpore plagæ vestigium apparuit.

Tunc, his omnibus cognitis, Atharidus eum iussit interfici; & iniquitatis ministri, dimisso Sansala presbytero, Sabam ad fluuium, qui vocatur Musæus, vt eum suffocarent, traxerunt. At beatus vir præcepti Domini memor, & proximum diligens sicut seipsum; Quid, inquit, peccauit Presbyter, quia mecum non moritur? Non est tuum, responderunt ministri, istud præcipere. Tunc ille in exultatione Spiritus sancti exclamauit, ac dixit: Benedictus es, Domine, & laudabile nomen filij tui in secula, Amen; quoniam Atharidus quidem se ipse morte damnauit, atque interitu sempiterno, me autem ad vitam mittit perpetuam. Sic enim tibi complacuit in seruis tuis, Domine Deus noster. Et cùm duceretur, nunquam cessauit Deum collaudare, dignas non putans afflictiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ in Sanctis reuelabitur. Cùm autem ad fluminis ripam ductus esset, ministri inter se; Cur non, inquiunt, dimittimus hominem hunc innocentem? Nunquam enim Atharidus hoc est resciturus. Sed beatus Sabas dixit ad eos: Quid nugamini, ac non potiùs facitis id, quod vobis est imperatum? Ego video id, quod vos non potestis intueri. Ecce stant è regione, qui me suscepturi sunt in gloria. Tunc eum ad aquam perduxerunt gratias agentem Deo, atque eum collaudantem (Spiritus enim eius ad finem vsque non destitit id facere) & in flumen proiectum, ligno, quod eius collo alligauerant, in profundo suffocarunt. Atque ita per lignum, & aquam defunctus, in se verum salutis symbolum expressit. Erat autem annorum octo & triginta. Martyrio coronatus est quinta die sabbati post Pascha, idest, pridie idus Aprilis, Valentiniano, & Valente Imperatoribus, Consulatum gerentibus Modesto, & Arintheo.

Deinde extraxerunt illum ex aqua homicidæ, & insepultum reliquerunt. Verùm nec feræ, nec volucres eius reliquias attigere; sed à pijs fratribus seruatæ sunt, easq; clarissimus Dux Iossoranus Deum colens, missis viris fide dignis, è loco barbaro in Romaniam transtulit, & pretiosum patriæ suæ munus, & fructum fide gloriosum misit in Cappadociam ad vestram religionem, Domino gratiam suam iis, qui sustinent, & timent ipsum, largiente. Quamobrem, qua die Martyr coronatus est, sacrificantes, hoc reliquis fratribus nunciate, vt in omni catholica, atq; Apostolica Ecclesia exultãtes collaudent Do-

minum, qui proprios seruos suos elegit. Salutate omnes Sanctos. Salutant vos hi, qui nobiscum persecutionem patiuntur. Ei autem, qui potest nos omnes gratia, & benignitate sua in cœleste Regnum perducere, gloria, honor, imperium, maiestas cum vnigenito Filio, & sancto Spiritu in secula seculorum. Amen.

VITA SANCTI PATTRIS NOSTRI THEODORI SICEORVM ARCHIMANDRITAE

A' GEORGIO PRESBYTERO EIVS DISCIPVLO, EIVSDEM'QVE MANSIONIS PRAEFECTO CONSCRIPTA.

XXII. APRILIS.

BENEDICTVS Deus, & pater Domini nostri Iesu Christi, qui ab antiquis temporibus seruos suos, tanquam stellas, accendit in terra, vt populum suum regerent, & quæ ad virtutem, pietatem'q; pertinent, edocerent; quos nunc etiam, tanquam lucidos Solis iustitiæ radios, ex dulcissima sanctarum scripturarum lectione veneramur; vt primum innocentiæ typum Abel, Enoch virtute præstantem, iustum Abraham, Isaac fidelissimum, & Christi figuram exprimentem, Iacob simplicem, castum Ioseph, Iob patientissimum, Mosen legislatorem, supplicem Samuelem, Dauid mansuetissimum, zelantem Eliam, Elisæum rerum mirabilium effectorem, Esaiam eloquentissimum, venerabilem Hieremiam, Ezechielem Cherubin descriptorem, Danielem ora Leonum obstruentem, tres pueros ignem extinguentes, zachariam sacerdotem in omnibus Dei mandatis, iustificationibus'q; sine reprehensione incedentem, Symeonem senem, & mundi lumen in vlnis suis gestantem, Ioannem Baptistam solitudinis incolam, & prophetis antecellentem, duodecim chorum Apostolorum in omni regione, ac ciuitate fidem à Christo traditam disseminantium, Martyrum cœtus, qui eam sanguine suo ædificarunt, sanctorum patrum Concilia, 1 à quibus Apostolicæ doctrinæ dogmata sunt confirmata, & alios complures, qui in veteri, & nouo testamento extiterunt, quorum in sacris libris fit mentio, quos'q; ego propter multitudinem silentio præteriui, magis insignes tantùm vobis in medium proferens.

1 Vide sanctorum Cõciliorum auctoritatẽ, q̃ Apostolicæ doctrinæ dogmata confirmauerunt.

Omnes igitur Sanctos, qui certamina subierunt, & ædiderunt miracula, Deus

mundo largitus est, vt in singulis hominum ætatibus disseminati, tanquam stellæ quædam, virtutum, & certaminum, & miraculorum splendore fulgerent, vt eorum doctrina omnes eruditi, & certaminibus roborati, miraculisq; confirmati, impiorum institutorum perniciem effugerent, & in Christi regnum, & gloriam ingrederentur, vbi promissa ab ipso recondita sunt illa bona, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit; nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se. Sic & in hac ætate benignus ipse Deus noster, quasi splendidam quandam stellam radios suos emittentem, beatum nobis Theodorum ostendit, qui fuit veluti firma quædam columna, & diaboli artes patientia superauit; qui fugauit dæmones, ægrotantibus reddidit sanitatem, pater extitit pupillorum, nutritor pauperum, nudorum indumentum, tutus periclitantium portus, perfugium miserorum, peccatorum dux ad pœnitentiam, baculus inopum, consolator afflictorum, socius Apostolorum, Sanctorum particeps, incola regni cœlorum, templum Spiritus sancti; qui multos in cœlum duxit, omnibus virtutibus excelluit, vberem habuit fontem, ex quo sanitates emanabant; qui ab ætatis initio ad Deum accessit, eiq; ad finem vsq; vitæ gratus fuit, vereq; Theodorus nomine, & factis extitit. Quamobrem oro vos, patres, & fratres, vt dum vitam eius expono, benignas mihi aures vestras præbeatis. Præclara profectò sunt, & admodùm vtilia, quæ pro viribus accuratè sum explicaturus. Incipiam enim ab ijs, quæ puer gessit; nam illa quoq; sunt optimæ frugis plena. Vos igitur, qui ad audiendum accessistis, etiam atque etiam obsecro, vt meam imbecillitatem aspicientes, me studijs, & precibus vestris adiuuetis, vt munificus, & pater luminum Deus peccatorum meorum oblitus, mihi indigno tantum gratiæ, & benignitatis, & sapientiæ suæ tribuat, vt diuina, & admirabilia huius sancti viri facta valeam enarrare.

In Galatarum regione est oppidum, quod Siceon appellatur, subiectum Anastasiopoli primi Ancyrensium principatus, distat autē Anastasiopoli duodecim passuum millibus. In huius oppidi medio est publica regij cursus via, in qua diuersorium erat, vbi puella formosissima, nomine Maria, commorabatur cum matre Elpidia, & sorore Despenia; quæ quidem ibi commorantes quæstum faciebant. Eo tempore imperante piæ memoriæ Iustiniano, contigit, vt inter magistratus vir quidam, nomine Cosmas, in equestribus certaminibus clarus, ad partes illas iudex mitteretur. Qui cùm in diuersorium illud venisset, perspecta Maria, amore illius captus est, & cum ea concubuit. Concepit mulier ex eo, & in quiete stellam vidit ingentem, & claram è cœlo in vterum suum descendere; experrectaq;, ac timoris plena ipsi Cosmæ visum narrauit. Qui, Serua te, inquit, mulier, si fortè te Deus aspiciat, & tibi det fructum Episcopatus forte dignum. Et egressus manè lætus discessit. At mulier cùm ad sanctum quendam senem in loco sex millibus passuum distante habitantem venisset, narrauit ei somnium, quod viderat. Qui, Magnus profectò vir, inquit, euadet puer, qui ex te nascetur, & plurimum valebit non apud homines, sed apud Deum. Lucida enim stella regiam significat gloriam, vt iudicant sapientes viri, qui somnia interpretantur. Verùm hoc de te dicendum non est; sed splendida virtutum, & gratiarum gloria tibi per stellam abs te perspectam significatur, quam Deus in tuum fœtum infudit. Solet enim seruos suos, antequam ædantur in lucem, in vtero adhuc existentes sanctificare. Hoc cùm audisset & Theodosius Anastasiopolis Episcopus, idem iudicauit.

Expleto igitur partus tempore, Dei seruum peperit, & paucis post diebus, vt Christianorum mos est, tulerunt eum ad sanctam Orthodoxorum Ecclesiam; & à sacerdotibus baptizatus est in nomine sanctæ Trinitatis, & Theodorus appellatus

appellatus est, vt ex nomine perspicuum fieret, eum Dei donum futurum. Cùm autem sextum ageret ætatis annum, cupiebat mater eius, vt in regia ciuitate ad militiam educaretur. Itaq; cùm zonam illi auream, & vestes pretiosas, & res alias necessarias parasset, de itinere cogitabat. Verùm qua nocte profectura erat, sanctus ei Dei martyr Georgius apparuit, &, Quod nam, inquit, mulier, de puero consilium cœpisti? Ne frustra laborem suscipias. Rex enim, qui in cœlis est, ipsum sibi requirit puerum. E somno mulier manè excitata somnium suum cum lachrymis enarrauit; Appropinquat, inquiens, mors filij mei; atq; ita labore itineris supersedit. Et cùm octo esset annorum puer, cum magistro literis imbuendum tradidit. Is cùm Dei gratia maximè omnium esset ad discendum aptus, multùm profecit in literarum sapientia; & ab omnibus diligebatur. In ijs autem, quæ agebat, probabatur. Nam & cum pueris ludens, eos vincebat. Iurare tamen, aut maledicere, aut aliud quicquam absurdum facere, nec sibi ipse, nec alij cuipiam permittebat. Quòd si ex rebus ludicris lis, aut pugna aliqua oriebatur, eam statim dirimebat.

Erat autem domi eius vir quidam pius, nomine Stephanus, qui cibos artificiosè conficiebat. Nam mulieres illæ postea, relicta vita meretricia, ad bonam frugem redierant, & piè, castè'q; viuebant, multos'q; Principes, & in dignitate constitutos hospitio suscipiebant, & honorem hunc Stephano, qui in arte illa peritus erat, acceptum referebant. At ille quicquid præmij vel à fœminis ipsis, vel ab hospitibus accipiebat, in Ecclesiis impendebat; & manè, ac vesperi precationibus vacabat; & in sanctis 2 Quadragesimæ diebus, cùm omne cibariorum genus mulieribus ministraret, ipse præter pauca panis frustula, & aquam, ea'q; ad vesperam, nihil gustabat. Amabant hunc virum mulieres, & propter ipsius modestiam, & humanitatem colebant, vt patrem. Puer autem videns eum ita continentem, diuino amore inflammatus, vitam eius cœpit imitari. Sic enim iubet Apostolus: Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei; quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem. Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. Esca enim non commendat nos Deo.

2 Ecce austerum viri ieiunium in sanctis Quadragesimæ diebus.

Hunc animi eius zelum ignorantes mater, & aliæ mulieres, cùm è ludo literario domum hora prandij rediret, cogebant eum, vt secum ederet. At ille ampliùs hora prandij non reuertebatur, sed ad vesperam vsq; ieiunus in ludo literario manebat. Et vesperi, cùm esset domi suæ, ad 3 Ecclesias cum viro pio Stephano se conferebat, & precationibus incumbens Christi corpus, & sanguinem percipiebat. Atq; ita domum reuertens nihil aliud, nisi iamdicta panis frustula, & aquam sumebat. Cùm'q; multum & à fœminis, & à Stephano moneretur, vt ederet, monitis eorum noluit acquiescere. Orauit autem mater magistrum ipsius, vt hora prandij puerum dimitteret; volebat enim illi persuadere, vt exiguum saltem leguminum cibum sumeret, quoniam propter inediam, & quia tardiùs vescebatur, nimium gracilis euadebat. Magister igitur, intellecta matris voluntate, dimisit eum cum reliquis pueris. Ipse verò quasi canticum illud Dauidis exaudiret: In Domino confido, quare dicitis animæ meæ: Transmigra in montem, sicut passer? cùm è scholis discederet, in asperum montem vicinum se conferebat, vbi sancti Martyris Georgij templum erat. Perspicuè verò ab ipso sancto, tanquam ab aliquo adolescente, eò ducebatur; & in oratorium ingressus diuinarum scripturarum lectioni vacabat. Post meridiem autem ad scholas reuertebatur. Et adueniente vespera domum petebat; matri'q; interroganti, cur hora prandij ad se non venisset, ipse se excusans respondebat, coactum esse in scholis manere, quoniam quæ oportebat non didicisset, & quia languenti stomacho ita fuisset, vt nulla

3 Nota Ecclesias etiã orationis causa esse ædificatas.

edendi cupiditate teneretur. Itaque mater rursus magistrum monuit, vt filium cum cæteris pueris dimitteret. Ille verò respondit, se id semper fecisse, ex quo primùm ab ea fuisset monitus.

Cùm autem accepisset eum ad sancti martyris Georgij Ecclesiam sese conferre, misit quosdam è seruis suis, qui eum inde abstraherent. Illi puerum ad matrem adduxerunt, quæ comminata est illi, atque præcepit, vt rectà ad se è scholis rediret. At ipse pristinam consuetudinem seruauit, à qua mater eum nec admonitionibus, nec minis, nec verberibus potuit auocare, nec initam ab eo abstinentiæ rationem interrumpere. Cùm autem decimum ætatis annum impleret, quodam morbi genere, quod regionem illam inuaserat, ipse quoque correptus est, adeò vt in vitæ discrimine versaretur. Tulerunt igitur eum in templum sancti Ioannis Baptistæ, quod non longè aberat, & ad altaris introitum collocarunt. Supra autem in ipso Crucis receptaculo erat imago ✠ Domini nostri Iesu Christi, ex qua duæ super ipsum morbo laborantem roris stillæ deciderunt; statimque Dei gratia subleuatus conualuit, & rediit domum.

✠ Nota imaginum vsum in eccl'ia antiquum esse, & p eas Deum sæpè operari miracula.

Cùm autem inter matrem, & reliquas mulieres dormiret, accedens Christi martyr Georgius, puerum, illis profundissimo interim somno oppressis, excitauit, primùm quidem sub Stephani specie, deinde sub propria persona; Surge, inquiens, puer Theodore; illuxit Aurora; ad precandum in sancti Georgij oratorium ingrediamur. Surgentem autem cum lætitia, & alacritate, cùm essent adhuc tenebræ, domo deduxit ad sanctum oratorium. Ac multis quidem in via dæmonum dolis terrebatur. Improbi enim illi, ac veritatis inimici sub luporum, aliarumque ferarum forma puerum territãtes, & vndique eũ inuadẽtes vt deuoraturi, à bono pposito abducere conabãtur. Verùm Christi Martyr illũ educto gladio defendebat, vt ab ipsis feris lædi nõ posset, alacriusque deinceps reuerteretur. Hoc autẽ cùm puer quotidie frequẽtaret, mater, & reliquæ fœminæ, quæ cum illa erant, cùm eum in lecto manè non cernerent, suspicatæ sunt illum in templo pernoctare. Et mirabantur, quomodo in medio ipsarum dormiens repente posset, nemine sentiente, surgere. Metuentes igitur ne à feris deuoraretur (Lupus enim tunc illac vagabatur, qui pueros deuorabat) ipsum territabant, ne ad oratorium iret, præsertim ante Solis exortum, propterea quòd locus ille desertus, & periculosus esset. Quarum ipse consilijs non acquiescens, præfinita hora à Martyre excitatus ad oraculum se contulit. Mulieres verò diluculo puerum non inuenientes, ira commotæ capillis eum inde abstraxerunt. Mater autem verberatum filium ad lectuli spondam alligauit, nec cibum illi dedit. Verùm nocte illa sanctus Dei Martyr Georgius gladio accinctus fœminis apparuit, strictoque gladio, irruit aduersum illas minabundus, &, Abscindam, inquit, vobis capita, quia puerum cæditis, & ad me ire prohibetis. Iurantibus autem illis, se id amplius non effecturas, remisit minas, atque discessit.

E somno igitur excitatæ soluerunt puerum blandis eum verbis orantes, ne sibi succenseret, quòd vapulasset, & ex ipso quæsierunt, cuius fretus auxilio sic ante lucem prodiret. Quibus ille; Primum, inquit, cum Stephano egrediebar, nunc autem formosissimo, ac venustissimo iuuene comite egredior. Et ipsæ agnouerunt eum esse martyrem Georgium, quem in quiete conspexerant, cuius præsidio munitum puerum ampliùs non prohibuerunt, dicentes: Dei voluntas fiat. Habebat & sororem paruulam, nomine Blattam, quæ magno ipsum amore complectebatur, & adiuuabat ad opus Dei, & cum ipso ad oratorium sæpè interdiu ventitabat, studebatque laborem ipsius subleuare. Quodam die, cum iam multùm in literis profecisset, in sancti Martyris

Gemelli templum domui suæ propinquum ingressus, in eo noctem transegit, viditq; se quodammodo apud Regem astare, cùm magna interesset militum copia, & mulier adesset purpura ornata. Audiuit autem ipsum Regem ita se alloquentem: Strenuè pugna, Theodore, vt perfectam in cœlesti militia mercedem accipias. Ego insuper in terra quoque te coram hominibus gloriosum, & illustrem reddam. His auditis, somno solutus est, & cùm duodecim esset annorum, propter Christi Regis, quem viderat, adhortationem incitatus, cœpit ad præstantiora, salutiq; coniunctiora contendere, seq; in vna domus suæ cellula continere ab Epiphania vsq; ad ramos oliuarum. Et duabus Quadragesimæ hebdomadibus, prima nimirum, & media neminem prorsus alloquebatur, sed soli Deo vacabat. Abstinentia autem pristina vtebatur.

Cæterùm cùm veritatis hostis diabolus cerneret eum spiritalia, & præclara contra se arma possidere, vt eum perderet cogitabat. Quodam igitur die Gerontij condiscipuli ipsius personam induit, & super asperam quandam rupem, quæ Tzidrama vocatur, eum adducit; & cùm in locum excelsum conscendisset, Saluatoris illi tentationem obiiciens; Si vis, inquit, optime Theodore, virtutis tuæ specimen dare, deorsum desili. At ille loci altitudinem intuitus respondit: Loci me terret altitudo. Atqui, diabolus inquit, tu solus inter omnes pueros me fortior iam eras, vincebasq; me; nunc autem hoc ego non metuo, sed me deorsum proiiciam. Caue, respondit Theodorus, ne id facias, ne præceps labaris, & pereas. Illo autem confirmante, se id sine periculo facturum; Si tu, inquit Theodorus, id feceris, ego item faciam. Stans igitur diabolus super petram, desilijt; & rectus ad Theodorum clamauit; Ecce, inquiens, ego saltaui; si vales, & tu idem effice, vt videam, vtrum hac item in re, quemadmodum in cæteris, sis generosus. Puer autem saltus magnitudine territus, considerabat Gerontium nunquam antea tam audacem fuisse. Præsto interim fuit Christi martyr Georgius, apprehensaq; pueri manu, illinc eum abduxit; Veni, inquiens, sequere me, & ne audias tentatorem illum, qui animam tuam quærit; neq; enim Gerontius est, sed nostri generis inimicus. Atq; ita sanctus Martyr in oratorio suo puerum constituit.

In quo ille dum moraretur, mater eius, & auia quodam die multis eum blanditiis cohortabantur, vt domum suam reuerteretur, dicentes, se multos præclaros amicos expectare. Sed puer ea scripturæ verba non ignorans: Amicitia huius mundi inimica est apud Deum: Et qui vult huius mundi amicus esse, inimicus Dei constituitur: Non enim potest quisquam Deo amicus esse, & Mammonæ: noluit illis obsequi, vt inde discederet; sed mundi diuitias spernens, easq; abiicere cupiens, zonam sibi, & torquem, atq; armillas adimens, ea proiecit in conspectu ipsarum; Scio, inquiens, vos vereri, ne hæc amittam, & idcirco me obseruatis. Accipite igitur, ac discedite. Ego enim hinc non recedam. Quibus illæ sumptis, cùm eum flectere non possent, abierunt. Totus enim animo defixus erat in Domino, cuius imitator, & eius vestigia sequens, parentes fugiebat, & ad Deum accurrens diuitias, ac domos relinquebat, vt centuplum acciperet, & vitam æternam possideret; quemadmodum, qui hæc promisit, Dominus ait; Qui vult, inquiens, venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Rectè enim puer iustissimus corpus suum abnegauit, & animam tanquam aduersarium affligens, ac subigens, crucem in fronte gestabat. Atq; vt Petrus, & Iacobus, & Ioannes, & reliqui Apostoli, 4 relictis omnibus rebus, secuti sunt Iesum, sic & puer hic scripturarum testimonijs fidem habens, eas implere studebat.

4 Sãctus puer, relictis omnibus rebus, secut⁹ est Christũ, & Euangelicam, atq; Apostolicã paupertatem amplexus ẽ.

Volens igitur Dauidem in canticis imitari, cœpit Psalterium ediscere. Magno autem cum labore vsque ad sextumdecimum psalmum edidicit; sed deci-

mum septimum nullo modo percipere poterat. Quamobrem cùm in oratorio propinquo sancti Christophori meditando commoraretur, & non posset ediscere, humi 5 prostratus Dominum obsecrabat, vt se ad psalmos facilè memoriæ commendandos idoneum redderet. Clemens autem Deus, qui dixit: Petite, & dabitur vobis: id illi concessit, quod flagitabat. Cùm enim surrexisset, & Saluatoris 6 imagini supplicaret, dulcedinem melle suauiorem sensit in ore suo; & Dei munus agnoscens, dulcedinemq; degustans, & Christo gratias agens, deinceps facilè, & commodè paucis diebus totum psalterium memoriæ commendauit. Atq; ita omnes Ecclesias frequentabat, psalmis, & hymnis, & canticis spiritalibus canens, & laudans Dominum. Et vbicunq; sanctorum memoria celebrabatur, eò se promptè conferebat. Vnde, in peruigilio sancti Martyris Eureti Iopolim, quod oppidum quindecim passuum millibus distabat, hora cænæ profectus ieiunus, cùm & precationibus incubuisset, & diuina Christi mysteria percepisset, cursu circa mediam noctem rediit, necessariaq; comedit. Sic enim erat in cursu velox, vt, facta sponsione, tribus passuum millibus cum equis currendo certaret, & vinceret.

5 Humi pstratus orat Dominũ p memoriæ psalmis commendandis.

6 Nota licitũ eẽ scõrũ imaginibus supplicare, hoc est eis, quos illæ repræsentant. Et vide bonum effectum huiusmodi supplicationis.

Iam cùm ex prouerbijs didicisset: Vbi audieris esse virum prudentem, vigila ad eum: Cum sancto enim sanctus eris, & cum electo electus eris; maximo Dei seruorum desiderio tenebatur. Et vbi audiebat esse virum iustum, eum inuisebat, vt institutam ipsius vitæ rationem disceret. Et apiculæ instar virtutum eius flores legens, tanquam viaticum quoddam domum reportabat. Erat igitur sanctus quidam pater, nomine Glycerius, in loco, qui Trapezas appellatur, decem passuum millibus distante; ad quem Theodorus accessit, vt ab eo benediceretur, atque vt, quemadmodum Elisæus ab Elia benedictus duplicem spiritus gratiam accepit, sic & ipse per eius benedictionem maioribus virtutibus, & gratijs dignus efficeretur. Nam patris benedictio domum, & filiorum labores confirmat. Hunc vir sanctus cùm aspexisset, & florentem in ipso virtutem diuinitus agnosceret, hilari eum vultu suscepit, & subridens; Amas, inquit, fili, monachorum 7 habitum? Et vehementer eum amo, mihi crede, pater, respondit, cupioq; dignus illo fieri. Et cùm ibi magna esset siccitas, egressi ambo sub dio constiterunt ante concham illic sitam prope templum sancti Ioannis Baptistæ. Et Beatus ad puerum; Flectamus, inquit, 8 genua, fili, & oremus Dominum, vt pro clementia sua pluuiam in terram demittat. Ex quo intelligemus, vtrum simus in numero iustorum. Precantibus illis, contractum est nubibus cœlum; & cùm à precatione surrexissent, magnam pluuiæ copiam Deus emisit in terram. Qua Domini benignitate lætatus est senex; & puero subridens; Post hac, inquit, quicquid poposceris Dominum, largietur tibi. Imple igitur id, quod cupis, & Dominus Deus erit tecum, vt corporis ætate, simul & virtutibus crescas. Cùm igitur puer à sene benedictionem accepisset, & eum salutasset, domum suam reuersus est.

7 Vides quòd monachi pprium habẽt habitum?

8 Ecce orõ cũ genuflexiõe, ecce etiã magnus eius effectus.

Sed quartumdecimum iam agens ætatis annum, decreuit omnino domui suæ renunciare, & in oratorio viuere. Qua quidem re cum mulieribus constituta, se contulit in oratorium, & in eo commorabatur. Verùm mater eius, cæteræq; mulieres cùm beatam eius institutæ vitæ rationem ignorarent, à qua ille, quamuis puer adhuc esset, nullo modo recedebat, ei panes puros, & varias volucrum carnes, tum elixas, tum assas afferebant. Quæ ipse quidem omnia suscipiebat, ne pium ipsarum animum videretur aspernari, & quia ieiunium eius erat in abscondito; eis tamen non vescebatur; sed illis discedentibus, exibat ex oratorio, & omnia super petram collocabat, & rursum ingrediebatur. Veniebant autem aues, & feræ, atq; etiam homines iter facientes, & comedebant. Cibus verò pueri ex ijs, quæ in oratorio afferebantur, constabat.

Quòd si nihil offerretur, panis illi solus erat satis.

Cùm autem audisset locum quendam inde octo passuum millibus distantem, qui dicitur Arca, sic à Diana, & multis dæmonibus, qui illic habitabant, occupari, vt nemo illuc præsertim in meridie, sine certo mortis periculo posset accedere, ipse Iulij, Augusti'q; diebus, posteaquam horæ tertiæ preces absoluerat, ad eum locum celeriter contendebat, & toto meridie illic morabatur, vbi Dianæ domicilium esse dicebant. Sed cùm auxilio Dei nihil aduersi reperiret, ad oratorium redibat; vbi sub altaris gradu specum sibi defodit. Ea verò nocte, qua Christi ortus celebratur, cùm ad eum clerici quidam, & laici conuenissent, cum illis ab oratorio ad flumen transeundum descendit. Ipse autem solus in aquam ingressus, tandiu in ea stetit, quoad omnis Prophetica, & Apostolica, & Euangelica lectio cum toto sacrificio fuit absoluta. Post autem vix poterat pedes extrahere, sic erant cum luto, glacie'q; compacti. Atq; ita psalmos concinens, ad oratorium rediјt; & cũ dies aduenisset, celebritatẽ peregit, & in specum descendit, ibi'q; ad ramos vsq; palmarum conquieuit. Quamobrẽ omnes, qui hæc conspiciebant, & videbant, sublatis in cœlum manibus, dicebant; Confitemur tibi, pater Domine cœli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea huic paruulo; quoniam sic fuit placitum ante te.

Iam auia eius Elpidia vehementer eum commiserabatur; magis enim illum, quàm ambas filias suas diligebat. Itaq; veniens ad oratorium, ei, dum quietem, silentium'q; seruaret, cibum ministrabat, 9 fructus nimirum, aut olera, id'q; sabbato, & die Dominica. Nam reliquis diebus nihil omnino gustabat. Hæc autem Anastasiopolis Episcopus Theodosius cùm audiuisset, valde gaudebat, eum'q; apud omnes laudabat, dicens illum Dei instinctu commotum ea facere. Quodam autem die honestatis inimicus diabolus fecit, vt ex frigore in morbum incideret, & moueri non posset. Verùm ei dormienti sanctus Christi martyr Georgius astitit, & dixit ei. Quis causa fuit, fili, vt in morbum incideres? At ille considerans immundum coram se stantem dæmonem; Iste, inquit, impurus, ac detestandus me in morbum coniecit. Martyr verò vehementer dæmonem torquens in fugam conuertit; & apprehensa Theodori manu; Surge, inquit, & conualesce. Neq; enim amplius execrandus iste dæmon apparebit in conspectu tuo. Statim igitur puer excitatus surrexit sanus.

9 Vide miram pueri abstinentiam, & asperam victus rationẽ.

Sed Deus clemens, qui sanctis suis Apostolis potestatem dedit, vt dæmones eijcerent, & morbos curarent, dedit & illi gratiam aduersus dæmones, vt eos ab hominibus expelleret, & ægrotantibus mederetur. Nam post sanctam Paschæ 10 celebritatem quidam homo tulit ad eum quodam die filium vnicum à spiritu immundo vexatum, & fide ductus orabat sanctum puerũ Theodorum, vt filiolum suum curaret. Verùm ipse nesciebat quid ei faceret; sed excusabat se, quòd esset iuuenis. Pater autem illius vexati lachrymans dedit illi flagellum, & dixit: Hoc accipe, Domine mi serue Dei, & minans filio meo percute illum, dicens: Exi, exi, spiritus immunde, ab hoc puero in nomine Domini mei. Fecit, vt erat edoctus, sanctus Theodorus; & turbatus dæmon cœpit eum irridere, & tanquam insanum prædicare; & siquid ab illo audiebat, idem ille resonabat; & bidui spacio nihil ille respondit. Tertio autem die idem puero fecit Christi puer Theodorus. Tunc dæmon rursus commotus cœpit vociferari: Exeo, puer, exeo, nec amplius resisto. Da mihi horam. Illo autem ad altare ascendente, dæmon clamauit ad hunc modum: O magna vis Nazaræi hæc aduersum nos excitantis. Ex quo enim in terram descendit, homines in nos armauit. Et nunc scorti filio concesit eiciјendi nos potestatem. Hei mihi misero, à quo puero expellor? Neq; enim gratiam illi è cœlo demissam ferre possum. Magna naturæ nostræ ab hoc meretricis filio

10 Post sanctam Paschæ celebritatem.

calamitas imminet. Multos enim è nostro grege ex hominibus extrudet. Doleo autem, quòd hic in me exercet imperium; nec audeo redire ad patrē meū diabolum, cùm à tali puerulo sim expulsus. Nam si id mihi à sene aliquo contigisset, haud ita magnum dedecus arbitrarer. Execranda dies, in qua genitus es. Hæc illo dicēte, sumens puer Dei Theodorus ex lucernæ 11 oleo vexati caput vnxit, &, signo Crucis adhibito, increpuit eum dicens: Exi iam, spiritus impurissime, & noli amplius nugari. Et vociferans dæmon proiecit puerum ante pedes eius, & exiuit ab eo. Iacebat autem tanquam mortuus: Ex quo turbatus puer, defunctum illum existimabat. Sed dixit ei pater ipsius: Manum illi porrige, atq; iacentem excita. Quo facto, statim in se rediens puer ille surrexit. Itaq; Dei gratia sanum reddidit patri. Res autem vulgata fuit per totam illam regionem. Quamobrem omnes Deum collaudabant, qui intellectum dat paruulis, & gratiam.

11 Vnctiōe olei ex lucerna sumpti, & signo Crucis adhibito, puer Theodor⁹ dæmonē ab obsesso expulit.

Christi igitur præcursorem, & Baptistam Ioannem in hoc item imitatus est, manens in solitudine, quoad populo demonstraretur; & illa Apostoli Pauli verba in se expressit: Sancti omnes per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, abiecti, afflicti, vexati, in solitudinibus errantes, in speluncis, & in cauernis terræ. His salutaribus scripturis incumbens, non auditor earum tantùm, sed effector extitit, adiuuante Christo, qui bonum eligentibus semper fauet. Superiorem igitur montis partem ascendit, & petram intuitus ad se tegendum idoneam, suffodiens sibi speluncam amplam fecit; obstructoq; aditu, in ea latitabat. Tunc autem accidit, vt milites illac iter facerent. Quare cùm à propinquis puer tum in oratorio, tum alibi perquisitus non inueniretur, suspicabantur, eum à militibus ablatum esse, commoueruntq; Principem, vt milites comprehendendos curaret, quò puerum restituerent. Verùm cùm nec sic quidem inuentus esset, à feris deuoratum fuisse iudicarunt. Et luxit eum diu mater cum reliquis fœminis, & propinquis, vti iam mortuum. Duos in ea spelunca Christi puer Theodorus annos transegit. Et clericus quidam religiosus Diaconus solus rem nouerat, qui & proprium illi vestimentum 12 asperum dedit (Nam antea lineis vestibus induebatur) & paululum cibi ex oleribus, & aquæ pusillum (sic enim inter ipsos conuenerat) subministrabat. Promiserat autem eum se nemini indicaturum.

12 Ecce asperū pueri vestimentum, ecce olera cibus, & aqua potus.

Cæterùm videns bonus Deus, qui seruorum suorum curam gerit, labores ipsius, vt verum esse ostenderet, quod dixerat: Non potest ciuitas abscondi supra montem posita; neq; accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt: omnibus eum patefecit. Cùm enim propinquæ ipsius mulieres animaduertissent pium Diaconum super montem frequentiùs ascendere, suspicatæ id, quod erat, eum domi suæ iureiurando obtestatæ sunt, vt quicquid de puero sciret, sibi significaret. Ille verò tum iureiurando coactus, tum aspero pueri vitæ instituto commotus, & metuens, ne moreretur, rem aperit; & locum, vbi morabatur, indicat. Tunc lætitia plenæ accedentes, reperiunt illum propè mortuum, & ad sancti Georgij oratorium deducunt. Qui, aëre conspecto, sine voce diu mansit. Caput autem eius sordibus fœtebat, & pediculis abundabat, & ossa illius erant nuda, & coma vincta, nec ad eum quisquam præ fœtore, vermibusq; scatentibus poterat appropinquare. Et aspectus eius erat, tanquam mortui. Quamobrem nouus quidam Iob esse propter eiusmodi calamitatem putabatur. Plorabat mater eius, & auia, & reliquæ mulieres. Et cùm esset paulisper recreatus, volebant vt domum suam descenderet, & corpus curaret. Quibus ipse noluit assentiri.

Cùm autē hæc religiosissimus Anastasiopolis Epūs Theodosius accepisset,

ſtatim ad eum in oratorium acceſsit, & conſpecto capitis eius vlcere contremuit, & cùm illum ſalutaſſet, Lectorem declarauit. Magno autem labore ſordes eius abluerũt; & pannis lineis vlcera eius abſtergentes capitis comã totonderunt. Poſtridie verò 13 Subdiaconum, Diaconum, & 14 Presbyterum inſtituit; Ecce, inquiens, Dei munere omnes cleri ordines conſecutus es, vt diuina poſsis myſteria peragere ad eorum, qui accedunt, ædificationem. Dominus Deus benignus munerũ ſuorum elargitor dignum te faciat, qui & Epiſcopi munere fungaris, & gregem ipſius rectè gubernes, & regas. Hæc enim quatuor gratiarum munera adeptus, & habitum etiam monaſticum accepturus, huius tantùm vnius expers videris eſſe; quod tibi Dominus poſt virtutum tuarum augmentum elargietur. Creſce igitur fide, atque virtutibus; & ora pro me. Et cùm ei benedixiſſet, & eum ſalutaſſet, rediit in ciuitatem ſuam. Tunc Chriſti ſeruus Theodorus duodeuiginti annos impleuerat. Quapropter multi Epiſcopum incuſabant, quòd eum ante legitimam ætatem ad Presbyterij dignitatem prouexiſſet. Sed religioſiſsimus Epiſcopus Theodoſius reſpondebat, ſe non ignorare, Canones non permittere, vt quiſquam ante legitimum ætatis 15 tempus, & ſine teſtimonio Presbyter inſtituatur, cùm Apoſtolus ſic ad Timotheum ſcribat: Non neophytum, ne ſuperbia elatus in iudicium incidat, & laqueos diaboli. Sed quemadmodum ipſe Paulus Timotheum ætate iuuenem Epiſcopum conſtituit, ſic & ego (aiebat) in nomine Domini hunc propter eius probitatem Presbyterum inſtitui. Significauit enim mihi Deus, eum eſſe dignum hoc munere. Et profectò hic iuuenis eſt à Deo. Quare ne teneram eius ætatem, ſed animi nobilitatem attendite. Quemadmodum & de Dauide Samueli dictum eſt. Non enim ſapientes ſunt ætate prouecti, nec ſenes iudicium norunt, vt Elius in Iob declarat; ſed Dei ſpiritus eſt in mortalibus, & Omnipotentis ſpiritus adoleſcentes erudit, atq; adiuuat, & piam, ac rectam viuendi rationem præcipit. His verbis Epiſcopi omnes aſſenſerunt. Nouus autem Chriſti miles Theodorus proficiebat ſapientia, & prudentia ſpirituali; & gratia Dei erat cum illo.

13 Habes hîc, q Epũs oẽs ordines Eccleſiaſticos confert.

14 Quòd tam iuuenis Theodorus preſbyteratũ ſit conſecutus, non eſt trahẽdũ in exẽplũ. Admirãda ſunt hæc, nõ imitãda, quæ Spiritus ſancti inſtinctu ſpeciali à ſãctis viris facta eſſe creduntur.

15 Hoc ẽ, quod dicebamus. Vbi Spũs sãctus cor ſpecialiter illuſtrat, ea, quæ geruntur, nõ ſunt trahenda in exemplum.

Hæc pueritiæ Theodori inſtituta ego indignus illius ſeruus, & diſcipulus Georgius ab eis accepi, qui æquales ipſius, ac condiſcipuli cum eo vixerant, & oculis ſuis ea perſpexerant. Plurima etiam ab ipſo pio, & ſancto viro audiui, cùm ea ipſe de ſe modeſtè narraret, vt nos ad æmulationem incenderet. Poſt obitum autem illius ea conſcripſi, vt pueri, & adoleſcentes Angelicam eius vitam, & ab omni crimine remotam imitarentur, & digni euaderet regno cœlorum, per gratiam Chriſti Dei noſtri, cum quo Patri gloria ſimul cum ſancto Spiritu in ſecula ſeculorum. Amen.

Dominus Ieſus Chriſtus verus Deus noſter, qui eſt iuſtitiæ ſol, lumen ineffabile, perennis fons immortalitatis, vita ſempiterna, ſalus animarum noſtrarum, & ſapientiæ largitor, det etiam mihi peccatori Georgio ſeruo veſtro tantum virium, & ad dicendum facultatis, vt onus ſuſceptum perferre valeã; & vobis eum amantibus ſic animos ad audiendum inflammet, vt præclaram, & admirabilem ſancti, magniq; patris noſtri Theodori vitam ad finem vſq; libenter audiatis. Iam enim aggrediar ea, quæ pertinent ad eius adoleſcentiã, precationibus veſtris confiſus apud Dominum Deum, qui dux eius, adiutorq; fuit.

Sanctiſsimus igitur Dei ſeruus Theodorus duodeuiginti annorum cùm eſſet, ita Saluatore noſtro Deo volente, ad Presbyterij gradum prouectus, diuinæ philoſophiæ vacabat, vt ſe viro prudenti ſimilem declararet; & ex laudabili conſilio Domini relicta patria domo ſuper arena exædificata, & quæ in illa erant terrenis rebus, decreuit in eã nullo ampliùs modo reuerti; ſeq; totum

Domino in cordis veritate, & fidei plenitudine consecrauit; fundauitq; sibi domum super firmam petram, siue animo, siue etiam sensu velis intelligere. Erat enim locus arduus, & venerandus, in quo sancti, & gloriosi martyris Georgij oratorium construxit, vt facilè alienorum ventorum, & futurarum procellarum, instar aquarum insurgentium, impetus, tum fide in Christum confirmata, tum ipsius sancti Martyris auxilio fultus euitaret, atq; propelleret. In omnibus diuinis scripturis vitam nobis æternam propinantibus versabatur; & sanctum Euangelium semper animo voluens, valde mouebatur, præsertim dum considerabat, quomodo Dominus, & Saluator noster Iesus Christus è coelis descendisset, quomodo induisset hominem, quomodo cum hominibus versatus esset, sibiq; Hierusalem elegisset, in qua cruciatuum ferret acerbitatē, ageretur in Crucem, sepeliretur, & resurgeret. Hæc ille admirans, & terrà sublimiora suspiciens, incensus est cupiditate visendi, & adorandi loca illa sanctissima, vbi Christi pedes stetissent; cùm & Zacharias propheta gentem, & tribum omnem execretur, quæ non adeat, & adoret ea.

Cùm igitur ad eum venisset mater eius cum sorore, & ambarum parente, communicato cum illis consilio, & inuento ex prouidentia Dei itineris duce, iter suscepit; & præ animi desiderio laborem itineris non sentiebat. Peruenit tandem ad optatam sanctorum locorum ciuitatem Hierusalē, & Crucem salutiferā, sanctamq; Resurrectionē, & almū Præsepe, atq; gloriosā Ascensionē, & reliqua omnia salutaris mortis, & couersationis magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi monumenta 16 adorauit; inuisitq; cuncta monasteria, & omnes passim in cellis inclusos patres, eos quoq;, qui interiorem solitudinem incolebant; & ab illis benedictionem accipiens, præstantiorum vitæ rationem, & instituta perdiscebat. Sed cùm ad Iordanem, in quo Saluator, & Deus noster baptizatus est, descendisset, ingressus est in propinquum Dominæ nostræ Dei genitricis templum, quod Chuzoba vocatur; cùmq; ibi præcatus esset, & Archimandritam, & qui cum illo erant, patres consalutasset, habitum ab eis monasticum, atq; Euangelicum flagitauit. Archimandrita verò cùm sciret diuinitus, quis esset, nulla interiecta mora, 17 habitum illi concessit. Et simul cum reliquis patribus Deum obsecrauit, vt coram ipso, & coram hominibus probaretur.

16 Vide peregrinationem ad loca sancta Hierusalem, & beatorum domini Iesu monumētorū adorationem.

17 Archimandrita habitū monasticum Theodoro concessit.

Expleta celebritatis eius lætitia, omnibusq; consalutatis, & accepta ab illis benedictione, è monasterio in Galatiam ad patriam suam reuersus est, repetitq; sancti Georgii martyris oratorium, vbi magna cum lætitia habitabat, Mosaicæ gloriæ gratia splendens; & 18 ieiunando, & humi cubando, vigilandoq;, & psallendo se magis in dies ædificabat, maioraq; à Deo munera tū in dæmonibus eiiciendis, tum in morbis curandis accipiebat. Mater autem eius, cùm ea, quæ carnis, non autem Domini sunt, saperet, nec amoris ardorem, quo matres accendi solent, erga filium suum sanctissimum retineret, eo relicto, & ea bonorum parte, quæ sibi conueniebat, assumpta, viro cuidam, nomine Dauidi, in Ancyranorum metropoli claro nupsit. At soror eius Despenia, & mater ipsius Elpidia, & sancti soror Blatta ab eo seiungi se non sunt passæ; sed sanctam eius vitam contemplantes, omniq; se 19 modestia, & castitate, eleemosynisq;, & precationibus expurgantes, eum pro viribus studebant imitari. Ac Despenia quidem moriens eum hæredem instituit, & ab ipso sepulta est in templo sancti Martyris Gemelli. Blattam autem sororem suā virginem, cùm duodecimum ageret ætatis annum, duxit ipse sanctissimus in Ancyranorum Metropolim, & in grauium virginum monasterio, quod Petrin appellatur, collocauit, vbi monasticum habitum sumens Deo consecrata est, vixitq; sanctissimè. Theodorus autem ad proprium locum reuersus, cùm

18 Ieiunando, humi cubando, vigilādo, & psallendo se magis in dies ædificabat.

19 Modestia, castitas, eleemosynæ, & precationes fuerūt sanctarum mulierum exercitia.

triennio

trienio post beatã hãc sororẽ in cœlestẽ thalamũ ad sponsũ suũ Christum, cui ipse eam dicarat, bonis operibus plenã migrasse accepisset, Deo gratias egit.

Beata verò auia eius Elpidia vehementer eum diligebat, & compatiebatur ei, & sæpè ad eum proficiscens, & vitæ ipsius instituta, certaminaq; considerans, collaudabat Deum, qui ex meretricijs spinis ramum rosas, & fructus eiusmodi proferentem eduxisset, & ex inutilibus lapidibus Abrahæ filium suscitasset; sublatisq; in cœlum manibus, Deum obsecrabat, vt mentem eius ab omnibus perturbationibus, & cupiditatibus remotissimam in studio pietatis, & fide ad finem vsq; firmam, & stabilem conseruaret. Relictoq; hospitio, in quo viuebat, & collectis bonis suis omnibus, vt maiore lætitia frueretur, semper cum ipso versari volebat, eiq; ministrare. Quod ipse non permisit, sed monuit, vt in sancti martyris Christophori monasterio maneret; ad eamq; puellas ab immundis spiritibus vexatas mittebat, vt earum curam haberet, & institueret; & si post curationem manere vellent, eas in sanctis institutis exerceret. Ipse verò hominem quendam mercennarium ex oppido propinquo, nomine Marinum, qui sibi ministraret, accepit.

Prouidentia autem Dei, qui dixit: Ne timeas, posthac eris homines capiens; faciam enim te piscatorem hominum: factum est, vt quidam pio Dei incensus studio ex oppido Paninorum ad eum accederet supplicans, vt se in contubernium suum reciperet. Quamobrem gaudio plenus, quòd se Deus solum non relinqueret, eum recepit, & 20 monastico illum habitu induit, atq; ita studiosum reddidit, vt quendam à Dæmone vexatum is liberauerit. Mulier item ex oppidulo Conchate ad eum se contulit, quæ vteri morbo laborabat; & precibus eius liberata, cùm in vicum Enistratum ad filium suũ Philumenũ adolescentẽ, qui tũc literarũ studijs incũbebat, venisset, illinc eũ abduxit, & sancto obtulit Theodoro, vt eũ secum in eisdem vitæ institutis erudiret.

20 Et monastico illum habitu induit.

Desunt hîc nonnulla in Græco exemplari.

Erat autem in loco illo ꝓbatissimus quidã faber ærarius, cui sanctus Theodorus cõmisit, vt sibi cellulam angustissimam faceret, vt in eam ingressus, & stans ieiunij dies transigeret. Incolæ autem illius loci fide impulsi arma rustica ad opus illud conficiendum contulerunt. Atq; ita cellula illa perfecta est sanctitati eius accommodata. Verùm cùm eam vellet statim ad locum suum transferri, rogarunt homines illius loci, vt eam illic tantisper esse permitteret, donec alteram ligneam illi similem faciendam curarent, in qua hyeme insequente quiesceret, vt illius formæ exemplum haberent, & postea ipsam ferreã cellulã ipsi traderent. Annuit illis sanctus Theodorus. Demũ assumentes eum supplicationibus perduxerunt in locum sanctum ipsius; & in magna 21 salutiferæ passionis hebdomada cùm in ea ipsum collocassent, in loca sua reuersi sunt. Cùm igitur alteram ligneam cellulam confecissent, insequenti hyeme ad eum cum supplicationibus accedentes, ipsam illuc tulerunt. Ingressus igitur in cellulam ligneam, in templo sancti Ioannis Baptistæ abstinentiam suam obseruauit à Natali 22 die Christi vsq; ad ramos palmarum. Vnde egressum eum, ac ferrea cellula inclusum ante illam celebritatem in locum eius reduxerunt. Et accepta ab ipso benedictione, ad loca propria reuersi sunt. Stabat autem eiusmodi cellula sine tecto supra speluncam ipsius sub dio. Et iussit, vt bini ex ferro sibi fierent ad pedum mensuram calcei, binæq; manicæ pro manuum mensura, & crux decem & octo palmarum, & zona circa lumbos suos.

21 Nota, In magna salutiferæ passionis hebdomada.

22 A' Natali Christi vsq; ad ramos palmarum.

Præterea cùm grauissimam tunicam habere cuperet, prouidentia Dei quidam triplicem loricam attulit decem & octo librarum. Hanc ipse sanctissimus

accipiens, gratias egit Deo, qui tam celeriter cum fide petentium desiderio satisfacit. Verùm cùm se ipsum metueret, propterea quòd corpus eius nimis cresceret, vt cupiditatibus resisteret, vinculum quoddam perpetuum sibi memoriæ causa reperit, & bina vincula pedibus suis circumposuit; decreuitq; illa nunquam abijcere, sed ad tumulum vsq; retinere. Cùm autem aduenisset dies, in qua Dominus noster Iesus Christus ex sanctissima Dei genitrice Maria nasci dignatus est, vestimento solito loricam imposuit, & zona ferrea se cinxit, & super collum suum crucem accepit, & manicas induit, deinde in ligneam cellulam ingressus, abstinentiam vsq; ad tempus palmarum celebritatis seruabat. Egressus deinde se in ferrea includebat, affligens corpus suum, & in seruitutem redigens tum angustia loci, tum etiam ieiunio, & ferreis oneribus, atq; ita confundens diabolum, & varios illius impetus frangens. A Christi autem ortu vsq; ad ramos palmarum, nec 23 pane, nec leguminibus omnino vescebatur, sed pomis tantùm, & oleribus, idq; sabbato solùm, & die Dominica. Hanc in psalmis canendis regulam obseruabat, vt paulisper cessaret, deinde eosdem repeteret.

23 Ecce miram Sācti abstinentiā, ciborum delectū; & certo in tempore pomorū, & olerū vsū dānatxat.

Porrò labor eius per hyemem erat incredibilis. Cùm enim niues terram operirent, & venti regnarent, ventorum impetu niue contegebatur, & aqua per collum eius intra tunicam penetrans ad pedes vsq; descendebat, & calcei replebantur, ac vestimenta; cùmq; glacie rigerent, non parum illi doloris afferebant. Pedes enim eius congelabant. Nam eam sibi legem præscripserat, vt à galli cantu ad vesperam vsq; pedes non moueret è gradu, in quo stabat, neq; vllo modo se ad aliquam cellulæ partem inclinaret. Quamobrem cùm duobus annis prioribus magna uis frigoris fuisset, arboresq;, & dolia conglaciarent, ita pedes eius rigebant, vt eos extrahere non posset. Quare minister eius aqua tepida pedes eius perfundebat, atq; ita paulatim è glacie extractos è gradu præfinito dimouebat. Cùm autem anno quodam 24 Paschæ celebritas in Aprilis mensis finem incideret, & Quadragesimæ diebus sol esset vehementior, accidit, vt tum abstinentia, tum solis ardore, tanquam exanimis, in cellula concideret. Quo animaduerso, pius Philumenus sacco cellulam contexit, vt vmbram pararet. Verùm cùm Dei miles se collegisset, videretq; vmbram, rem ægrè tulit, prohibuitq;, nequid ampliùs eiusmodi fieret.

24 Paschæ celebritas.

Deus autem, qui eos, a quibus honoratur, honorat, hæc ab ipso non ambitione geri, sed animo simplicissimo, Deiq; studiosissimo, multis rationibus, omnibus indicauit; nam & animalia fera mansuetè 25 cum ipso versabantur, & multa ab eo in homines fiebant miracula. Ex quo enim in ferrea cellula se incluserat, terribilis vrsa per triennium ad eum accedebat continuè, acceptaq; de manu eius benedictione, neminem lædens discedebat. Lupus item ad ostium cauernæ, in qua Sanctus erat inclusus, cùm accesisset, illic expectabat. Quamobrem egressus minister eius Marinus, visa repente fera, pertimuit, & intro rediens rem Sancto significauit. At ille cum grauitate subridens; Ne verearis, inquit, homo timide; neq; enim venit, vt iniuriam faceret, sed vt ipsi cibus subministraretur. Da igitur ei aliquid, frater, vt non solùm in homines, verùm etiam in feras Dei mandatum illud: Omni poscenti te tribue: expleatur. Accepit igitur minister panis frustum, & poma, ex quibus solebat Sanctus cum benedictione aliquid accedentibus impertiri, exijtq;, & poma tantùm obiecit feræ, eam propellens. Quæ cùm obiecta comedisset, rursum stabat, & non discedebat, tanquam aliquid aliud expectaret. Tunc ei panis etiam frustum obiecit; quo arrepto, lupus statim discessit. Ingressus autem minister Sancto rem narrauit.

25 Vides quomodo apud sanctos viros etiam fera animalia mansuescunt?

Rursus cùm in cellula ferrea esset inclusus, accessit ad eum quidam lepram habens in toto corpore, ac obsecrans, vt pro se precaretur. Ipse autẽ precibus adhibitis, iussit, vt exueretur, & accepta aqua, precatus est ad hunc modum: Domine Iesu Christe Deus noster, qui per Elisæum prophetam mundasti Naaman Syrum à lepra, quiq́; cùm ad nos benignitate tua descendisses factus homo, antequam mortem subires, verbo leprosum curasti, aspice aquam hanc, & benedicens ei concede, vt valeat ad emundationem præsentis serui tui, vt sanus recedat ad gloriam, & laudem sancti nominis tui. Peractis precibus, & extensa manu, & 26 signans eum figura Crucis, aquam illam in caput eius effudit; & statim ab eo lepra discessit, & totum ipsius corpus mundatum est; & abijt laudans Deum. Eodem morbo eùm esset oppressus Presbyter quidam præclarus, nomine Colluras, accessit ad eum, cùm adhuc teneretur inclusus, & cùm Sancti tunicam induisset, mundatus est.

26 Aqua benedicta, & signo Crucis leprosũ mundauit.

Beata autem eius auia Elpidia cum omni lætitia, & tranquillitate optimis ipsius vitæ institutis, & miraculis gaudebat, & puellas diligenter gubernabat, quæ vel liberatæ erant, vel vexabantur; iamq́; pulcherrimum monasterium ædificarat, cùm ad optatum vitæ finem peruenit; quem ipsa præuiderat ex viso quodam, quod sancto Theodoro narrauit; Videbam, inquiens, fili mi dulcissime, & lumen oculorum meorum, adolescentem valde formosum, splendidis vestimentis ornatum, aurea fulgentem coma, & illi similem, quem pro sancto Georgio in eius historia pictum cernimus. Hic cùm ad me appropinquasset, vitæ tuæ rationẽ, & psallendi regulam cupiebat intelligere. Quam ego illi cùm exposuissem, dixit mihi; Cùm psallitis hæc dicite: Benedicite Dominum montes, & colles. Deinde subiecit: Magnam profectò gratiam, mulier, consecuta es, quæ nepotem tuum tali in ordine conspexisti. Posthac viues sine solicitudine, cùm recta eius viuendi ratione satiata sis. Mihi autem vt eius adiutori multum debes, immò verò gratia omnis debetur communi Domino, & procreatori Deo, qui dignum eum fecit, vt esset in numero sanctorum seruorum ipsius. Iam igitur quiesce; nam adhuc laborasti. Hæc illa cùm narrasset, in morbum incidit, & in pace requieuit; 27 honorificeq́; ab ipso sepulta est. Iam de matris quoq; suæ Mariæ obitu cùm ad eum quidam ex Ancyranorũ ciuitate nuncium attulisset, ac diceret, vt ad dotem repetendam mitteret, quoniam sine filijs defuncta esset, ipse nullo modo assentiens illi respondit: Falleris, nam mater mea defuncta non est. Cùmq́; is proprijs se illam oculis mortuam affirmaret conspexisse, rursum respondit: Falleris, vt dixi, nam mater mea, nec mortua est, nec morietur, sed mihi superest, ac viuit, & manet in secula. 28 Preces tamen pro illa effudit ad Dominum, vnius hebdomadæ spatio ieiunans, vt veniam ei Dominus concederet peccatorum.

27 Sãctus honorificè auiam sepeliuit.

28 Si Purgatorium non esset, Sãctus p anima mris non rogasset Deũ. Habes hîc etiã, opera nostra, vt sunt orationes, & ieiunia, animabus defunctorũ prodesse.

Accessit ad eum in speluncam inuolutum & quiescentem quodam die sanctissimæ Ecclesiæ Heliopolis procurator Theodorus, cognomento Tzutheus, & per ministrum nunciauit ei cum lachrymis; Miserere, inquiens, mei, serue Dei, qui in magna versor calamitate. Misi enim ministrum meum ad Ecclesiæ prouentus exigendos; ille verò, prouentibus exactis, fugam arripuit. At ego huc illuc cursitans, & vbiq; conquirens, eum reperire non potui. Supplico igitur sanctitati tuæ, vt Deum obsecres pro me, quò possim illum inuenire. Omnes enim facultates meæ non sunt satis ad id, quod ille abstulit, Ecclesiæ persoluendum. Sanctissimus Theodorus huic respondit ad hunc modum: Si promittis, te illum sine verberibus dimissurum, & nihil ei amplius, quàm quod eripuit, ablaturum, te Deus consolabitur, & tradet eum tibi; sin id recusas, non inuenies eum. Ille iureiurando, se id facturum

promisit, & ex bonis suis aliquid etiam largiturũ, modò prouentus Ecclesiæ restitueret; alioquin sibi vel filios esse nudos relinquendos, vt Ecclesiæ satisfaceret. Tunc orauit Dominum sanctissimus Theodorus, vt minister ille fugitiuus, quocunq; in loco esset, ita retineretur, vt inde non posset discedere. Deinde supplici respondit: Vade domum tuam, ibiq; mane sine vlla solicitudine. Confido enim, Deum, si id, quod promisisti, perfeceris, celeriter eum tibi redditurum. Lætus ille discessit, tanquam ex Sancti verbis magnum pignus accepisset. Fugitiuus autem precibus eius prope oppidum Nicænsicum coërcebatur, nec inde se poterat extricare; cùmq; putaret, se magnum itineris spatium confecisse, nihil omnino promouerat. Itaq; cùm ibi essent homines quidam, qui & illum nouerant, & procuratorem, & quid esset ab eo factum, acceperant, viderentq; eum frustra se labore itineris defatigare, &, cùm ex eo quæreretur, vnde, aut quò proficisceretur, ineptè respondere, comprehenderunt eum, & rem procuratori detulerunt. Qui cùm ab eo sublatum aurum recepisset, rediit ad sanctum Theodorum, Deo gratias agens.

Vir autem quidam ad eum duxit vxorem in diebus Pentecostes à dæmone vexatam, qui cùm à Sancto increparetur, clamauit: O magna vis. Ne mihi irascaris, ferrinore serue Dei altissimi, neue me in ignem vltionis mittas; neq; enim ego sum causa, sed inuitus in hanc ingressus sum. Misit enim me Theodorus, cognomento Carappus, ex oppido Mazaineæ. Ecce, inquit Christi seruus, præcipio tibi in nomine Iesu Christi filij Dei, ne illam impedias, quominus negocia gerat sua, donec rursum huc reuertatur. Dæmone igitur quiescente, marito dixit, vt cum vxore discederet, fructusq; agrorum colligeret, ac deinde reuerteretur. Ita fecerunt. Discedentes enim fructus suos collegerunt, & ad monasterium reuersi sunt. Verùm cùm in templum ingrederentur, vt Sanctissimi vultum aspicerent, cœpit mulier acerbè à dæmone vexari. Quamobrem maritus eius iurabat, ipsam vsq; ad horam à Sancto præfinitam non fuisse vexatam. Verùm cùm illic vna essent hebdomada commorati, non ferens dæmon serui Dei increpationem, mulierem ad pedes eius proijciens discessit. Et mulier liberata est, domumq; læta cum marito rediit.

In loco Mazaniæ, qui est ad Siberim superiorem, sub climate Mnozeniæ ingruebat mense Iunij tanta locustarum multitudo, vt nebulæ instar totam regionem operiret, frugesq;, & fructus omnes deuoraret. Quam quidem calamitatem incolæ conspicientes, audientesq; miracula, quæ sanctus Theodorus effecerat, supplices ad eum accesserunt, & ad pedes eius prostrati rogarunt, vt veniret, & precibus suis tantam à se calamitatem expelleret. Profectus cum illis peruenit ad catholicam ipsorum Ecclesiam sancti Euenici, in eaq; de more mansit. Postridie verò supplicem populum in agros dimisit, præcepitq;, vt quodam in loco consisteret, & Dei misericordiam imploraret. Ipse verò tres accipiens locustas in manu sua, pro populo Dominum obsecrabat; atq; interim tres illæ locustæ in eius manu mortuæ sunt. Et gratias agens Deo dixit ad populum: Reuertamur in Ecclesiam, filij, Deus enim celeriter misericordiam suam nobis ostendet. Reuersi igitur in sancti Euenici templum, diuinum 26 sacrificium peregerunt. Postero autem die in agros egredientes, locustas omnes mortuas inuenerunt; & Deum collaudauerunt.

29 Nota Missã diuinum sacrificiũ nuncupari.

Improbus autem ille, qui bonis operibus, & viris bonis, ac Dei seruis semper inuidet, ad huius miraculi inuidiam proprium ministrum mouit, & ad sancti viri, qui illud effecerat, mortem inquirendam incitauit. Hic erat maleficus quidam, nomine Theodorus, de quo supra meminimus, malarum artium

peritissimus,

peritissimus, qui eodem in loco habitabat. Sed artes illi suæ nihil aduersus sanctum Dei seruum erant profuturæ. Cùm igitur homo scelestissimus miraculum à viro sanctissimo factum aspexisset, recordareturq; improbum dæmonem suum, quem ipse immiserat, paulò ante eiectum, re infecta, discessisse, inflatus à superbo inimico, subiectiq; sibi dæmonis nequitia inflammatus, misit, qui sanctum Dei seruum tentarent, & ad mortem vsq; affligerent. Verùm qui missi fuerant non audentes eum vigilantem adoriri, somni tempus, tanquam latrones, expectarunt. Cæterùm cùm diuina virtute, quæ illum protegebat, fugarentur, audaciores ex ipsis ad nequitiam viro sancto rursus appropinquauerunt; sed eadem gratia Dei, tanquam ignis, ab eo progrediens ipsos adurebat, & persequebatur. Quare cùm idem sæpiùs frustra, immò verò cum detrimento suo tentassent, ad eum, à quo missi fuerunt, confusi reuerterunt. Cùmq; illos interrogaret, cur re infecta redijssent, acriterq; obiurgaret; Nulla, inquiens, est vestra vis; cùm enim ad ipsum dormientem accedere, & iniuriam inferre nequeatis, quomodo vigilantem superabitis? Et nos, respondebant illi, multò magis, quàm tu, probati, inuictiq; cupimus in ijs, ad quæ nos mittis, exequendis reperiri. Verùm cùm ad eum accedimus, magna ex ore eius egreditur flamma ignis, non huius, qui sensu percipitur, quem nos contemnimus, sed diuini in eo habitantis, à quo comburimur; & idcirco, re infecta, discedimus. In cibo item, & potu eius vim nostram miscuimus, sed eam ipse vtens benedictione 30 inutilem reddit.

Cùm igitur se Theodorus toties victum doleret, & inuidia magis in dies accenderetur, letale venenum magno paratum artificio in piscem coniecit, & per alios quosdam ad Sanctũ misit. Ex quo cùm Dei gratia, adhibita benedictione, nihil accepisset detrimenti, Theodorus ille confusus, quòd tã mortifero veneno nihil egisset, consideransq;, quàm imbecilla esset potentia diaboli, & quàm magna Dei virtus, atq; admirabilis, quæ & dæmonum, & veneni vim infregisset, & locustas interemisset, ex diabolica resipuit ebrietate, & ad virum sanctum supplex accessit, & ad pedes eius prostratus lachrymans obtestabatur, vt sibi Dei misericordiam impetraret. Vir autem sanctissimus tanti luctus, & supplicationis causam requirebat. Cui cùm Theodorus suas in eum insidias, & dæmonum responsa, artificiumq; diabolicum, quod in multarum animarum perniciem exercuerat, exposuisset, oraretq;, vt se à tali nequitia liberaret, & sanctissimum sibi baptismum impertiret; respondit sanctus Theodorus: Si vis à Deo veniam impetrare, primùm omnia peccata tua confitere; & si quos habes libros maleficos, in medium profer, & quoscunq; homines, aut domos, aut animalia maleficijs tuis obstrinxisti, dissolue, nec ampliùs ea in quenquã exerce; sed pœnitentiam age; & ego Deum, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad cognitionem veritatis venire, precabor, vt ea tibi, quæ hactenus admisisti, condonet. Hæc ille omnia cùm se perfecturum iureiurando promisisset, omnes libros maleficos protulit, & coram illo combussit. Sanctus autem Theodorus eum priùs in religione instituit, & 31 ieiunijs, atq; eleemosynis purgauit, postea ad salutare lauachrum admisit, & ad nonaginta nouem ouium numerum adiunxit, seq; doctrinæ Iacobi fratris Domini ministrum declarauit, peccatorem ab errore viæ ipsius conuertens, & liberans animam eius à morte, & operiens multitudem peccatorum.

Accidit autem, vt postea quam ad mansionem suam reuersus est, in morbum grauissimum incideret, & sancti Angeli ad eum miserandum accederent. Ipse verò cœpit flere, ac tristis esse. Erat autem super ipsum 32 imago sanctorum Cosmæ, & Damiani miraculis illustrium; qui tales se illi secũdum quietem conspicuos obtulerunt, quales ea pictura exprimebantur. Et accedentes

30 Vide quid faciat benedictio ante cibum, expellit enim vim dæmonum, si forte cũ illo sit admista.

31 Ecce quomodo adulti baptizandi per dies aliquot pœnitentia, ieiunijs, & eleemosynis præparabantur, & in religione instituebantur.

32 Nota p̃ vsu imaginũ, & q̃ta possint Sancti post mortem.

ad eum, quemadmodum solent medici, venarum pulsum explorabant, atque inter se ita colloquebantur, vt de salute eius, propterea quòd vires ipsius concidissent, desperare viderentur, & ad eum conuersi dicebant: Quid fles, frater? Cur tristis es? Ipse verò respondebat: Quia non egi pœnitentiam, domini mei, & quia relinquo pusillum hunc gregem, qui nondum est perfectè institutus, & magna indiget diligentia. Tunc illi: Vis, vt pro te supplicemus, vt tibi paululum adhuc ad viuendum spatij concedatur? Si hoc, inquit, feceritis, & tempus mihi ad resipiscendum impetrabitis, & pœnitentiæ meæ, & omnium, quæ rectè posthac egero, mercedem lucrabimini. Sancti autem ad Angelos conuersi, rogabant eos, vt illius tantisper curam gererent, dum ipsi supplicatum pro illo ad Regem irent. Et cùm Angeli se id facturos dixissent, sancti Cosmas, & Damianus profecti sunt, & pro Theodori 33 salute Omnipotenti Regi Christo Deo nostro, qui in cœlis est, quique & Ezechiæ quindecim vitæ annos adiunxerat, supplicabant. Itaque voti compotes reuerterunt, in medio ipsorum habentes adolescentem, Angelis, qui aderant, aspectu quidem similem, sed gloria præstantiorem; qui præsentes Angelos sic allocutus est: Ab eo recedite; placatus enim est communis omnium Dominus, & gloriæ Rex, & permittit, vt adhuc in carne maneat. Qui statim vnà cum ipso in cœlum redierunt. Sancti verò Cosmas, & Damianus; Surge, inquiunt, frater, & attende tibi, ac gregi tuo. Benignus enim, & clemens Dominus noster preces nostras pro te suscepit, & largitus est tibi, vt viuas, paresque cibum, qui non perit, sed manet in vitam æternam, & multarum animarum salutem cures. Hæc locuti, etiam ipsi discesserunt.

33 Ecce quomodo Sācti orāt Christum p salute Theodori.

Sanctus verò Theodorus, confestim viribus recuperatis, surrexit sanus, & laudabat Deum, maioreque studio abstinentiæ, & psalmis decantandis incumbebat, & pro gratia sibi à Deo concessa multa miracula faciebat, tum in curandis omnibus morbis, & languoribus, tum in expellendis spiritibus immundis; sola enim ipsius increpatione, aut iussu ab hominibus discedebant. Quibus miraculis multi commoti domos suas relinquebant, & ad eum accedentes habitum 34 monasticum, & vitam quietam complectebantur. Quidam etiam ex ijs, qui curabantur, nolebant ab eo discedere, sed manebant apud illum, & necessaria ministeria exequebantur. Quamobrem cùm sancti Georgij martyris oratorium esset angustius, quàm vt eos, qui sacrificium peragebant, & qui ibi commorabantur, quique ad precandum conueniebant, capere posset, ad dexteram ipse partem ædem pulcherrimam sancti Angelorū principis Michaëlis tam æstati, quàm hyemi commodam exædificauit. Hæc ad læuam habebat paruum sancti Ioannis Baptistæ oratorium; ad dexteram autem oratorium sanctissimæ Dei genitricis, semperque virginis Mariæ; in quo & fratrum regulam constituere decreuit, propterea quod ægroti, & à malis spiritibus vexati, qui, vt curarentur, adducebantur, & qui ad precandum accedebant, in Archangeli Michaëlis oratorio, quod die, & nocte apertum erat, manebant. In his autem sanctissimus Dei seruus Theodorus, tanquam fructifera olea in domo Dei, & veluti palma inter spinas versabatur; & monachorum circundatus choro in Dei laudibus excellebat. Misit autem socium suum Philumenum ad Anastasiopolis 35 Episcopum, vt eum presbyterum faceret, fratrumque præfectum, quoniam inter alios constantia, & mansuetudine præstabat.

34 Habitum monasticum, & vitam quietā cōplectebantur.

Iam cùm sanctus, ac venerandus ille mansionis locus Dei gratia auctus esset, sed argentea suppellectili careret, & vasa tantùm marmorea in mysterijs adhiberentur, misit sanctissimus Theodorus Archidiaconum suum ad regiam ciuitatem Constantinopolim, vt argenteum vas ad sacrorum mysteriorum

35 Nō mittit ad Magistratū, vel ad plebē pro ordinādo pbytero, sed ad episcopū.

vsum emeret. Ille autem eò profectus emit vas à quodam opifice, tum materia, tum artificio singulare, & ad monasterium tulit. Cùm igitur postridie peragenda essent mysteria, ostendit Archidiaconus vas illud sanctissimo Theodoro, vt in eo fieret sacrificium. Quod ille mentis oculo contemplatus, vt sordidum, atque inutile contempsit. Cùmque Archidiaconus fabrefacti vasis integritatem, pulchritudinemque commendaret, quippe qui nihil ampliùs, quàm speciem extrinsecus poterat intueri: Noui ego quoque, fili, inquit vir sanctissimus, vas esse pulcherrimum, quantùm ad materiam, atque artificium pertinet; sed aliam ob causam, quæ oculis non cernitur, coinquinatum est. Vsus nimirum, vt arbitror, illud infecit. Quòd si dubitas, dic psalmi versiculum, vt precemur, atque illud intelliges. Quod ille dum faceret, & vir sanctissimus, inclinato capite, precaretur, sic euasit ipsum vas, quale solet argentum esse, cùm ex camino ignis nigrum educitur. Quo perspecto, fratres Deum collaudarunt, qui per seruum suum id, quod occultum erat, patefecisset. Verùm cùm Archidiaconus illud rursum in manus accepisset, argenteum, & splendidum apparuit. Quamobrem Constantinopolim reuertens reddidit illud opifici, & causam narrauit. Opifex autem secum ipse considerans meminit, vas ipsum ex argentea meretricis situla fuisse conflatum, & rem Archidiacono indicauit, veniam petens, & rogans, vt pro se Deum obsecraret. Alia autem illi vasa pura dedit, atque pulcherrima, quæ Archidiaconus ad sanctissimum Christi seruum attulit, priorisque vasis causam ipsi, & fratribus patefecit; qui Deo gratias egerunt.

Iam in Buzæorum loco sub Gratianopolim sito cùm torrens sic imbribus excresceret, vt traijci non posset, cupiebant incolæ pontem ædificare. Cùmque adhibitis artificibus opus prope confecissent, deerant tabulæ quædam lapideæ, ad quas excidendas (licet multi dicerent, ad thesaurum auferendum) in collem quendam propinquum se contulerunt. Verùm magna inde spirituũ exijt immundorum multitudo. Quorum pars inuasit viros, & fœminas illius loci, eosque acerbè cruciabat; pars cæteros in varios morbos coniecit; complures autem vias, & loca finitima occuparunt, & homines, ac bestias illac iter facientes iniurijs afficiebãt. Quamobrem regio illa magnis tum internis, tum externis calamitatibus laborabat. Cùmque illis in mentem venisset serui Dei Theodori, decreuerunt illius precibus immundos spiritus abiurare. Ex quo cœperunt ipsi spiritus non mediocriter formidare, &, nomine eius audito, mitiùs, ac leniùs agere. Ad monasterium igitur profecti tantoperè supplicarunt, vt cum illis tandẽ abierit. Appropinquante autem illo ad regionem ipsorum, sentientes spiritus præsentiam ipsius, & homines obsessos corripientes, occurrerunt ei, & cum vlulatu vociferabantur ad hunc modum: Proh uis. Cur venisti huc, ò ferriuore? Cur Galatiam reliquisti, vt Gordianam peteres regionẽ? Non erat opus, vt terminos transires. Causam enim, quãobrem te huc contulisti, non ignoramus. Verùm nos non parebimus tibi, quemadmodum parent Galatiæ spiritus; nos enim asperiores sumus, & astutiores. Sed cùm eos vir sanctus increparet, obmutuerunt. Postridie autem cùm essent omnes congregati, & illi, qui vexabantur, circa virum sanctissimum essent, supplicationem emisit, &, totam regionem lustrauit, peruenitque ad collem, vnde dæmonia exisse dicebantur; atque illa torquens diuina Christi gratia, venerandæque Crucis 36 signo, tunsionibus in pectus adhibitis, diu precationibus incubuit; iussitque, vt ex hominibus egrederentur, & in locum suum redirent. Quæ valde clamantia, scissis vestimentis, obsessos ante pedes eius prostrauerunt, & egressa sunt.

36 Theodor⁹ signo Crucis, & tunsionib⁹ in pectus adhibitis, atque precationib⁹, dæmones ab obsessis expellit.

Pessimus tamen spiritus, qui mulierem vexabat, resistebat, & nolebat egredi.

At vir Sanctissimus, coma eius apprehensa, vehementerque premens, adhibito Crucis signo, & fusis ad Christum precibus, increpabat eum; Hinc, inquiens, non discedam priùs, quàm ab illa fueris egressus. Tunc clamare spiritus cœpit, ac dicere: Magna est, ò ferriuore, vis tua etiam in me. Iam egredior, & non repugnabo. Da nobis tantùm aliquid ex ijs, quæ fers. Soluit ille calceamentum, conieciteque in foueam collis, vnde exierant. Proiecta igitur muliere ante pedes eius, exiuit ab ea. At vir sanctissimus stans rursum Dominum precabatur, vt spiritus item illos omnes, qui loca finitima, & vias obsidebant, atque iter facientes vexabant, compelleret in locum, vnde egressi fuerant, regredi. Deique gratia omnes sub muscarum, & leporum, ac murium specie, vt quibusdam videbantur, coacti, in foueam illam redierunt. Tunc eam vir sanctissimus, precibus fusis, signo Crucis obsignauit, iussitque vt foramen illud obstrueretur, & in pristinam formam redigeretur. Et supplicationem ad locum suum reduxit. Nec vnquam postea locus ille sensit eam calamitatem, nec loci finitimi, nec viæ, nec homines vlli iniuria eiusmodi affecti sunt, ad gloriam Christi Dei nostri curationum largitoris. Vir autem sanctissimus ad monasterium suum reuersus est.

Ex Ponti autem oppido Heraclea Theodorus cognomento Larzeas, diues, & claro loco natus, ad pium virum accessit, & ad pedes eius prostratus lachrymans supplicabat, vt ad vrbem suam veniret, ac in sacra æde sanctissimæ Dei genitricis pro domesticorum suorum salute precaretur. Cùm enim domi suæ foderetur, ex ea fossione contigit, vt magna spirituum immundorum multitudo tum familiares suos, tum alios ciues inuaderet, & acerbè vexaret. Beatus igitur vir, cùm in æde illa sanctissimæ Dei genitricis precari cuperet, abijt cum illo, & desiderio suo satisfecit, familiamque præclari viri Theodori, & reliquos ab immundis spiritibus vexatos, precibus, & supplicationibus liberauit, multaque alia curationum miracula tam in ipsa vrbe, quàm in tota illa regione, reuertendo fecit ad gloriam Saluatoris nostri Dei.

Cùm in Ancyranorum metropoli magna lues in homines, armentaque desæuiret, eius metropolis curatores ad Dei seruum accedentes secum abduxerunt. Cùmque filias haberent monachas in sãctissimo Dei genitricis monasterio, quod Beccia vocatur, rogarunt eum, vt ibi commoraretur, & pro illis Deum obsecraret. Constituto autem supplicationis die, omnes ciues, & agricolæ conuenerunt ad supplicandum; & ipse cum illis Deum obsecrans, ab ea peste ipsos liberauit. Aquam præterea 37 benedixit, qua conspergebantur armenta, & libera erant. Quamobrem gratias agentes Deo metropolitæ, virum sanctum ad eius mansionem reduxerunt.

37 Nota pro aquæ benedictione, & ei⁹ effectu.

Porrò cùm Siberis amnis, qui prope monasterium fluit, Siceorum sata, atque adeò agros ipsos auferret, vir sanctissimus accessit, amnique præcepit in Christi nomine, vt in alueum suũ rediret, nec agris ampliùs appropinquaret; ligneaque Cruce 38 defixa, & precibus fusis, impetum eius repressit. Cùmque eodem in flumine traijciendo multi periclitarentur, vir iste memorandus ad eius medium accessit, fusaque benè longa ad Deum precatione, reddidit ipsum mansuetum, vt nullum ampliùs in illius traiectu periculum foret.

38 Cruce lignea defixa, & p̃cib⁹ fusis, impetum fluuij repressit.

Ductus est ad eum puer è quodam monasterio, nomine Arsinus, qui à spiritu immundo vexabatur. Hunc vir sanctissimus cùm accepisset, non festinauit curare eum, quòd illi talem disciplinam haud inutilem esse diceret. Verùm cùm perfectæ iam esset ætatis, & vir sanctissimus pro omnibus accedentibus precaretur, orauit & ille, vt pro se quoque idem faceret. Cui, Si promittis, inquit, te rectam, & exquisitam vitæ rationem amplexurum, celeriter id, quod flagitas, impetrabis. Promisit ille. Itaque cùm vellet Christi seruus

sancti

sancti martyris Christofori mulierum mona sterium inuisere, secum Arsinum duxit. Et cùm essent in valle Xeroniaca, & tempus foret opportunum, stans vir sanctissimus Deum pro illo precabatur. Commoto igitur dæmone, cœpit affligi, & in sublime tolli. Dæmon autem suspensus dicebat; Egredior, ferri uore; tantùm solue me, & statim discedam. Et hæc dicens vidit sanctum Christi martyrem Christoforum Dei seruo obuiam venientem. Et vehementiùs vlulans dæmon prostrauit illum ad pedes ipsius, atq; discessit. Cùm'q; se collegisset, duxit eum vir sanctus in ipsius Martyris monasterium: vbi admonitionibus, & grauibus præceptis, & obsecrationibus Virgines in eo degentes ad modestiam, & timorem Dei, & humanũ pudorem instituit. Valde enim eum Virgines venerabantur.

Posteaquàm autem ad virorum monasterium Sanctus ipse redijt, paruam cellulam ab eo accepit Arsinus, in qua inclusus quietem colens se exercebat; & tribus hebdomadæ diebus 39 pane cum oleribus, aut pomis vescebatur; tempore autem Quadragesimæ idem illi quidem erat cibus, sed sabbato tantùm, & die Dominica. Erant & alij duo, qui asperum eiusmodi vitæ genus colebant, Euagrius, & Andreas, qui prope Arsinum in cellulis degentes animarum suarum saluti vacabant. Horum studio magnus Dei seruus lætabatur, & Deum laudabat. Aliquantò autem post magno affecti sunt desiderio sanctam 40 Ciuitatem inuisendi, & sancta illius loca adorandi. Quod cùm inter se contulissent, supplices virum sanctum obsecrarunt, ne desiderium suum impediret, sed precibus illud adiuuaret. Cùm igitur ab eo dimissi iter suum confecissent, & voti iam compotes essent, Euagrio placuit, illic commorari. Ingressus igitur in Lauram Abbatis Sabæ, sanctè vitam instituebat, factis ipsis declarans, se diuini, & sancti patris Theodori esse discipulum. Arsinus autem, & Andreas in Galatiam ad virum sanctissimum redierunt, eum'q; rogarunt, vt pro se Deum obsecraret, sibi'q; permitteret, vt alia in loca se se conferrent, vbi separatim in quiete vitam traducerent. Cùm igitur pro illis Deum obsecrasset, & quod petebant, concessisset, abierunt, quò vtriq; libuit. Andreas procul à monasterio passuum millibus octo in Briauee collem iuit; vbi in lignea cellula inclusus sanctè viuebat, & à Christi die natali vsq; ad ramos oliuarum eandem, quam in monasterio abstinentiam coluerat, exercebat. Arsinus verò cùm in partem superioris Potamiæ se contulisset, Galenirum sibi locum ab hominum celebritate remotum, in quo dæmones considebant, elegit, & stans Deum orabat, dicens: Domine Deus patris mei Theodori, precibus eius placatus serua me peccatorem, & adiuua me, atq; defende, vt tibi seruiam, & placeam in hoc loco. Statim'q; se in lignea cellula inclusit, ibi'q; hyemem illam transegit. Postea verò altiorem sibi columnam fecit, in eam'q; conscendit; & solitam abstinentiam, & reliquarum virtutum studium coluit. Cùm'q; quadraginta iam annos ita transegisset, patientiæ corona redimitus, & discipulus Theodoro præceptore dignus, in pace requieuit.

39 Vide rigidã viri abstinentiam, & ciborum delectũ.

40 Ecce peregrinationem ad loca sancta, inuisendi, & adorãdi gratia.

Multi præterea à sancto, & præclaro patre nostro Theodoro instituti, vel apud ipsum vitam traduxerunt, vel alijs in locis excelluerunt. Inter quos & Reparatus claris ortus parentibus cohortationibus eius, & miraculis cõmotus, monasticum ordinem suscepit; & ab eo institutus in paruam se cellulam inclusit in Colonosi regione Lycaoniæ, rectè'q; vixit ad exemplum præceptoris. Et Elpidius, qui cùm annos aliquot in monasterio rectè vixisset, deindè ad Orientem profectus, prope montem Sina constitit, ibi'q; se exercuit. Hunc, propter quietem, & religionem, patres illis in locis commorantes Elpidium quietum appellabant. Et Leontius, qui diu sub disciplina serui Christi

institutus, prope locum Permataiæ separatim vixit tam honestè, ac piè, vt cùm alia multa vaticinatus sit, tum iniquorum Persarum impetum prædixerit, seq; ab illis interfectum iri. Quod & factum est, cùm è cellula ipse sua egredi, & quietem suam nollet intermittere. Et Theodorus, qui in monte Draconis piam vitæ rationem coluit, ab ipso institutus est, & habitum accepit, & postea mansionis ipsius Sancti præfectus fuit. Et Stephanus, qui prope Psilim fluuium sancti Theodori mansionem rexit, ab eo pariter fuit institutus, & habitum accepit. Et alij plurimi, quos propter multitudinem prætereo, ne dum in eorum historia moror, quæ ad magnum ipsorum, & nostrum pastorem pertinent, imperfecta relinquam, & prætermittam. Vita quidem ipsorum satis eos commendat; sed talis magistri disciplina multò magis. Non potest enim, vt ait Dominus, arbor bona fructus malos facere. Huius igitur arboris, omissis interim ramis, altitudinem pro viribus consideremus.

Eum rursus desiderium incessit reuisendi sanctam ciuitatem Hierusalem. Quare cum duobus comitibus iter suscepit. Tunc autem Hierusalem magna siccitate laborabat. Cùmq; & lacus, & cisternæ exaruissent, magnis omnes in angustijs versabantur. Ciues enim, & monasteria aquas pluuias in lacus, cisternasq; colligunt, cùm fontes non habeant. Homines igitur, & iumenta aquæ penuria affligebantur. Nec supplicationibus quicquam proficiebant, quoniam eam gratiam Deus seruo suo reseruabat. Erant porrò illic quidam ex Galatiæ regione, qui magnum Dei seruum, & eius miracula cognoscebant, & de ipso in sancta Ciuitate, & in monasterijs, quoties occasio id ferebat, loquebantur. Nouimus, inquiebant, sanctum patrem in nostra regione, qui vnica precatione queat aquis vniuersum orbem explere, quemadmodum Eliam prophetam tempore Achab Regis Israël fecisse legimus. Cùm igitur in sanctam ciuitatem Hierusalem ingressus esset, & salutiferam 41 Crucem, & sanctum Christi sepulchrum adorasset; & omnia loca sacra, atq; monasteria inuiseret; videntes eum monachi, qui de illo locuti fuerant, præsentiam eius tam in ciuitate, quàm in monasterijs diuulgarunt. Quamobrem, Patriarchæ Hierosolymitani nomine, clerici, & monachi ad eum accesserunt, rogaruntq; vt precibus suis Deum sibi propitium redderet, & pluuiam impetraret. Tunc ille se excusare, quòd indignus esset. Sed cùm illi responderent, se confidere, si suas ipse preces cum aliorum patrum precibus coniunxisset, fore, vt Deus pluuiam largiretur; Quandò, inquit, dicitis, vos fidem habere, sicut creditis, ita fiet vobis. Constituta igitur supplicatione, dixit militibus: Deponite, filij, stolas vestras, ne madefiant, & vos defatigemini. Celeriter enim, mihi credite, pro fide vestra Deus misericordiam suam vobiscum faciet. Cùm igitur supplicando procederent, & quodam in loco ex mandato eius precandi gratia constitissent, sublatis in cœlum manibus, vir sanctissimus satis diu Deum obsecrauit, & obsecrante illo, parua nubes apparuit ab Occidente. Facto autem obsecrandi fine, præcepit, vt supplicantes progrederentur. Tunc nubibus totum obtectum est cœlum; & ingens cœpit pluuia descendere, adeò vt madefacti cursu reuerterentur, & Deum collaudando supplicationi finem imponerent. Omnes autem cisternæ, & lacus, pluuia, fluminis instar, defluente completi sunt ob serui Dei precationem. Qui ne propter miraculi amplitudinem turbaretur, statim ad monasterium redijt.

41 Cùm salutiferam Crucem, & sanctum Christi sepulchrum adorasset; & omnia loca sacra, & monasteria inuiseret.

Multis item aliis in locis monasterio propinquis eiusmodi miracula, siccitate premente, per ipsum effecta sunt. In loco autem, qui Reace nuncupatur, sæua quædam nubes statutis temporibus regionem occupabat, & maturos vitium fructus grandine deijciebat. Quamobrem incolæ, cùm ea calamitate multis iam annis assiduè afficerentur, ad monasterium accesserunt, & multis

precibus virum beatum secum abduxerunt. Qui, constituta 42 supplicatione, regionem lustrauit, & Cruces quatuor ad regionis fines constituit, & ad monasterium reuersus est. Ex quo factum est, vt sæua illa nubes nunquam amplius regionem inuaserit. Cuius beneficij memores loci illius incolæ, quotannis monasterio aliquot vini mensuras, & varias vuas offerunt.

42 Supplicatione fusa, & quatuor Crucibus ad regionis fines constitutis, nubem infestissimam repulit.

In Caria fluuius, qui dicitur Copas, exundans domos deijciebat, & omnia paulatim euertebat. Quare Christi seruus incolarum precibus adductus, illuc se contulit; & adhibita precatione, ad fluuij ripam, intra quam cùm paruus esset, solebat contineri, Crucem statuit. Et Dei gratia, sanctiq; viri precationibus factũ est, vt quãuis solito etiam magis excresceret, nunquam tamen terminum Cruce præfinitum transilierit, neq; incolarum loca suffoderit.

Eo tempore piæ memoriæ Tyberius imperio potiebatur, qui cùm Mauritium sibi à secretis Comitem fecisset, misit eum aduersus Persas. Cùmq; vicisset illos, in vrbẽ ab Imperatore reuocatus est. Hic igitur cùm per Galatiam iter faceret, auditis, quæ de Christi seruo dicebantur, ad eum, qui tunc in spelunca quiescebat, cum fratre Petro, & socijs accessit; & ad pedes eius prostratus orabat, vt pro se Deum precaretur, vt iter suum ad Imperatorem fortunaret. Beatus autem vir, cùm vt surgeret præcepisset, & pro illo Deum obsecrauit, &, Deo sibi patefaciente, dixit ei: Fili, si sancti martyris Georgij memor extiteris, haud ita multò post cognosces, qua in gloria imperij collocaberis. Quòd cùm euenerit, memento, vt pauperes alas, atq; sustentes. Et cùm Mauritius hæsitaret, qua in imperij gloria se collocatum iri diceret, seduxit eum, & remotis socijs, apertè significauit, ipsum futurum Imperatorem. Mauritius igitur cum socijs, accepta benedictione, lætus discessit, & Constantinopolim peruenit; defunctoq; Tyberio, vt vir sanctus prædixerat, imperium obtinuit; & eius verborum memor epistolam ad illum misit rogans, vt Deum pro se precaretur, vt imperium in pace tueri posset, & ab hostibus defendere; addiditq;, vt peteret, si quid à se vellet. Sanctus autem Theodorus beatum Philumenum misit, & rescripsit Imperatori, vt in vsus pauperum aliquid frumenti monasterio tribueret. Addixit igitur Imperator monasterio singulis annis tritici modios sexcentos; & poculum illi pro munere misit.

Cùm autem maioribus in dies virtutibus, atq; miraculis floreret, & fama eius vbiq; magna cum laude celebraretur, impletum est monasterium viris bonis; inter quos ipse, vt Dauid cecinit, erat tanquam oliua fructifera in domo Dei; vt de ipso id, quod in Psalmo prædictum est, impleretur: Iustus sicut palma florebit, & sicut Cedrus Libani multiplicabitur. Iam cùm cerneret vir beatus multas turbas congregari, & sancti Georgij oratorium angustius esse, quàm vt omnes capere posset, templum sancti Martyris amplum faciendum curauit, vt dextrum eius templi latus sancti Martyris oratorium teneret, sinistrum autem sanctorum martyrum Sergij, & Bacchi. Vbi cùm pro iaciendis fundamentis effoderent, & varias petras igne, acetoq; perfringerent, atq; deuoluerent (erat enim agrestis, petrosusq; locus ille) contigit vt saxum miræ magnitudinis inuenirent; quod cùm demolirentur, quendam in locum impulerunt, vnde nullo modo poterat dimoueri. Multis igitur operarijs frustra laborantibus, accessit vir sanctus, & saxum attingens; Benedictus Deus, inquit, hinc deorsum mouearis, vt hoc loco vti possimus; & dicto citiùs emotum est saxum, & facillimè voluebatur. E regione verò cùm esset arbor mali, quæ à saxo euertenda videbatur, dolens vir beatus exclamauit: Ita pertransi, vt nulla malum iniuria afficias: & statim, tanquam esset homo prudens, & intelligens, sic extra arborem transilijt, vt eam nihil omnino læderet.

Cùm ex loco, qui dicitur Euarzia, millibus passuum octo à monasterio distante quidam pro templi ædificatione calcem in curribus veherent, præsente viro sancto, contigit, vt magna nubes super ipsos incumberet, & ingentem imbrium vim inciperet demittere. Quamobrem homines illi perturbati, & metuentes, ne currus, atq; iumenta propter calcis incendium imbribus excitatum comburerentur, magnis vocibus virum sanctum aduenientem compellabant, dicentes: Curre, domine, curre; perimus vnà cum iumentis nostris. Et cœperunt celeriter iumenta dissoluere, & à plaustris remouere. Sed vir sanctus prohibuit, ne id facerent; qui stans, atque manus suas 43 extollens Deum precabatur, & ad præcedentem currum accedens insedit, & psallens eum dirigebat; statimq; nubes duas in partes discissa est, & imbribus magnis vtrinq; defluentibus, ne gutta quidem super plaustra decidit. Sic igitur ad monasterium incolumes peruenerunt, Deum collaudantes, qui res admirabiles per seruum suum efficiebat. Alia item miracula, dum templum ædificaretur, ab ipso facta sunt.

43 Orat Sãctus cũ eleuatione manuum.

Post templi autem ædificationem quæsiuit ex eo discipulus eius Deo charissimus Ioannes, quis esset illud consecraturus. Cui respondit: Ecce dico tibi, templum hoc ab Episcopo huiusce loci consecratum iri. Et vaticinatus est. Nam Deus seruos suos claros, & illustres reddens, qui cùm quinq; talenta seruo suo dedisset, & ea ipse duplicasset, aliud ei munus largitus est, beatissimo item, atq; sanctissimo huic viro priores gratias, & munera cumulauit, quoniam ea ipse rectè factis duplicauerat. Pastoris enim eum honore decorauit. Nanq; defuncto Timotheo Anastasiopolis Episcopo, ciues, & clerici ad beatissimum Ancyræ metropolis Archiepiscopum conuenerunt, & magnum Dei seruum Theodorum Siceorum mansionis Archimandritam, in sanctissimæ Ecclesiæ suæ Episcopum efflagitarunt. Quorum ille lætatus studio, & voluntate, præcepit, vt eum ad se adducerent. Erat autem tempus, quo sanctus Theodorus in spelunca inclusus precationi vacabat, & quieti. Accesserunt igitur Anastasiopolis clerici, & ciues ad monasterium, atq; speluncam, & supplicarunt, vt se pastorem ipsis concederet. Quod ille cùm ne audire quidem vellet, nedum concedere, ipsi, vi quadam pia illata, eum è monasterio extulerunt, & in lecticam coniectum abduxerunt. Cuius discessu cùm & monachi, & cæteri, qui illic commorabantur, mœsti essent, vir sanctissimus eos per fratrem consolatus est; Omittite, inquiens, mœrorem, filij. Nam si mihi credideritis, non dimittam vos. Nihil enim est in terra, quod me à consuetudine vestra posit separare.

Ancyram igitur Metropolim ingressus à beatissimo Archiepiscopo Paulo cum lætitia susceptus est, & Episcopus constitutus. Viderat autem quidam in quiete, stellam ingentem è cœlo delapsam super Ecclesiam illius ciuitatis constitisse, quæ radijs suis tum ciuitatem ipsam, tum regiones finitimas illustrabat. Egressus igitur è motropoli Ancyra sanctus Theodorus Anastasiopolim venit cum religiosissimo Cinaræ ciuitatis Antistite; à quo in sede constitutus, instar stellæ, quæ visa fuerat, diuinis curationum gratijs præfulgebat; assiduisq; 44 ieiunijs, & precibus, & eleemosynis, & omnibus deniq; virtutibus, & officijs ciuitatem sibi creditam exornabat; & reliquas ad eius æmulationem inflammabat. Sic nanq; ad virtutem, & pietatem excitata surrexerat, vt nomini suo planè responderet. Neq; enim tam ciuium multitudine, & diuitijs, & Imperatorum muneribus, propugnaculisq; munita præstabat, quàm diuini Episcopi sui virtutibus, & rectè factis. Nec ab hominibus solùm, sed ab Angelis habitabatur, à cœlestiq; Imperatore Christo semper inuisebatur, & custodiebatur, & muneribus omnibus abundabat. Excurrens autem ad mo-

44 Ecce virtutes, quib' sanctus vir Episcopatum suum exornabat.

nasterium suum, templum 45 sancti Georgij martyris à se ædificatum cum lætitia, & gaudio consecrauit. Quamobrem omnes collaudabant Deum, cuius prouidentia factum esset, vt sancti viri laboribus non alius, sed idem ipse in episcopali sede constitutus frueretur; quemadmodum scriptum est: Labores manuum tuarum manducabis.

45 Episcopus factus templũ sancti Georgij martyris à se ædificatum cõsecrauit.

Post templi consecrationem vir beatus Anastasiopolim reuersus est, Deique gratia multa fecit miracula curationum, adeò vt in lectulis, & grabatis infirmi ad eum gestarentur, vt eos tangeret; quos cum illis, qui ab immundis spiritibus vexabantur, precibus suis liberos dimittebat. Talem enim à Domino nostro Iesu Christo gratiam habuerat aduersus immundos spiritus, vt non solùm si eos ipse increpuisset, verùm etiam si id per alios fecisset, statim ab obsessis corporibus fugerent. Sic enim accidit quodam die, cùm in oratorio esset inclusus, vt quædam mulier vexaretur, & cereos, qui illic erant, confringeret; nec vir eius poterat eam cohibere. Quidam igitur è ministris eius in oratorium Sancti Platonis ingrediens, vbi erat sanctus Episcopus, rem illi significauit. Verùm cùm ipse nollet quietis terminum interrumpere; decreuerat enim in præsepi stare, & considere; nec mulierem volebat illuc ingredi; oleo 46 benedixit, & dedit illud nuncio dicens: Hoc oleo mulieris frontem vnge, & manus, & aures; & dic dæmoni, vt ab illa exeat. Quod cùm à ministro factum esset, conquieuit spiritus immundus, atque discessit; & mulier liberata est; nec ampliùs à dæmone vexata fuit.

46 Oleo à sãcto viro benedicto inuncta per ministrũ mulier, à dæmone liberatur.

Cùm autem multa quotidie miracula eiusmodi fierent à sancto Episcopo per gratiam Dei in ipso inhabitantem, erat quidam magnæ Ecclesiæ Diaconus, nomine Domitianus, incredulus, qui animo erat alienus, & scandalizabatur. Quadam igitur die Dominica vir quidam accessit ex metropoli Ancyra cum filio muto. Qua quidem hora cùm diuinorum mysteriorum communio in Ecclesia catholica sanctæ Sophiæ distribueretur, & ipse puer os aperiret, dixit vir sanctus: Dic Amen: & puer statim clara voce pronunciauit, Amen. Quare pater eius cœpit Deum laudare, & miraculum patefacere. Omnibus igitur admirantibus, & Deum collaudantibus, Domitianus humi statim concidit. Quamobrem clerici quidam accurrentes eum trementem excitarunt. Quærentibus autem, quid ei contigisset, respondit: Cùm puer ille pronunciaret, Amen, & pater exclamaret, quòd soluta esset lingua eius, ego non credebam id esse verum, sed fictum gloriæ causa existimabam; & vidi quasi flammam ignis ex ore pueri egredientem. His dictis, ad sanctum virum accessit, & procidens ad pedes eius rogauit, vt pro se Deum obsecraret, ne vis diabolica à puero egressa, & diuina indignatio in se recideret. Vir sanctus audiens id, quod acciderat; Hoc, inquit, fili, contigit tibi propter incredulitatem animi tui; qua depulsa, fidelis esto; hæc enim miracula non facimus nos, sed Deus hoc etiam tempore, ne possimus dicere, Deum temporibus nostris nullum miraculum effecisse; sed quæ ante nos per sanctos viros effecta sunt, credamus esse vera, atque ita semper in fide crescentes Deum adoremus. Hæc beato viro loquente, Diaconus incredulitatem suam confessus est; & accepta benedictione, ab horrore, & metu liberatus est, sanctusque discessit, & fide deinceps animum suum cumulauit.

Porrò cupiditate reuisendi sanctam Ciuitatem accensus beatus vir, ibique tertiam obsecrationem absoluendi, fratribus duobus assumptis, Ioanne Archidiacono monasterij sui, & Martino ex loco, qui dicitur, Dugaria, à quo dæmonum legionem eiecerat, ad sancta loca 47 profectus est, & Crucem salutarem, Christique sepulchrum, & omnia, quæ illic sancta sunt, adorauit. Inuisit & monasteria; & in patriam non redire decreuit ampliùs; sed illic in ali-

47 Peregrinatur tertiò ad sancta loca, & Crucẽ salutarẽ, Christi sepulchrũ, & alias res sanctas adorat.

quo monasterio quietè viuere. Putabat enim se, suscepto onere Episcopali, à moderatione monastica defecisse, & curis, atq; solicitudinibus obrui. Profectus igitur in Lauram Sabæ Abbatis, viuebat ibi in cellula pij cuiusdam monachi, nomine Andreæ. Et cùm quietis, & silentij sui tempus aduenisset, fecit illi sellam frater, apud quem morabatur, in qua vir beatus sedens abstinentiam suam à die Christi natali ad ramos vsq; palmarum transegit, ne pedem quidem inde mouens, adeò vt patientiam eius omnes illi patres admirarentur. Post 48 Paschæ autem celebrationem, duo illi fratres, quos secum adduxerat, illum assiduè cohortabantur, vt in patriam rediret; sed eos ipse noluit audire, dicens, se illic quietam, & pauperem vitam agere. Verùm nocte quadam illi sanctus Dei martyr Georgius in somnis apparuit, tradens illi baculum, atq; dicens: Exi celeriter, vt in patriam reuertamur; neq; enim licet te, illa relicta, hîc commorari. Cùmq; vir sanctus responderet, se id facere non posse, quoniam Episcopatum recusasset, pollicitus est ei Martyr, & affirmauit se ab illa etiam eum afflictione paulopost liberaturum, modò ne patriam desereret. Surge igitur, inquit, & vade. Multi enim, longis susceptis itineribus, illuc profecti, propter absentiam tuam afflicti, tristesq; discedunt. Quamobrem ego quoq; tibi succenseo. Hæc locutus Christi Martyr, è manu eius pignus accepit, quòd id, nulla interposita mora, esset effecturus. Experrectus igitur vir beatus somnium duobus fratribus narrauit; & ex patrum illius mansionis consilio cum duobus discipulis suis discessit.

48 Post Paschæ celebrationem.

Cùm autem ad Galatiæ partes peruenissent apud Druinorum monasterium, fratribus suis præcepit, ne cui se patefecerent; incolis enim erat ignotus. Ingressus igitur est in monasterium, vt ab itineris labore conquiesceret. Monachi verò illi famam eius audiuerant, & magno ipsius desiderio tenebantur, cupiebantq; ab eo sibi benedici. Suscepit igitur eum hospitum custos Anicetus vir religiosus; & Præfectus sancti Theodori comites interrogauit, quis esset ille Pater. At illi è longinqua regione esse respondentes veram, eius notitiam celauerunt. Cùm autem ad mensam accumberent, dixit vir sanctus: Profectò, filij, comedimus vt Galatæ. Cùmq; paulopost idem repeteret, custos Anicetus cœpit vehementer dubitare, quisnam esset, & suspicabatur, fratres haud verè de ipso respondisse. Cùm igitur à mensa consurrexissent, & beatus Theodorus humi, vt erat solitus, requiesceret, fratres separatum in locum abducens eos obtestabatur, vt sibi dicerent, quis, & vnde pater ille esset. Tunc illi responderunt, eum esse clarum miraculis Theodorum, mansionis Siceorum Archimandritam, Anastasiopolis Præsulem. Anicetus verò, quæ audiuerat, Præfecto, & fratribus cum gaudio nunciauit. Quare cùm ad officium nocturnum surrexissent, surrexit & vir sanctus. Sed cùm in oratorium sancti Pauli Apostoli ingrederetur, obuiam cum cereis exeuntes monachi, atq; Præfectus ad pedes eius prociderunt, & eum consalutantes in proprium cœnaculum adduxerunt, & magna cum lætitia rogarunt, vt apud se diebus pluribus maneret, vt & ipse de via fessus quiesceret, & maiorem sibi benedictionem impertiret. Petijt autem è contra ille ab eis, vt sibi ministerium, quandiu ibi maneret, assignarent. Et illis recusantibus, illud sibi ipse onus imposuit, vt fratrum cubilia manè, vesperiq; curaret.

Cæterùm cùm eius fama diuulgaretur, multi, vt ab eo benedictionem acciperent, ad monasterium ventitabant, & ægrotos suos afferebant. Inter hos mulier accessit, & filium mutum adduxit, vt pro eo vir sanctus precaretur. Qui os suum aperiens in eum insufflauit; & puer confestim locutus est. Mater igitur, assumpto filio, læta discessit, & laudans Deum. Alius puer, qui nullo modo poterat ambulare, à matre oblatus est sancto Theodoro; qui pro

illo Deum obsecrans parumper ab illa discessit, & aduocauit eum dicens: Veni puer ad me in nomine Domini. Puer autem, relicta matre, statim ad virum sanctum accessit. Et reddidit eum matri sanum laudanti Deum. Propinqui autem monasterij sancti Stephani Præfectus venit, rogauitq; Præfectũ monasterij Druinorum, vt per eum sibi liceret, beatum Theodorum abducere, vt monasterio suo benediceret. Hoc audito, sanctissimus Cinnæ Ciuitatis Amiantus venit ad sancti Stephani monasterium, vbi Dei seruus erat, & duxit eum in ciuitatem suam, vt illi benediceret. Processerunt ei obuiam ciues cum supplicatione, læti propter eius præsentiam. Atq; ita ingressus beatus Dei seruus cùm eis benedixisset, & Episcopum salutasset, ad Druinorum monasterium redijt. Atq; inde, rursus Præfecto, & fratribus comitantibus, discessit, vt Anastasiopolim reuerteretur. Et omnes famam eius audientes concurrebant, vt benedictionem acciperent.

Vnius autem oppidi haud procul à via distantis ciues illi supplices occurrerunt obsecrantes, vt in oppidum suum ingrederetur. Erat illic adolescens oris titubantia prope mutus, & elinguis. Ingressus autem vir beatus in oppidum iussit, vt se in Ecclesiam sequeretur; & cùm diuina mysteria distribuisset, præcepit, vt adolescens accederet; & pro illo precatus Deum, os illi aperuit, & ter 49 insufflauit, cùmq; illum signo Crucis obsignasset, sanctum Christi corpus impertiuit; In nomine, inquiens, Domini Iesu Christi loquere; & Dei gratia statim locutus est, dicens, Amen. Quod homines conspicati Deum collaudàrunt. Illinc igitur egressus Anastasiopolim venit; eiusq; reditu omnes lætati sunt. Quidam ad eum mulierem paralyticam iumento impositam adduxerunt; qui iussit, vt illam in monasterio deponerent. Biduoq; post ad monasterium profectus, & in Archangeli templum ingressus, iussit, vt ad se mulier adduceretur, manusq; suas ad gradus cancellum extenderet. Et diu pro ipsa 50 precatus accepit oleum lucernæ semper ardentis, & paralyticæ frontem vnxit, & manus, ac pedes; In nomine, inquiens, Domini nostri Iesu Christi morbos omnes expellentis conualesce, & domum tuam læta reuertere. Et statim sponte sua deambulauit laudans Deum. Suscipientes igitur illã viri, à quibus ducta fuerat, & gratias agentes Deo discesserunt.

49 Trina insufflatione, & signi Crucis obsignatione & sãcti Christi corporis impartitiõe, sãct⁹ vir mutum puerum loquentẽ facit.

50 Oratione, & olei vnctione mulierem paralyticam sanat.

51 Vide abstinentiã ab esu carnium in monasterio.

Fabris quibusdam mandauit beatus vir, vt ad vsum monasterij pro frumento, & fructibus conseruandis domum ex tabulis ædificarent, vetuitq;, ne carne vescerentur, antequàm opus absoluerent; aut si vesci vellent, in oppidum irent. Neq; enim edebatur 51 caro in monasterio, nisi in tribus Sanctorum celebritatibus, vt turbæ satisfieret. Verùm cùm abesset vir sanctus, fabrorum Præfectus paucis post diebus carnem comedit, & statim in febrem incidit, iacebatq; semimortuus; & de vita illius nulla iam erat spes. Quod cùm ex fratre, qui ex monasterio aduenerat, vir sanctus accepisset; Verus profectò, inquit, est sermo Scripturæ dicentis, ab obedientia vitam, ab inobedientia mortem proficisci. Ille enim à mandato recedens meo carne vesci voluit in monasterio, & idcirco in morbum incidit. Et eò profectus, vbi ægrotus iacebat, dixit ei: Quod verum est, frater, ne me celaueris. Ille autẽ aperuit id, quod erat. Ecce igitur, inquit beatus vir, Deus, vt experiris, indignationem suam non affert nobis, sed ipsimet nobis eam comparamus. Crede ergo, frater, me non auaritia tibi carnem non subministrasse, sed vt mundum, & purum, atq; castum locum hunc conseruarem. Surge igitur in nomine Domini nostri Iesu Christi, & opus perfice, & deinceps mandatis obtempera. Precante igitur sancto viro, & manus suas super ægrotum imponente, statim conualuit; & eadem die surgens cœpit reliquum opus absoluere.

Cùm autem sanctus Episcopus Anastasiopolim redijsset, venit homo quidã

ad monasterium, & à Præfecto impetrauit, vt maneret in templo sancti martyris Georgij; neq; enim omnes in eo, sed & in templo Archangeli commorabantur. Hic autẽ homo habebat carnes suillas in pera. Nocte igitur illa Christi seruo martyr Georgius apparuit, atq; illi rem indicauit. Quamobrem dolore affectus vir beatus, diluculo nuncium misit ad Philumenum præfectum, qui eum coargueret. Cùm igitur quæsissent in templo sancti martyris Georgij, carnem apud hominem illic manentem repererunt; & omnes gratias egerunt Deo, qui res occultas seruo suo patefecisset.

Cùm verò sanctissimus Ciuitatis Germiorum Episcopus Aemilianus cuperet beatum Theodorum videre, atq; ab eo impetrare, vt pro se Deum precaretur, multis precibus eum in suam ciuitatem adduxit, honorificè'q; in venerabili templo Archangeli suscepit. Eo tempore instabat celebritas dominæ nostræ Dei genitricis Mariæ, quæ in Musgi oppido colitur, ad quam singulis annis cum supplicatione conueniebant duarum ciuitatum, Germiorum, & Eudoxiadis Episcopi. Aemilianus igitur Episcopus, assumpto beato Christi seruo Theodoro, venit ad celebritatem. Cùm autem in oppidum ingressi cum supplicatione in templum Dei genitricis introirent, mulier quædam eiusdem oppidi, nomine Irene, ab occultis spiritibus diu vexata, & idcirco multis morbis, & calamitatibus obnoxia, nec causam agnoscens, tunc extra templum stetit iuxta portam; &, perspecta supplicatione, & beatis Episcopis, cœpit à spiritibus vexari, reiecto'q; velo, & aperto capite, & turba disiecta, magnis vlulatibus aduersus sanctum Theodorum latrabat; cùm ei dæmones malefecerent, quoniam ipsius præsentia turbarentur. Quod cùm populus aspiceret, cœpit clamare: Domine, miserere. Suspensa autem mulier à terra, & manibus vinctis, per aëra ad cancellos vsq; ferebatur, vociferantibus dæmonibus, quòd beatus Theodorus contra se Deum precaretur. Post Euangelij autem lectionem in terram delapsa iacebat ad altaris introitum, & lingua sua puluerem lambebat. At Christi seruus Theodorus ad eam conuersus, & coma eius apprehensa, increpuit spiritus, qui in illa erant, dicens: In nomine Domini Iesu Christi præcipio vobis, vt ab illa exeatis. Quo dicto, dæmones statim vlulantes ab ea discesserunt; & mansit incolumis. Paulò post autem, marito, & filijs defunctis, à sancto viro instituta est; & in cellula ædi Dei genitricis propinqua inclusa sanctè vixit. Episcopi verò, & populi miraculum aspicientes dederunt gloriam Deo, & ad loca sua cum gaudio reuersi sunt. Beatus autem vir, Episcopo, & ciuibus comitantibus, discessit, & Anastasiopolim profectus est.

Venit ad eũ oppidi Arauniæ Archipresbyter Andreas, q cùm apud eũ dies aliquot maneret, cõtigit, vt 52 filius eius Comitas in morbũ grauissimũ incideret. Cùm igitur, desperata salute, vocẽ amisisset, & neminẽ agnosceret, parato iã sepulchro, misit mater eius Ioannẽ presbyterũ Anastasiopolim, qui marito nunciaret, vt ad filij funus celeriter accederet. Tunc autem beatus Theodorus, cùm sacrificium peregisset, cibum capiebat, & pueri patrem secum habebat. Nuncius igitur Andreæ causam, quamobrem venerat, indicauit. Qua cognita, beatus Theodorus non permisit, vt discederet; Et ego, inquiens, tecum veniam. Volo enim monasterium, & fratres meos inuisere; sed priùs muneribus nobis à Deo datis fruamur. Spero autem, Deo fauente, nos puerum viuum inuenturos; nunc enim non moritur; sed adhuc viuet, & gratulabitur tibi. Et hæc locutus præcepit etiam nuncio, vt cum ipsis cibum caperet. Cùm autem surrexissent, profectus est vir beatus in oppidum, & omnes cum facibus, & thure obuiam illi processerunt. Et cùm esset vespera, in Ecclesiam ingressus est, & populo benedicens vespertinas preces pronunciauit; atq; ita

52 Archipresbyter filium, & vxorẽ habebat, secundum Orientalis Ecclesiæ consuetudinem.

domum

domum Andreæ Archipresbyteri se contulit. Videns autem puerum morientem, Christum Deum nostrum vitæ, mortis'q; Dominum obsecrauit, vt animam in ipso retineret, eum'q; parentibus viuum, & incolumem largiretur. Et cùm obsecrandi finem fecisset, aspexit puerum, & allocutus est. At ille oculos aperuit, & intendit eos; sed respondere non potuit, quoniam lingua eius erat impedita. Rursum igitur caput inclinans Dei seruus, Dominum precabatur, vt integram puero sanitatem daret; & facto precandi fine, allocutus est puerum; Comita, inquiens, aspice, & dic, quomodo te habes, & patri tuo responde, ne propter te dolore afficiatur. Aperiens igitur oculos iterum puer, & eos intendens, respondit ad interrogata. Tunc signans illi frontem, & manus, & pedes, dextera illum apprehendit; In nomine, inquiens, Domini Iesu Christi, qui Centurionis morientem puerum suscitauit, surge, & sta sanus; idem enim tibi quoq; vitam nunc elargitur. Iussit autem, vt illi daretur cibus; & comedit. Vocatus autem vir sanctus à pueri parentibus ad cœnam, præcepit Ioanni presbytero, vt puerum item ad cœnam adduceret, quē Ioannes cùm adduxisset, ei'q; ministraret ex ijs, quæ erant apposita, plus, quàm alij, comedit. Quod omnes aspiciētes magna lætitia, cum parentibus gloriam dederunt Deo, qui mortuis etiam per seruos suos exoratus largitur vitam. Postridie autem puer sanus ambulabat. Et vir beatus ab oppido profectus est ad monasterium.

Eo tempore suscepit hospitio diuinum, & sanctum virum eremitam Antiochum, qui Constantinopoli in Orientem reuertebatur. Venerat autem legatus ad Mauritium Imperatorem, vt illi Synophrim oppidum à Barbaris direptum commendaret. Erant huic supercilia densa, atq; coniuncta; cana barba, & capitis coma lanæ instar candida, & ad ilia vsq; protensa, similiter & barba, vngues prælongi; ad centesimum annum peruenerat; sexaginta annorum spatio nec vinum, nec 53 oleum, nec aliud eiusmodi gustarat; triginta iam annis panem non comederat; oleribus crudis cum sale, & aceto vescebatur; & aquam bibebat. Huius fama ad Theodorum, & Theodori pariter fama ad ipsum, Deo patefaciente, peruenerat. Et iustus ille quidem dicebat discipulis suis de sancto Episcopo Theodoro, se talem virum sanctum ad eum vsq; diem non inuenisse; sibi enim vitæ ipsius instituta esse à Deo patefacta. Beatus Theodorus vicissim ita de ipso cum fratribus loquebatur, vt in tota Orientis eremo tam dignum Dei seruum vidisse, aut audiuisse se diceret neminē. Qui autem hæc audiebant, ex fimbria vestimentorum eius aliquid religionis gratia capiebant. Cùm'q; mansionis fratres ad eum venerandum accederent, eos reprehendebat, & per interpretem recusabat; Cur, inquiens, cùm talem stellam, & sanctum Christi Apostolum habeatis, ad me agrestem, & vilem, atq; nullius pretij hominem venerandum acceditis? Ad ipsum verè laudabilem, & admirandum, sanctum'q; virum colendum vos conuertite, qui diuinam in mundo vitam agit, & cupiditates in se proterit, & doctrina sua multos ad Deum conuertit. Cùm autem vespera aduenisset, facto diuino sacrificio, accubuerunt, vt paruo, & solito cibo vescerentur. Postea voluit sanctus Theodorus, vt erat solitus, hospiti pedes lauare. Sed ille non permisit. Mutuò igitur manus lauerunt. Postridie verò manē festinabat Dei seruus exire, & iter suū perficere. Quod cùm beatus Theodorus animaduerteret, & obitum eius propinquum esse diuinitus sciret, id'q; apud se fieri cuperet, rogabat eum, vt itineris labore fessus conquiesceret. Ille contra obsecrabat, vt se dimitteret; Instat, inquiens, mihi è corpore migratio, & idcirco festino, vt in cellula mea naturæ concedam. Egressus igitur beatus Theodorus comitatus est eum Anastasiopolim vsq; & afflictiones, ac solicitudines, quas in Epi-

53 Vide miram viri sācti abstinētiam, & ciborum delectum.

scopatu sustineret, patefecit, quibus instituta vitæ ratio, & monasteriorum suorum cura interrumperetur, rogans eum, vt quid sibi agendum esset, consuleret, & vtrum, relicta Episcopatus dignitate, monastico tantùm ordini deberet incumbere. Ille verò id quàm celerrimè faciendum censuit, ne apud Deum damnandus esse videretur. Sanctus autem Theodorus suum illi iumentũ, fratremq́ dedit, qui illum, quousq; vellet, comitaretur. Mutuò se igitur salutantes, & complectentes discesserunt. Et sanctus Theodorus in Episcopium reuersus dixit, eum celeriùs è vita migraturum, quàm vt ad locum suum posset peruenire. Quod & factum est. Paucis enim post diebus nunciatum est, eum in via mortuum esse.

Quoniam igitur plurima beati Theodori miracula, posteaquam Episcopatum recusauit, visa fuerunt, hæc ego commemorans, omittam ea, quæ in ipsa ciuitate gessit Episcopali, quia sunt omnibus nota, illa duntaxat attingens, quæ aliqua ex parte causas, & afflictiones indicant, quamobrem recusauit Episcopatum. Cùm enim necessariò cogeretur inuolui varijs Episcopatus negocijs, & solicitudinibus, magnis molestijs, & angustijs afficiebatur. Nolebat enim terrenis curis à rerum cœlestium distrahi contemplatione. Nam, vt inquit Dominus, nemo potest duobus dominis seruire; aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget; aut vni adhærebit, & alterum contemnet. Cùm igitur necesse esset, prædia ad Ecclesiam pertinentia per procuratores administrare, & ipsi procuratores iniurijs agricolas afficerent, non poterat vir pius non vehementer angi, & cruciari. Nam cùm id munus ciui cuidam, nomine Theodosio, dedisset, & ab eo agricolæ iniuria essent affecti, ad Christi seruum lugentes confugerunt. Qui eos cõmiseratus (neq; enim sanctus, & pius ipsius animus poterat sine dolore quenquã afflictũ, & calamitosũ aspicere) Theodosium accersendum curauit, monuitq́, vt ab agricolarum iniuria desisteret. Ille verò, inuenta occasione, ab iniuria non destitit. Quare cùm eos quodam in loco, qui Euchraës dicitur, pergeret lædere, vno omnes animo congregati, & gladijs, ac fundis instructi contra ipsum constiterunt, cædem illi comminantes, nisi recederet. Qui eos ad pugnam paratos intuitus, & veritus, ne ab ipsis superaretur, discessit, & Anastasiopolim se contulit, vt maiore munitus auxilio aduersus illos rediret. Id cùm audisset vir sanctus, totum illum diem cum lachrymis, gemitibusq́ traduxit, considerans, si impetus ille ad exitum perueniret, & cædes aliqua fieret, id sibi, tanquam auctori, crimini datum iri; seq; animarum periclitantium reum fore. Humi igitur 54 prostratus, & Deum adorans, enixè rogabat, vt illius furoris motum compesceret, antequàm ad finem perduceretur. Et accersito Theodosio præcepit, ne ad ea loca se amplius conferret, ne mali quippiam accideret. Tunc ille, sancti viri hortatu dicens impetum illum agricolarum aduersum se fuisse factum, multa in eum conuicia coniecit, & nefariæ contumeliæ vim addens, sedem, in qua sedebat, pede commouit; ex quo beatus vir coram omnibus supinus concidit. Cùm autem surrexisset, mitiori voce iurauit, se apud eos Episcopum non moriturum, sed ad monasterium suum rediturum. Quibus verbis Theodosius minimè placatus, binas se illi auri libras expensas laturum dixit, propterea quòd à prædiorum procuratione ante diem constitutam repelleretur. Vxor autem marito aduersabatur; Nihil, inquiens, sit tibi controuersiæ cum sancto Episcopo, ne pro benedictione, quam ab illo accepimus, in maledictionem incidamus. Sed ille vxorem non audiens, rursum in Episcopium accessit, vt cum sancto viro altercaretur, in iudicioq; contenderet. Verùm dum ostiarius aduentum eius sancto Episcopo nunciaret, repente magnus eum timor inuasit, & apparuit ei iuuenis aspectu terribilis, & splendidè indutus, qui eum indigna-

54 Humi pstratus, & Deum adorans enixè rogabat.

tione minatus est illi; Vir, inquiens, pessime, sic magno Episcopo aduersaris, nec desinis ei molestiam, & dolorem afferre? Ecce, prædico tibi, nisi desistis, magna super te ira deueniet, & miserè vitam finies. Et hæc locutus discessit. Theodosius verò cùm diu fuisset exanimis, se tandem colligens, & à viro sancto vocatus introiuit, ac procidit ad pedes eius cum lachrymis supplicans, vt iniurias, quibus à se esset affectus, sibi condonaret non ampliùs auri libras pœnæ nomine repetituro.

Veneno iterum nescio quomodo tentatus est; & in cellula sua in Episcopio mutus, atque immobilis iacuit tribus diebus, adeò vt rumor de morte eius iam increbesceret. Post tertium autem diem apparuit ei Domina sanctissima Dei genitrix Maria; quæ sceleratis hominibus exitium comminata, & morbi causam aperiens, & insidiatores patefaciens, è manu sua tria illi colococca dedit; Hæc, inquiens, comede, & nihil tibi erit mali. Somno solutus vir sanctus, Saluatori Christo gratias egit, & immaculatæ matri eius virgini Mariæ. Et causam quidem morbi significauit, auctores autem reticuit, & pro illis Deum precatus est. Præterea in distribuendis eleemosynis, & in monasteriorum frequentatione, & cura, quam de fratribus, quos lucratus fuerat, habebat, incusabatur, quasi Ecclesiam negligeret, cùm tamen ex trecentis sexaginta quinque aureis nũmis mensæ suæ ascriptis, quadraginta tantùm singulis annis consumeret, reliquos omnes Ecclesiæ largiretur. Ad hæc à psalmorum cantu, & precatione negocijs distrahebatur. Quibus rebus afflictus, & videns, ciues quidem nihil inde proficere, sed in vitæ flagitiosæ miseria permanere, eos autem, qui in monasterijs degebant, absentia sua negligentiæ, desidiæque vacare, & de migratione è monasterijs cogitare, de quibus sibi in die Iudicij ratio reddenda esset, gloriosi Christi martyris Georgij opem 55 implorauit, vt se proprium in locum restitueret; & multis precibus Deum orauit, ne sibi crimini verteret, quòd Episcopatum recusaret. Cùm igitur eam veniam se à Deo impetrasse certò sciret, clero, & ciuibus conuocatis, hanc habuit orationem: Vos me, fratres, inuitum, vt scitis, & abstractum, hoc iugum subire coëgistis. Et quamuis me, vt ad illud ferendum minimè aptum, excusarem, vos tamen audire me noluistis, sed vestræ cupiditati maluistis indulgere. Vndecimus igitur iam annus est, ex quo ego vos affligo, & affligor à vobis. Quamobrem obsecro vos, vt pastorem vobis paretis, qui & vobis placere, & res vestras curare possit. Ego enim posthac Episcopus vester non ero; sed vt abiectus monachus ad mansionem reuertar meam, vbi in omni mea vita Deo seruire constitui. Hæc locutus, & assumpto monasterij sui Archidiacono Ioanne, ad Ancyranorum metropolim se contulit. Nocte verò illa ciuis quidã in quiete vidit splendidam stellam è summa Ecclesia radijs suis totam ciuitatem illustrantem, tam longè illinc discessisse, vt vix perspici posset. Quo quidem viso beati viri discessum significatum esse non est dubium.

55 Gl'iosi Christi martyris Georgij opẽ implorauit, vt se propriũ in locum restitueret.

Cùm igitur ad metropolitanum Ancyranorum Archiepiscopum Paulum peruenisset, rogabat, vt sibi successor daretur. At ille tam bono viro dari non posse respondebat. Cùmque magna inter eos contentio esset exorta, conuenit inter illos, vt ea res ad beatissimum Constantinopolis Patriarcham Cyriacum reijceretur, et quod ille constituisset, ratum foret. Beatus igitur Theodorus piæ memoriæ Imperatori Mauritio, & beatissimo Patriarchæ Cyriaco supplicauit, vt decernerent, sibi dandum esse successorem. Metropolita verò recusationi eius rationes suas opponebat. Sed beatissimus Cyriacus Patriarcha, ita etiam iubente Imperatore, Metropolitano respondit, vt beati Theodori preces admitteret, & insignia ei propter vitæ sanctitatem, & innocentiam relinqueret Episcopatus. Mandato igitur parens Metropolitanus, ab Episcopatus

onere beatum Theodorum liberauit, & Episcopatus reliquit insignia. Consuluit autem illi, ne longiùs discederet, priusquàm in eius locum alterum constituisset. Egressus igitur ex Ancyranorum metropoli in Heliopolis regionem se contulit prope oppidum Pidri in oratorium Archangeli, quod est in Ambrena; & seipsum abscondebat. Quodam die cùm in hoc Archangeli oratorio sacra mysteria celebraret, facta est facies eius hilaris, & læta, & magna gloria, gratiáq; splendens. Et vnus è fratribus, nomine Iulianus, presbyter, vir admodum pius, cùm faciem eius tam hilarem, & lætam aspexisset, prostratus ante eum; Vnum, inquit, oro, pater, vt respondeas mihi. Cùm que sanctus Theodorus ei benedixisset, & præcepisset, vt surgeret, & exponeret id, quod vellet; tunc ille; Dum sacrificas, inquit, pater, aliquando nulla fit in vultu tuo commutatio; sæpiùs autem vultum videmus tuum magno splendore, gratiáq; fulgentem. Quamobrem nos item hilaritate perfundimur, & gaudemus; quemadmodum & hodie contigit. Obsecro te per Dominum, vt mihi huius rei causam exponas. Tum Christi seruus se excusare, & narrationē subterfugere. Ille contrà supplex, & obtestans instare. Tandem beatus vir; Promitte, inquit, mihi, te nemini, quod dicam, patefacturum, & causam explicabo. Cùm igitur iureiurando se obstrinxisset, quòd, dum ipse viueret, nemini rem patefaceret; Quando, inquit beatus vir, me sacrificantē lætiorem cernis; scito me visionem videre. Video enim tanquam verum, & splendidissimum velum super sancta munera descendens inter sacrificandum. Et quoties hoc cerno, lætor, & exulto. Neq; enim semper id video; & idcircò haud semper vultus est hilaris. Cùm autem ad horam non aspicio, rem protraho, expectans dum videam id, quod & hodie mihi demonstratum est. Hæc cùm audisset presbyter Ioannes, non priùs patefecit, quàm vir sanctus è vita decessit.

Porrò cùm beatus vir accepisset, Episcopum esse Anastasiopoli, gaudens, & laudans Deum, ad monasterium rediit, & Dei gratia multa fecit miracula in ægrotos, qui accedebant. Presbyter quidam, nomine Paulus, iumento ad eum vectus est è Lycaoniæ monasterio. Erat enim sinistrum eius latus in dexteram viscerum partem contractum; dextera autem ipsius coxa iamdiu luxata; & caput eius in partem lævam ad pedem appropinquabat. Quamobrem nec stare, nec in lectulo extendi poterat. Sic enim erat distortus, vt miserabile spectaculum exhiberet. Hic multis iatrachrisi, & medicinis adhibitis nihil profecerat. Cùm igitur beati Theodori mandato tribus diebus in monasterio mansisset, & miseriam suam exposuisset, hæc ab eo audiuit: Si vis conualescere, in patriam redi, & aduersario tuo reconciliare, & ante hyemem ad me reuertere, & dabit tibi Deus sanitatem. Neganti autem sibi cum vllo esse inimicitias; Vide, inquit vir sanctus, ne mentiaris. Inimicitias enim exerces cum Præfecto tuo. Quo ille audito, cœpit beatum Theodorum lachrymans obsecrare, vt pro se Deum precaretur, vt dolore mitigato posset expeditiùs incedere. Iussit igitur illum exui; & corpori eius manus imponens, infirma ipsius membra palpauit; & pro illo precibus fusis, totum eius corpus medicamento perunxit. Statimq; dolore liberatus est; sed adhuc distortus mansit. Iumento igitur impositum in patriam reduxerunt, & cum Præfecto suo in gratiam rediit. Post autem ad monasterium reuersus est. Quo quidem tempore beatus Theodorus in angustissima tēpli sanctæ Dei genitricis cellula quieti, silentióq; vacabat. Et fusis pro eo precibus à morbi vinculo dissoluit, atq; præcepit, vt prope se deambularet, & precationem quotidie perciperet. Dedit etiam baculum, quo se sustentaret. Et illo accepto, meliùs se habebat. Ad correctionem autem ipsius longius baculū tradidit. Et post Paschæ celebritatē

aliud

aliud illi baculum dedit; Hoc inquiens, manu tua apprehende, & eò, vnde venisti, reuertere; breui enim perfectam sanitatem assequeris. Cùm autem baculum istud ceciderit è manu tua, ne sustuleris illud ampliùs. Accepta igitur viri sancti benedictione, presbyter Paulus domum reuersus est. Et cùm die quodam iter faceret, baculum è manu eius elapsum est. Qui sancti Theodori sermonem recordatus, illud non sustulit; & planè conualuit, atq; miraculum omnibus patefecit. Hic autem Paulus sancti viri studio Constantinopoli presbyter est constitutus; & deinde vnius ciuitatis Isauriæ factus Episcopus.

Eo tempore pius Imperator Mauritius, & beatus Patriarcha Cyriacus, & principes literis suis sanctum Christi seruum Constantinopolim accersierunt, vt eis benediceret. Quamobrem cùm eò se contulisset, & beatissimum Patriarcham Cyriacũ, & Imperatorẽ, atq; Senatum cõsalutasset, eis'q; 56 benedixisset, apud eos commoratus est. Magno autem eum studio, & honore Imperator, & Augusta, & omnes familiares complexi sunt; & monasterijs eius immunitates tributæ, illud'q; concessum, vt nulli alij Episcopatui subiecta essent; sed sanctissimæ tantùm, & magnæ Ecclesiæ Apostolicæ regiæ ipsius ciuitatis, ita prouidente Deo, & sancto martyre Georgio opitulante, propter beneuolentiam in eos, qui in illis degebant, & sacrificabant. Paruo autem illo tempore, quo mansit in ciuitate, magna per illum 57 Deus fecit miracula.

56 Vide virum pauperẽ Episcopũ Patriarchæ, & Impatori benedicere.

Mulier enim, quæ apud illum habitabat, cùm filium quadriennem cæcũ haberet, in vlnis eum suis ad virum sanctum gestauit, & multis lachrymis ante illum prostrata, puerum ad pedes eius deposuit supplicans, vt lumen oculorum illi largiretur. Vir beatus, cùm pueri oculos obsignasset, ei'q; benedixisset, aquam 58 benedictam matri dedit, præcipiens, vt aqua illa quotidie manè filij oculos lauaret. Quod cùm ter egisset mater, quarto die filium sanum ad sanctum virum adduxit laudans Deum. Eadem fœmina cùm septem menses paralytica iacuisset, qua hora viri sancti 59 benedictionem accepit, statim conualuit.

57 Ecce multa miracula, q̃ per virũ sanctum operatus est Deus.

58 Nota, Aquã bñdictã matri dedit.

Puella quædam principis cuiusdam ancilla annis iam octo & viginti dæmonium occultum habebat; quamobrem assiduè iacebat ægrota, & morbi caussam ignorabat. Audita igitur beati viri fama dominus eius, duxit ad eũ puellam rogans, vt pro ipsa Deum obsecraret, vt ei vel mortem, vel sanitatẽ clargiretur. Tum Christi seruus extensa manu caput eius apprehendit, & precatus est Deum, vt sibi morbum eius patefaceret, & eam liberaret. Statim'q; dæmonium eam perturbare cæpit, & vexare. Atq; ita clamabat: Etiam in me, ò ferriuore, vim tibi à Deo datam exerces? Abstine à me, quæso, dæmonũ insectator. Beatus autem Theodorus præcepit ei, vt taceret. Et cùm esset dies hebdomadis quarta, dimisit eam; & mandauit eius domino, vt quarta item proximè sequentis hebdomadis die eã ad se reduceret. Quæ cùm ad diem constitutam reuertisset, & virum sanctum aspiceret, rursus dæmonium in ea turbatum clamare cœpit, & virum sanctum detestari; O vis, inquiens, quæ nũc aduersum nos à spurio, & è scorto genito proficiscitur. Vigesimus octauus iã annus est, ex quo mulierem istam obsideo, & Sanctorum nemo patefecit me. Hic autem meretricis filius aduenit, vt me patefaceret, ac cruciatui, supplicio'q; traderet. Execrabilis dies, in qua genitus es, & in qua te huc contulisti. At Dei seruus Theodorus ipsum 60 signo Crucis increpuit, & dixit: Quamuis meretricis filius sim, vt ais, tamen ad gloriam Domini nostri Iesu Christi filij Dei præcipio tibi in nomine eius, vt recedas ab hac muliere, nec ampliùs in illam ingrediaris. Dæmon autem magna voce dixit: Iussa tua equidem faciam, & egrediar; attamen hæc tertio ab hinc die morietur. Tu, inquit

59 Vide ad Episcoporum, & sacerdotũ benedictionem gratiarũ aliquando munera visibilia præstari.

60 Signo Crucis dæmon ẽ expellit.

M

beatus vir, exi, & Domini voluntas fiat. Neq; enim licet homini Christiano vobis credere, cùm verba vestra sint improba, & falsa. Laceratam igitur mulierem dæmon ante sancti viri pedes proiecit, &, magna voce ædita, discessit. Illa verò cùm se collegisset; Ego, inquit, sanctis precibus tuis, pater, assecuta sum sanitatem. Vidi enim improbum ex ore meo, tanquam serpentem, egredi. Dimisit igitur illam vir sanctus cum benedictione, iussitq; vt diebus septem apud Ecclesiam maneret. Quod autem dæmon de morte illius prædixerat, falsum fuit. Nam mulieris dominus simul cum illa paucis post diebus ad virum sanctum rediens, magna cum lætitia gratias egit Deo, qui talem seruis suis in spiritus immundos dedisset potestatem.

Alia mulier nobilis paralytica ab ancillis suis ad virum sanctum gestata, multis cum lachrymis clamare cœpit; Miserere, inquiens, mei, serue Dei altissimi. Deum, qui tibi sanitatum gratiam largitus est, deprecare pro me, vt incolumis discedam. Iussit vir sanctus, eam humi deponi; & manu sinistra caput eius apprehendens, dexteram ad Orientem extendit, & obsecrauit ad hunc modum: Deus sanitatum elargitor, & ægrotantium medice, qui paralyticum curasti, medere & huic ancillæ tuæ, & ab ea paralysim expelle, vt sana discedat ad gloriam, & laudem sancti nominis tui. Et 61 signans illam excitauit; oleoq; inunxit; statimq; cœpit deambulare, Deum laudans; & diuinorum 62 Christi mysteriorum particeps effecta, discessit incolumis, atq; omnibus miraculum nunciauit.

61 Oratiōe, obsignatione, & olei inunctione paralyticam curat.

62 Diuina mysteria sacratissimam appellat Eucharistiam.

Quidam cauponis filius, nomine Petrus, à dæmone inuasus, corde conficiebatur, nec se à dæmone vexari cognoscebat. Pater eius duxit eum ad virum sanctum, vt pro illo Deum precaretur, quò cordis ipsius dolor desineret, & à morbo continuo liberaretur. Sed vir sanctus, cognita morbi causa, duxit eum in cellulam suam, & lateri eius inhærens, Crucis 63 signo faciem ipsius obsignauit, percussitq; illum iuxta cor; Ne celes te, inquiens, immunde spiritus; manifesta enim sunt opera tua. Dominus Iesus Christus scrutator cordium imperat tibi, vt ab eo exeas. Confestim commotus dæmon clamare cœpit: Exeo, ferriuore, nec aduersor tibi; neq; enim minas tuas perferre possum; nequeo ignem ex ore tuo egredientem, meq; exurentem pati. Hæc, & his plura locutus, ad viri sancti pedes Petro proiecto, magna voce vlulans discessit. Puer autem in se rediens, & ante illum prostratus; Pijs, inquit, precibus tuis, pater, à dæmone liberatus sum. Vidi enim illum fœminæ nigræ speciem gerentem à me feiungi, & per fenestram abs te vlulantem excludi. Beatus autem Theodorus iussit, vt diem apud se maneret; & postridie sanum patri reddidit.

63 Signo Crucis faciē pueri obsignauit.

Nauta quidam à dæmone vexatus, doloribus, & membrorum tremoribus, & multis calamitatibus cruciabatur, & in egestatem inciderat. Accessit ad virum sanctum, & lachrymans supplicauit, vt à tot miserijs per eius preces liberaretur. Cùm igitur pro illo Deum obsecrasset, oleo 64 benedixit, & dedit illi, vt eo se vngeret, & dimisit eum. Qui paucis post diebus ad virum sanctum rediјt, seq; conualuisse, & prosperè agere nunciauit, atq; animi grati, ac memoris causa nauigij velum obtulit, & multis tandem precibus vix impetrauit, vt illud acciperet.

64 Oleo benedicto dæmoniacum liberat.

Luctator quidam ab immundo spiritu vexatus, & capite, & mēbris omnibus dolebat. Hic ad virum sanctum accessit supplicans, vt pro se Deum precaretur. Quód ille cùm fecisset, vinoq;, & oleo 65 benedixisset, dedit ei; Abi, inquiens, fili, domum tuam; & cùm te vesperi cubitum conferes, vnge te his; & quod in quiete videris, mihi nuncia. Abijt, & fecit id, quod vir sanctus præceperat. Postridie autem ad eum redijt dicens: Vidi, domine mi san-

65 Et hîc vino, & oleo benedicto alteruz à dæmōe obsessū liberat.

ctissime, secundum quietem, iuuenem quendam abs te profectum ad me, qui capitis mei comam apprehendit, & ad se traxit; & statim dolor omnis ab articulis, & ossibus, & membris meis discessit, & tanquam ventus quidam violentus per capillos capitis mei egressus est. His auditis, Dei seruus benedixit ei; Ecce, inquiens, nūc Dei gratia sanus effectus es. Iuuenis aūt, quē in somnis aspexisti, gloriosus est Christi martyr Georgius. Et dimisit eū gratias agentem Deo.

Clarus quidam vir, nomine Mennas, occulto, & graui quodam morbo ex diabolica vexatione laborabat. Hic ad virum sanctum accessit; sed ei morbum suum erubuit aperire. Quodam igitur die vir sanctus, cùm ad se Mennas de more venisset, eum, remotis arbitris, in cellulam suam vocauit, & humaniter sic est allocutus: Sæpe te huc, fili, contulisti, vt mihi arcanum aliquid nunciares, & pudore deterritus es. Cur id tibi contigit, fili? Cur non apertè significas id, quod celas? Tunc ille procidens ad pedes eius, omnia patefecit, orans, vt pro se Deum precaretur, & morbum à se depelleret, dignareturq; domum suam venire, eiq; benedicere, atq; omnibus habitantibus in ea. Se id facturum promisit vir sanctus; & biduo post domum eius se contulit, & à viro pio benignè susceptus est. Nocte autem illa idem ei contigerat, quod solebat, & afflictus vehementer fuerat. Tum vir beatus precibus incubuit, & Deum obsecrauit, vt hominem ab illa miseria liberaret. Eadem igitur nocte, absolutis psalmorum precibus, vnus ex discipulis eius, nomine Iulianus, in somnis vidit virum beatum stantem ad maris littus, Mennamq; ad ipsum accedentem, & in vlnis gestantem suis monstrum quoddam triceps immanè vociferans; quod cùm vir sanctus apprehendisset, proiecit illud in mare. Postridie igitur, cùm post sacrificium accubuissent, vt pranderent, Christi seruus Theodorus ad Mennam dixit: Confide, fili, & Deum lauda. Dei enim bonitate confisus spero, calamitatem tuam abs te discessisse, nec ea te ampliùs afflictum iri. Et cùm hæc dixisset, somni sui discipulus recordatus, illud explicauit. Cùm igitur vir sanctus Mennæ, & fidelissimæ eius vxori, & omnibus ipsius domesticis benedixisset, discessit. Mennas autem nunquam ampliùs ab eo morbo vexatus est. Iam vxor eius fœmina grauissima, Christiq; amantissima Theodora, orauit sanctum virum, vt sciret, vtrū ipsa, an maritus eius ex hac vita prior esset discessurus. Vix igitur tandem exoratus, Deum precatus est, vt id sibi patefaceret; respondito; maritum eius priùs è vita discessurum. At illa multis cum lachrymis eum quotidie rogabat, vt Deum precaretur, quò se ex hac vita celeriùs euocaret. Eius flagitionibus victus beatus vir Deū obsecrauit, vt id ei, quod optabat, concederet. Et diuinitus monitus dixit illi: Dedit tibi Deus, quod flagitasti. Res igitur tuas constitue, nam paucis post diebus morieris. Hoc responso mulier læta discessit, & rebus suis constitutis, quadragesimo post die mortua est.

Eutychius beati Theodori ostiarius, cùm in via dormiret, sic à dæmone vulneratus est, vt manus ipsius cum toto brachio obstupuerit. Quamobrem eam tumidam, & obligatam, atq; è collo suspensam gestabat. Hic de more venit ad sanctum Theodorum, vt benedictionem acciperet. Et interrogatus ab eo, cur ei doleret manus; Dormiebam, inquit, domine, quodam in loco, & cùm somno solutus essem, mihi manus obstupuit, tumoremq; contraxit. Cùm igitur beatus vir manum eiùs nudatam, precibus adhibitis, contrectaret, dæmonium cœpit per ipsius manum decurrere. Tunc vir sanctus humerum signauit, ne sursum curreret, & interimeret eum. Cœpit igitur manus eius à dæmone huc illuc volui, ac distorqueri, adeò vt eam non posset ostiarius regere, & sustinere. Verùm sancto viro tangente, & spiritum immundum increpante, statim cessauit. Et accepto ostiarius oleo, cui vir sanctus benedixerat, manum

vnxit, triduoq; conualuit.

Seruus quidam male à dæmonio vexabatur. Hunc eius domina ad virum beatum duxit. Et statim spiritus commotus eum lacerabat, nec volebat exire. Quem cùm vir sanctus increpuisset vetuit ei, ne è graduum termino discederet, vt eo modo torqueretur; Benedictus, inquiens, Deus, non discedet hic homo ab ipso procreatus è domo hac priùs, quàm tu ab illo exieris. Hæc cùm dixisset vir sanctus, in cellulam ingressus est suam, & præfinitum à regula psalmorum numerum pronunciauit. Verùm cùm multis iam horis seruus ille vexatus maneret illic, & spiritus ibi relegatus cruciaretur, miserabili voce clamare cœpit ad hunc modũ: Exeo, serue Dei, neq; enim suppliciũ hoc ferre possum. Veni, solue 66 me; & egrediar. Noli me diutiùs torquere. Egressus autẽ vir sanctus è cellula sua dixit ei: Nolo, immunde, vt nunc exeas. Dæmon verò clamabat: Heu me miserum, oro te, vt me soluas; satis supplicij pertuli. Quando permittis, vt egrediar? Volo, inquit vir sanctus, vt media noctis hora discedas. Nũc verò solutus es à præscripto termino. Quaobrem huic homini per te iam liceat mentis esse compoti. Proiecit igitur eum ad pedes eius. Media verò nocte cùm vir sanctus ad preces nocturnas exoluendas surrexisset, resiliens homo, qui vexabatur, cœpit pati; & dæmonium, quod in illo erat, clamabat: Venit hora. Exi, ferriuore, permitte mihi, vt recedam. Egressus igitur vna post hora Dei seruus, increpuit ipsum in nomine Domini Iesu Christi, atq; imperauit, vt discederet. Et statim, proiecto ad pedes eius homine, quem vexarat, exiuit. Et seruus ille relictus est sanus. Quem domina eius cùm suscepisset, magno cum gaudio domum suam se contulit, laudans Deum.

66 Vide quanta sit seruorum Dei potestas, vt dæmones ligatos teneant, & torqueãt, atq; eis hi ad nutum obediant.

Mulier quædam serua, quæ dæmonium occultum habebat, beatum adijt Theodorum, vt ab eo benedictionem acciperet. Qui cùm acerbè aduersus eam, vt aduersus dæmone vexatam, aspiciens, Deum pro illa rogasset, dæmon commotus statim exijt, & mulier effecta est sana.

Quodam die tres ad eum accesserunt. Qui in eius cellula grauissimè vexabantur, cùm à Patriarcha Cyriaco eadem hora accersitus est. Quamobrem beatus vir ire festinans, duobus præcepit, vt liberi essent, & statim humi ad eius pedes, vt mortui, prostrati sunt. Tertium permisit pati. Dæmon enim in illo existens durus erat, & facilè expelli non poterat. Quare vir sanctus fremens; Quoniam, inquit, sanctissimus Patriarcha noster accersiuit me, & in præsentia non possum id agere, quod ad te pertinet, sta hoc in loco, & torquere; neq; hinc discede, donec redie ro. Et hoc dicto, ad sanctissimum Patriarcham se contulit.

Sergius autem pius sanctissimæ Ecclesiæ magnæ Diaconus, & sanctissimi Patriarchæ familiaris, sororem habebat, quæ cùm triennium cum marito vixisset, nunquam concipere poterat. Vtrunq; coniugem Sergius in vestibulo collocauit; &, cùm sanctus Christi seruus Theodorus à Patriarcha discederet, Ioannem Hypodiaconum eius comitem rogauit, vt illac sanctum virum perduceret. Quod cùm esset factum, Sergius diaconus eos ad virum sanctum adduxit, & simul cum illis ad viri pedes procidit supplicans, vt eis liberos concederet. Quibus Sãctus; Non ad me, inquit, filij, sed ad Deum accedite. Verùm, cùm illi non desisterent obsecrare, vtriusq; zonas accepit, atq; inter illas vtrinq; collocatas 67 genibus flexis Deum precatus est. Post autem zonas illis restituit, vt se cingerent. Et Dei gratia factum est, vt post nouem menses mulier filium pepererit. Cùm autem discessisset, Ioannem præmisit, vt videret, an vexatus ille extra præscriptos terminos esset egressus. Inuenit igitur eũ in loco præfinito, & à terra suspensum. Sic autem clamabat dæmon: Opportunè

67 Orat Sãctus genibus flexis.

portunè aduersum me, serue Dei, venisti, maiorem contra me gratiam assecutus. Ferre te ampliùs non possum, quoniã exuris me. Exeo per Altissimũ: Tantùm parce mihi. At Dei seruus pectus eius percutiens; Sæpe, inquit, mihi promisisti, & mentitus es; non parcam tibi. Tunc dæmon iureiurando promisit, se nocte illa, cùm in sanctissima magna Ecclesia precandi signum daretur, discessurum. Cùm igitur illi supplicium esset remissum, ad horam noctis præfinitam discessit.

Et post aliquot dies Theodori diaconi sanctissimæ Dei genitricis serua quædam, nomine Theodora, repente à spiritu muto capta est. Cùm autem dominus eius per Ioannem Dei seruo rem indicasset, iussit, vt eam ad se adducerent. Quæ cùm vexaretur, atq; concideret, sublatam conserui eius ad viri sancti pedes gestarunt. Et sex dierum spatio liberata est, atque discessit incolumis.

Alia puella annorum octo Deo dicata in magnæ Ecclesiæ monasterio triennio muta permansit. Magistra igitur ipsius duxit illam ad seruum Dei acerbè clamans, & cum lachrymis supplicans, vt ei sanitatem impetraret. Cùm igitur pro illa Deum obsecrasset, præcepit, vt quotidie manè, & vespere ad se veniret. Quod illa cùm faceret, & ipse pro ea precaretur, quo die curanda erat, iussit, vt os aperiret; & apprehensa lingua eius, signo 68 Crucis obsignauit, & ter insufflauit, præcipiens ei, vt deglutiret, Deiq; gratia statim locuta est, magna inquiens voce: Deglutiui, domine. Quare turba, quæ astabat, & rem videbat, diu clamauit: Domine miserere. Atque ita puella cum eius magistra dimissa est incolumis.

68 Signo Crucis, & trina insufflatione mutam puellam sanat.

Alia porrò mulier, quæ decem annos sanguinis fluxu laborauerat, magno cum desiderio accessit, vt ab ipso benedictionem acciperet; allatoq; vnguenti alabastro, cùm multam turbam vidisset circa ipsum, clam accessit, vt vnguento pedes eius inungeret. Quo animaduerso, Dei seruus pedes ad se contraxit, & clamans dixit ad eam: Desine, mulier; quid facere conaris? Molesta mihi res est, quam moliris. Territa mulier vnguentum illi tradidit rogans, vt pro se Deum precaretur. Tunc vir sanctus ita precatus est: Dominus Iesus Christus, qui rerum occultarum cognitor est, precibus sancti Georgij martyris exoratus, secundum fidem tuam id tibi, quod petis, elargiatur. Statimq; gratia Dei sanguinis eius fluxus stetit. Quo mulier miraculo animaduerso Deum laudans cœpit rem omnibus indicare.

Contigit, vt vnus ex filijs Mauritij Imperatoris lepræ morbo laboraret; cui cùm medici nullam possent opem afferre, Imperator virum sanctum accersendum curauit. Qui in palatium, vbi puer iacebat, ingressus, & pro illo preces ad Deũ fundens, aquam 69 benedixit; cùmq; illum aspersisset, reliquum aquæ dedit, vt rursum conspergeretur; & sancti viri precibus puer sanus effectus est. Imperatoris autem, & Augustæ precibus adductus, inter ipsos consistens Deum pro illis obsecrauit; & cùm 70 benedixisset eis, discessit in patriam, ad monasteriumq; peruenit.

69 Oratione, & aqua benedicta filiũ Imperatoris mũdat à lepra.

70 Theodorus bñdixit Imperatori, & Augustæ.

Quidam pater familias ex oppido Alectoria ferum bouem habuit, qui iugũ detrectabat. Duxit igitur illum ad monasterium, & rogauit beatum virum, vt signo Crucis bouem obsignaret, quò feritatem deponeret. Et cùm vir sanctus ad eum venisset, bos huc illuc caput mouens anhelabat; cuius ille cornua comprehendens, precatus est Deum, vt bos, feritate deposita, mansuesceret. Et signans eum dixit: Præcipio tibi in Christi nomine, vt ab ira desistas tua, & subeas iugum in mansuetudine, quam tibi Deus tribuit, & domino tuo pareas. Cùm hæc dixisset vir sanctus, bos statim iram, feritatemq; deposuit; & cùm inde esset abductus, collum iugo facilè subiecit,

Mulier item quædam mulam habebat, quæ nec frenum, nec sellam admittebat, sed se pedibus sublatis erigens mansuefieri nullo modo poterat. Hãc mulier duxit ad monasterium; cui vir sanctus, signo 71 Crucis adhibito, dixit: Benedictus Deus, ne posthac amplius fera, peruersaq; sis; sed, freno suscepto, heram tuam insidentem admitte cum omni mansuetudine. Ad hoc enim te Deus ministerium creauit. Et statim illi mulier insedit. Neq; enim parere ampliùs recusauit. Idem & in equis, & in alijs animalibus effectum est.

71 Signo Crucis, & imperio bestias feras mãsuefaciebat.

Cupiebat vir beatus aliquid ex gloriosi martyris Georgij reliquijs habere, & rogabat eum, vt se voti compotem faceret. Pius autem Aemilianus Germiorum Episcopus sancti capitis eius particulam, manusq; digitum, & dentem vnum, aliamq; particulam eius corporis habebat. Huic martyr apparuit, iussitq;, vt eas seruo suo Theodoro reliquias in templum, quod sibi exædificarat, transferendas traderet. Misit igitur Episcopus nuncium ad beatum virum, qui eum nomine suo hortaretur, vt se ad precandum in templum sancti Archangeli conferret; cupere enim se illum salutare, optatasq; illi sancti Martyris reliquias dare. Hac lætus pollicitatione ex monasterio exijt, & in Germiorũ ciuitatem ingressus, in Archangeli templo precabatur. Amanter suscepit eũ sanctus Episcopus Aemilianus, & in monasterium sanctæ Dei genitricis, quod vocatur Aligetes, perduxit. Eo tempore magna erat in Pesinuntium metropoli siccitas; & fruges, ac fructus omnes exaruerant. Quamobrem cùm incolæ intellexissent, Christi seruum Theodorum apud Aemilianum Episcopum diuertisse, celeriter ad eum omnes cum clericis in sanctæ Dei genitricis templum conuenerunt; permittenteq; Episcopo Aemiliano, in ciuitatem suam eum adduxerunt, vt, facta supplicatione, per eius preces è cœlo pluuiam impetrarent. Procul ab hac ciuitate sex passuum millibus erat hortus, quem magna locustarum occuparat multitudo, & totum prope deuastarat. Huius hortí dominus cùm beatum Theodorum adesse intellexisset, processit illi obuiam, & ad pedes eius prostratus, calamitatem in hortum suum à locustis illatam indicauit. Cui vir sanctus; Abi, inquit, fili, & affer aquam in vase. Cucurrit ille, & è propinquo flumine aquam attulit. Quam Dei seruus, cùm 72 benedixisset, dedit ei, dicens: Hac aqua quatuor horti tui angulos consperge, & dabit tibi Dominus id, quod exoptas. Ad hortum reuersus homo studiosè fecit, quæ vir sanctus præceperat. Cùmq; ad locum, quem primum asperserat, reuertisset, ne vnam quidem locustam reperit. Paulò post item inuisens, omnes planè locustas deletas inuenit. Quamobrem cùm manus suas oleribus implesset, currens ad beatum Theodorum miraculi effectorem contendit. Tunc autem obuiam illi trium millium passuum à ciuitate processerat supplicatio. Cum illa igitur ingredientem sanctum virum olitor assecutus, procidit ad pedes eius, eiq; olera, quæ in manibus ferebat, obtulit, nuncians miraculum, quod factum fuerat. Beatissimus verò Georgius Metropolita cum lætitia sanctum Theodorum suscepit, qui in diem sequentem supplicationem indicendam mandauit. Postridie igitur manè cùm vniuersa ciuitas in Catholica Ecclesia sanctæ Sophiæ esset congregata, beatus Theodorus, & Metropolita Georgius cum vniuerso populo supplicantes ad venerabile sanctorum Angelorum templum extra muros conuenerunt; atq; inde ad sanctam Sophiam reuersi sunt. Vbi cùm sanctus Christi seruus Metropolitæ rogatu 73 sacrificasset, omnesq; sacra mysteria percepissent, nubibus contractum est cœlum, & tanta pluuiæ copia in totam illam regionem descendit, vt aquarum fontes, & flumina in tertium vsq; diem exundarint. Omnes igitur lætitia pleni Deum collaudabant, qui serui sui precibus motus misericordiam suam ostendisset.

72 Vide miram aquæ benedictæ virtutẽ.

73 Nota, Missã esse sacrificium. Nam hîc non potest de alio sacrificio intelligi. Sic & in sequentibus.

Metropolita autem, & populo comitante, sanctus Theodorus illinc discessit, & cùm ad Episcopum Aemilianum venisset, ab eoq; optatissimas sancti martyris Georgij reliquias accepisset, ad sanctum monasterium suum cum gaudio reuersus est.

Illis diebus Cadosiae Episcopus ad eum in lectica vectus est, qui manus dolore, & articulorum omnium solutione laborabat; nec manibus suis ori poterat cibum admouere. Hic in Archangeli templo ad beati Theodori pedes prostratus, magna voce, Miserere, inquit, mei, serue Dei altissimi; & me quoq; tuorum fac miraculorum participem. Scio enim, Deum tibi quæcunq; popósceris largiturum. Cùm autem Christi seruus illum esse Episcopum intellexisset, ægrè tulit eam adorationem, & eum fecit excitari, precationiq; incumbens orabat Deum, vt morbum eius expelleret. Absoluta autem 74 precatione iussit, vt in dextera parte tẽpli sancti Georgij martyris collocaretur, ad sancti Martyris Platonis oratorium, vbi & cellula eius sita est. Sic autẽ Episcopum est allocutus: Bono sis animo, magne domine. Dei enim benignitate confisus te breui à morbo liberatum iri spero. Et cùm oleo benedixisset, dedit ei, vt eo se vngeret. Duarum igitur hebdomadum spatio conualuit Episcopus, è monasterioq; discessit, ambulans, & saliens, & laudans Deum.

74 Precatione, & olei benedicti inũctione Eps ab articulari morbo sanatur.

Clericus quidam, nomine Salomon, ab immundo spiritu vexatus ad sanctissimum virum accessit cum vxore sua, quæ ipsa quoq; pariter vexabatur. Hi quotidie benedictionem eius accipientes, à spiritibus immundis breui temporis spatio liberati sunt; vt ex depicta 75 tabella, quam in vestibulo templi Archangeli, vbi dormiebant, testem miraculi reliquerunt, intelligi potest.

75 Nota q etiã tũc tabellas cum imaginibus Sãctorũ in tẽplis appendebãt in liberationis memoriã, sicut & modo fit.

Quidam è Salmania vico grauiter ab immundo spiritu vexatus ad monasterium se contulit; quem vir sanctus propter dæmonis importunitatem, in angustam cellulam conijci mandauit; & illuc se quotidie ad precandum conferebat. Quamobrem duarum hebdomadum spatio liberatus discessit. Accidit, vt eodem tempore regio illa vniuersa fame laboraret. Monachi igitur, & pauperes ægroti, consumptis omnibus cibarijs, magnis in angustijs versabantur. Erat autem Quadragesimæ tempus; quo quidem tempore beatus vir in Dei genitricis monasterio quietem, & silentium obseruabat. Biduo igitur ante ramos palmarũ Dionysius horrei custos ad eum venit, eiq; se ne pro monasterijs quidem, nedum pro multitudine alenda, cibos habere nunciauit. Palmarum enim die è cellula sua solitus erat exire, & biduo illo ingens multitudo conueniebat. Abi, inquit beatus Theodorus, in horreum, & farinæ reliquias ex arcis in vasculum collige, & affer ad me. Quod cùm ab illo factum esset, vir sanctus Deum precatus est, vt victui necessaria monasterijs suis suppeditaret. Absolutaq; precatione; Accipe, inquit, frater, farinæ vasculum, & illud super altare sanctissimæ Dei genitricis impone; & Deus nobis cibaria subministrabit. Fecit ille, quod vir sanctus præceperat. Postridie verò quidam viri pij ex longinquis regionibus triginta naues Cyprias farina onustas aduexerũt. His, & alijs innumerabilibus rebus admirandis, quibus, tanquam floribus, & margaritis, quotidie Sanctus coronabatur, magnæ ab omnibus gratiæ agebantur Deo; multiq;, relicto mundo, iugum monasticum non solum in eius monasterijs, sed etiam alijs in locis suscipiebant. Itaq; verba illa Euangelica implebantur: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.

Quoniam igitur & hic vir, quemadmodum & Apostolus Paulus corporis afflictionibus erat obnoxius, non alienum erit, vt ad vtilitatem nostram eas persequamur, ne, quoties in eiusmodi morbos, & calamitates incidimus, animis

concidamus; præsertim cùm Deus nobis ea ratione præmium paret; & idcirco viris iustis orantibus, vt à miserijs liberentur, nonnunquam aduersetur, & dicat: Sufficit vobis gratia mea; nam virtus mea in infirmitate perficitur. Vt igitur in hoc sancto Christi imitatore, Dei virtus per infirmitatem perficeretur, corpus eius vulnere affectum erat, quod si quando per se cicatricem obduxerat, indumenti asperitate rursum exulcerabatur. Hoc ille vulnere ad obitum vsq; laborauit; sibi'q; illud à Deo fuisse datum dicebat, vt ei assiduè gratias ageret. Oculorum item morbo singulis annis æstatis tempore per sesquimensem laborabat. Et maiorem in modum gratias agebat Deo. Impediebatur tamen, quominùs turbas posset suscipere. Quamobrem diuinitus incitatus ad templum Dominæ nostræ Dei genitricis, quod est Sozopoli, constituit proficisci. Diuinum enim munus, quod illic est, iampridem videre concupierat. Cùm igitur ad pontem, qui Tantaëndia dicitur, peruenisset, Phentinus quidã caupo obuiam illi misit, qui eum rogarent, vt in hospitium suum ingredi vellet, sibi'q; benedictionem suam relinquere. Iacebat enim semimortuus multo iam tempore, & facies eius post tergum erat distorta. Ad eum igitur sanctus Theodorus ingressus causam quæsiuit, quamobrem id ei contigisset. Cui ille respondens; Cùm essem, inquit, extra diuersorium, venit canis quidam niger, & coram me hiauit; quamobrem ego quoq; inuitus idem feci. Cùm'q; ipse statim euanuisset, ego in febrem incidi, faciem'q; distorsi. Verùm si tu, serue Dei, aliquid potes, adiuua me. Nam cùm & greges, armenta'q; mea interirent, posteaquàm tu pro me preces fudisti, ne vnum quidem animal perijt. Hæc ille cùm dixisset, pro ipso 76 precatus Deum beatus vir ter in eius faciẽ insufflauit; & aquæ benedicens, dedit ei; Accipe, inquiens, & hac te aqua consperge. Quod enim vidisti, dæmonium erat. Sed in Christi nomine, cùm reuertemur à precatione, te sanum, & incolumem inueniemus.

76 Oratione, & insufflatiõe, benedictæ'q; aquæ aspersione cauponem curat.

Egressus igitur è diuersorio, itinere suo progrediebatur; cùm'q; ad Amorium ciuitatem appropinquasset, salutaris eius aduentus omnibus innotuit; & ciues vniuersi supplicantes obuiam illi extra muros processerunt. Et oblatus est illi puer à patre pedibus adeò distortis, vt nullo modo posset incedere; qui, sancto viro Deũ obsecrante, curatus est. Et ecce vir quidam illustris ex eadem ciuitate, nomine Ioannes, filium suum duodeuiginti annos natum, qui triennio paralyticus iacuerat, ad virum sanctum gestandum curauit, & multis cum lachrymis rogauit eum: Miserere, inquiens, istius infelicis, & calamitosi, serue Dei, & Deum pro illo deprecare, vt à morbo eum curet, & incolumem mihi largiatur, aut certè celerem illi ex hac vita exitum tribuat, ne videam ipsũ tam miserè à morbo consumi. Quomodo, inquit sanctus Theodorus, in morbum hunc incidit? Cui ille respondit: Cùm ad venandum profecti essemus, in leporem hic miser incurrit; quem cùm iaculo transfixisset, in paralysim incidit, ea'q; triennio iam laborat. His auditis, Christi seruus iussit, eum Anastasij viri pij domum portari, & in oratorio sanctissimæ Dei genitricis, vbi erat ipse mansurus, constitui. Mox in vrbẽ ingressus, totam supplicando lustrauit. Cùm autem ad catholicam, & primam ciuitatis Ecclesiam esset peruentum, obuiam illi factus est Episcopus; longius enim cum populo obuiã procedere propter valetudinem non poterat. Quamobrem & ipsius Episcopi rogatu sacrificiũ obtulit sanctus Theodorus, & populo benedixit; discedens'q; Anastasij domum extra muros se contulit. Et in oratorium Dei genitricis ingressus, adolescentem illum paralyticum iacentem inuenit; cùm'q; 77 benedixisset oleo, faciem eius, & manus, & pedes, & reliqua omnia corporis eius membra dissoluta inunxit; & sic eum allocutus est: Tibi dico, adolescens, in nomine Domini nostri Iesu Christi surge, & sta sanus, ne propter te pater

77 Olei benedicti vnctione, & impio paralyticũ puerum sanat.

tuus doleat. Cùmq́ ille caput sustulisset, manum ei vir sanctissimus porrexit, & excitauit; precibusq́ super ipsum adhibitis, sanum patri reddidit.

Cùm in Dei genitricis templū esset ingressurus, ecce quidā alius paralysi laborans propter dæmonem, qui ipsum occultè multis iam annis vexabat, eadē hora surrexit, cœpitq́ ab immundo spiritu vexari, & Dei genitricis seruo, cui ab ea miraculum hoc seruatum fuerat, occurrens, atq; vociferans; O' vis, inquit. Cur venisti huc, ferriuore, cum Georgio Cappadoce, vt me torqueres, atq; configeres? Tot annis latui, & per te nunc indicor. Tunc omnes spectatores obstupuerunt. Beatus autem vir spiritum immundum increpans, 78 signo Crucis, & precibus adhibitis paralyticum curauit. Et in sanctissimæ Dei genitricis Mariæ venerabile templum ingressus, vbi diuino munere oleum manat, manibus in Crucis speciem extensis precans, oculos in admirabili imagine defigebat, cùm oleum diuino nutu efferuescens in oculos eius insilijt, eosq́ consperfit. Quamobrem omnes, qui diuinum illud testimonium aspiciebāt, dixerunt: Verè magnus est hic Dei seruus. Cùm autem de eius aduentu beatissimus Episcopus Zoilus intellexisset, statim honorificè duxit eum in Episcopium suum, amicèq́ tractauit.

78 Signo Crucis, & precibus adhibitis, paralyticum curauit sāctus pater.

Postea verò q̄ diebus quadraginta precibus incubuit, relicta Sozopoli, ad vrbem Amorium appropinquabat; vbi saliens obuiam illi processit puer, qui distortis iam pedibus existens ab eo benedictionem acceperat, & Dei gloriam, quæ in se extiterat, nunciauit. Die verò ad vesperam inclinante vrbē ingressus, apud virum illustrem Ioannem, cuius filium paralyticum precibus curauerat, diuertit. Et postridie mane discedens in Gemniorum ciuitatem ad Episcopum Aemilianum peruenit; à quo dimissus ad monasterium suum proficiscebatur. Cùmq; ad prædictum pontem venisset, audito Phentinus eius aduentu, processit illi obuiam sanus, & laudans Deum, qui se serui sui precibus à tali periculo liberasset; animiq; grati munus obtulit equum ex armento suo.

Cùm igitur vir pius, & sanctus ad monasterium peruenisset, duæ claræ mulieres è metropoli Epheso cùm lecticis, & magna suppellectili ad eum se contulerunt. Erat vni ex illis filius annorum viginti, Andreas nomine, mutus. Alteri autem filiola annorum octo paralytica. Hæ fœminæ cum filijs, & domesticis suis ad sancti viri pedes procidentes, magna voce, multisq; lachrymis supplicabāt, vt filijs suis sanitatem largiretur. Quibus Christi seruus Theodorus præcepit, vt surgerent. Et cùm precatus esset Deum, iussit, vt dies aliquot ibi manerent. Quadam autem die à psalmis canendis circiter horam nonam de more egressus, vt populo benediceret, eumq; dimitteret, puellulam iacentem inuenit; & accedens, signauit 79 eam, & Deum obsecrauit; ab eaq; recedens, ad altaris introitum ascendit, & populo benedixit, & puellæ paralyticæ præcepit, vt ad se veniret. Quæ repente, solutis diaboli vinculis, surrexit, & ad eum venit. Turbæ verò astātes cum matre puellæ pro tali miraculo cum lachrymis gratias agebant Deo. Atq; ita mater accedens filiolam suam è manu eius sanam accepit. Quinetiam adolescentem mutum beatus Theodorus cùm signasset, dixit matri eius, vt cum alijs discederet; fore enim, vt in ipso itinere loqueretur. Suscepta igitur viri sancti benedictione, in ciuitatem suam omnes redierunt. Et paulòpost quidam ab illa veniens ciuitate, adolescentem locutum esse nunciauit.

79 Signo Crucis, & oratione has curationes facit.

Oppidi Sandi presbyter, nomine Florentius, habebat fratris filium, cui cancer os exedebat. Eo igitur super iumentum suum imposito, magno studio ad monasterium contendit, & ad beati viri pedes procidens, ac lachrymans supplicabat, vt pueri morbum, cui nulla medicorum remedia proderant, curaret. At ille, fusis precibus, locum morbo exesum contrectans, ter in os eius

insufflauit, & aquã, cui benedixerat, dedit, vt ex ea acciperet; & statim cœpit morbus esse leuior. Et cum egressi essent è monasterio, priusquàm domum peruenirent, prorsus euanuit.

Cùm totius populi supplicatio, post Domini nostri Iesu Christi resurrectionem, die sabbati, vt quotannis fieri solet, ad monasterium conuenisset, erat in loco demisso lebes ebulliens iuxta viam. Peracto autẽ sacrificio, cùm vniuersus populus ad epulas properans, è monasterio egredi festinaret, puer è templo sancti martyris Georgij exiens, Diabolo impellente, in lebetem feruentem incidit. Accurrentes autem parentes pedibus eum inde extractum in templum sancti martyris, vbi vir sanctus populo benedicebat, intulerũt, & semimortuũ ad eius pedes cum lachrymis deposuerunt. Tum Dei seruus puerum iuxta sanctum altare collocauit, &, inclinato 80 capite, pro ipso precatus est Deum. Et cùm illum oleo semper ardentis lucernæ inunxisset, Dei gratia excitauit, & sine vllo detrimento parentibus incolumem reddidit.

80 Oratione, & olei inunctione puerũ sanat.

Fortè cum supplicatione monasterij sancti Theodori ex Briania præfectus Anicetus venerat. Hic cùm id, quod puero contigerat, audiuisset, eumq; sanum, & nulla in parte combustum aspiceret, lebetis aquam esse frigidam existimauit. Itaq; cùm eadem hora supplicando illac iter faceret, manum in lebetem iniecit, vt cognosceret, vtrũ aqua calida esset, an frigida; & statim manus eius exarsit. Cùm igitur beatus vir, peracta supplicatione, populo benediceret, eumq; dimitteret, accessit ad illum Anicetus, & manũ ostendit, obsecrans, vt eam signo Crucis obsignaret. Cui subridens sanctus Theodorus; Crede, inquit, frater, & manum, quam in lebetem vltro coniecisti, Dominus curabit. Signo autem Crucis adhibito, Anicetus dolore leuatus est, & sanus discessit, laudans Deum ob ea, quæ audierat, & viderat.

In oppido Sandi quidam paterfamilias, nomine Eutolmius, aream suam cupiebat ampliorem efficere. Angustior enim erat, quàm vt frugũ posset copiam capere. Porrò collis quidam adiacebat, in quo multa inerant dæmonia. Cùm igitur vndiq; aream amplificans foderet, etiam collis ipsius lapidẽ amouit; vnde immundi spiritus exeuntes, greges, & armenta, atq; etiam homines inuadebant, & excruciabant. Ex ijs autem clamabant nonnulli, se ideo vexari, quoniam collis ille fuisset effossus. Incolæ igitur, calamitate sua perspecta, & existimantes id propterea contigisse, quòd Eutolmius inde pecuniã sustulisset, ex eoq; fore, vt loci præfectus Euphrantas aduersum se, tanquam eius criminis reos, veniret, contra Eutolmium impetum fecerunt, comminantes ei, se illum, vti totius perturbationis auctorem, cum vniuersa eius familia combusturos. Quo tamen tumultu per viros senes, & graues sedato, ad sanctum Christi seruum nuncios miserunt, qui supplicarent, vt ad oppidum proficisceretur, & tot molestijs, & calamitatibus incolas liberaret. Profectus est cũ illis beatus vir, & cùm ad locum effossum peruenisset, dixit eis: Confidite, filij; neq; enim hoc in loco id, quod suspicamini, factum est. Quod vt facilius intelligatis, altiùs effodite. Paruerunt illi, & nihil prorsus inuenerunt. Postridie verò supplicationem indixit; & cùm locum vniuersum, illis etiam, qui vexabantur, comitãtibus, lustrasset, ad collem effossum peruenit; vbi cùm preces, inclinato capite, fudisset, omnes spiritus immundi, qui in animantia, & diuersa loca introierant, illuc redierũt. Obsecrans aũt Deũ & ꝓ hominibus illis, qui vexabantur, spiritus immundos increpuit; & Domini Iesu Christi inuocatione depulsos, adiuuante Spiritu sancto, ibi eos inclusit, Et cùm lapidem emotum reposuisset, fossamq; complesset, almæ Crucis 81 signum imposuit, totamq; noctem psallens, & laudans Deum illic transegit.

81 Almæ Crucis signũ imposuit.

Postridie autem, peracto sacrificio, cùm ad monasterium redire vellet, ac-

cesserunt ad eum principes oppidi Permetaniæ, & ad pedes eius prostrati cum lachrymis rogarunt, vt etiam in oppidum suum ingrederetur, quoniam illic quoq; cùm ex quodam loco tabula esset sublata, multi dæmones egressi sex viros, & septem fœminas inuasissent. Discedens igitur Christi seruus Theodorus, cum illis profectus est. Verùm cùm ad Aeantium oppidum appropinquaret, dæmonum, ad quos eijciendos proficiscebatur, opera factum est, vt iumentum, quo vehebatur, concideret, & ipse è tergore ipsius delaberetur, & duo acuta ligna in ventrem eius defixa sint, triplici'q; vestimento conciso, carni sic inhæserint, vt sanguinis multum effluxerit. Panno igitur lineo in plagam iniecto, iumentum rursus conscendit, & ad comites subridens; Verè, inquit, filij, Dei nos auxilium protegit aduersus dæmones, qui nos iniuria conantur afficere. Cùm autem in oppipum peruenissent, putabant comites eius, eum propter graue vulnus, quod acceperat, ægrotaturum. At ille Spiritus sancti gratia confirmatus, tanquam ferrea statua noctem illam Deum laudando insomnis transegit. Postridie igitur oppidum supplicando lustrauit, iussit'q; tabulam in locum suum reponi; & illuc ipse quoq; cum supplicatione accessit; inuocato'q; sanctæ, atq; eiusdem essentiæ Trinitatis nomine, Spiritus, à quibus homines vexabantur, eiecit; & omnes, qui inde abierãt, coëgit, atq; ita relegauit in eo loco, vt nemini ampliùs iniuriam facerent. Habebat enim & magnum Christi martyrem Georgium sibi opitulantem, cuius auxilio iam inde ab ipsa pueritia fultus fuerat. Cùm igitur sanctæ Crucis 82 signo locum obsignasset, inde cum comitibus discessit, & ad monasterium reuersus est. Misit etiam Epistolam ad Euphrantam principem, cohibuit'q; impetum eius, docens, non inueniendæ pecuniæ gratia, sed astutiæ satanæ locum illum fuisse effossum; domum'q; dimisit eos, qui se ex oppido Sandi fuerant comitati.

82 Locum sanctæ Crucis signo obsignat.

Aliàs item cùm in eiusdem oppidi Sandi regione vites à locustis deuastarentur, & in oppidi Permetaniæ regione vites item à vermibus exederentur, vir sanctus eas præsentia sua, precibus'q; deleuit, ad gloriam Christi Dei nostri eã ipsi gratiam elargientis. In Eueraënsium oppido cùm agricola quidam, nomine Timotheus, collem quendam, seu pecuniæ reperiendæ gratia, seu aliã ob causam suffoderet, magna spirituum immundorum multitudo sic incolas inuasit, vt complures ex illis tum viros, tum fœminas, tum pueros vexarent. Quamobrem Euphrantas, qui tunc Ancyranorum metropoli præfectus erat, agricolam illum comprehendi iussit, & quosdam etiam ex illis, qui vexabantur, virgis'q; cædi. Verùm ij magno clamore precabantur, ne se pluribus verberibus afficerent; dimissi verò maiores tumultus excitabãt. Congregati enim primùm Timothei, qui mali auctor extiterat, villam succenderunt; deinde conquirebant eum, vt occiderent; & aliorum item villas exurebant. Quicquid autem in suis inueniebant, deuorabant, ac dissipabant, & supellectilem confringebant. Quòd si quis eos vellet cohibere, malè ab illis mulctabatur. Neq; verò homines solùm ab ipsis dæmonibus vexabantur, sed etiam animalia rationis expertia partim interficiebantur, partim reddebantur fera, & intra stabilia. Quinetiam regionis fines obsidentes, magnum iterfacientibus detrimentum afferebant. Cùm igitur tota illa regio in his calamitatibus versaretur, pauci patres familias, qui sani permanserant, cum clero ad monasterium confugerunt, supplices'q; se ad viri sancti pedes abijcientes obtestabantur, vt infelix oppidum suum ex tot miserijs eriperet. Horum precibus exoratus vir sanctus cùm ipsis profectus est. Obuiam autem illi prodierunt omnes oppidani, tum animo valentes, tum à dæmonibus vexati, à quibus beatus vir contumelijs afficiebatur. Cùm autem in sancti Archangeli Ecclesiam esset ingressus, totam noctem 83 hymnis, precibus'q; transegit, Deum clementem ob-

83 Totam noctẽ hymnis, precibus'q; transegit.

secrans, vt ab hominibus, & iumentis, totiusq; regionis finibus dæmonum multitudinem in locum, vnde exierant, cōpelleret. Mane verò populus vniuersus ad eum concurrit; & eorum, qui vexabantur, spiritus clamabant, sibi ab eo vim afferri, vt qui contra ipsos venisset, & Deum precaretur. At vir diuinus eos increpans, & diuina confisus gratia, tanquam pueros castigans, & in seruitutem redigens, imperabat eis, vt in locum, vnde exierant, reuerterentur, ibiq; sine cuiusquam iniuria permanerent. Et quoniam illuc ipse tum propter infirmam valetudinem, tum propter nimiam vigiliam proficisci non poterat, vni ex fratribus presbytero, nomine Iuliano, qui cum ipso erat, mandauit, vt nomine suo iret, & ad collem illum clerum duceret supplicatem, Euangeliumq; super homines vexatos legeret. Cùmq; Iulianus, sibi vt ignosceret precaretur; nihil enim profuturum aiebat, nisi ipse accederet; indignatus vir sanctus, eumq; vt contumacem, & incredulum reprehendens; Celeriter, inquit, supplicationem educito, & esto obediens, ac fidelis, & non incredulus. Deus enim illis omnino misericordiam suam, & sanitatem, etiam me absente, largietur. Cùm igitur omnes ad collem cum supplicatione profecti essent, & Euangelium recitarent, ipse mansit in Ecclesia Deum obsecrans pro omnium curatione. Quamobrem spiritus, qui circa collem erant, vociferabantur se precationibus viri sancti conuinci, & superari. Item illi, qui vel homines, vel iumenta vexabant, vel loca finitima obsidebant, illuc, tanquam ab Angelicis virtutibus, coacti, atq; compulsi sunt. Et dum Euangelium pronunciaretur, omnes cum vlulatu, proiectis hominibus, in tumulum illum reuersi sunt, Saluatoris nostri Dei virtute per serui sui preces ita rem moderante. Obstrusa igitur tumuli fossa, omnes cum supplicatione ad Ecclesiam redierunt; peractoq; sacrificio, cùm vir sanctus in eo loco, precibus fusis, Crucem collocasset, ab incolis ad monasterium reductus est. Deiq; gratia factum est, vt illi dæmones neque in homines, neq; in animalia rationis expertia quicquam amplius egerint.

Rursum contigit, vt, cùm in eiusdem oppidi regione esset arca quædam, & vas cum tabernaculis veterum Græcorum virorum, quæ à dæmonibus obseruabantur, quidam ipsius loci domini arcam aperuerint, & fastigium, siue operculum eius in oppidum ad excipiendam aquam importarint. Quapropter dæmones, & homines, & animalia, & loca quædam finitima rursus occuparunt. Ciues igitur iterum Dei seruum adduxerunt, qui precibus suis & homines, & animalia, & loca finitima ab immundis spiritibus liberauit, & spiritus ipsos eòdem, vbi erant, compulit; nec permisit, vt arcæ fastigium ipsis, vt flagitabant, redderetur, sed voluit, vt aquæ vsui deseruiret; quemadmodum nunc item est pro monumento miraculorum ipsius.

Cùm Bunam, & Peton, & Hyniam loca quædam finitima cantharorum multitudo sic opprimeret, vt omnes agrorum fruges interciperet, incolarum precibus exoratus ad ea loca se contulit, & cùm pro illis Deum obsecrasset, statim omnis illa cantharorum multitudo deleta est. Atq; eiusmodi quidem miracula diuersis in locis ab ipso sæpè facta sunt ad gloriam Saluatoris Christi Dei nostri, qui gratiam hanc viro sancto largiebatur.

Antequàm Mauritius Imperator occideretur, cùm in Dei genitricis monasterio vir sanctus præfinitum psalmorum numerum legeret, in sanctuario recens exædificato lucerna, quæ semper ardet, extincta est. Quapropter vni ex fratribus annuit, vt eam accenderet. Sed cùm statim rursus extincta esset, frater rediit, & cum precibus eam iterum accendit. Repenteq; rursus extincta, vir sanctus illum reprehendens, tanquam ineptè id fecisset, accessit ipse, & manu sua illam accendit. Sed cùm illic adhuc staret, similiter rursum ex-

tincta

cincta est. Tunc fratribus omnibus congregatis, seuerè locutus est ad hunc modum: Signum hoc, fratres, non simpliciter, mihi credite, nec temerè contigit. Vos ergo diligenter explorate, quid egeritis, & in conspectu Dei peccatum vestrum confitemini. Licet enim vos illud celare conemini, Deus ipse patefaciet. Cùm autem fratres sibi nullius esse culpæ conscios respondissent, ad obsecrandum Deum accessit, vt sibi rem indicaret. Cùm'q; re diuinitus patefacta, tristis esset, & cum gemitu diceret: Verè tu, Esaia, naturam hominum expendisti, cùm diceres: Omnis homo fœnum, & omnis gloria hominis, tanquam flos fœni. Aruit fœnum, & flos eius decidit. Et cùm hæc ipse loqueretur, fratres rogabant eum, vt rē omnibus patefaceret. Quibus cùm præcepisset, vt nemini rem indicarent, prædixit eis, quo mortis genere Mauritius Imperator esset interiturus. Fratribus'q; meritò id illi euenturum respondentibus, ob ea, quæ improbè gessisset; Sic ipse quidem, filij, inquit sanctus Theodorus, morietur, sed post eū multò deteriora contingent, quæ hæc ætas non expectat. Paucis igitur post diebus interfectus est Mauritius Imperator; & imperio potitus est Phocas. Qui cùm in Orientem misisset Domitium consobrinum, vt exercitum duceret aduersus Persas, qui regiones nostras vastabant, & prædabantur; is autem Domitius de hostium impetu, qui Cappadociam vsq; peruenerant, de'q; Sergij patricij Imperatoris propinqui interitu intellexisset, magno in mœrore, & metu versabatur, nec iter susceptum audebat perficere.

Audita igitur serui Dei fama, ad eum se in monasterium contulit, se'q; ad eius pedes abijciens, supplex rogabat, vt pro se Deum precaretur, vt scire posset, quid sibi agendum esset; in dubio enim se propter hostium incursum versari. Respondens illi Dei seruus; Abi, inquit, fili, in nomine Dei, & susceptum iter perfice; incolumis enim ad exercitum peruenies. Verùm cùm in acie stabis aduersus Persas, & prælium inibis, in magno discrimine versaberis. Sed commendo te Deo, & sancto eius martyri Georgio, vt te à periculo integrum conseruet. Cùm igitur te periculum premet, memor eris huiuscè precationis, & Deus te à periculo eripiet. Hæc, & alia multa tempori congruentia locutus, benedixit ei, atq; abire permisit. Peruenit igitur incolumis ad exercitum, vt vir sanctus prædixerat. Cùm'q; inito cum Persis certamine, insidijs peteretur, magno'q; esset in discrimine cum vniuerso exercitu, meminit verborum sancti viri, cuius precibus Deo fuerat commendatus. Et pedes in canctū ingressus delituit, atq; ita periculo se se subduxit; collecto'q; exercitu, in Romanorum loca se contulit, & ad Imperatorem peruenit. Quo quidem in itinere virum sanctum inuisit, & magna cum fide ad pedes eius prostratus gratias egit Deo, qui se precibus ipsius è tanto periculo eripuisset. Et confessus est, omnia, quæ beatus vir prædixerat, contigisse. Solenni igitur Dominico die celebrato, & suscepta viri sancti benedictione, ad regiam vrbem profectus est; & ex eo tēpore magna in veneratione habuit beatum Theodorum, & sanctam eius mansionem; & semper cùm ab Oriente ad regiam vrbem iterfaceret, ad sanctum virum diuertebat, multa'q; munera eius mansioni, & sancti Georgij templo, & oratorijs relinquebat.

Venit quidā vir ab vrbe regia, nomine Phocas, qui intestino quodam morbo grauiter laborabat, assiduè'q; multum sanguinis ex ore, & ventre emittebat, neq; stare, neq; iacere valens. Hic virum sanctum nactus in monasterio sanctissimæ Dei genitricis, procidit ad pedes eius obsecrans, vt pro se Deum precaretur, vt à tanta se miseria liberaret. Multa enim se medicorū remedia frustra expertum esse. Præcepit autem vir sanctus, vt in sanctissimo Dei genitricis oratorio maneret. Et manè dixit illi: Nunc, fili, abi in pace.

Ipse verò cum clamore cœpit dicere: Ita'ne, pater, me, qui tam longinquis è locis ad te veni, dimittis incuratum? Aegroti omnes, qui ad te confugiunt, recedunt sani, & ego solus miser negligor? Non discedam profectò ex hoc loco, nisi à morbo liber. Obtempera, inquit beatus vir, fili, & cum fide proficiscere. Preces enim tuæ acceptæ sunt. Nec longè hinc abieris, cùm integram morbi curationem senties. Quòd si totum vitæ tuæ tẽpus hîc consumpseris, nullam propterea, mihi crede, leuationem accipies. His ille auditis, multis cũ lachrymis clamans; Noui, inquit, serue Dei, q̃ me persequeris, vt indignum, qui hîc maneam, & curer. Ecce discedo, vti iubes. Tu saltem Deum, quem purè colis, pro me roga, vt sanus reuertar domum. Abi, inquit vir sanctus, fili; spero enim, Deum breui misericordiam tibi suam ostensurum. Cùm igitur inde egressus ad Siberis fluuij pontem appropinquasset, naturali necessitate coactus è lectica descendit; &, quemadmodũ illi, qui, haustis medicamentis, purgantur, fœtidum corporis onus cum morbo deposuit; nunciumq; misit ad seruum Dei, qui curationis munus sibi diuinitus datum indicaret, peteretq;, vt sibi per eum liceret reuerti, quò Deo gratias ageret. Respondit beatus Theodorus, vt Deum animo laudaret. Quamobrem ad regiam vrbem Deum laudans reuersus est.

Alius quidam Sebastæ ciuitatis gubernator oculis captus ad virum sanctum in monasterium venit. Et cùm intellexisset, eum esse in inferiori monasterio sanctissimæ Dei genitricis, ab vno è comitibus ductus, humi prostrauit se, & lachrymans Deum precabatur. Quem cùm vir sanctus, qui tunc præfinitum psalmorum numerum in Dei genitricis oratorio persoluebat, ita precantem aspexisset, fratribus, qui secum erant; Vir, inquit, ille obtinuit id, cuius gratia profectus est; fidem enim secum attulit. Fides autem valet plurimùm. Cùm autem ingressus se ad sancti viri pedes supplicem abiecisset, petens videndi facultatem; Deus, inquit beatus Theodorus, tibi profectò tribuet, quod flagitas. Biduum hîc mane cum tuis comitibus, teq; itineris labore fessum recrea; postea verò discedes. Tertio igitur die cùm illi benedixisset, præcepit, vt abiret. At ipse supplex, & lachrymans; Obtestor te, inquit, vir sanctissime, per Deum, qui tibi largitus est munus curationum, ne me ita cæcum dimittas, ne ciuibus meis labor, & supplicatio mea inanis fuisse videatur. Hæc, & alia multa magna voce cùm diceret; Crede mihi, inquit vir beatus, non erit inanis labor tuus. Preces enim tuæ susceptæ sunt à Deo. Et celeriter, si discesseris, recipies videndi facultatem. Quòd si recusaueris obtemperare, cæcus permanebis. Hoc ille audito, discessit, & in oppido Araunia, quod quinq; millium spatio aberat, diuertit. Manè verò, cùm sibi manus, & faciem ablueret, aspexit, & cœpit Deum collaudare. Cùmq; ad virum sanctum reuerti vellet, nec sine eius permissu auderet id facere, misit vnum è comitibus suis, qui rem illi nunciaret, peteretq;, vt sibi per eum reuerti liceret. At vir sanctus illi iussit significari, vt in pace iter suum conficeret, & Deo gratias ageret. Sanus igitur in patriam reuersus, per quosdam, qui ad sanctum Theodorum se conferebant, salutem ei nunciauit, & Deo gratias egit.

84 Precib⁹ adhibitis, & Crucis signo à dæmone vulneratum sanauit.

Nauicularor quidam, nomine Theodorus, cùm è Callensium Ponti mercatu nauigaret, à dæmone vulneratus est, & ad virum sanctum se contulit; quẽ cùm in inferiori sanctissimæ Dei genitricis monasterio reperisset, ad pedes eius procidens, plagam illi suam ostendit. Spiritus erat nobis conspicuus sub corporis cute, tanquam mus. Cui vir sanctus cùm manum imposuisset, aufugiẽs per eius membra cursitabat. Sed vir sanctus cùm illum in brachio, ne cursitaret, conclusisset, homini iussit, vt in ipso diuerteret monasterio, seq; itineris labore fessum recrearet. Mox autem, precibus 84 adhibitis, brachio Cru-

cis signum imposuit, expulsoq; dæmone, liberum dimisit.

Antipater ex Aeantium oppido procurator, & Demetrius presbyter pietatis studiosissimus ex oppido Silindicomensi, & Aetius ex oppido Alectoria procurator, viri præclari, ad sanctum Theodorum, cùm esset in mulierũ monasterio sancti Christophori, se se contulerunt. Tunc autem ille cœnabat; quamobrem ipsos quoq; vocauit ad cœnam. Porrò cùm sine operculo lebes esset, dæmonis opera factum est, vt Chlorosaura in olera, quæ coquebantur, incideret. Cùmq; minister olera apposuisset, eaq; omnes, adhibita viri sancti 85 benedictione, comedissent, præcepit ministro vir beatus, siquid adhuc olerum reliquum esset, vt illud apponeret. Quod cùm ille fecisset, & ipsi comederent, Chlorosauram offenderunt; eaq; cognita, cœperunt clamare: Perimus, pater sancte, perimus. Quid'nam egimus? Chlorosaura enim est serpens venenatus. Cùm igitur conquererentur, & dolerent, quòd vxores, & liberos non essent ampliùs visuri, dixit eis Christi seruus: Ne timeatis, filij; si enim Deo creditis, & mihi credite humili seruo eius. Nihil omnino detrimenti accipietis. Qui enim ab Elisæo propheta inuocatus est Deus, cùm mors esset in olla, idem vera pollicetur; Et si mortiferum, inquiens, quid biberitis, non vobis nocebit. Et cùm poculo benedixisset, dedit eis bibere. Nec eorum quisquam vlla affectus est iniuria. Postridie igitur dimisit eos collaudantes Deum.

85 Vide quantùm valuerit sancti viri benedictio cibo adhibita.

Georgius Cappadox cùm magna militũ manu, cathenis collo, manibusq;, ac pedibus iniectis, vinctus traheretur ad Phocam Imperatorem, tanquã imminutæ maiestatis crimini obnoxius, cupiebat sanctum Theodorum inuisere, & eius se precibus commendare. Eodem & custodes desiderio tenebantur. Quamobrem ad eum se contulerunt, & accepta eius benedictione, illum rogarunt, vt Georgium vinctum admoneret, vt animo syncero se duci sineret, nec sibi, aut ipsis insidias faceret, ne in capitis periculum apud Imperatorem incurrerent. Id fecit sanctus pater. Diuinarum enim scripturarum vtens testimonijs monebat eum; Hæc, inquiens, fili, quæ sunt in hac vita, breuia, caducaq; sunt; quæ vero in altera vita nos manent, stabilia, & sempiterna. Caue igitur, ne tibi ipse mortem consciscens in æternum supplicium incidas. Illudq; considera, fili, & tibi ipse propone, vt siue hoc, siue alio crimine iurè damnatus, capite plectaris, libenti animo supplicium subeas, vt in vita futura liber sis, & absoluaris. Quòd si nullius es tibi criminis conscius, multò libentiùs, si condemneris, supplicium adi, vt coronam eandem accipias, quã Sancti omnes, qui iniuria interfecti sunt, perceperunt. Expedit enim vim iniustè patientem mori; quemadmodum & sancto Abel, & innocenti contigit Zachariæ, & sancto Ioanni Baptistæ, & sanctis Apostolis, & Christi Martyribus. His, & alijs multis diuinarum scripturarum testimonijs Georgius animo confirmatus, petijt, vt diuinorum mysteriorum particeps fieret. Tunc beatus Theodorus ad custodes; Veneramini, inquit, filij, mysterium Domini, & soluite hunc, dum illud accipit. Neq; enim æquum est, vt quisquam vinculis obstrictus 86 Christum suscipiat, qui pro nobis passus est, vt nos ab inferni vinculis liberaret. Cùm autem illi excusarent se, dicerentq; id sibi non licere; Georgium enim esse virum nobilem, ac strenuum, qui si solutus esset, & vellet ingratus esse, & aufugere, nullo modo cõprehendi posset; beatus Theodorus, sumpto diuinæ cõmunionis poculo, vt id illi impertiret, suspirans ad Deum suspexit, & illico vincula humi cum strepitu conciderunt. Quamobrem cùm milites tumultuarentur, & ad fores claudendas currerent, ne Georgius fugeret; Nihil, inquit sanctus Theodorus, timeatis. Ego enim gratum, & syncerum huius viri animum planè noui. Cùm igitur illi diuina mysteria

86 Ecce quomodo qui diuinam Eucharistiam accipit, Christũ suscipit.

tribuisset, voluit etiam, vt simul cum custodibus apud se cibum caperet. Post autem, vinculis rursum iniectis, discesserunt.

87 Cùm dies solennis sancti martyris Antiochi in eius templo celebraretur, & beatus Theodorus sacrificaret; idest Missas faceret.

Cùm XVI. Kal. Augusti solennis sancti martyris Antiochi dies 87 in eius templo celebraretur, & beatus Theodorus sacrificaret, dum, vt regionis est mos, discum in sublime tolleret, vt sanctum panem ostenderet, sanctus ipse accepti sacrificij panis super disco per se cœpit sublimis extolli, & tanquam exultans, & saliens sursum, deorsumq; cunctis spectantibus, ita moueri, vt omnes, qui aderamus, illius ascendentis, descendentisq; motum, & sonitum videntes, audientesq; admiratione, & timore propter miraculum repleremur. Ipse verò Sanctus compunctionis lachrymis, & incredibili gaudio plenus, immensam Dei nostri bonitatem nobiscum collaudabat.

88 Vides quõ et antiqui pres processiones faciebãt, praecedẽte signo Crucis?

89 Ecce quanto studio sãctas reliquias venerabantur.

Cùm in oppidis finitimis 88 supplicationes fierent, & Cruces, quæ gestari solent, horribili, miserandoq; spectaculo, per se concuterentur, & commouerentur, interrogatus vir diuinus, quid sibi id vellet, respondit: Deum, ò fili, precibus placate, quoniam magnæ mundò imminent calamitates. Domitius autem patricius vir clarissimus promiserat, se auream Crucem ad supplicationis, adorationisq; vsum effecturum. Itaque misit vir sanctus Epiphanium diaconum ad illum. Qui cùm aurifici aurum dedisset, diaconum rogauit, vt tantisper moraretur, dum aurifex opus conficeret. Et sanctissimus Patriarcha Thomas, qui post beatæ memoriæ Cyriacum, in pontificia regiæ ciuitatis sede successerat, laudata viri gloriosi pietate, dedit etiam ipse 89 particulam venerandi ligni sanctæ Crucis, & particulam sancti sepulchri Saluatoris nostri Dei, & veli particulam sanctissimæ Dei genitricis conijciendas in vmbilicum illius Crucis, quæ ex auro conflabatur. Quæsiuit autẽ ex ipso Diacono, vtrũ verus fuisset ille Crucium motus, qui in regione Galatarum factus fuisse dicebatur. Cùmq; Diaconus id affirmasset, valde timuit beatissimus Patriarcha, & solicitudine plenus epistolam scripsit ad seruum Dei, rogans eum, vt quàm celerrimè ad se in ciuitatẽ regiã proficisceretur. Tunc venit ad eũ ex portis superioribus Theodorus dux regius, qui olim dæmonis dolo mente captus, viri sancti precibus mẽtis cõpos factus fuerat, & rogabat eũ, vt si ad regiam vrbem iret, per superiores portas iter faceret, & domum suam ab immundis spiritibus liberaret. Id se facturum respondit beatus vir, & dimisit eum.

90 Hũc Dei seruus cùm honorificè sepeliendum curasset.

Contigit, vt Deo charissimus Philumenus præfectus, laudabilis vitæ suæ cursu confecto, in senectute bona diem obiret extremũ. Hunc Dei seruus cùm honorificè 90 sepeliendum curasset, Ioannem presbyterum eidem probitate, & moribus similem hortatus est, vt monasteriorum ipsius curam susciperet. Quod ille munus cùm recusaret, ad Orientisq; secessum spectaret; Si, inquit in hoc mihi non obedieris, vt fratrum tuorum curam suscipias, non habebis partem mecum. Quibus verbis commotus, onus suscepit. Cùm autem ad regiam vrbem proficisci decreuisset, à Dorylæi oppidi incolis, & à monachis, & discipulis suis Photio, & Cyrico mansionis sancti Georgij, quæ fontium dicitur, exoratus, illac iter habuit. Et cunctis vndique è locis vicinis cum supplicatione obuiam procedentibus, in oppidum ingressus est. Vbi peracto sacrificio, benedixit eis. Inuisit etiam fontium monasterium; & cùm monachorum animos diuinis documentis in religione confirmasset, discessit. Appropinquanti autem ad sanctissimæ Dei genitricis monasterium, obuiam venit illi Theodorus ille dux regius, de quo paulò ante mentionem fecimus, & domum suam ad portas superiores sitam duxit virum sanctum, vt eam à magna dæmonum vexatione liberaret. Et homines enim, & animalia rationis expertia ab immundis spiritibus vexabantur; & cùm domestici prandierent, aut cœnarent, lapides super mensas iaciebantur. Ex quo magnus omnes terror inuadebat; & mulierum

mulierum telæ rumpebantur; & tanta murium, & serpentium multitudo domum occupabat, vt præ formidine in eam ingredi nemo auderet. Domum igitur Dei seruus ingressus, totam noctem psallendo, & Deum obsecrando traduxit; & 91 aqua, cui benedixerat, totam domum aspergens, eam à spiritibus immundis liberauit.

91 Orationib⁹, & aqua benedicta domus à spiritib⁹ immundis liberauit.

Inde autem discedens in nauim ascendit, vt ad regiam vrbem nauigaret. Ei vector quidam in naui proximè assidebat, multis iam annis ab immundo vexatus spiritu, qui cùm in medio mari sanctitatis eius gratiam ferre non posset, concuti cœpit, & contumelijs virum sanctum afficere. Quamobrem qui in naui erant, cùm nescirent, cuius ille impulsu malediceret, eum reprehendebant, ne in Dei seruum debaccharetur. At vir sanctus præcepit eis, vt homini ignoscerent; & apprehendens illum, & pectus eius percutiens, ac signum Crucis adhibens, dæmoni occulto, & conuicia iactanti iussit, vt exiret. Qui tanquam mus illis, qui in naui erant, ex ore eius visus est egredi. Homo verò, qui vexabatur, tanquam mortuus humi iacuit; sed paulo post à viro sancto excitatus est, & sanus extitit, omnibus admirantibus, & collaudantibus Deum.

Ingressus igitur in vrbem regiam à beatissimo Thoma Patriarcha honorificè, & magno cum gaudio susceptus est. Et cùm inter se consalutassent, obtulit ei discipulum suum Ioannem, & vitæ sanctitatem, ac mores eius commendans petijt, vt eum monasteriorum Præfectum constitueret. Quod statim fecit sanctissimus Patriarcha, palliumq; tribuit, & præmisit ad sancta monasteria. Phocas etiã Imperator eum accersendum curauit; manuum enim, ac pedũ doloribus excruciatus iacebat. Sancto igitur viro ingresso, & manus suas illi imponente, atq; precante, subleuatus Imperator rogauit eum, vt pro se, proq; imperio precaretur. Quamobrem admonuit eum vir sanctus, vt ab hominum afflictione, & sanguinis effusione temperaret, si preces suas à Deo vellet exaudiri. Cùm autem ab Imperatore discessisset, rogauit eum beatissimus Thomas Patriarcha, vt pro sua in illum beneuolentia apud se diuerteret, & Deum obsecraret, vt in cœlesti vita simul inuenirentur. Et quæsiuit ex eo, an verus fuisset admirabilis ille Crucium in supplicationibus motus. Quod cùm verum fuisse intellexisset, cœpit orare virum sanctum, vt indicaret, quid signum illud portenderet. Tum Sanctus recusare; seq; abiectum, atq; humilem dicere, nec scire, quid responderet ad interrogata. Prostratus ille ad pedes eius, se surrecturum negauit, nisi in ea re sibi morem gereret. Scio enim, inquit, tibi non signum hoc solum, sed alia multa esse nota. Neq; enim illud ad hunc vsq; diem neglexisti. Quòd si neglexisses, tamen patefiet tibi, si petieris à Deo. Cùm igitur, se desiderio eius satisfacturum promisisset Christi seruus, eum surgere coëgit, & lachrymans; Nolebam, inquit, te affligi. Neq; enim expedit, te hæc scire. Verùm, quando ita vis, scito ea Crucium concussione multa nobis grauia, molestaq; prænunciari. Significat enim plurimos à religione nostra defecturos, & barbararum gentium incursiones, & magnam sanguinis effusionem, & ingens exitium, & in vniuerso orbe seditiones fore, & sanctas Ecclesias desertum iri, & diuini cultus, atq; imperij interitum, & aduersarij aduentum appropinquare. Reliquum est, vt tanquã gubernator Ecclesiæ, & populi pastor, Deo totis viribus assiduè supplices, vt ignoscat populo, & pro misericordia sua hæc omnia moderetur.

His auditis, beatissimus Patriarcha, magno timore, mœstitiaq; correptus, cum lachrymis cœpit rogare sanctum virum, vt Deum obsecraret, qui animã suam tolleret, antequàm ab illis calamitatibus opprimeretur. Cùmq; vellet sanctus Theodorus in patriam redire, quoniam quietis, & silentij sui tempus

aduentabat, id illi non permisit beatissimus Patriarcha. Increbuerat enim rumor, ciuitatem haud ita multò post absortum iri. Quamobrem voluit, vt apud se hyemem traduceret. Nanque dicebat se precibus eius apud Deum pro populo indigere, vt saltem mala differat, quæ comminatur. Cùm autem vir sanctus locum proprium ad habitandum postularet, iussit, vt in sancti Stephani mansione, quæ Romanorum dicitur, habitaret. Natali igitur die Saluatoris nostri Dei illic se se inclusit, vt quietem, & abstinentiam solitam obseruaret. Quo tempore contigit, vt sanctissimus Patriarcha in morbum incideret. Itaq; nuncium misit ad beatum Theodorum, rogans eum, vt Deum precaretur, vt sibi daret vitæ finem. At Christi seruus respondit, quamuis ipse, vt sanctus olim Apostolus Paulus, dissolui, & esse cũ Christo cuperet, tamen cùm magis esset necessarium, vt pro populi salute in corpore maneret, oraturum potiùs, vt illi vitam, & sanitatem elargiretur. Sed nunciũ rursus ad Dei seruum misit sanctissimus Patriarcha; Per Dominum, inquiens, obtestor te, pater, si diligis me, vt pro mutua, & fraterna inter nos beneuolentia, Deum obsecres, vt depositum pignus suum recipiat è corpore meo, meq; ab imminentibus periculis liberet; neq; enim spectare possum, quæ tu prænunciasti. Tunc Dei seruus, flexis genibus, & fusis pro ipso precibus, nunciauit ei per Epiphanium ministrum, se quidem vitam eius pro salute omnium exoptasse, verùm quoniã tantoperè flagitasset, pro se preces fundi, vt dissolueretur, & esset cum Christo, iussis ipsius obtemperasse, & Deum illi, quæ cuperet, concessurũ, & petitionem eius eodem die impletam iri. Quamobrem si iubes, inquit, vt veniam ad te, statim id faciam. Sin minus, nos tamen vicissim apud Christũ Dominum conspiciemus.

Hoc audito, beatissimus Patriarcha gauisus est gaudio magno, & Deũ laudans, monuit seruum eius, ne exiret, neue à quietis, & abstinentiæ suæ discederet instituto; contentum enim se esse promisso eius, quòd se vicissim apud Christum essent conspecturi. Hoc & Imperator cùm intellexisset, sanctissimũ Patriarcham inuisit. Qui cùm omnibus benedixisset, ante horam vespertinam cum prudentia, atq; constantia mirabili ad Dominum migrauit. Huius obitu cùm serui Dei familiares angerentur, quòd tam amicum, atq; beneuolum Patriarcham amisissent; Nolite, inquit vir sanctus, modicæ fidei homines, & pusilli animi, dolere, & conqueri. Qui enim futurus est Patriarcha, non minùs nos diliget. Quod & factum est. Sergius enim, qui creatus est Patriarcha, venit ipse ad Dei seruum, nec permisit, vt priùs à quoquam certior fieret; sed de improuiso eum psalmos canentem offendit, & ad pedes eius prostratus, rogauit illum, vt pro se Dominũ precaretur, quò diuina ipsius gratia dignus effectus Episcopatu, & Apostolica sede, ex voluntate eius populum in pace regeret, & gubernaret; se enim iuniorem esse, & imperitiorẽ, quàm vt sine præcipuo, & singulari Dei præsidio id præstare posset. At Dei seruus, precibus fusis, ipsumq; complexus; Idcirò, inquit, tibi iuueni tantum Deus onus imposuit, vt maiore virtute, viribusq; sustineas calamitates, & molestias impendentes; id quod præcessor tuus sibi prestare non posse videbatur. Confirma igitur te, & robustus sis, atq; viriliter age. Deo enim confisus spero administrationem tuam, & diuturnam, & præclaram fore. Ex eo tempore maiores vires suscipiens Patriarcha, in suo munere administrando se rectè gessit; & maiore, quàm præcessor ipsius, beneuolentia virum sanctum est prosecutus.

Reprehendebat vir sanctus illum morem, quo multi, præsertim in dignitate constituti, post mysteriorum perceptionẽ ad lauachra se conferebant. Quãobrem clericorum cœtus sanctissimæ magnæ Ecclesiæ ad eum se contulit, & sic eum est allocutus: Quoniam audiuimus, pater sanctissime, te eos repre-

hendere, qui post mysteriorum perceptionem se lauant, ad te confugimus, vt intelligamus, vtrum id ex sacræ scripturæ lectione, an aliunde didiceris. Vir diuinus ita respondit: Legimus in scripturis sanctis: Omne mendacium à malo est: Et, Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Scitote igitur, filij, Deũ mihi indicasse, eos valde peccare, qui post sanctam communionem ad balnea se conferunt, vt corpus lauent, & curent. Quis enim vnguento delibutus, & aromatibus, eorum abstergit suauitatẽ? Quis simulac cum Imperatore pransus est, ad balneum currit? Cùm autem adhuc in eadem mansione moraretur, multæ turbæ eò concurrebant, vt benedictionem susciperent. Et cùm ad eum quidam vexatus accessisset, & multa vociferaretur, increpans eum, & pectus eius manu percutiens, spiritui immundo, qui in illo erat, imperauit, vt exiret; & statim egressus est, cum alijs fratribus spectantibus, tum Zoilo Dei studiosissimo, qui eorum præfectus postea factus est. Alia item complura miracula fecit, dum illic esset, per gratiam Christi Dei nostri. Quare pietatis colentissimus Christophorus mansionis præfectus, & fratres omnes cupientes imaginem ipsius apud se manere, pictorem accersiuerunt, qui, perspecta eius facie, effigiem 92 illius exprimeret. Cùm igitur eorum desiderio pictor satisfecisset, antequàm virum sanctum dimitterent, duxerunt eũ, vbi imago illa erat, vt ei benediceret. Qui cum grauitate subridens; Vos, inquit, fures estis. Cur enim hoc fecistis, nisi vt aliquid aliquando furemini? Et cùm ei benedixisset, discessit.

92 Ecce quomodo sãctus vir non ægrè tulit pictã fuisse sui ipsius imaginem.

Domitius verò patricius vir clarissimus domum suam, quæ in Arcadianis est, virum sanctum adduxit, vt familiæ suæ benediceret. Cùmq; Irenem coniugem suam, fœminam pietatis amantissimam, adduxisset; Benedic, inquit, Domine, huic conseruæ meæ, ex qua ego, cùm simul diu vixerimus, nullos adhuc liberos suscepi; quamobrem in mœrore versamur. At vir sanctus, cùm ei, precibus fusis, benedixisset; Dei gratia, inquit, hæc tibi filios mares pariet. Adduxit deniq; familiam vniuersam, & famulos, & ancillas, vt omnibus benediceret; inter quos ancilla quædam post omnes sequens occultum dæmonium habebat, & magno cum dolore tunc è lectulo surrexerat. Hanc vir verè diuinus procul conspicatus, iussit, vt ad se adduceretur. Et cùm illam sinistra manu comprehendisset, cœpit dextera manu pectus eius percutere, & vexantem dæmonem increpare, ne occultus maneret, sed patefieret. Statim igitur dæmon moueri cœpit, & tanquam vim patiens vociferari. At vir sanctus, ea humi proiecta, & pede super collo eius imposito, ad Orientem cõuersus, tacitè precabatur, vt labia tantùm moueret, nec vox eius exaudiretur. Cùmq; ad precationis finem peruenisset, clara voce, vt omnes possent intelligere, laudem, & gloriam subiecit sanctissimæ Trinitatis. Mansit igitur puella diu muta; sed cùm interim reliquis omnibus benedixisset, ab eo excitata, surrexit incolumis, & in omni vita sua sana permansit. Porrò Domitij coniunx Irene, vt vir diuinus prædixerat, tres filios peperit, cùm statim post eius benedictionem primum filium concepisset.

Dimissus ergo Christi seruus ab Imperatore, & à Patriarcha, ad monasterium suum reuersus est. In oppido Scudris iuxta sancti Archangeli monasterium, statis temporibus nubes ingruebat, & in subiectos agros ingentem grandinis copiam demittebat; & magnis imbribus torrens sic excrescebat, vt in oppidum ingrediens domos euerteret, & villas, atq; agros asportaret. Certè cùm sæua illa nubes quodam tempore, solito etiam vehementiùs irruisset, violento, atq; intolerabili impetu torrens intumuit, & oppidi domos, & animalia rationis expertia, & viros, & fœminas cum filijs, & paruos infantes in cunnis vagientes, & volucres miserabili spectaculo in Sagarim vicinum fluuium ex-

portauit, cùm afferri nullum posset auxilium. Incolæ igitur, qui superfuerant, cum lachrymis ad virum sanctum supplices accedentes, eum ad oppidū adduxerunt. Qui in ea parte, in quam solebat nubes desæuire, constitutus, fusis ad Deum precibus, Crucem 93 ibi collocauit, & Dei gratia factum est, vt nunquam amplius sæua illa nubes ingrueret. Et si quando aut nimium, aut aquarum copia torrens auctus est, nunquam tamen aluei sui fines trāsilijt, nec damnum vllum incolis importauit.

93 Vide magnū effectū Crucis collocatæ.

Bunossus homo immitis cùm in Orientis partes Procōsul iret, & ad monasterium appropinquaret, audita viri diuini fama, nuncium ad eum misit, rogans, vt ad oratorium sancti Gemelli veniret, quoniam illic ipse Deū adoraturus cuperet viri sancti benedictionem accipere, cū nō posset ad monasterium accedere, quia festinaret proficisci. Ad eum igitur venit sanctus Theodorus; cùmq; pro illo precaretur, & ipse staret, nec ceruicem inclinaret, vir sanctus, apprehensis frontis eius capillis, eum deorsum traxit. Ita virtus fiduciam sumere consueuit, nec humanam metuere potestatem. Iustus enim, vt scriptum est, confidit vt leo. Nos autem, qui cum viro sancto eramus, valde timebamus, ne Proconsul, vt erat vir ferus, & crudelis, contumelia se affectum existimās indignaretur. At ipse humaniter & precationem, & reprehensionē suscipiens, virum sanctum veneratus est; & manum eius deosculans, pectori suo admouit, obsecrans eum, vt pro se Deum oraret, vt à dolore quodam, quo pectus eius laborabat, liberaretur. Quare vir sanctus digitis pectus eius leuiter percutiens; Tibi prius, inquit, orandum est, vt interior homo corrigatur, & conualescat. Illo enim curato, facilè exterior liberabitur. Hoc ego quoq; pro me Deum rogo. Quàobrem da te lenitati, & Deum time, vt preces meæ exaudiantur. Nā si ego quidem pro te orem, tu autem pietatem, & virtutem negligas, inanis erit mea precatio. Esto igitur clemens, & misericors in homines Christianos. In magistratu tuo ne te crudelem, inhumanumq; præbeas; sed peccata tua considerās, in aliorum peccatis vindicandis sis mitis, ac benignus. Caue, ne vnquam effundas sanguinem innocentem. Si enim is, qui fatuum aliquem tantùm appellarit, reus futurus est, quantò magis punietur à Deo, qui iniustè sanguinem effuderit? Hæc pietatis semina in eius animo, tanquam in terra fœcunda cùm vir sanctus coniecisset, ille nummos aliquot protulit, quos viro sancto religionis gratia daret, recusantemq; coëgit accipere, rogans, vt singulos singulis fratribus distribueret. Cui vir sanctus, antequàm eos conspexisset; Quomodo, inquit, cùm sint quinquaginta nummi, ita distribui poterunt, vt singuli fratres, qui sunt centum, singulos accipiant? Tunc ille viri diuini verba admiratus respondit: Quinquaginta profectò sunt, vt ore tuo sancto, venerandè pater, pronunciasti. Mox igitur totidem alios mittam, vt omnibus satis esse queant. Quod & fecit. Sic iustorum virtus solet homines etiam superbos, mites, ac mansuetos reddere.

Apocomensis vici incolæ bouem occiderunt, vt carnibus eius vescerentur. Contigit autem, vt omnes, qui ex illis carnibus comederant, in morbum inciderent, & iacerent, vt mortui. Et quicquid carnis reliquū fuit, nigrum euasit, ac fœtidum. Qui igitur ex carne illa non gustarant, id, quod acciderat, viro sancto nunciauerunt. Qui respondit, exitium illud à phalange dæmonū, qui per lebetes pertransierant, prouenisse. Et cùm eo tempore non posset cum illis discedere, benedixit 94 aquæ, quam per vnum è fratribus misit, vt periclitantes conspergeret, eisq; bibendam propinaret. Quo facto, cuncti tanquam è somno surrexerunt, præter vnū, qui mortuus est. Ioannes enim procurator, cuius fratri ea calamitas contigerat, non expectans viri sancti benedictionem, accurrit ad mulierem veneficam, & dum eius incantationes adhiberet

94 Vide & hic aquæ benedictæ effectum.

ret fratri, ille animam egit.

Eodem in loco nubes immanis vindemiæ tempore tantam grandinis copiã demittebat, vt vites etiam multos in annos deuastaret. Sed cùm vir sanctus eò profectus, precibus fusis, Crucem defixisset, nubes eodem quidem tempore deinceps venit, verùm ita pertransijt, vt damni nihil intulerit. Quamobrem incolæ Deo gratias agentes pro tali beneficio, vinetum monasterio eius addixerunt.

Et alijs in locis talia miracula à sancto Theodoro facta sunt aduersus Cantharos, & locustas, & vermes, & mures, à quibus segetes,& vites deuorabantur. Vbi enim tale quippiam accidebat, statim ad virum sanctum confugientes, vel ipsum secum adducebant, vel aquam, cui manu sua benedixerat, ferebant, vt deuastata loca conspergerent; & statim quod optabant, assequebantur. Si nubes immanes, & sæuæ grandine regionem aliquam obruebant, aut si torrentes, & flumina cum populorum detrimento nimium excrescebant, incolæ statim ad eum concurrebant; & vel ipsum adducebant, vel Crucem de manu eius sumebãt,defigebantq; in locis, quæ obruebãtur; & nullam ampliùs eiusmodi calamitatẽ accipiebãt. Si lues inuadebat boues,aut oues, aut alia genera quadrupedum, aut volucrum, aut etiam homines, similiter assumebant ipsum, aut eius benedictionem, & aquam, cui benedixisset; vel etiam 95 capistra, aut tintinnabula ad eum afferebant,vt illis benediceret; & optatam cũ rationem consequebantur. Qui erant ab immundis spiritibus vexati, precibus eius curabantur. Si inter coniuges odium inciderat, viri sancti precatione pellebatur. Qui filios suscipere non poterant, ad beatum Theodorum confugiebant; vel zonas, quibus ipse benedixerat, assumebant; & precibus ipsius fiebant voti compotes. Quoties aliquis ægrotabat, propinqui, aut amici oleũ, aut aquã, cui vir sanctus benedixerat, adhibebant ægroto, & curabatur. Qui medicorum remedijs, aut opera, & manu, aut balneis indigebant, eis vir sanctus consulebat, quibus & medicis, & medicamentis, & balneis vti deberent; & omnes consilio eius obtemperantes curabantur. Qui verò, neglecto illius consilio, ad alios medicos, vel ad alia remedia, aut balnea confugiebant, grauiùs, & periculosiùs ægrotabant. Qui occultas animi ægritudines viro sancto patefaciebant, opportuna 96 remedia accipiebant. Tempus enim pœnitentiæ præfiniebat, quo se vel ieiunijs,vel precationibus, vel eleemosynis expurgarent. Eos verò, qui animi vlcera obtegebant,& occultabant, admonebat, vt resipiscerent, & pœnitentiam agerent. Eos autem, qui se se periurijs, & blasphemijs obstringebant, graui obtutu reprehendebat, vt ab impia consuetudine desisterent, multisq; lachrymis, & obsecrationibus, & bonis operibus diuinam iram placarent. Si enim eos, aiebat, qui tantummodò loquuntur mendacium, vt Dauid ait, Dominus perdet,quantò magis illos æternis afficiet supplicijs, qui mendacia periurijs cumulant? Reddes, diuina inquit scriptura, Domino iuramenta tua. Et de omni verbo otioso, quod homines dixerint,reddent rationem in die giudicij. Quòd si verbi otiosi rationem sumus reddituri, quomodo Dei minas aduersus periuros, & maledicos, & flagitiosos sustinebimus? Eos porrò, qui inter se gerebant inimicitias, reconciliabat. Qui in iudicio contendebant, eos, vt lites, & controuersias transigerent, & componerent, hortabatur, monens illos, ne se mutuis afficerent iniurijs, sed vt res istas caducas negligerent, & aspernarentur, & diuitijs omnibus anteponerent preceptum illud: Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. Dilectio enim,vt inquit Apostolus, malum non operatur. Et, Qui diligit fratrem, diligit Deũ. Omnes autem cohortabatur, vt hospitales essent,& benigni erga pauperes,atque ita peccata sua redimerent, & sibi cibum in futurum reponerent.

95 Nota hĩc capistrorum,& tintĩnabulorum benedictionem.

96 Ecce opa satisfactiõis p expurgatione peccatorum.

Erat autem beatus Theodorus valde clemens, & misericors erga omnes. Et si quis apud Principem, aut Magistratum opprimebatur, accedebat ad eos vir beatus, & diuinæ parebat scripturæ ita præcipienti: Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate: In quo virtutem etiam Iob imitabatur, qui pauperem de manu potentis liberabat. Alijs autem in rebus cum sanctis versabatur, ad gloriam summæ, eiusdemq; essentiæ, & almæ Trinitatis, quæ veros, & sanctos sui adoratores ad finem vsq; tuetur, & exornat. Hæc ego Eleusius, qui & Georgius à sancto Theodoro vocatus sum, omnia, Deo adiuuante, conscripsi. Neq; verò miraculorum ipsius expers fui; sed ea maximè omnium expertus sum. Cùm enim parentes mei ex oppido Adigermaro oriundi, diu simul vixissent, nec vllos possent liberos suscipere, ad sanctum virum accesserunt; cùmq; zonas, quibus ille benedixerat, accepissent, ego conceptus sum, & in lucē æditus, & infans ipsi oblatus, qui & in sancto eius monasterio enutritus, à religiosissimo Præfecto literas didici. Cùmq; parentes mei filium alterum sancti Theodori precibus suscepissent, eius illi nomen imposuerunt. Duodecim igitur annorum spatio, quo apud illum vixi, multorum miraculorum, quæ ab ipso facta sunt, inspector fui. Quæ autem ab illo superioribus temporibus gesta fuerant, ea vel à ministris eius, qui spectatores extiterant, vel ab eisdem, qui curati sunt, accepi. Quanquam & multa me oblitum esse confiteor, & nonnulla propter imbecillitatem meam prætermisisse. Pauca igitur è plurimis attigi; nam si omnia persequi voluissem, me tempus, & vires planè defecissent.

Decessit è vita sanctissimus, & beatissimus, ac fidelissimus Christi seruus Theodorus tertio Imperij anno, pietatis, & Christi studiosissimi Imperatoris Heraclij, quo quidē anno filius eius Deo charissimus Constātinus creatus fuit Cæsar, indictione prima, die XXII mensis Aprilis. Cuius 97 precibus vtinam ad Christi Dei nostri tribunal misericordiam consequamur, & simul cum ipso cœlesti regno potiamur & cū illis omnibus, qui memoriam eius colunt, & celebrant, ad gloriam Saluatoris nostri IESV Christi; Cum quo Patri gloria cum sancto Spiritu, nunc, & semper & in secula seculorum. Amen.

97 Nota sāctorum precib' cōsequi nos misericordiā ad Christi tribunal.

SANCTI GEORGII MAGNI MARTYRIS VITA, ET MARTYRIVM.

XXIII. APRILIS.

DIOCLETIANVS Romanorum Imperator sceptris indignè potitus, & primus eorum, qui sibi cum illo Romanum imperium vindicabant (tres enim erant) cùm Augustus declaratus esset Cæsar, omniaq; sibi tum aduersus hostes, tum in subiectis populis è sententia cedere videret, magno studio, vt sibi quidem videbatur, in eam curam incubuit, vt diuinam beneuolentiam compararet. Summam enim pietatem, & bonorum omnium finem in eorum, qui dij vocantur, cultu sitam existimabat. Quamobrem assidua illis, & magnifica sacrificia faciebat, in primisq; Apollinem, vt rerum futurarum peritissimum, venerabatur; quem cùm aliquando de quodam negocio consuluisset, ita respondisse ferunt, vt eos, qui in terris iusti essent, sibi impedimento esse diceret, quominùs vera prænunciaret, eorumq; causa fieri, vt tripodum vaticinia falsa deprehenderentur. Opinionis igitur errore deceptus miser, scire vehementer cupiebat, quinam illi essent in terris homines iusti. Respondens autem è sacerdotibus quidã; Christiani sunt, inquit, Imperator. Hanc ille responsionem, tanquam escam, deuorans, bellum aduersus Christianos, quod iam quieuerat, rursum excitauit. Statim igitur arma, quæ aduersus scelera comparata sunt, in homines innocentes exerceri, & in omnes prouincias edicta cædis plena mitti cœperunt. Videre licebat carceres adulteris, & sicarijs, & flagitiosis hominibus vacuos, eorum autẽ, qui Christum Deum, ac Saluatorem faterentur, plenos. Videre licebat, veteribus, & vsitatis cruciatuum generibus, tanquam leuioribus, repudiatis, grauiora quædam excogitari, quibus plurimi quotidie Christiani passim afficiebantur.

Cùm autem ad Tyrannum variæ criminum delationes aduersus Christianos vndique, in primisq; ab Orientis procuratoribus venissent, quòd edicta ipsius contemnerent, qui se Christianos profitebantur, quorum numerus

iniri non posset, adeò vt vel in propria religione viuere ipsis permittendũ esset, aut bello repente nihil eiusmodi opinantes opprimi deberent; ille, his omnibus auditis, animi celans indignationem, & præseferens humanitatem, Præfectos omnes ad se, præcipuè q; totius Orientis procuratores accersiuit. Qui cùm celeriter omnes conuenissent, Senatu conuocato, suam aduersus Christianos sæuitiam patefaciens Imperator iussit, vt quid quisq; de re proposita sentiret, in medium proferret. Cùm q; alij aliud dicerent, ad extremum ipse virus euomuit, deorum religione nihil esse præstantius asserens. Cuius sententiam cùm alij comprobassent, rursum, Si meam, inquit, beneuolentiam magnificitis, quandò ita sentitis, studiosè operam date, vt Christianorum religionẽ ex vniuerso imperio meo prorsus expellatis. Quod vt faciliùs perficere valeatis, ego vobis totis viribus fauebo. Omnibus autem approbantibus, & collaudantibus, Senatui, & ipsi Diocletiano visum est ea de re iterum, & tertiò ad populum referre.

Tunc in exercitu aderat etiam admirabilis Christi miles Georgius, qui in Cappadocia non obscuro loco è Christianis parentibus natus, in vera pietate iam inde ab ipsa pueritia fuerat institutus. Hic cùm ad pubertatem nondum peruenisset, patrem in certamine pietatis egregiè pugnantem amisit, è Cappadociaq; cum matre in Palæstinam, vnde erat oriunda, se contulit; vbi multæ illi possessiones, & ingens erat hæreditas. Ob generis igitur nobilitatem, cùm iam & corporis pulchritudine, & ætate ad militiam aptus esset, Tribunus militum est constitutus. Quo quidem in munere cùm virtutem suam in bellicis certaminibus, seq; strenuum militem ostendisset, Comes à Diocletiano constitutus est, antequàm Christianus esse cognosceretur. Cùm autem eo tempore mater è vita discessisset, maioris cupidus dignitatis, maximam è diuitijs sibi relictis partem accepit, & ad Imperatorem profectus est. Tunc autem vigesimum ætatis annum impleuerat.

Cùm igitur primo statim die tantam in Christianos crudelitatem animaduertisset, & Senatusconsultum mutari non posse, opportunum ad salutem tempus illud existimans, omnem pecuniam, & vestem celeriter pauperibus distribuit, seruosq; præsentes libertate donauit, deq; absentibus, quod sibi videbatur, constituit; & tertio Concilij die, quo Senatus decretum confirmandum erat, & Principum crudelitatis auctorum sententiæ comprobandæ, aut refellendæ, ipse, omni formidine humana reiecta, & solum Dei timorem in animo conseruans, hilari facie, & mente tranquilla in medio consessu stetit, & ad hunc locutus est modum: Quousq; tandem, ò Imperator, & Patres conscripti, & Quirites, bonis vti legibus soliti, furorem vestrum in Christianos augebitis, legesq; aduersum illos iniquas sancietis, & homines innocentes persequemini? Et ad eam, quæ vos, an vera sit, ignoratis, religionem eos, qui veram didicere, compelletis? Hæc idola non sunt dei, non sunt, inquam, dei. Nolite per errorem falli. Christus solus est Deus, idemq; solus Dominus in gloria Dei patris. Per ipsum facta sunt omnia, & Spiritu sancto eius omnia reguntur, & conseruantur. Aut igitur vos item veram agnoscite religionem, aut certè illos, qui eam colunt, nolite dementia vestra perturbare.

His verbis attoniti, & inopinata dicendi libertate perculsi, oculos ad Imperatorem omnes conuerterunt, audituri, quidnam is ad ea responderet. Imperator autem, tanquam perstrictis tonitru auribus, iracundiæ impetum in se cohibens Magnentio cuidam ex considentibus amico, qui tunc erat Consul, annuit, vt Georgio responderet. Hic propiùs ad se illum accersens; Ecquis, inquit, tibi istius audaciæ, & magnæ in loquendo libertatis est auctor? Veritas, inquit Georgius. Tum Consul subiecit: Quis est veritas? Respondit

Georgius: Christus ipse, quem vos persequimini. Ergo tu quoque, Magnentius inquit, Christianus es? Ego seruus sum Christi mei, respondit Georgius; eoq; confisus in medio vestrum vltro cōstiti, vt veritati testimonium exhiberē. His verbis populo concitato, & aliis alia dicentibus, incertus quidam rumor exaudiebatur, vt fieri in tanta multitudine consueuit.

Tunc Diocletianus, silentio per praecones indicto, cùm, defixis in sanctum iuuenem oculis, eum agnouisset, sic illum est allocutus: Et olim nobilitatem tuam admiratus, aetatemq; honore dignam existimans, te ad maiores prouexi dignitatis gradus; & nunc, quamuis ad perniciem abutaris dicendi facultate, tamen quia prudentiam, & fortitudinem tuam diligo, tibi quae vtilia sunt, consulo tanquam pater, hortorq; te, ne rei militaris commoda deseras, ne sic aetatis florem contumacia tua cruciatibus subijcias; sed dijs sacrificans maiora à nobis expectes praemia, qui pietatem tuam remunerabimus. Sanctus autem Georgius respondit: Vtinam potiùs tu ipse, Imperator, per me verum Deum agnoscens ei sacrificium laudis ab ipso quaesitum offerres; praestātiori enim, atq; immortali te regno donaret. Siquidem illud, quo nunc potiris, cùm sit caducum, & fragile, celeriter corruit, atq; dilabitur. Quamobrem & ea, quae ex ipso proueniunt, cùm sint fugacia, nihil possidentibus prosunt. Itaq; nullā ex ijs meam in Deum meum pietatem labefactare, nullum cruciatuum genus timorē illius ab animo meo excutere poterit, aut mortis formidinem inijcere. Haec vir sanctus dum loquitur, Imperator totus ira percitus, nec permittens, vt faceret dicendi finem, satellitibus iubet, vt eum è Concilio hastis expulsum in carcerem conijciant. Celeriter illi faciunt imperata; sed cuspis, quae viri sancti corpus attingit, instar plumbi, reflectitur; & os Martyris laudibus personat.

In carcerem igitur deductum humi prosternunt, compedibusq; vinciunt, & eius pectori lapidem ingentem imponunt. Vtrunq; enim Tyrannus imperauerat. At vir sanctus id patienter ferens Deo non destitit vsq; ad sequentem diem gratias agere. Cùm enim dies illuxisset, rursus eum Imperator ad quaestionē vocauit. Et cùm videret illum lapidis pondere defatigatum; Resipuisti'ne, inquit, Georgi, an adhuc in errore permanes obstinatus? Cui grauiter vir sanctus respondens; Adeo'ne, inquit, Imperator, ignauum me putas euasisse, vt tam paruo, ac puerili supplicio à religione deficerem, & pietatem abnegarem? Prius ipse torquendo defatigaberis, quàm ego tortus. Ego te, inquit Diocletianus, supplicijs ita puerilibus afficiam, vt tibi celeriter vitam eripiant. Iubet igitur rotam praegrandem afferri mucronibus vndiq; praefixam, ad eamq; virum sanctum alligari, paratisq; in ea gladijs dilacerari. Pendebat in aëre rota, inferiùs autem aderant tabulae, in quibus densissima erant spicula praefixa gladijs similia, partim rectas habentia cuspides, partim aduncas ad hamorum similitudinem, partim cultros coriarios imitantia. Cùm igitur rota per gyrum tabulis appropinquaret, & vir sanctus, tanquam agnus, tenuioribus loris, & funiculis ita constrictis, vt intra carnem absconditi inhaererent, vinctus esset, & per gladios, voluēte rota, transire cogeretur, acutissima eorum acie corpus exceptū dilaniabatur, & scorpij more contortum dissecabatur. Hoc ille supplicij genus strenuè perferens, primùm quidem magna voce precabatur, deinde secum ipse tacitè gratias agebat Deo, nec suspirium quidem vllum aedebat. Mox bonum temporis spatium, tanquam dormiens, conquieuit.

Diocletianus igitur eum mortuum existimans, laetus, deosq; collaudans; Vbi est, inquit, Deus tuus, Georgi? Cur te ex hoc ludicro supplicio non liberauit? Cùm autem iussisset eum ab illa machina solui, ipse ad sacrificandum Apollini profectus est. Caeterùm, magna nube statim exorta, & maximo tonitru

erumpente, vox desuper emissa est, quam multi exaudierant ita disserentem: Ne timeas, Georgi, tecum enim sum. Paulò post autem, qualis nunquam antea, serenitas successit, & vir candidis vestimentis indutus rotæ assistere visus est, qui facie coruscanti manum Martyri porrexit, & ipsum complexus saluere iussit. Nemo autem audebat ad eum propiùs accedere, neq; ex illis, qui illum asseruabant, neq; ex ijs, qui missi fuerant, vt ipsum à rota soluerent, quoad is, qui apparuerat, ex eorum conspectu discessit. Tunc à machina solutus visus est sanctus martyr; & præter omnium expectationem incolumis constitit; & Deo gratias agebat, ac Dominum inuocabat. His perspectis, milites ingenti stupore correpti, rem Imperatori adhuc in templo sacrificanti denunciant, sancto etiam Georgio coram constituto. Quem cùm aspiceret Imperator, primùm quidem ita se rem habere non credebat, & illum Georgium negabat esse, sed alium ei similem esse dicebat, aut eius certè simulachrum, quod spectatores deluderet. Verùm cùm accuratiùs illum contemplantes, qui assistebant, agnouissent, & Martyr ipse se Georgium esse diceret, obmutuerunt.

Porrò ex astantibus duo dignitate prætoria decorati, quorum vnus Anatolius, alter Protoleo vocabatur, cùm antea in Christi religione essent initiati, re admirabili conspecta, plenam fidem conceperunt, & sublata voce dixerũt: Vnus est Deus magnus, & verus Christianorum. Hos igitur confestim Imperator extra ciuitatem duci, atq; indicta causa, iubet obtruncari. Multi præterea ad Dominum se conuerterunt in se ipsis fidem continentes, qui liberè loqui non audebant. Sed & Imperatrix Alexandra veritatem agnouit; quam liberè loqui incipientem Consul abduxit, ac priusquam de illa rem intelligeret Imperator, domum dimisit. Hæc Diocletianus indignè ferens, cùm ratione nihil agere posset, iussit sanctum virum statim in foueam calcis recens extinctæ coniectum, in tertium vsq; diem asseruari, ne qua ex parte excogitari auxilium posset. Cùm igitur vinctus ad eiusmodi supplicium duceretur, magna voce sic precabatur: O conseruator afflictorum, ò præsidium eorum, qui persecutione vexantur, ò spes illorum, de quibus nulla est spes, Domine Deus meus, exaudi preces serui tui, & aspice me, ac miserere mei. Libera me, Domine, ab insidijs aduersarij, & concede mihi, vt ad finem vsq; nominis tui confessionem immutabilem conseruem. Ne derelinquas me, Domine, propter iniquitates meas, nequando dicant inimici mei: Vbi est Deus eius? Ostende potentiam tuam, & nomen tuum illustra in me inutili seruo tuo. Mitte Angelum tuum indignitatis meæ custodem, qui Babylone fornacem in rorem cõmutasti, & sanctos pueros tuos incolumes conseruasti, quoniam benedictus es in secula. Amen. His dictis, ac toto corpore 1 signo Crucis munito, in foueam gaudens, & laudans Deum ingressus est. Ministri autem, qui missi fuerant, omnibus, vt iussi fuerant, peractis, reuersi sunt.

1 Nota, Toto corpore signo Crucis munito, in foueam ingressus est.

Diocletianus verò, cùm tertius adesset dies, accersitis quibusdam è militibus dixit: Infelicis illius Georgij, quem propter eius peruersitatem, & contumaciam in calcis foueam coniecistis, ne monumentum quidem volo sectatoribus eius extare, ne dum ab illis colitur, gloriosæ insaniæ capti cupiditate in perniciem ruant. Ite igitur, & siquid ex miseris illius ossibus adhuc reliquum est, defodite, atq; in perpetuum abolete. Hæc milites mandata cùm accepissent, quanta potuerunt celeritate profecti sunt, sequente magna populi multitudine, vt quid factum, futurum'ue esset, perspicerent. Expurgata igitur calce, intus repertus est vir sanctus, habitu splendido, tanquam è conuiuio veniret; qui, manibus 2 in cœlum sublatis, Deo pro vniuersis eius beneficijs gratias agebat. Egresso autem illo, & nullum læsi corporis signum circumferente, tam

2 Sãctus, manibus in cœlũ sublatis, Deo gratias agebat.

admirabili spectaculo, qui conuenerant, obstupentes, vno omnes ore Georgij Deum collaudabant, & magnum esse dicebant.

Interea dum morantur milites, ac tempus terunt, rumor ad Diocletianum peruenit. Qui cùm sanctum Georgium statim accersisset, stupore attonitus sic eum est allocutus: Aperi nobis, Georgi, vnde tibi hæc adsint, & quibus abs te artibus fiant. Arbitror enim te ad magicæ artis ostentationem Crucifixi religionem simulare, vt præstigijs ad stuporem omnes adducas, & te magnũ ostendas, ac Deum tuum, quisquis est, deorum omnium præstantissimum prædices. Ego quidem, respondit vir sanctus, existimabam, Imperator, ne os quidem posse vos aperire in eius Dei contemptum, qui nulla in re non potens est, & ex huiusmodi angustijs in se sperantes liberat. Verùm, quandò in tam profundum erroris barathrum, vrgente diabolo, decidistis, vt ne illa quidem, quæ vestris oculis cernitis, miracula credatis, sed præstigias appelletis, vestram equidem cæcitatem deploro, ac miseros censeo, sed indignos tamen, quibus respondeam, puto. Nunc, inquit Diocletianus, cognoscam, an, nobis cernentibus, res facias admirabiles, & nos, quibus respondeas, indignos putes. Sed vel inuitus habebis, qui medeantur tibi. Tunc iubet ferreas crepidas afferri oblongis clauis præfixas, easq́; in conspectu suo accensas, ardentesq́; in vtrunq; ipsius pedem induci, ipsumq́; vapulantem vsq; ad carcerem trahi. Irridensq́; dicebat: Quàm velox cursor es, Georgi. At martyr, cùm tam acerbè traheretur, & vapularet, secum ipse exultabat; Curre, inquiens, Georgi, vt apprehendas; *Sic enim curris, vt non in cassum*. Deinde Deum suum inuocans dicebat: Respice de cœlo, Domine, & vide laborem meum, & audi gemitum compediti serui tui; quoniam multiplicati sunt inimici mei, & odio iniquo oderunt me propter nomen tuum. Sed tu ipse sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea; & da mihi patientiam vsq; in finem; nequãdo dicat inimicus meus: Præualui aduersus eum. Ita precabatur, dum ad custodiam, in quam coniectus fuit, perueniret, afflictus ex vulneribus, quæ ardentes crepidarum claui pedibus eius inusserant.

Cùm autem totum illum diem, ac noctem, quæ subsecuta est, Deo gratias agens transegisset, postridie accitus in conspectu astitit Imperatoris, qui iuxta publicum theatrum sedebat. Aderat & Senatus vniuersus. Sanctum igitur virum Imperator conspicatus ita rectè incedentem, vt si ex crepidarum molestia nihil acciperet impedimenti, magna cum admiratione; Quid est, inquit, Georgi? Num ad voluptatem, & gratiam crepidæ tibi repertæ sunt? Sanè quidẽ, sanctus Georgius respondit, Imperator. Tunc ait Diocletianus: Audacia deposita, modestè obtempera, & magicis artibus reiectis accede, ac dijs propitijs sacrifica; alioquin multis alijs cruciatibus affectus, hac dulci vita tandem spoliaberis. Quàm stulti, Georgius inquit, videmini, qui Dei mei potentiæ præstigiarum nomen imponatis, eiusq́; præsidia magicis artibus comparantes, ludicras dæmonum, qui à vobis coluntur, fallacias tam impudenter iactetis. Acri voce, truciq́; aspectu Diocletianus Martyris orationem interpellans, astantibus imperauit, vt os eius cæderent; Sic, inquiens, doceatur, Imperatores non esse contumelijs afficiendos. Deinde iussit, vt neruis bubulis tandiu vapularet, dum caro eius cum sanguine terræ agglutinaretur.

Cùm autem sanctus martyr ita crudeliter excruciatus, nihil hilaritatẽ vultus immutaret, Imperator admiratione plenus, ad eos, qui proximè aderãt, conuersus; Equidem, inquit, hæc non virtutis, & fortitudinis, sed magicæ artis opera dixerim. Magnentius autem ad eum ait: Est hoc in loco, Imperator, vir quidam magicæ artis peritissimus, quem si iusseris accersiri, Georgius celeriter victus oraculis tuis succumbet. Statim igitur accersitus Magus

astitit coram Imperatore. Ad quem Diocletianus; Quæ, inquit, homo iste nefarius egerit, præsentes omnes sciunt; quomodo autem illa perfecerit, vestrum tantùm est intelligere. Aut igitur præstigijs eius dissolutis, modestum, & temperantem hunc nobis redde, aut magicis medicamentis ex hac vita celeriter extrude, vt proprijs tandem artibus captus debitam mortem experiatur. Id enim cùm iam statuissem, viuere tamen adhuc permisi. Athanasio autem (hoc enim illi Mago nomen erat) omnia se facturum postridie promittente, Imperator virum sanctum in vinculis custodiri iubens, è tribunali descendit. Ipse verò custodiam rursus ingressus Deum vocabat dicens: Admirabilis sit misericordia tua, Domine, super me; & dirige gressus meos ad confessionem tui, & perfice cursum meum in fide tua, vt in omnibus laudetur nomen tuum.

Postero aũt die, cùm Diocletianus in altiori loco pro tribunali sederet, Magum adesse iussit. Ille autem præstò fuit, prudentiũ grauitatem præseferens; & medicamenta quædam in testaceis vasculis ostendens ait Imperatori: Addacatur, nunc reus, & sentiet omnino, dijs coadiuuantibus, medicamentorum meorum vires. Si enim insanum hunc vis in omnibus, quæ iubes, dicto audientem efficere, hanc sorbeat potionem. Et pariter proferebat vnum medicamenti vasculum. Sin apud tribunal tuum amaram huius mortem mauis videre, hoc bibat. Et paruulum alterum vasculum demonstrabat. E vestigio sanctum Georgium adduci iubet Imperator, & astanti ipsi; Iam iam, inquit, Georgi, magicæ artes tuæ aut omnino dissoluentur, aut desinent. Ac iubet ipsum per vim sumere paratum pharmacum. Ille autem hauriens ipsum intrepidè, nihil ex illo sensit incommodi. Deniq; nulla rei nouitate secuta, gaudens astabat, dæmonum fraude illusa. At Imperator insaniens alteram quoq; ipsi potionem iussit dari, atq; vt biberet cogi. Diuus autem Georgius, vi non expectata, ac sorbens, eodem modo incolumis auxilio diuino, & gratia seruatus est. Obstupuit autem Imperator pariter cum toto Senatu, sed & ipse Athanasius spectaculo rei. Ac non multò post dixit Martyri: Quousque tandem nos factis tuis ad stuporem adducis? Quãdiu nobis verum non fateris, qua scilicet ratione, quæ tibi admota sunt tormenta, contempseris, & medicamentorum, quæ in manibus sunt, iniuriam effugeris? Agedum pande nobis omnia clementer audituris.

Tunc beatus Georgius respondebat: Ne nos existimes, Imperator, humanis seruari consilijs, sed Christi inuocatione, eiusq; potentia; quibus etiam freti cruciatus nihili facimus, iuxta arcanam illius disciplinam. Diocletianus aũt; Quænam est, inquit, isthæc Christi tui disciplina? Diuus Georgius respondit: Cùm prouideret vestram in peius diligentiam, suos ille domesticos confirmans instituit, ne timerent eos, qui corpus occidunt, & superuacanea ne curarent; Capillus, inquiens, de capite vestro non peribit; & quamuis mortiferum quid biberitis, vobis non nocebit. Deniq; ausculta, ò Imperator; hæc est vera eius promissio, vt breuiter declarem: Qui in me crediderit, opera, quæ ego facio, & ipse faciet. Diocletianus, Quæ autem, inquit, vos opera eius esse dicitis? Diuus Georgius respondit: Cæcos illuminare, leprosos curare, claudos dirigere, surdis aures aperire, spiritus eijcere, mortuos in vitam reuocare, atq; his similia. Conuersus ad Athanasium Imperator; Tu, inquit, quid dicis ad hæc? Respondit Athanasius: Miror quomodo hic mansuetudinem tuam mendacijs refellens, fallere imperiũ tuum sibi posse persuadeat. Nã multa quidem beneficia à dijs immortalibus quotidie consequimur, & ipsorum bonitate multis bonis fruimur; sed mortuos ad vitam reuocari hoc tempore nequaquam vidimus. Hic autem mortali fidens homini, & Crucifixum Deum colens, maximorum signorum impudenter ipsi testis est. Verùm quando corã

nobis

nobis omnibus fatetur Deum suum talia fecisse, & veram eius promissionem experiri sperantes in eum, ac quæcunq; ipse fecerit, eos quoq; facturos, mortuum ipse excitet coram te, & tunc nos quoq; illius Deum, vt magnipotentẽ, venerabimur. Ecce igitur mortuus in arca ex aduerso posita, quem ego noueram, paulò ante sepultus est. Hunc si Georgius excitauerit, reuera vicerit.

Admiratus Imperator consilium Athanasij, id vt tẽtaret, annuit. Erat autem arca magna è regione stans tribunalis, dimidij stadij interuallo. Tunc Magnentius assistens Imperatori petijt, diuum Georgium, quibus astringebatur, vinculis relaxari; & ad ipsum; Nunc, inquit, Dei tui mirabilia opera ostende, & nos cunctos ipsi per fidem conciliabis. Sanctus Georgius; Consul mi, inquit, Deus, qui de nihilo creauit omnia, nec impotens est per me mortuũ hunc suscitare. Sed, mentibus vestris per errorem deceptis, quid verum sit, intelligere non potestis. Tamen propter astantem populum, id quod tentandi gratia petitis, per me Deus efficiet, ne hoc quoq; magicæ ascribatis. Ecce enim in vestro omnium conspectu Magus, quem adduxistis, nec incantatione vlla, nec cuiusquàm deorum vestrorum potentia hoc fieri posse, verè confessus est. Sub oculis igitur, & auribus omnium vestrum circunstantium Deum meum inuoco. Cùm hoc dixisset, genibus 3 flexis, propemodùm lachrymans Deum rogabat; & surgens voce magna sic precatus est: O æterne Deus, Deus misericordiæ, Deus omnium virium, atq; omnia potens, qui spes in te sperantium non confundis, Domine Iesu Christe, exaudi me miserum seruum tuum in hora hac, qui sanctos Apostolos tuos in omni loco, & in omnibus prodigijs, & signis exaudisti; & da huic generationi malæ signum ab ea petitum, & suscita mortuum in vrna positum, in confusionem non colentium te, in gloriam tuam, & Patris, & Spiritus sancti. Obsecro, Domine, demonstra ijs, qui circunsistunt, te esse Deum solum altissimum super vniuersam terram, & ipsi cognoscant te esse Dominum potentem, & tuo nutui omnia subiacere, & tuam esse gloriam in æternum, Amen. Et Amen ab eo prolato, sonus factus est magnus, adeò vt contremuerint omnes. Tum retecto loculo, atq; humi tegumento lapso, resurgens mortuus, cunctis videntibus, de vrna exiliuit.

3 Orat sanctus flexis genibus.

Statim igitur exorto populi tumultu, plerisq; plaudentibus, & Christum summum Deum extollentibus, Imperator, eiusq; familiares obstupescentes, & incredulitatis pleni, primùm quidem adhuc magum esse Georgium dicebant, & spiritum introducere in fraudem spectatorum. Vt verò eum, qui à mortuis resurrexerat, hominem verè agnouerunt Christum inuocantem, accurrentemq; ad diuum Georgiũ, atq; ipsi adhærentem, prorsus consilij inopes obmutuere. Athanasius autem accurrens ad sancti pedes procidit, Christum clara voce vocans Deũ omnipotentem, ac Martyrem obsecrans pro se ipso, vt sibi eorum, quæ per ignorantiam commisisset, veniam deprecaretur. At longo post temporis spatio Diocletianus silentium populo indicens, ita locutus est: Videtis fraudem, viri? Cernitis horum malitiam præstigiatorum? Pessimus hic Athanasius sui simillimo, & eiusdem artis studioso occultè fauens, pharmaca, quæ nobis pollicitus est, non propinauit, sed potius incantamentorum vim habentia, ad nos ipsos decipiẽdos. Quocirca Georgius illis offensus minimè est; quin potius impudentior factus, mortuum se suscitaturum, pollicitus est, quem ipsi fictæ mortis specie defunctum, ad praui consilij sui exitum excitare finxerunt.

His dictis, Tyrannus illico Athanasium iubet vnà cum eo, qui reuixerat, indicta causa, securibus cædi, vt qui clara voce Christum Deum solum prædicassent; sanctum verò martyrem Georgium carceri inclusum in vinculis

esse, donec à muneribus publicis vacans, quid de illo faciendum sit, delibe- ret. Hisq; constitutis, in regiam se recepit. Sanctus autem Georgius carcerem ingressus spiritu exultabat, & gratiarum actione Deum prosequebatur; Glo- ria, inquiens, tibi, Domine, qui non confundis sperantes in te. Gratias tibi ago, quòd mihi adiutor vbiq; extitisti, quòd maioribus me quotidie beneficijs afficis, & indignitatem meam exornas. Dignum me fac, Deus, Deus meus, qui celeriter videam gloriam tuam, diabolo tandem confuso.

Dum autem ipse esset in carcere, quicunq; Christi fidem imbiberant, pro- pter ea, quæ peracta erant, ad ipsum profecti, &, tradita custodibus pecunia, ad eius procidebant pedes, & apud eum manebant, ex quibus multi etiam æ- grotantes per Christi signum, & nomen ab eo curati sunt. Inter quos etiam vir quidam, Glycerius nomine, priuata fortuna, arans, altero ex bobus (vt sæ- pè contingit) humi collapso, & abiecto, & tantùm non expirante, posteaq; de sancti viri fama à quibusdam didicit, currens in carcerem bouis iacturam deplorabat. Tandem arridens huic sanctus Georgius; Abi, inquit, lætus; Christus enim meus bouem tuum ad vitam reuocauit. Ille autem verbis cre- dens, & currens inuenit, sicut dixerat ei vir sanctus. Mox verò ne paululum quidem moratus reuersus est, & ad Martyrem accurrens, per ciuitatem voce magna clamabat: Magnus est certè Deus Christianorum. Comprehenden- tes igitur ipsum milites quidam, qui ipsi fortè occurrerant, per satellites rem Imperatori nunciauere. Is autem furore plenus, & ne ipsum quidem aspici- ens, nec dignum, quem interrogaret, existimans, gladio obtruncari extra vr- bem iussit. Hic ergo Glycerius gaudens, & tanquam ad conuiuium aliquod vocatus, currebat ante milites, à quibus ducebatur, & magna voce Dominũ inuocabat, orans, vt martyrium sibi baptismatis loco poneretur; atq; ita vitã finiuit. Tunc quidam è Senatoribus apud Imperatorem sanctum Georgium accusabant, quòd in carcere sedens fama populum commoueret, multosq; à dijs abducens ostentis magicis Deo adiungeret crucifixo. Itaq; ad quæstionẽ rursus ducendum videri, & si resipisceret, absoluendum, sin in eadem perma- neret insania, è vita tollendnm.

Imperator igitur, adhibito in consilium Magnentio, iussit in diem posterum iuxta Apollinis templum tribunal sibi parari, vt publicè de Sancto quæstionẽ haberet. Nocte autem illa orans Martyr in carcere, ac paulùm obdormiscẽs, vidit in somnis Dominum propria manu se subleuantem, & amplectentem, &, corona capiti suo imposita, dicentem: Ne time, sed bono animo esto. Ecce enim iam dignus factus es, qui mecum regnes. Ne igitur tardaueris, sed pro- pere ad me veniens paratis fruere. Experrectus autem, & gratias Deo ala- criùs agens, carceris custodem ad se vocauit, ipsumq; rogabat; Hoc, inquiens, vnum abs te, frater, peto; concede, vt puer meus ad me ingrediatur; habeo enim ipsi, quod dicam. Annuente autem custode, ingressus est puer, qui ex- tra carcerem expectabat; & dominum suum in vinculis veneratus, flens humi iacebat. Sed sanctus illum erigens lachrymantem, vt bono animo esset, hor- tatus est, visaq; nunciauit; Celeriter, inquiens, me, fili, Dominus meus vocabit. Postquam igitur ex hac vita migrauero, accepto hoc meo misero corpore, quemadmodum ante discessum meum statui, itineris tui duce Domino, domũ, quam habitare soliti sumus, prope Palæstinam, contende; omnibusq; peractis, quæ ibi præscripta sunt, Dei timorem habeto, à Christi fide non deficiens. Il- lo verò promittente non sine magna vi lachrymarum, se, Deo adiuuante, stu- diosè omnia curaturum, vir sanctus illum amplexatus dimisit.

Atq; postero die sedẽs Diocletianus in tribunali sibi parato, in ipso Solis or- tu Martyrem ad se venire iussit, iramq; compescens cœpit omni cum mansue-

tudine eum sic alloqui: Nonne tibi videor, Georgi, maxima humanitate, & amore plenus esse, qui erga te tam mitis sim? Nam mihi dij omnes testes sint, vt me valde tuæ tædet adolescentiæ, tum propter florem pulchritudinis tuæ, tum propter prudentiæ grauitatē, animiq; constantiā. Ac volebā quidē, si resipuisses, vt mecum pariter habitares, & secundas à nobis obtineres. Dic igitur nobis ad hæc tu quoq; quid sentias. Sanctus Georgius; Oportebat, inquit, Imperator, hoc tuo erga nos studio declarato, non tam multa in nos per iracundiam mala facere. Hæc ille verba libenter audiens subiecit: Si velles mihi, vt patri, amanter obsequi, omnes istos, quos pertulisti, cruciatus maximis honoribus compensarem. Sanctus Georgius; Si vis, inquit, posthac in templum ingrediamur deos, qui à vobis coluntur, aspecturi. Illico igitur Imperator exurgens magna cum lætitia, Senatui, & omni populo per præconem edicit, vt in templum eant. Simul verò extollebat populus Imperatorem, & dijs suis victoriam, dum iter in templum faceret, ascribebat. Vbi verò omnes ingressi sunt, indicto silentio, & sacrificio iā parato, intuebantur omnes Martyrem, sperantes proculdubiò ipsum sacrificaturum. Ipse autem ad Apollinis statuam accedens, extensa manu; Ecquid, inquit, à me sacrificium vis suscipere, vt deus? Atq; eodem tempore 4 signum Crucis expressit. Dæmon verò statuam inhabitans, huiusmodi vocem emisit: Non sum deus, non sum, sed neq; mei similium quisquam. Vnus est Deus solus, quem prædicas. Nos autem ex Angelis ipsi ministrātibus apostatæ facti, ob inuidiam homines decipimus. Tū sanctus respondit: Quo pacto igitur hîc manere audetis, me cultore veri Dei præsente? Atq;, hoc dicto, sonus quidam, ac fremitus luctui similis ex statuis emittebatur. Omnes autem simul ad terrā lapsæ contritæ sunt. Tunc conuersi quidam de populo, tanquam furore concitati, sacerdotibus incitantibus, correptum sanctum virum vinculis constrinxerunt, atq; inter verberandum clamabant dicentes: Tolle magum hunc, Imperator, tolle, antequàm nostra nobis ingrata sit vita.

4 Martyr signum Crucis expressit, & dæmō statuam inhabitans veritatē confessus est, non esse se deum.

Hoc igitur tumultu concitato, & fama per vrbem breui discurrente, Imperatrix Alexandra, cùm fidem Christi occultè apud se habere ampliùs non posset, celeriter prodijt; & cùm populi tumultum, & sanctum Georgium procul vinctum cerneret, nec ad eum præ turba posset accedere, clamans dicebat: Deus Georgij, adiuua me, quoniam tu es Deus solus omnipotens. Sedato aūt populi tumultu, Diocletianus sisti coram se virum sanctum iussit; & insanienti similis ad ipsum; Tales, inquit, benignitati meæ gratias rependis, fœdissimum caput? Sic dijs sacrificare solitus es? Cui sanctus Georgius: Ita planè sacrificare didici, Imperator insane, & sic deos tuos colere noui. Erubesce in futurum dijs talibus acceptam referre salutem tuam, qui ne sibi ipsi quidem afferre opem possunt, neq; seruorum Christi præsentiam valent sustinere. Dum verò hæc diceret Sanctus, ecce Imperatrix quoq; in medium procedens, eundem, quem antea, coram Imperatore sermonem habebat; & ad pedes viri sancti procumbens Tyranni dementiam conspuebat, maledictis deos lacerans, eorumq; cultores detestans. Imperator autem ad eam; Quid tibi, inquit, accidit, Alexandra, quòd huic mago, & incantatori adhærens impudenter à dijs recessisti? Illa verò acriter eum repellens, ne dignum quidem censuit responsione.

Impius igitur Diocletianus furore repletus de Sancto nihil ampliùs quæsiuit, sed ab eo irritatus, &, dum sacrificium sperat, subuersos ab eo deos suos videns, ad hæc Imperatricis mutationem animaduertens, atq; illius causa iracundior factus, huiusmodi sententiam contra Martyrem, & nobilissimā tulit Imperatricem: Pessimum Georgium Galilæum sese dicentem, & qui tum

deos, tum me ipsum conuicijs multis affecit, denique qui contra illos arte sua magica vsus est, cum Alexandra Imperatrice veneficijs eius corrupta, & pari dementia in deos ipsa quoque maledicta conijciente, gladio obtruncari iubeo. Statim igitur ij, quibus hoc demandatum erat, Sanctum corripientes, vinctum extra ciuitatem ducebant. Tracta pariter cum eo nobilissima est Imperatrix; quæ, dum abduceretur, alacri animo orabat, labra mouens, & oculos in cœlum frequentissimè intendens. At vbi ad locum quendam venit, vt consisteret petiuit. Ijsque, qui trahebant, concedentibus, super vestem sedens, & caput in genua reclinans, spiritum Deo reddidit. Huius rei causa Martyr Christi Georgius Deum extollens, ipsique gratias agens, multa cum alacritate incedebat, orans, vt suus quoque cursus rectè perficeretur; & postquam ad præfinitum locum appropinquauit, clara sic voce precatus est.

Benedictus es, Domine Deus meus, quoniam dentibus quærentium me lacerandum non permisisti, nec inimicos meos super me lætos esse passus es; & quoniam liberasti animam meam, vt passerem, de laqueo venantium. Nunc item exaudi me, Domine, & mihi assiste seruo tuo in hac vltima hora mea; & libera animam meam ab iniquitate aërei hostis maximi, & spirituum eius; & ea, quæ isti in me per ignorantiam peccauerunt, ne vertas crimini, sed veniam tuam, & amorem tuum illis concede, vt & ipsis contingat pars in Regno tuo cum electis tuis. Suscipe etiam animam meam cum ijs, qui à seculo placiti sunt tibi, obliuiscens omnium, quæ tam scienter, quàm inscienter commisi. Recordare, Domine, inuocantium magnificum nomen tuum, quoniam benedictus es, & gloriosus in secula. Amen. Hæc deprecatus, & cum gaudio collum proferens, beato capite detruncatus est vigesimotertio die Aprilis, egregiam confessionem perficiens, cursum consummans, fidem seruans impollutam. Vnde etiam coronam iustitiæ repositam habet.

Hæc sunt maximorum certaminum strenui victoris trophæa. Hæc sunt contra inimicos eius præclara facinora, & prælia gloriosa. Qui sic certauerit, incorrupta, atque æterna corona donabitur. Cuius ſ precibus vtinam nos quoque partem iustorum assequamur, collocemurque ad dexteram Domini nostri Iesu Christi; Cui gloria, honor, & adoratio in secula seculorum. Amen.

ſ Petit, vt Sancti precibus partē iustorum assequamur, collocemurque ad dexterā Domini nostri Iesu Christi.

SEPTIMI TOMI PARS SECVNDA.

ALOYSIVS LIPOMANVS EPISCOPVS VE-RONENSIS

PIO AC SYNCERO LECTORI.

CVM ad hunc vsq; locum progressi essemus, & totum Symeonem Metaphrasten, qui tum Romæ in Vaticana, tum Venetijs in sancti Marci bibliotheca habebatur, nos ædidisse arbitraremur, ecce superuenerunt nobis ex Vrbe ab amico literæ significantes haberi adhuc in Cryptæ Ferratæ monasterio ordinis Sancti Basilij, ab ipsa Vrbe Roma duodecim milliaribus distante, librum alterum Symeonis Metaphrastæ, in quo aliæ nonnullæ Sanctorum vitæ continerentur, quæ hucusq; Latinè redditæ non erant. Suadebatq; amicus ille, vt & has verti curarem; dicebat enim facilè codicem à patribus illis Græcis ibidem monachismum profitentibus, nobis accommodatum iri. Tali ego nuncio lætus, nec desidiosus auditor, Guillelmo Sirleto viro doctissimo, meiq; amantissimo, felicis olim recordationis Marcelli Romani Pontificis, nunc autem Pauli Quarti optimi Principis ob virtutum suarum splendorem familiari, atq; Apostolico Protonotario negocium dedi rogans, vt is & librum à Monachis acciperet, & quascunq; in eo vitas Sanctorum hucusq; è Græcis laribus non egressas inueniret, in Latium quamprimum inueheret, easq; ad me transmitteret. Statim verò is, vt est natura benignus, & ad omne opus bonũ propensus, voluntati meæ fecit satis, & erudito, comptoq; stylo interpretatas vitas ad me vsq; in Poloniæ Regnum, vbi nũc versor, trãsmisit. Eas igitur hoc in loco subnectendas censui, quibus, siue præclara Sanctorum facinora, siue scribentis pietatem, siue demum Interpretis elegantiam respexeris, pulchram dixeris superioribus vitis additam esse corollam. Atq; hoc pacto nihil tibi deerit, quod ex doctissimi Metaphrastæ operibus ampliùs à nobis desiderare possis. Vale, bone lector, & mei peccatoris in tuis orationibus memor esto.

MARTYRIVM SANCTARVM AGAPES, CHIONIAE, ET IRENES, QVAE APVD THESSALO- NICAM PASSAE SVNT.

I. APRILIS.

QVANTO ex aduentu, & præsentia Domini, & Saluatoris nostri Iesu Christi maior gratia in humanum genus collata est, quàm olim fuerat, tantò & sanctorum hominum victoria maior extitit. Pro his enim hostibus, qui corporeis oculis cernuntur, hostes illi superari iam cœpti sunt, qui oculorum sensu percipi non possunt. Nam dæmones ipsi, quorum naturæ spectabiles non sunt, vel à purissimis, atq; honestissimis fœminis Spiritu sancto plenis superati igni traduntur. Tales fuerunt tres illæ sanctæ mulieres, quæ ex vrbe Thessalonice originem ducebant; quam vrbem sapientissimus Paulus celebrauit, cùm eius fidem, & charitatem laudans sic ait: In omni loco fides vestra in Deum peruagata est. Atq; alibi; De charitate inquit, fraternitatis non necesse habuimus scribere vobis; ipsi enim vos à Deo didicistis, vt diligatis inuicem.

Cùm igitur persecutio à Maximiano Imperaore aduersus Christianos illata esset, mulieres illæ, quæ virtutibus se ipsas ornauerant, Euangelicis legibus obedientes propter summam in Deum charitatem, & cœlestium bonorum spem, patrisq; Abraham factum imitantes, patriam, cognationem, facultatesq; omnes reliquerunt, ac persecutores fugiendo, quemadmodùm Christus præcepit, altum quendam montem petierunt, ibiq; diuinis precibus operam dabant; & corpus quidem ipsum ad montis celsitatem contulerunt, eorum verò animus in cœlo ipso versabatur. Cùm autem in eo loco fuissent comprehensæ, ad eum, qui persecutionis auctor erat, Magistratū ductæ sunt, vt reliqua diuina præcepta exequentes, & ad mortem vsq; suam in Christum

charitatem

charitatem seruantes, immortalitatis coronam assequerentur. Vna quidem è tribus illis præcepti perfectionem possidens, & Deum ex toto animo diligens, & proximum, sicut seipsam, sancto Apostolo dicente: Finis præcepti est charitas: meritò Agape vocabatur. Hoc enim nomine Græci charitatem appellant. Altera purum, ac splendidum baptismatis nitorem seruans, ita vt de ipsa propheticum illud dici posset: Lauabis me, & super niuem dealbabor: à niue nomen accepit; Chionia enim dicebatur. Tertia Saluatoris, & Dei nostri donum, hoc est pacem in se habens, & in omnes exercens, quemadmodũ Dominus dixit: Pacem meam do vobis: Irene ab omnibus vocabatur, à pace nomen accipiens. Has tres fœminas cùm ad se ductas, & ita affectas Magistratus vidisset, vt dijs sacrificia offerre nollent, igne cremandas esse decreuit, vt per ignem exigui temporis, igni subiectos diabolum, omnemq; dæmonum cateruam, ipsius diaboli exercitum, qui sub cœlo est, superantes, incorruptã gloriæ coronam adipisci, ac Deum ipsum, à quo gratia eis collata est, cum Angelis perpetuò collaudare possent. Quæ verò ab illis gesta sunt, ea breuiter narrabimus.

Cùm præsideret Dulcetius, Artemesius scriba dixit: Cognitionem de his, qui præsentes sunt, à Stationario missam, si iubes, legam. Iubeo, inquit Dulcetius præses, te legere. Tunc ait Scriba: Ordine tibi meo domino omnia, quæ scripta sunt, recitabo. Cassander beneficiarius hæc scripsit: Scito, mi domine, Agathonem, Agapem, Chioniam, Irenem, Casiam, Philippam, & Eutychiam nolle his vesci, quæ dijs sunt immolata. Eas igitur ad tuam amplitudinẽ adducẽdas esse curaui. Tunc Dulcetius Præses illis dixit: Quænam est ista vestra tanta insania, vt nolitis religiosissimis nostrorum Imperatorum, & Cæsarum iussis obedire? Agathoni autem; Quare inquit, tu ad sacra proficiscens, quemadmodum consueuerunt, qui dijs consecrati sunt, non his sacris vsus es? Respondit Agatho: Quoniam Christianus ego sum. Tum Dulcetius: Num tu etiã hodierno die in eo proposito permanes? Maximè, inquit Agatho. At ille: Tu verò, Agape, quid ais? Respondit: Ego Deo viuenti credo, neq; volo rectè factorum conscientiam meam perdere. Tunc Præses: Tu autem quid ad hæc dicis, Chionia? Ait illa: Cùm Deo viuo credam, ob id nolui facere, quod dicis. Ad Irenem verò conuersus Præses ait: Quidnam tu ad hæc? Cur non pijssimo nostrorum Imperatorum, & Cæsarum iussui obtemperauisti? Diuini timoris causa, inquit Irene. Dein Præses: Tu verò, Casia, quid ais? Animam meam, inquit Casia, seruare volo. Præses autem: Nunquid sacrorum vis esse particeps? Minimè, inquit illa. Tunc Præses: Tu verò, Philippa, quid dicis? Respondit illa: Idem, & ego dico. Quidnam, inquit Præses, hoc Idem est, quod dicis? Illi autẽ Philippa: Mori malo, quàm vestris sacrificijs vesci. Tunc Præses: Sed tu, Eutychia; quid ais? Idem, inquit illa, & ego dico; malo & ipsa mori, quàm facere, quod iubes. Ait illi Præses: Num virum habes? Mortuus, inquit Eutychia, ille est. Præses verò: Quampridem mortuus est? Ante menses ferè septem, inquit Eutychia. Tunc ille: Et vndenam igitur grauida facta es? Ex eo, inquit illa, viro, quem dedit mihi Deus. Præses autem: Hortor te, Eutychia, vt ab ista insania desistere velis, & ad humanas cogitationes redeas. Quid ais? Visne Regali edicto parere? Minimè, inquit Eutychia, ego parere volo; sum enim Christiana, Dei omnipotentis serua. Tum ille: Quoniam Eutychia grauida est, interea seruetur in carcere. Atq; hæc addidit: Tu verò, Agape, quid ais? Visne omnia illa facere, quæ nos dominis Imperatoribus, ac Cæsaribus nostris deuoti facimus? Minimè, inquit Agape, decet sathanæ deuotam me esse. His verbis mens mea non abducitur; inexpugnabilis enim illa est. Tunc

Præses ait: Et tu, Chionia, quid ad hæc dicis? Mentem nostram, inquit Chionia, nemo potest peruertere. At Præses: Num aliqua apud vos sunt impiorum Christianorũ commẽtaria, vel membranæ aliquæ, vel libri? Respondit Chionia: Nulla, ò Præses, nobis sunt; omnia enim illa Imperatores, qui nunc sunt, à nobis abstulerunt. Præses autem: Quisnam hanc mentem vobis dedit? Omnipotens Deus, inquit illa. Dixit autem Præses: Quinam sunt, qui vobis auctores fuerunt, vt ad istam stultitiã veniretis? Deus, inquit Chionia, omnipotens; & vnigenitus eius filius Dominus noster Iesus Christus. Dulcetius ait: Manifestum illud est, quòd omnes vos deuotioni nostrorum potentium Imperatorum, ac Cæsarum subiectos esse oportet. Quoniam verò post tam multum tempus, post tot admonitiones, totq; edicta proposita, & tales minas iniectas, vos temeritate quadam, & audacia elatæ ipsorum Imperatorum, ac Cæsarum iussa contempsistis, in Christianorum impio nomine permanentes; cùmq; ad hodiernum diem iussæ à stationarijs, ac primis militibus Christi negationem scriptam profiteri, facere id recusetis, propterea pœnas vobis dignas accipite. Id cùm dixisset, sententiam scriptam legit: Agapem, & Chioniam, quoniam iniquis mentibus, & contrarijs sententijs elatæ contra diuinum edictum dominorum Augustorum, ac Cæsarum fecerunt, & nunc etiam temerariam, vanam, & pijs omnibus execrabilem Christianorum religionem colunt, igni tradendas iubeo. Hisq; dictis subiunxit: Agatho autem, Casia, Philippa, & Irene, quoad mihi placuerit, seruentur in carcere.

Postea verò quàm sanctissimæ mulieres igni consummatæ sunt, cùm rursus sancta Irene ad Præsidem ducta fuisset, Dulcetius sic illam affatus est: Tuæ insaniæ propositum ex his, quæ facis, manifestò apparet, quæ tot membranas, libros, tabellas, codicillos, & paginas scripturarum, quæ sunt impiorum Christianorum, qui vnquam fuerunt, ad hodiernum vsq; diem seruare voluisti, quæ cùm prolata essent, ea cognouisti, quamuis quotidie negaueris, vos eiusmodi scripta possidere, non contenta neq; sororum tuarum pœna, neq; mortis metum præ oculis habens. Quamobrem tibi pœnam afferri necesse est. Sed alienum tamen non videtur etiam nunc benignitatis partem aliquam tibi condonari, vt si volueris nunc saltem deos agnoscere, impunis, & ab omni supplicio, periculoq; libera esse possis. Quid igitur dicis? Facis ne quod Imperatores nostri, & Cæsares iusserunt? Num parata es sacrificijs vesci, & dijs immolare? Minimè, inquit Irene, minimè per Deum illum omnipotentem, qui creauit cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt. Summa enim illius ignis sempiterni pœna proposita his est, qui Iesum Dei Verbum negauerint. Dulcetius verò: Quisnam tibi auctor fuit, vt membranas istas, atq; scripturas ad hodiernum vsq; diem custodires? Ille, inquit Irene, Deus omnipotens, qui iussit nos ad mortem vsq; ipsum diligere; qua de causa non ausæ sumus eum prodere; sed maluimus aut viuentes comburi, aut, quæcunq; alia nobis acciderint, perpeti, quàm talia scripta prodere.

Tũ Præses; Quisnã, inquit, conscius erat hæc in domo illa esse, in qua habitabas? Respondit Irene: Hæc vidit Deus ipse omnipotens, qui omnia scit, præterea nemo. Nostros enim homines inimicis peiores duximus, ne fortè nos deferrent. Itaq; nulli hæc ostendimus. Superiore anno, inquit Præses, cùm edictum illud tale, ac pium iussum Dominorum Imperatorum, ac Cæsarum primò fuit diuulgatum, vbinam vos latuistis? Ad hæc Irene: Illic, vbi Deus voluit. In montibus (scit Deus) sub dio fuimus. Præses vero: Apud quem vixistis? Sub dio, inquit illa, aliàs in alijs montibus versantes. At Præses: Quinam erant, qui vobis panem suppeditabant? Deus, inquit Irene, qui omnibus escam suppeditat. Tum Præses: Erat ne pater vester harum rerum con-

scius? At Irene: Minimè per Deum omnipotentē cōscius erat ille, qui ne nouit quidem hæc omnino. Præses ait: Quis igitur vestrorum vicinorum id nouerat? Vicinos, inquit Irene, interroga, & loca inquire, vel eos qui norunt, vbi nos eramus. Præses dixit: Postquam è monte reuersæ fuistis, vt tu dicis, legebatis'ne scripta ista, præsente aliquo? Domi nostræ erát, inquit Irene, neq; audebamus illa efferre; quamobrem magnopere angebamur; quòd non poteramus nocte, ac die illis operam dare, sicut à principio consueueramus vsq; ad annum superiorem, quo & illa occultauimus. Dulcetius Præses dixit: Sorores quidem tuæ pœnas nostro iussu decretas exoluerunt; te verò, etsi anteaq; aufugisses, propterea quòd scripta, ac membranas istas occultaueras, mortis pœna tibi decreta fuerat; non tamen eodem modo iubeo è vita sic repente discedere; verùm per satellites ipsos, & Zosimum publicum carnificem in lupanari nudam statui præcipio, è palatio singulis diebus panem vnum sumentem, satellitibus ipsis non permittentibus te illinc discedere.

Cùm igitur satellites, & Zosimus publicus minister præsto essent; Illud, inquit Præses, vobis notum sit, quòd si mihi significatum fuerit, vel horæ alicuius momento istam ex eo loco motam fuisse, in quo eam esse iussimus, tunc vos supremæ pœnæ subiecti eritis. Scripta verò ipsa à scrinijs, & arculis Irenes proferantur. Cùm igitur, quemadmodum à Præside iussi fuerant, eam illi ad publicum lupanar duxissent, & propter Spiritus sancti gratiam, quæ ipsā protegebat, & vniuersorum Domino Deo puram, atq; intactam seruabat, ne vnus quidem ad eam accedere, vel turpe aliquid in eam facere, aut dicere ausus fuisset, sanctissimam illam fœminam Dulcetius præses reuocauit, & ante tribunal sisti iussam sic affatus est: Nunquid in eadem adhuc temeritate persistis? Minimè, inquit Irene, temeritas, sed Dei pietas est, in qua persisto. Cui respondit Dulcetius præses: Et ex priore tuo responso manifestè ostendisti te Imperatorum iussui nolle æquo animo parere, & nunc quoq; in eadem arrogantia persistentem te video; quare dignam pœnam persolues. Cùmq; chartam petijsset, sententiam hanc contra ipsam scripsit: Quoniam Irene Imperatorum iussui parere, dijsq; immolare noluit, quinimmò nunc quoq; in Christianorum ordine, ac religione perseuerat, hac de causa, vt antea duas eius sorores, ita & ipsam viuentem nunc comburi iubeo.

Hæc sententia cùm à Præside lata fuisset, milites Irenem comprehensam in quendam sublimem locum duxerunt, vbi & eius sorores antea martyrium passæ fuerant. Cùm autem magnum rogum accendissent, iusserunt ipsam in eum conscendere. Itaq; sancta Irene psalmos canens, & Dei gloriam celebrans in rogum se coniecit; atq; ita consummata est in consulatu Diocletiani Augusti nono, Maximiani autem Augusti octauo, Calendis Aprilis, regnante in secula Christo Iesu Domino nostro, cum quo Patri est gloria, sanctoq; Spiritui in secula seculorum.

Amen.

ORATIO FVNEBRIS

IN SANCTVM PATREM, ET CONFESSOREM NICETAM,

QVAM SCRIPSIT THEOSTERICTVS ILLIVS BEATISSIMI VIRI DISCIPVLVS.

III. APRILIS.

PROPOSITVM nobis est maximæ cuiusdam vtilitatis argumentum, sanctissimi patris nostri Nicetæ commemoratio; quæ proposita nobis est, velut factum quoddam conuiuium ex omnigenis, non corporeis, sed spiritualibus epulis repente instructum; quo conuiuio non corpora, sed animæ rationis participes aluntur, & exhilarantur. Hoc ego artificij expers hodierno die vobis spiritualibus conuiuis ex rudi sermone apparatum suppeditabo, vobis, inquam, qui sanctis; & animarũ altricibus eius doctrinis nutriri semper optastis. Verùm mihi, sacri auditores, quippe qui (vt quod in actis Apostolorum scribendis de se Lucas dixit, & ipse dicam) inde vsq; ab initio, vt scitis, patrem hunc secutus sum, visum est non omnia quidem continenter scribere (neq; enim possem) sed è multis illius præclarè factis pauca quædam in hac narratione inserere ad eorum edificationem, atq; vtilitatem, qui hæc audiunt, & in posterum legere voluerint; ne honestissima illius facta tempore ipso, & alta obliuione obscurata euanescant. Multi quidem multorum, qui ante nos fuerunt, sanctorum hominum vitas, dictaq;, & præclarè facta conscripserunt; qui & oratione sua illos ornarunt, & nobis ex ea re multum adiumenti attulerunt. Illorũ igitur exemplo & nos id facere aggressi sumus. Non enim consentaneum est, tantã eius hominis virtutem silentio tegi, aut occultari, neq; talẽ lucernam conuenit sub modio, sed

supra candelabrũ poni, vt luceat omnibus, qui sunt in huius vitæ domo (quẽadmodum Euangelica voce traditum nobis est) in gloriam cœlestis Dei, cui ex bonis operibus laus, & gloria redditur.

Sed tractationẽ hãc illos aggredi cõueniens erat, quorũ vita recta est, & ab omni reprehẽsione libera, oratioq́; grauis, & cõposita, cum illorũ vita congruens. Quarũ rerum priorẽ qui rectè præstiterit, illi velut ex spiritualiũ donorũ thesauro, & posterior abundè suggeritur. Cui vero ea defuerit, is dubiè, & cum hæsitatione orationem proferet. Huius autem patris virtus tanta fuit, vt vix illi, quos supra dixi, pro dignitate eam narrare possint; vel (vt verius dicam) ne illi quidẽ hoc possent; tantũ abest, vt nos possimus, quibus vtrũq; deest, vitæ, inquam, probitas, & oratio compositionis, atq; cõcinnitatis elegantiam habens. Verùm sanctissimi patris desiderium ad id conandum nos exsuscitat, atq; impellit, qui ex illius narrationibus fortasse fructum aliquem, & animæ adiumentum percipiemus. Qui enim vnguenta componunt, quamuis ab vnguentorum natura longè absint, tamen & ipsi odorum suauitatis participes fiunt, & alijs odorem per olfaciendi sensum impertiunt. Contra verò timor ipse se se opponens ab hac tractatione me deterret, mihi ante oculos ponens imbecillitatem meam, quæ tanto oneri par non est; meq; admonet, ne dum eum virum laudare velim, inconcinnis, atq; inelegantibus verbis aliquo modo illum vituperem, & ad indignationem contra me ipsum excitem, sitq; mihi ea res inutilis. Quod ne mihi accideret, silentium potiùs deligendum esset, quod est sine timore, ac periculo. Neq; enim aliquem pœnitet siluisse, quemadmodum locutos esse pœnitere sæpè multos solet.

Cùm in his duabus rebus ambigerẽ, tanquã in trutina quadã positus, desideriũ ipsum grauioris momenti visum est, timoris lancẽ leuiorẽ faciens, & orationis auctorem Christum mihi adiutorem proponens, magniq́; eius viri, de quo dicturi sumus, in condonandis erratis facilitatem. Nam cùm adhuc in terris esset vir ille, clemens erat, sciensq́; delictis nostris veniam dare; quam & nũc à beata ipsius anima multò magis mihi [1] dandam esse certò scio. Grata enim est patribus ipsis (vt quidam dixerunt) puerorum lingua, quamuis balbutiens, Deoq́; ipsi gratum est, quod pro viribus fit. Moneo autem illud, ne quis falsum aliquid, vel fictum me scribere suspicetur. Eorum enim mos est, qui rebus fidem non adhibent, vtilitatem omnem abijcere. Nam quid ipse à mendacijs lucrifacerem, si alios quidem commendarem, me ipsum verò sententiæ illi obnoxium redderem, quam contra mendaces prophetæ Dauidi Spiritus sanctus suggessit? Non enim fabulæ sunt, quæ dicentur, vt externis hominibus videri solent. Sed hæc quidem satis. Incipiam igitur, Deum ipsum omnis principij auctorem propositum habens.

[1] Si Sãcti post mortem erratis veniã tribuunt, non sũt emortui, vt dicunt aliqui.

Sed vnde'nam incipiam? An patriam, genus, & eius altricem terram priùs dicam? Sed quæ'nam erit vtilitas orationem in his rebus occupatam habere? Ciuitas, inquit scriptura, sanctorum est ciuitas Dei, cuius artifex, & creator Deus est; patria verò superna Hierusalem, mater Pauli, & eorum, qui cum illo fuerunt, vt ait magnus Basilius. At si quis & inferioris patriæ appellationem scire cupit, Cæsarea Bithyniæ illum genuit; illa in vitam hanc eum protulit, aluit, & omnibus cognoscendum tradidit; illa primæ ipsius ætatis rectè factis fruens sese oblectauit. Quod pertinet ad parentum nomina, non possum pro certo dicere, quod fuerit matris nomen; sed pater Philaretus vocabatur; cuius filius, cùm virtutis amator fuisset, re ipsa cum patris appellatione conuenit. Fuit etiam hic eius pater diuinæ pietatis studiosus, & Deo gratus, quippe qui monasticæ vitæ instituto dignus postea factus perfectior euasit. Ille cùm legitimam vxorem duxisset, ex ea vnicum hunc filium suscepit, & octauo die,

postquam puer natus fuit, vxorem ipsam amisit. Deus enim ille, qui eam formauerat, idem & eam recepit.

Educatus igitur puer fuit apud patris matrem. Cùmq; parum creuisset, ijs literis, quibus pueri solent erudiri, ediscendis parens ipse eum tradidit. Cùm autem puerulus discendi esset cupidus, & laboris valde amās, paucis annis omnia edidicit; postea verò psalterium memoriæ mandauit. Cùmq; illum in Ecclesia pater totondisset, vt Anna Samuelem, Deo ipsi eum dicauit, & omnino addixit, vt Aeditui locum interea teneret. Quod munus ille omnē reuerentiam, & spiritualem prudentiam adhibens, ita exequebatur, vt omnes mirarentur, quanta cum virtute se gereret, & quàm composito animo esset. Quis enim hunc aliquando vidit in ludis puerilibus versantem, vt pueris mos est, gestire, saltare, currere huc, atq; illuc, in terra se volutare, atq; vlulare? Quis hunc prope illos, qui choreas exercent, tam viros, quàm mulieres sedentem vidit, vel aliquo modo adhærentem, & inhonesta illorum verba aliquando audientem? Quis illum symposijs eorum, qui diu in vino ebibendo immorantur, quibusq; tragœdiæ, tumultus, & nugæ amicæ sunt, vel paululum adhærentem aspexit? Domi enim sedens, & librum in manu habens, legebat diligenter, &, vt id, quod in Euangelio est, dicam, proficiebat sapientia, ætate, & prudentia; neq; vnquam à diuinis conuentibus aberat, sed diuinas literas cordis sensu percipiebat, modò id, quod dixit Deus ad Abraham: Exi de terra tua, de cognatione tua, & de domo patris tui: modò illud Esaiæ prophetæ dictum: Exite de medio ipsorum, & segregemini, & impurum ne tetigeritis, dicit Dominus, & ego suscipiam vos: item illud, quod diuina voce prolatum est: Qui diligit patrem, vel matrem plusquàm me, non est me dignus; & qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus: & alio loco: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me: &, Si quis veniens ad me non renunciauerit omnibus, quæ possidet, adhuc autem & animæ suæ, non potest meus esse discipulus.

Hæc cùm audiret, & his similia, non in via sementem spargebat, hoc est in ipsius mentis superficie, ita vt conculcari posset, & à volucribus cœli, hoc est à malignis spiritibus, subripi, ac deuorari; neq; supra petras, hoc est supra cor sensu carens, & aridum, ita vt æstus, idest tentationis tempore, tanq̃ ea, quæ radicem non haberent, citò exarescerent; non denique in medias spinas, hoc est in huius vitæ solicitudines fundebat semina, quibus solicitudinibus suffocata mens fructum nullum ferret; sed in terram sui cordis valde bonam, ac pinguem, semen ipsum reponebat; quamobrem fructum reddidit Deo ipsi trigecuplum, sexagecuplum, & centuplum; trigecuplum, eò quòd vitam cum virtute transegit; sexagecuplum, quoniam monasticæ vitæ exercitationem purā, & innocentem seruauit; centuplum, quia pro fidei confessione multas persecutiones sustinuit; de quibus postea loquemur. Nunc autem ad ea, quæ nobis proposita sunt, redeundum est.

Cùm diuina eloquia, quæ supradiximus, audiuisset, quid'nam illum fecisse, aut consultasse aliquis cogitabit? Mentem, atq; animum ab his terrenis rebus abalienauit, & ad optimam quandam formam se se traduxit, de virtute (vt est in literis diuinis dictum) in virtutē progrediens, & ijs, quæ inferiora sunt, præferens meliora, secum cogitabat, quomodo Deum sanctè coleret. Cùmq; à ratione ipsa rectè, ac rite præsidente didicisset, facilè fieri posse, vt vita cœlibe, ac perturbationibus vacua, sensus ipsos purgare, & mente pura ad id, quod purum est, accedere posset, à mundi voluptatibus se abrumpere, & ad Deum adiungere studuit. Cùmq; patri suo, amicis, consanguineis, æqualibus, ijs denique omnibus, qui ad eum pertinebant, salutem multam dixisset, ab

ex regione, quæ ipsum aluerat, statim auolauit, & ad torrentem eiusdē vrbis in meridiei parte fluentem, ad senem quendam, Stephanum nomine, qui illic solitaria vita vtebatur, se contulit, eiusq; in rebus asperis perferendis socius erat; quinimmò cum ipso certabat, dum monasticæ vitæ legibus ab illo erudiebatur.

Postea verò quàm eius diligentiam, & alacre studium senex ille animaduertit, auctor ei fuit, vt ad cœnobium iret, quippe quòd multùm ea res expediret, præsertim iuuenibus, eò quia ijs, qui ad summum virtutis fastigium peruenire cupiunt, plus exercitationis imponit. Bono senis consilio magnus ille vir vsus est, eiusq; preces pro viatico sumens, viam ad mare ducentem tenebat, diuina prouidentia ipsum dirigente, quæ per eum virum populū sanctiorem factum, & bonorum operum æmulatorem adeptura erat. Venit igitur ad Meditij monasterium, quod tunc à paucissimis colebatur, & a sanctissimo patre nostro Nicephoro, qui monasterium constituerat, regebatur. Supplex autem à pastore illo petebat, vt in monasterium acciperetur. Cùmq; perspicacissimus pastor eum vidisset, & ex habitu, ac moribus virum optimum eum fore coniecisset, libenter ipsum accepit, & in suo grege collocauit. Quo facto, beatus Niceta Dei præceptis obseruandis operam dabat. Cùmq; omnes vitæ huius fragilis, atq; caducæ voluptates pro nihilo faceret, syncera, non adulterina, neq; ficta terrenarum rerum abdicatione, seipsum mundo a crucifixit, & mundus ipsi crucifixus est. Quamobrem non ampliùs sibi ipsi viuebat, sed Christo, & Præsidi, omnemq; affectum corporeum illo affectu, qui ad res supernas, ac cœlestes pertinet, omnino extinxit.

a Ecce veri monachi propositum.

Huius autem viri peregrinatio fuit immutabilis; nam ex quo tempore à patria euolauit, non ampliùs illam vidit vsq; ad eum diem, quo ad Deum profectus est. Idem omnem prauitatem, & ad obediendum difficultatem facili, & ab omni curiositate, ac simulatione aliena obedientia b superauit. Cogitatio autem eius assidua, & nullam intermissionem accipiens, erat mortis meditatio. Ventrem verò multis dominantem ita subiecit, vt vel res necessarias admodùm parcè ipsi suppeditaret, ijs tantùm vtens, quæ ad vitæ vsū pertinent. Continentiam non solùm à cibis abstinēdo exercebat, sed ab omni terreno affectu se ipsum remouendo, quemadmodum ille dixit: Qui certat, ab omnibus se abstinet. Temperantiam, & castitatem ita perfectam ostendebat, vt fragile hoc corpus ad eum statum traduceret, in quo esset corruptionis expers futurum; & in corpore hoc terrestri vitam incorpoream ageret, puram, & Angelorum institutioni similem. Non erat in eo viro furoris perturbatio, neq; iracundiæ, aut simultatis affectus; non odij, aut obtrectationis, vel alios condemnandi species; non loquacitatis, vel facetiarum, neq; ociosi sermonis opinio; sed omne ipsius studium, atq; opus erat diuinorum eloquiorum meditatio, & solertes ad Deum preces. Nulla in eo inanis gloriæ, vel superbiæ vestigium, nihil deniq; quod ad humanam ostentationem pertineret, in eo viro cernebatur. Summissionis autem excellens donum tam abunde acceperat, vt vbiq; omnes se ipso prestantiores existimaret, omnibus se subijciens. Itaq; non solùm cum ijs, qui primi erant, sed vsq; ad infimos humilitatem, & obedientiam exercens, charitatem in Deum, & in proximum firmam, atq; immutabilem retinebat. Nulla in eo fuit humanæ assentationis species, qua vel alijs, vel sibi ipse placere studeret, aut sui amans esset. Nihil deniq; perperam, aut simulatè agebat. Nulla in eo fuit vestis elegantia, ita vt ipsum corpus contempserit, neq; omnino vllam eius curam habuerit, sed hoc tantùm curarit, vt castum, ac purum Deo ipsi corpus suum offerret. Omnia igitur morum simplicitate, & corde syncero sine hæsitatione aliqua faciebat. Quæ

b Vide Sancti viri obedientiā, continentiam, temperantiā, & castitatē cū humilitate.

verò à Præside ipso dicebantur, tanquam à Deo ipso dicta excipiens, omnem quidem curiositatem, & hæsitationem abijciens, fidem autem, ac certam persuasionem habens, omnia exequebatur.

4 Si Nicetas è ad presbyterij dignitatē promotus per manum Patriarchæ, nō omnes homines ex æquo sunt sacerdotes; sed Episcopi ordināt Presbyteros.

Cùm igitur pastor ipse illum ita studiosum, ac promptum vidisset, qui nondum quinquennium in professione monastica perfecerat, ad presbyterij ordinationē eū promoueri curauit; quā per 4 manus magni Tharasij assecutus est, qui Constantinopolitanæ sedis erat Patriarcha, eamq; sedem multis virtutibus adornabat. Cùm igitur presbyter ordinatus fuisset, & monasterij curam illi, quamuis inuito, Præses tradidisset; sanctus ille vir onus illud sibi traditum molestè quidem ferebat; sed, qui nulla in re didicerat repugnare, neq; tunc contradicere ausus est; sicq;, quamuis inuitus, nihilominus tamen onus illud accepit. Cùm igitur eam curam suscepisset, omnem diligentiam adhibens studebat gregem ipsum copiosiorem efficere. Idq; factum est. Eius enim fama in omnes partes peruagante, plurimi ad eum veniebant, & terrenis rebus renunciabant. Itaq; paucis annis factum est, vt fratrum societas ad centesimum numerum peruenerit; quos ille, adiuuante Christi gratia, vt peritus aliquis gubernator, ad salutis portum dirigebat, pro ipsis, vt probatissimus pastor, assiduè vigilans.

Factum autem fuit, vt qualis erat vita, & virtute sanctissimus pater noster Nicetas, talem vniuersarum rerum Dominus Deus hominem illi miserit, qui secundas monasterij partes teneret, Athanasium, inquam, illum venerandum, & admirabilem virum, cuius virtus non ea fuit, vt obiter illam narrare possimus; cuius etiam in Deum charitatem, quam ostendit, cùm primùm mundo renunciauit, opinor etiam Angelos ipsos fuisse admiratos. Erat ille patri suo charissimus, & literas apud ipsum summè doctus; qui & publicorum libellorum scriba creatus, magistratui, qui Logothesion dicitur, præfectus fuit; vnde non vulgares mundi huius honores eius pater per filium ad se venturos sperabat. Cùm verò iuuenis ille omnia hæc contempsisset, & vni rei esset intentus, vt cœnobij 5 habitu se indueret, idq; festinans perfecisset, eius pater, cùm hoc audiuisset, vi ad se illum traxit, & indumentis, quibus ex cœnobio vestitus fuerat, proiectis, pretiosis vestibus illum, quamuis inuitum, induit. At iuuenis ipse patrem sic affatus est: Putasne, ò pater, sericis istis vestibus me à proposito consilio impeditum iri? Totum mundum contempsi. Quid enim proderit homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? At pater illum in domo conclusit, existimans ita fieri posse, vt à bono proposito ipsum auerteret. Cùm autem iuuenis ipse opportunitatem inuenisset, serica illa indumenta in quatuor partes lacerauit. Quòd cùm vidisset pater, alijs sericis ipsum induit. Ille verò & eas similiter lacerauit. Iratus igitur ea re pater, ita crudeliter filium verberauit, vt eius terga intolerabilibus illis plagis contabuerint, & medicorum manu, atq; cura indiguerint. Postea verò quàm ille iuuenis patrem certiorem fecit, nullo modo fieri posse, vt eius sententia mutaretur, quamuis membratim illum dissecaret, pater ipse ea re compunctus, & lachrymis perfusus filium sic allocutus est: Vade, fili, & perfice iter illud bonum, quod delegisti; & Christus ipse tibi opem ferat, teq; ab omnibus laqueis diaboli eripiat.

5 Ecce quò qui monachus fiebat, nouum habitum induebat.

Ita igitur iuuenis ille venit ad monasterium, quod supra diximus, exercitationis certamina efficaciter illic suscepturus. Tantam verò humilitatem exercuit, vt nihil secum attulerit ex ijs rebus, quæ in hoc mundo spectabiles sunt. Pleriq; nostis eum virum, quem dico, & quem vos experti estis, scitis 6 vilissimis vestibus indui solitum, immò neminem abiectiore veste vsum fuisse, quāuis ex parentibus valde terrena hac nobilitate insignibus ortus fuisset. Hic, vt

6 Nota vilissimis vestibus indui solitū.

ſupradictum eſt, à ſanctis patribus noſtris in monaſterium receptus fuit, & ab inclyto Nicephoro ſecundæ partes poſt patrem Nicetam illi conceſſæ fuerunt. Erant igitur ambo illi vna quædã anima, & mens in diuerſis corporibus, tranquillo ſtatu omnia diſponentes; & ipſi quidem à ſancto Nicephoro regebantur, ſed ijdem omnem fratrum ſocietatem gubernabant, ita vt partim ipſi regerent, partim verò regerentur, mutua inter ſe, & Præſidis charitate copulati. Neq; vnquam inter ipſos offenſio aliqua, vel diſsidium exortum fuit, ſed erant veri paſtores, & animæ morbos, vt probati quidam medici, ſanabant, curantes gregem omni ſtudio, ac ſcientia. Alter ſecabat; erat enim ad ſecandum idoneus; alter mitibus quibuſdam verbis leniens, ſectionem ipſam curabat; erat enim mitis. Alter in ijs, quæ ad curam corpoream pertinebant, occupatus erat; alter in ijs, quæ ad ſpiritum attinent, verſabatur. Vterq; autem vtriq; rei ſtudebat.

Itaq; vt peritiſsimi quidam medici, omnem, vt diximus, diligentiam adhibentes, oues Chriſti rationales paſcebant. Duritiem, atq; acerbitatem ex increpatione, & ignominia proficiſcentẽ lenientes; ſegnitiem'q;, & languorem, vel tentatione aliqua, vel mœroris ardore illatum, orationis comitate, & diſcretionis, atq; commiſerationis medicina erigentes, tanquam è ſomno fratres exſuſcitabant. Quod verò in eis ceciderat, & confractum erat, futuri iudicij timore illud colligantes curabant. Triſtes, & ſegnes, & ipſa incuria diſſolutiores, ac lentos factos laborioſæ doctrinæ ſtimulis erigebant. Eos verò, qui celeriter gradiebantur, & alios anteuertebant, maximè, atq; attentiſsimè obſeruabant, ne illis ambitionis opinio, tanquam fera quædam irrepens inſidias faceret. Deniq; (vt ſummatim dicam) omnem gregem omni ſtudio, ac diligentia cuſtodiebant vigilantes pro illo, & feras, quæ non oculis corporeis, ſed animo comprehenduntur, ab ouium rapina profugantes, non vt mercenarij, ſed vt optimi paſtores Chriſti paſtorum principis. Ita verò omnium fratrum ſocietatem edocuerunt, & mutua charitate, atq; concordia deuinxerunt, vt verè de ipſis illud dici poſſet: In hoc cognoſcent omnes, vos meos eſſe diſcipulos, ſi charitatem habueritis adinuicem. Tunc quamuis hæc feciſſent, ab omni tamen audacia procul aberant. Nugarum verò, & facetiarum ne nomen quidem in illis viris audiebatur; ſed in diuinorum eloquiorum meditatione vitam degentes, ita miniſterium ſibi commiſſum ſinguli exequebantur; totum'q; pſalterium quotidie pronunciabant; quo expleto, ad eorundem pſalmorum viciſsim canendorum ordinem ſe parabant, ita vt nunquam omnino à Dei gloria celebranda ipſi vacarent. At ſi cuiuſquam vitio factum eſſet, vt otioſus ſermo irreperet, continuò alius quiſpiam admonitione ſua eius ſermonis cõtinuationem abrumpebat. Erant & fratres aliqui clam diſpoſiti, qui vniuſcuiuſq; dicta, & facta patribus nunciabant, vt ea reficeret, ne quis, abſentibus ijs, qui præſidebant, otioſum aliquod verbum proferre auderet, id'q; vitarent omnes, dum exprobrationes dictorum, ac factorum aufugerent.

Illo autem tempore, quo diuinarum rerum myſteria perficiebantur, ſtabat magnus pater noſter Niceta ante ſanctam, & ſacratam mẽſam, vt ſancto Dei throno aſsiſtens, ſacrificium, & diuina myſteria obeundo. Sanctus verò Athanaſius aſsiſtebat cogitatione, & mente tota intentus, miniſterij flabellum tenens; erat enim diaconus, qui & presbyter poſtea fuit; ſtabat, inquam, metuens, ac tremens, ſuaſq; genas, ac pectus lachrymis madefaciens. Sic'q; totum ſanctum illud, ac diuinum miniſterium complebant. Cùm verò ita purè, atq; innocenter ſacra facerent, ſancta, puriſsima, atq; 7 immortalia myſteria impartientes alijs, vniuerſum populum ſanctum efficiebant, cum'q; in pace multa dimittebant.

7 Vide ſacram Euchariſtiã appellari ſãcta, puriſsima, atq; immortalia myſteria.

Ad hæc sanctissimus pater noster ad Domini Dei templum crebrò fratres congregans, docebat, admonebat, & ita hortabatur: Fratres, quos Dei gratia coniunxit, quamobrem congregati summus assiduè cogitemus, & quãdiu tempus habemus, solertes simus, & certemus, neq; segnitie nos ipsos lentos fieri patiamur. Quandiu mercandi tempus nobis est, animæ nostræ lucrum abunde nobis comparemus. Cùm enim mercatus ampliùs non erit, tunc nemo poterit negociari. Non est, inquit, in morte, qui memor sit tui; non est in inferno confessio. Consideremus quales pœnæ illos maneant, qui multa peccata commisere, neq; pœnitentiam egerint. In hoc mundo Iudex ipse misericors est, in illo autem altero non item. Hîc miseretur, illic punit. Hîc septuagies septies peccata dimittit, illic in exteriores tenebras immittit. Quamobrem hîc laboremus, & studiosè cõtendamus, ne ignauia ipsa dissolutos nos faciat. Curramus feruenti, & celeri gradu (cursu enim opus est, & illo quidem vehementi) vt perueniamus ad perfectionis mensuram. Sobrij simus, ac vigilemus, quoniam qua hora non putamus, Dominus noster veniet. Contemnamus mundum, & ea, quæ sunt in mundo. Carnem, & eius superbiam execremur; hæc enim omnia inimicitias inter nos, & Deum pariunt. Fugiamus carnis voluptates; auersemur eius libidinem. Sint nobis deliciæ ipsæ inuisæ, ne & ipsi deliciæ simus inimicis nostris. Amplexemur continentiam, per quam anima nostra pura efficitur. Aduersariorum inuasiones repellamus, & animi summissionem possidere studeamus, quæ ad cœlos nos prouehat. Confessionem teneamus, compendiosam illam salutis viam. Obedientiam ediscamus vitæ impatibilis conciliatricem. Angustias in nos venientes patienter excipiamus, vt nostra, non vt aliena quædam existimantes. Non enim condignæ sunt passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis; vt ait Apostolus. Studeamus ingredi in illam vnicam fidei copulam; neq; huius mundi facultates futuris illis bonis anteponamus. Nihil eorum, quæ corrupta, & caduca sunt, admiremur; neq; rebus stabilibus id præferamus, quod stabile non est. Supernas res inquiramus; illas autem supernas esse arbitremur, ac sentiamus, vbi Christus est. Turpitudo, & sermo de rebus stultis absit à nobis; hæc enim odit Spiritus sanctus, quoniam & de verbo omni otioso rationem reddemus in die Iudicij. Mortificemus membra nostra, quæ sunt in terra, & studeamus illa offerre hostiam sanctam, & Deo placentem. De nulla alia re, nisi de animæ nostræ salute soliciti simus. Accipiamus armaturam spiritus, vt possimus stare aduersus insultationes diaboli; cum his enim inimicis nobis colluctatio est, qui corporeis oculis non cernuntur, non aduersus sanguinẽ, & carnẽ tantùm pugnamus. Seruiamus in timore illi, qui nos elegit. Agamus gratias ei, qui nos vocauit in vitam sempiternam. Ipsius mandata obseruemus; angusta est enim via, & aspera, quæ ducit ad vitam; per illam autem viam ambulare studeamus quàm maximè possumus. In oratione, & precibus fortiter persistamus. Deponamus veterẽ hominẽ cũ suis actibus, & libidinibus, vt induamur nouo, qui creatus est secũdum Deum in sanctitate, & iustitia. Subijciamur nobis vicissim in timore Dei. Castitatem, & temperantiam, ac mentis synceritatem possideamus, vt Angelorum cõtubernales efficiamur. Tunc (inquit Dominus) fulgebunt Sancti, vt sol. Quale igitur erit nostrum dedecus, illos quidem vt solem effulgentes videre, qui lucis opera fecerunt, nos verò ipsos obscuratos, & tenebris inuolutos, quippe qui noctis opera effecerimus? Satis quidem ad pœnam, vel dedecus hoc futurum est. Quamobrem precor, inquit, vos, vt operum, quibus sancti viri studuerunt, imitatores esse contendamus, vt vnà cum ipsis in illa requie esse possimus, vnde aufugit dolor, tristitia, & gemitus. Charitatem igitur in omnes

habeamus, pacemq́; ac sanctitatẽ amplectamur, sine quibus nemo videbit Dominum; omnem verò solicitudinem nostram in Deum conijciamus, quoniam ipsi curæ nos sumus.

Hæc igitur, & his plura tum ex diuinis literis, tum à se ipso cùm beatus ille vir nos edocuisset, & hortatus esset, cum pace omnes dimittẽs; Abite, inquit, fratres, Deus bonus est, itaq; dabit nobis sermonem sapientiæ ad os nostrum aperiendum, quo vobis ipsis ea, quæ expediunt & aliis commemorare, & nos ipsos ad Dei præcepta obseruanda excitare possimus. Hæc patris documenta apud omnes quidem ad animæ vtilitatem spectantia dicebantur; quæ verò priuatim singulis idẽ pater dicebat, in sanctã suã cellã vnũquenq; vocans, illa quidem neq; numerari, neq; narrari possunt. Sæpè enim totam noctẽ insomnem transigebat, admonens singulos fratres de rebus salutaribus, omnes misericordia prosequens, omnes curans, omnibus commiserationem impartiens, omnibus omnia factus, sicut beatus Paulus ait, vt omnes lucrifaceret. Quis enim ab aliquo dæmone humanæ carnis insidiatore impugnatus vnquã fuit, & huic patri cum fide, & cordis contritione id aperuit, ac non statim à tali dæmone liberatus est? Quis à mœrore, ac segnitie, atq; anxietate, quæ mentem ipsã obscurant, vexatus fuit, & hunc adijt, ac non statim ad tranquillitatem, solertiam, & fortitudinem exsuscitatus est? Quis ab alio quouis affectu perturbatus, & eam perturbationem huic confessus, non statim ab ægritudine ipsa curatus est? Erat eius corpusculum 8 vigilijs, ac ieiunijs ita liquefactum, vt propter summam imbecillitatem vix loqui posset. Quis ita continentiã amplexùs est, vt pater noster Niceta, qui vel res necessarias, panem 9 dico, & aquam parcè sumebat? De vino autem, & reliquis delicatis cibis superuacaneum est aliquid dicere. Quis ita castum, atq; purum corpus, vt hic, habuit? Quis mansuetudinem, & humilitatem, vt hic, perfectam exercuit? Quis perspicax, aut misericors, vt hic, fuit? quippe qui omnes beatitudines illas à Domino propositas manifestè complexus est, cùm & pauper spiritu fuerit propter regnum cœlorum, & lugendo vnà cum his laborarit, qui ex vtraque parte laborant, vt Paracleti consolationem assequantur. Idem mansuetus, & humilis fuit præter cæteros, vt terræ illius, quæ a mãsuetis possidebitur, hæreditatem acciperet. Idem esurijt, & sitiuit iustitiam, neq; vnquam eius rei satietate affectus fuit. Ita verò misericors, & pauperum amator extitit, vt neq; illi satis essent ea, quæ possideret; tanta hilaritate facultates impartiebat. Fuit mundus corde, quo & Deum vidit, & cum eo versatus est; pacificus, & ab omni altercatione alienus, vt Dei filius vocari posset. Passus est & persecutionem propter iustitiam; exprobrationemq́; & verba pessima ab alienæ sectæ hominibus mentientibus audiuit propter Christum. Quamobrem & exultans copiosam pro his rebus mercedem in cœlis recepit.

8 Ecce vigilias, & ieiunia.

9 Nota Sancti continentiã, cui panis, & aqua parcè sumpta cib9, & potus fuerunt.

Cùm his rebus Niceta pater excelleret, & Spiritum sanctum in se habitantem haberet, diuinis muneribus dignus fuit effectus, & eijciendi prauos, atq; impuros spiritus facultatem à Deo ipso accepit, idq; meritò; Glorificantes enim me, inquit Dominus, & ipse glorificabo; & quæ deinceps sequũtur. Id verò, quod dicturus sum, ipse quidem non vidi, sed quidam è numero fratrũ, postquam pater sanctissimus diem obijt, illud mihi narrauit. Aiebat enim, q; cùm monasterij ianitor nescio qua in re occupatus esset, eius rei ministeriũ pastor ipse illi supplendum commisit. Quod munus cùm obiret, venit vir quidam ex eorum numero, qui versabantur in illa regione, ad monasterij vestibulum cum adolescentulo quodam, qui mutus ab ortu ipso fuerat. Vir autem ille fide impulsus eum fratrem precabatur, vt puerum sumeret, & ad magnum Nicetã duceret, qui pro ipso Deũ precaretur. Cùmq; patri hoc ille significasset,

sedato animo pater ipse eum reprehendit, ac remisit. Sed cùm ille persisteret dicens, eum virum fide ductum id petere, iussit puerum ad se duci. Quo facto, Niceta puerum accepit, & pro ipso Deum precatus, Crucis 10 signo illum signauit, & adiuuante Christi gratia, puerum, qui nondum locutus fuerat, benè loquentem ad patrem remisit. Qua re eius pater admiratione affectus, cùm multas gratias Deo, viroq; sancto egisset, cum puero ipso hilaris domum suam rediit. Quæ verò ipse cognoui, illa nequaquam silebo.

10 Oratione, & signo Crucis puerũ a natiuitate mutum, loquentẽ reddidit.

Erat frater quidam in monasterio ex eorum numero, qui simpliciores sunt, & malitia omnino vacui, qui à patribus propter laudabilem suam innocentiã, ac simplicitatem valde diligebatur. Huic cùm malorum origo diabolus inuideret, pessimis suis artibus vsus, ad amentiam, atq; insaniam eum hominem impulit. Id beatus Niceta molestè ferebat, cùm fratrem sic affectum, ac talia patientem videret. Deinde nos hortatus est, vt ad vesperam vsq; 11 ieiunaremus. Cùmq; sancta fratrum congregatio in vnum conuenisset, post perfectum diuinum ministerium, accepit vir sanctus fratrem illum, & super eum precatus est; cùmq; oleo sancto, & vnguentis ipsum vnxisset, rursus in priorem statum restituit, cùm prudentem, & mentis compotem, adiuuante Christi gratia, eum reddidisset. Ex illo igitur tempore frater permansit incolumis, per sanctas preces sancti patris nostri impurorum spirituum machinatione ab ipso propulsata, neq; ampliùs qualecunq; damnum in ipsum inferente.

11 Ieiunio, oratione, & sãcti olei vnctione amentẽ monachum sanitati pristinæ restituit.

Alius quidã ex iis, qui nuper ad eũ venerãt, impuro spiritu laborabat; q spiritus occultè illũ vexabat se ipsũ nõ aperiẽs; subterfugiebat enim dæmon ille, sancti hominis præsentiã metuẽs. Itaq; illũ latere studebat. Cùm verò tẽpus venisset, quo adolescẽs ille sanctũ monasticæ vitæ habitũ accipere deberet sub magni Nicetæ catechismo, & sanctarum ipsius manuũ impositione, idq; dolosus diabolus sensisset, cœpit fratrem postera nocte perturbare, & visa quædam ipsi obiicere, quibus terrorem, ac fluctuationem in eius mentem coniiciebat. Cùm igitur frater ille se ipsũ à diabolo vexari, & potẽtia illius se opprimi animaduerteret, media nocte surrexit, vt ad sanctum virum confugeret; cùmq; prope cellam venisset, in qua magnus Niceta dormiebat, vidit serpentem quendã valde magnum, qui ante portam illius cellæ serpebat, & ingressum illi omnino præcludebat. Dæmon enim ipse in eam figuram se verterat, vt eius mos est, quò iuuenem perterrefaceret, ne ad eum virum introiret, qui ab eo ipsum expulsurus erat. At frater ille sancti viri auxilio fretus, & dæmonem contemnens, in cellam magni patris insiliit, & impuri dæmonis insidias ipsi aperuit. Tunc sanctus vir eum Cruce signauit, & pro ipso Deum precatus, illum admonuit, atq; hortatus est, ne talem dæmonem metueret, iussitq; in cubiculũ, in quo dormiebat, reuerti. At insidiator ipse per paucos dies se ipsum subtraxit. Cùm autẽ nõ ferret sancti viri gratiã, & ab eo in se illatum ardorem, cœpit rursus fratrem perturbare, intolerabiles quosdam cordis dolores immittens. Postremò illum collidens, mutum, atq; immobilem reddidit; cuius viscera ita æstuabant, ac dilacerabantur, vt illa disrumpi nos existimaremus. Cùm igitur sanctus Niceta venisset, pro illo Deũ 12 precatus, signo salutaris Crucis eum signauit, & eadem illa hora opprimentem dæmonem ab ipso eiecit, & fratrem sanum erexit. Itaq; ex illa hora frater incolumis permansit, nunquam ampliùs à tali dæmone offensus.

12 Oratione, & signo Crucis dæmonẽ expellit.

Alius quispiam & ipse de iis, qui paulò ante venerant, habebat immundũ spiritum similiter, & eum ipsum latentem. Cùm igitur frater ille aliquot dies in monasterio mansisset, cœpit à dæmone agitari, & vehementer vexari. Cùm autem sanctus Niceta illuc venisset, pro fratre ipso Deum precatus fuit; cùmq; dæmonem ab eo expulisset, adiuuante Christi gratia, sanum illum reddidit.

Dicebat

Dicebat autem vir ille, postquam curatus fuit, à se visum illum diuinum hominem virgam tenentem, & Aethiopem quendam deformem ab eo eijcientē. Hic cùm insipienter se gessisset, & Dei gratiam reiecisset, antequam tonsus fuisset, clam discesserat à monasterio, cùm interea nos ipsi nesciremus, quid illi euenturum esset. Has, & alias plurimas, & diuersas ægrotationes eorum, qui febri, aut ex capite, & alijs morbis laborabant, ea gratia, qua donatus à Deo fuerat, beatus Niceta curauit.

Quàm verò in animi ægritudinibus curandis egregius medicus idem pater noster Niceta extiterit, nemo est, qui nesciat. Etenim ex ipso motu, atq; habitu eos cognoscebat, qui cogitationibus, vel affectibus premerentur. Ac si cui accidisset, vt in aliquod erratum incideret (Angelorum enim est nunquā cadere) illum etiam ex tristitia, & vultus mutatione cognoscebat, eum'q; ad propriam cellam seorsum ductum diuina sua doctrina, atq; consolatione eò adducebat, vt omnes res suas aperiret. Quem si valde contritum, & humiliatum vidisset, non ita vt par erat, sed mediocriter reprehendebat, confirmans in ipsum charitatē, ne abundantiore tristitia eiusmodi homo absorberetur, hac etiā in re beatum Paulum imitatus, à quo in hominem illum Corinthium, qui contra legem fecerat, idem factum scimus,

Hæc sunt diuini patris nostri egregia facta; hæc beati viri fortia opera; hæc venerandi hominis, & generosi militis certamina, & victricia præmia. Quis eius doctrina, aut suauissimo ipsius sermone satiatus vnquam fuit? Omnibus erat mitis, omnibus amabilis, omnibus iucundus, & hilaris, comis, & ad audiendum facilis, misericors, facilis ad communicādum, totus charitate plenus, totus dijudicandi arte, totus humilitate refertus, totus mansuetudine, & omnibus virtutibus syncerè abundans. Tota deniq; ipsius vita, & contemplatio omnibus fuit ædificationis, & vtilitatis materies. Itaq; ad virtutum omnium verticem, ad ipsarum, inquam, perturbationum vacuitatem peruenit, cùm omnes suos sensus purgasset. Quamobrem totus illustris, ac splendidus factus est, totus suauis, & aspectu, & moribus, totus venustus, ac decorus, ab æterna Trinitate semper illustratus.

Magnus verò Athanasius fidelis, & prudens dispensator, qui cœnobij res multis annis benè administrauit, qui'q; multos labores cum patre Niceta passus est, eorundem certaminum socius, atq; consors, cùm multa præclarè in cœnobio fecisset, in morbum incidit, quo & consumptus est. Quem cùm extremum spiritum agentē nos circundedissemus, cum'q; precati fuissemus, vt apud Deum ipsum, à quo assumebatur, nostri esset memor, hunc sermonem postremum habuit. Si ego fiduciam apud Deum inuenero, & quod cupio assecutus fuero, omnino ipsi scietis. Cùm igitur honesto quodā modo sanctos pedes extēdisset, in Dei manus vigesimosexto mēsis Octobris die spiritū tradidit. Quamobrem cùm eius exequias curauissemus, in proprio quodam monumento, vt mos est, ipsum condidimus. Non enim nostris patribus, vt alijs monasterijs, mos est in vnum monumentū omnes mortuos reponere, sed vnicuiq; aptū locum seruantes, illic proprium monumentū effodiunt, & illud terra obruūt, seruantes id, quod ita dictum est: Terra es, & in terram reuerteris. Illic igitur & beati patris reliquias reposuimus. At ne eius sancti viri monumentum obscurum esset, sed manifestum omnibus fieret, omnium rerū Dominus Deus fecit, vt supra monumentum ex honorato illo sancti viri pectore arbor cupressus nasceretur. Quamobrem multi fide ipsa impulsi illuc euntes, arborem illam amplexantur, & frondes ex ea decerpentes, ad sanitatem afferendam adhibere solent.

Cùm verò pater noster Niceta Athanasij obitu non mediocriter tristis esset,

& eius separationem ægrè ferret, vtriusq; officij onus ipse suscipiens, vigilabat, & vt fratribus prouideret, omnem laborem adhibebat. Non multò autē postea, & communis noster pater Nicephorus, qui monasteriū diuina ope adiutus constituit, & omnia sua bona Deo consecrauit, ille, inquam, apud Deum, & homines honoratus, & omnibus charus propter mentis suæ modestiā, & ipse mortem obijt quarto die mensis Maij. Noster verò pater Niceta, vt legitimus ipsius discipulus, eius memoriam splendidam, ac celebrem 13 quotannis agi debere scripto tradidit. Tunc omnis fratrum societas illum precabamur, vt principatus ordinationem simul, atq; appellationē acciperet. Noluerat enim eā accipere, quoad beatus Nicephorus superstes fuit. Ille verò dolebat, id'q; admodum molestè ferens, omnes precabatur, vt ipsi eum dimitterent, neq; cogerent talem appellationem suscipere, dicens: Assumite alium quencunq; vultis, qui principatus nomen habeat, & ego cum Deo ipso, quemadmodum antea faciebam, gregis curam habebo; tantùm vos precor, ne hac in re mihi vim afferatis. Postea verò quā m illi diximus, fieri non posse, vt hoc ei concederemus, quoniam cùm, & superstite communi illo nostro patre, secundùm Deum ipse noster dux fuisset, & magister, multò magis post ipsius migrationem eum deceret onus ipsum re, & nomine suscipere; Graue, inquit ille, mihi est, quod vos, fratres, vim afferentes mihi imponitis; fiat tamen Dei voluntas. O' immensam sanctissimi patris humilitatem. Quod enim quidā multis largitionibus ambire solent, & seditione, ac bellis sibi comparant, id propter summam humilitatem viro illi oblatum fuit. Multùm igitur & nos, & amici, atq; alij quidam patres ipsum precantes, vi adduximus, vt eius præfecturæ ordinationem, & appellationem, sicut supradiximus, acciperet. Hanc autem accepit per impositionem manuum sancti Nicephori, qui tunc erat Constantinopolitanæ sedis Patriarcha.

13 Nota anniuersariū mortuorum die; celebrari etiam antiqitus consueuisse.

Cùm verò nos Byzantij essemus, cœperunt rumores quidam spargi de impijs, & Deo inuisis contra venerandas imagines dogmatibus. Malorum enim origo diabolus vltra modum se efferens, & aduersus Deum arroganter se gerens, qui dixit: Ponam sedem meam in nubibus, & ero similis altissimo: quāobrem & deiectus fuit, & inde vsq; à principio humano generi insidiatus, primùm se in paradisum contulit, & primò formatum hominem eo ipso circūuenit, ac decepit, quòd illum Deum fore diceret. Itaq; fecit, vt Dei præceptum violaret, & à paradiso exterminaretur. Postea humano genere amplificato, idolorum superstitionibus illud oppressit, hominibus'q; ipsis persuasit, vt res creatas, derelicto eo, qui illas creauit, venerarentur. Cùm verò ab eiusmodi superstitione, tum à diuino Verbo, quod humana carne se induit, tum à sanctis Apostolis, ac Martyribus, & alijs diuinis, & sacratis Patribus Christi discipulorum successoribus homines liberati fuissent, & idolorum superstitio deleta esset, neq; sic dolosus ille diabolus ab insidijs destitit, sed rursus diuersas quasdam hæreses excogitauit, & per illas ipsas in terris graues dissensiones, & intolerabilia scandala latè disseminauit. Quibus etiam ipsis homines liberati sunt per sanctas synodos, & patres sanctos, qui constanter hæresibus restiterunt, eas'q; oppugnarunt, singulas singulis ætatibus, quibus vnaquæq; hæresis exorta fuit.

Quid'nam tunc diabolus ipse fecit? Num quieuit, vel cessauit? Minimè, inquam, ille, sed rursus aliam hæresim excogitauit extremam, ac primam, quæ omnes 14 alias præteritas summatim comprehendit, ac ferè Saluatoris nostri Iesu Christi dispensationem euertit. Nam si honor imaginis ad exemplar ipsum pertransit, vt ait magnus Basilius, omnino & è contrario, imagine ipsa contempta, necesse est & exemplar ipsum vnà contemni. Cùm verò imago

14 Vide qualis, & quāta fuerit hæresis imagines impugnātium.

ipsa honoratur, similiter & exemplar ipsum honoretur necesse est. Dicam apertiùs exemplo quodam apposito, quod sensu percipitur. Fac esse imaginem aliquam regalem aliquo in loco impressam (olim enim regibus mos fuit hoc facere) deinde duos aliquos homines prætereuntes regalem imaginem vidisse, illorumq́ alterum eò quod in Regem ipsum optimè affectus est, ad imaginem ipsā cucurrisse, eamq́ amplexatum fuisse; alterum verò illi homini succensentem, qui hoc fecerit, in eam expuisse, & lutum ipsum vtraq; manu tollentem, illam ipsam imaginem corrupisse, ac deleuisse. Velim dicas, si Rex vtriusq; factū cognouerit, vtrúnam illorum hominum succensebit, aut vtrum charum habebit. Nonne priorem illum honoribus, & stipendijs prosequetur, posteriorem verò puniet? Quòd si terreni Regis imaginem aliquis euertens, id impune nō faciet, qui filij Dei hominis facti pro nobis, & in omnibus rebus, excepto peccato, nobis similis imaginem contempserit, quam pœnā nō habebit? Apage ne sis homo ita stolidus, sed 15 reuerere imaginem Christi, si Christum desideras. Quòd si exemplum non veneraris, manifestè significas, neq; exemplar ipsum à te honorari.

15 Reuerere Christi imaginē, si Christum desideras. Quòd si exemplū nō veneraris, manifestè significas, quod nec exemplar ipsū honores.

Sed 16 agrestes quidam, dicet aliquis, imagines ipsas Dei loco habent, & ob eam causam à quibusdam audiui, cùm temere dicerent, non decere Christi imaginem effingi. O inscitiam hominum. Ita enim eorum causa, qui oculis sunt hebetioribus, & solem ipsum tibi, quicunq; es, qui hæc dicis, liceret obscurare. Sed audi nostræ mentis sententiam de adorationis differentia. Scimus enim, *ratione ita dictante*, alium quidem cultum secundùm adorationem esse, quem *primæ, & diuinæ illi* naturæ adhibere docti fuimus, alium verò secundùm habitum quendam, & anagogicè, vt & magnus Dionysius ait, quem secundùm proportionem nobis congruentem, cum ipsa eorum signorum, quæ sensu comprehenduntur, varietate multiplicari videmus; quibus signis sacro quodam modo ad Diuinitatem, quæ mente comprehenditur, pro nostræ conditionis moderatione prouehimur. Itaq; Deū ipsum, & diuinā virtutem cœlestes quidem mentes, vt ad intelligendum idoneæ, sicut ipsis fas est, comprehendunt; nos verò corporeis, & sensu comprehensis imaginibus ad diuinas res cōtemplandas, ita vt possumus, perducimur. Quòd si mente ita excæcatus es, & ad ea, quæ dicuntur, allucinaris, neq; te corrigi permittis, sed in errore persistis, in illo ipso tempore, quo è vita excedes, frustra te id secutum fuisse pœnitebit.

16 vide rationēs, quæ contra venerationē imaginū adducuntur, & earum confutationem.

Alij verò vt minoris momenti hæresim hanc habent, & pro nihilo ducunt, ob idq́ facilè capiuntur, & in eam deueniunt. Quidam neq; hæresim hanc esse cogitant, sed contentionem quandam. Ego verò valde grauem hæresim illā existimo. Opinor autem & vnumquenq; eorum, qui rectè sentiunt, talē eā existimare, quippe quæ Christi dispensationi infensa est. Cogita verò & illud, quod aliæ quidem hæreses ab Episcopis, & illis inferioribus presbyteris initiū habuerunt; hæc autem ab ipsis 17 Imperatoribus ortum habuit. Scitis vos quantum *inter* presbyteros, & Imperatores *intersit*. Et illæ quidem ab ijs conflatæ, qui noua, & falsa dogmata construere, vetera verò, & probata contemnere voluerunt, paulatim vim adeptæ sunt; hæc à regali potētia illata est. Leo enim, cognomento Isauricus, cùm in Theodosium iuniorem tyrannidem exercuisset, Romanorum imperium arripuit; quo superbe admodùm elatus, non dedit gloriam Deo (per ipsum enim Reges regnant, & potētes scribunt iustitiam, vt ait Salomon in prouerbijs) sed extulit in altum cornu suum, & locutus est aduersus Deum iniquitatem, & posuit in cœlum os suum, & lingua eius trāsiuit in terra; cœpitq́ historiam inde vsq; à sanctis Apostolis Ecclesijs traditam delere, dicens, non oportere Christū depingi, neq; in imagine illū adorari.

17 Hæresis Inoclastarum ab Imperatoribus originē habuit.

Cùm hæc fierent, magnus ille Pontifex de throno suo migrauit, & veneranda illa hirundo è nido suo euolauit, quæ Ecclesiæ ver pulchris concentibus ornans, dies festos Domini decorauit. In eius autem locum inductus fuit deformis quidam coruus hians, & obscura quædam crocitans, procumbente ipsa Ecclesia, & mœsto quodã modo ingemiscente, quæ tam magno, & diuino Pontifice priuata fuerat. Erat perturbatio non parua in orbis terrarum Ecclesijs, malo ipso, tanquam peste quadam, quocunq; percurrente, impietatis potentia corroborato. Posthæc successit Leonis imperio, simul atq; impietati Constantinus filius, malæ radicis malum germen, pestilentis feræ progenies, draco, animarumq; corruptor, atq; ex crudelissimo leone pardus natus est varium habens ingenium, qui patrem ipsum multis partibus malitia superauit. Non enim sola imaginum iniuria contentus fuit, verùm etiam sanctos martyres, quantum in ipso fuit, honore priuauit, cùm præceperit non esse illos sanctos 18 appellandos, sed simpliciter nominari Apostolos, Quadraginta martyres, Theodorum, Georgium, & alios similiter. Illorum autem reliquias omnino contempsit, ac pro nihilo duxit. Atq;, vt summatim dicam, habitu erat Christianus, mente ipsa Iudæus. Quam enim Christus sibi in domiciliũ delegit, gloriosissimam, inquam, suam matrem, omnibus alijs rebus creatis superiorem, omnium hominum salutem, mundi patrociniũ, quæ propter virginitatis suæ præstantiam prope Deum versatur; huius, inquam, venerandũ nomen 19 multis modis ab Ecclesia expellere studuit; eius verò intercessiones, per quas mundus ipse consistit, illas ne nominare quidem voluit, cùm diceret, nemini eam posse opitulari.

18 Impiè censebat Imperator ille Martyres non esse Sãctos appellandos, & eorum reliquias contemnendas.

19 Nota contra sanctissimã Dei genitricem impietatem, quæ etiã nostro tẽpore innouata est.

Conabatur autem, quod dicebat, hoc exemplo confirmare. Cùm enim aliquando marsupium aureis nummis plenum in manum sumpsisset, & ijs, qui cum ipso versabantur, illud ostendisset, ab eis quærens; Quanti'nam, inquit, marsupium hoc valet? Multi, inquiunt illi. Cùm verò aurum eiecisset, rursus quæsiuit, quanti'nam marsupium esset. Cùmq; illi respondissent, nihili valere; Ita, inquit miser ille, & Deiparens Maria (neq; enim sanctam eam nominare dignabatur indignus ille) quo tempore Christum in se habebat, valde honorata illa erat; ex quo autem tempore illum peperit, nihil differt à reliquis. O blasphemiam, ò superbiam, ò immensam Dei tolerãtiam, ò summam patientiam. Quomodo ipsius lingua non obmutuit, quæ aduersus Christi matrem tam superbè iniquitatem locuta fuit? Quid'nam à blasphemis Iudæis nouus hic Pharisæus, & Deo inuisus differebat? Nostros verò monachos indignos existimabat, de quibus cogitaret; quinimmò abiectos, & nulla memoria dignos vocabat ille, qui nulla ex parte memorabilis fuit. Quicunq; autem prauo ipsius consilio parere noluerũt, partim exilio condemnati sunt, partim in carceribus mortui, alij gladio interfecti, alij vestibus contusi; qui sic discerpebantur, vt eorum viscera in plateis dissiparentur. Testatur id Stephanus nouus Christi martyr, qui prioris illius Stephani, & nomine, & moribus fuit socius. Ad hæc aliqui sunt in altũ mare proiecti. Alij, vt Tyrannis tormenta inferentibus peccandi occasionem auferrent, fugiebant, & in montibus, ac speluncis versantes, in fame, & siti, frigore, & nuditate afflicti, angustias multas tolerabant. Alij cruciatus extimescentes, neq; suæ carnis infirmitate confisi, in alienam regionem migrarunt, & illic, quod ad conscientiam, & propositum pertinet, martyrium compleuerunt. Alij tormentorum metui succumbebant. Alij assentationibus capiebantur. Quidam humanam magis, quàm diuinam gloriam appetentes, se subijciebant. Alij corporeis voluptatibus addicti, suas etiam vxores circunducere non erubescebant. Itaq; animarum salutis domicilia (proh scelus) facta sunt adulterij, & incestorum diuersoria.

Totum

Totum autem eius viri, quem diximus, propositum, & studium erat omnino in ea re occupatum, vt ordinem monasticum deleret; idq; ex eo tempore, quo regnare cœpit, propositum habebat. Tantoperè verò sordium, & impurissimæ cuiusq; rei odore malo delectabatur, vt & animalium brutorum stercoribus se illiniret, & eos, qui cum illo erant, idem facere iuberet; quos amabat, ob idq; benignè accipiebat, quòd rebus malè olentibus semper delectarentur.

Sed tempus non est nefaria illius facta omnia deplorare, cùm & multa sint, & admodùm profana. De eodem & illud fertur, quòd cùm infans esset, & baptismate lauaretur, piscinam ipsam fœdauerit, ita vt sanctus Episcopus Germanus dixerit, turpem, & graueolentem odorem ab illo puero Ecclesiæ immiscendum. Id quod re ipsa factum est. Imprudens & illud vobis dicere cum alijs omnibus oblitus sum. Ego ipse legi tresdecim orationes, quas per duas hebdomadas recitandas tradidit, in quibus nulla de sanctorum 20 intercessione mentio facta erat. Cùm igitur & hic miseram animam efflauisset, Leo eius filius quinquennio Imperium tenuit; qui cùm non esset ita improbus vt pater, nihil tale commisit, immò verò Ecclesiæ res paululum eius tempore sunt instauratæ. Postea cùm & hic mortuus fuisset, & Irene ipsa verè pacis cognomen habēs regnare cœpisset, Ecclesiæ pacem vnà cum filio procurauit. Cùm enim muliebrem infirmitatem deposuisset, aduersus impietatē ipsam se fortem ostendit, & pro veritate multum studij, atq; constantiæ adhibens, eos, qui contra veritatem aliquid dicebant, zonis, atq; honoribus priuatos ab Vrbe profugauit. Cùmq; ita præclarè pro fide ipsa pugnasset, magnum Tharasium adiutorem, & secum sentientem, deniq; omnium rerum moderatorem Deum omnia perficientem, secum habens, veterem Christianæ dispensationis pulchritudinem, & decentem speciem Ecclesijs reddidit; summaq; pax per totum orbem terrarum Christi ope, & Irenes Orthodoxæ Reginæ diligentia constituta est. Sunt & alia eiusdem mulieris plurima rectè facta; domicilia, inquam, in quibus senes curantur, mendici nutriuntur, hospites accipiuntur; sunt & tributorum leuationes. Monasticus autem ordo ita eius tempore auctus est, vt multitudinem innumerabilem adeptus fuerit. Vbiq; enim erant exercitationis monasticæ loca, vbiq; animarum diuersoria, & monachorum, ac laicorum pacifica constitutio, precesq; tam monachorum, quàm laicorum assiduæ, psalmorum cantus per totam noctem; atq; omnia pacato, & quieto statu regebantur; Christianorumq; res in tranquillitate magna constitutæ tales erant, vt propter concordem, & vnam, eandemq; fidem, vnum esset ouile, & vnus pastor Christus.

20 Etiā de Sanctorū intercessione hic malè sentiebat.

Irenes, quam supradiximus, Imperio successit Nicephorus simul & rectæ fidei sententia valde pius, & pauperum, atq; monachorum studiosissimus. Post illum Michaël, qui nunc etiam dignitate monastica excellit. In hunc tyrannidem exercuit Imperator nomine, & moribus fera quædam existens; qui cùm Romanum imperium iniuria occupasset, neq; gloriam Deo dedit, neq; diuina permissione illud factum cognouit, sed insipiens factum est cor ipsius, & eius mens inanis erat; & quoniam impietatem inferre cœperat, propterea suum imperium diutius permansurum cogitabat. Hic etiam imitatus est sibi cognominem, & moribus concordem diuinæ pietatis desertorem Assyrium illum, & hostem, malorumq; inuentorem, Leonem, inquam, illum Isauricum. Cœpit igitur sancta sanctorum persequi, quemadmodum & ille persecutus fuerat. Deinde suorum mysteriorum duces, prauarumq; rerum magistros quærebat. Inuenitq; paucos quosdam è Senatu, Ioannem scilicet, cognomento Spectam, & Eutychianum. Ad hæc & ex sacerdotū numero aliquos inuenire cupiebat. Diabolus igitur, qui hæc in eius mentem coniecerat, Byzantiū lustrans, inuenit

Ioannem quendam, cognomento Grammaticum, nouum Tertullum, quem manu apprehensum ad Imperatorem duxit, & ait: Habeas hunc hominem tibi in eo, quod cupis, vtilem futurum. Vas enim electionis est mihi iste, vt portet nomen meum contra Orthodoxos.

Quemadmodum igitur Paulus Christi vas, ita hic diaboli os factus est; & sicut torrens ex diuersis imbribus constans, maleolentes, & perturbatas aquas defert, ita & iste ex fœdo cordis sui thesauro graueolentia, & cœnosa dogmata produxit, eos, quos prope se habebat, turbido quodam potu euertens. Habebat autem adiutores ex ijs, qui infra solium regale erant, Antonium Syleum, è monachis verò Leontium quendam, & Zosimum, qui illis ipsis diebus in adulterio deprehensus, truncis naribus, mortuus est. Posthæc omnem monachorum multitudinem cum Episcopis, & metropolitis ad sanctissimum Nicephorum Patriarcham coëgit, qui per totam noctem in magna Ecclesia pernoctarunt. Manè verò ipsos ad se Imperator accersiuit. Habebat autem secum intra palatium occultos quosdã fallaces homines, & malorum magistros, quos velut gallina quædam in regia domo fouẽs, & animans, eisq; dona promittens, iubebat nihil metuere. Iussit autem & Patriarcham solum in primis ad se introire, ignorans, quænam inter ipsos seorsum dicta fuerant. Deinde omnes accersiuit. Itaq; ante illum stetit patrum caterua lectissimorum hominum, ac sanctorum, qui Angelis similes erant, ac diuini. Aderant & Imperatoris optimates, & totus Senatus.

Sanctissimus igitur Nicephorus eos, qui gradus dignitate præstantes erant, affatus; Agitè, inquit, dicite mihi; Potestne id cadere, quod non est? At illi cùm ad eius interrogationis obscuritatem ambigerent, ac nihil responderẽt, sed se vicissim intuerentur, rursus Patriarcha ab eis quæsiuit, num Leonis, & Constantini Isaurorum tempore sanctæ imagines cecidissent. Illi verò cùm capita deorsum inclinassent, & nutu verum esse, quod Patriarcha quæsierat, significassent, quod satis erat ad eorum, quæ priuatè inter se dixerant, propositum confirmandum, tunc Patriarcha; Quomodo, inquit, quod non stat, potest cadere? Ad hæc nihil respondit Imperator, sed ad patres conuersus ait: Scitote, patres, me idem sentire, quod vos; simulq; effigiem quandam, quam in sinu gestabat, extulit, & per simulationem illam adorans; Sentio, inquit, quod vos, vt videtis, neq; à vobis dissideo. Verùm quidam surrexere, qui aliter docentes, eam viam rectam esse dicunt, quam ipsi tenent. Prodeant igitur coram vobis, & materia hæc inter vos inquiratur. Et siquidem vobis persuaserint, quod ipsi rectè dicant, neq; vos quod bonum est impediatis. Si verò ipsi à vobis persuasi fuerint, quod res nouas doceant, desistant à praua doctrina, & recti dogmatis sententia vigeat, vt antea. Nam si & de aliqua alia re minoris momẽti ad me relatum fuisset, neq; ita deceret me eam rem tacitam præterire, quomodo de Ecclesiastica quæstione tacuerim?

Illi verò cùm neq; passi essent eos homines, de quibus Imperator dixerat, coram se prodire, neq; dicendi facultatem dandã esse dicerent, sed velut execrabiles quosdam eos haberent; ad hæc cùm certò scirent Imperatoris voluntatem ad malum procliuem esse, neq; vnquam se illi persuasuros fore, quamuis totam scripturam testẽ ei afferrent; Aemilianus Cyzici Episcopus; Si quæstio, inquit, Ecclesiastica, Imperator, hæc est, vt dixisti, in Ecclesia inquiratur, vt mos est; altiùs enim, & à principio ipso Ecclesiasticæ quæstiones in Ecclesia, non in palatijs regijs inquiruntur. Respõdit Imperator: Sed & ego filius sum Ecclesiæ, &, vt vos conciliem, vtrosq; vestrum audiam, & vtraque vicissim dijudicans, vera cognoscam. Ad hæc Michaël Synadorum Episcopus; Si nos, inquit, conciliare vis, quare non id facis, quod conciliantẽ de-

cet facere? Quippe qui alios quidem in palatio occultos detines, & ad te congregas, quibus excitatis impiorum dogmatum docendorum facultatem præbes. Alij verò neq; in angulis aliquid loqui audent, vbiq; edictis tuis perterrefacti. Non est hoc conciliantis, sed tyrannidem inferentis indicium. Non est ita, inquit Imperator, sed vt prædixi, ita sum ego, vt vos estis. Sed quoniã ad me de ea re prouocatum est, non decet silentio me illã præterire. Quænam causa est, quare cum his hominibus nolitis loqui? An ipsi dubitatis, & testimonia non habetis, quibus vestra dicta confirmentur? Ad hæc Theophylactus Nicomediæ Episcopus dixit: Testis Christus est, cuius effigiem vides ante oculos in primis descriptam, infinitis testimonijs nos abũdare, quibus id confirmare possimus, neq; dubitamus, vt tu suspicaris; sed non habent isti aures audiendi, ob id'q; nihil illos iuuaremus; potentia enim, & imperio nos oppugnamur. Post hunc & Petrus Nicææ Episcopus; Quomodo, inquit, cum illis nos loqui vis, quibus tu auxilium affers? An illud ignoras, eos, qui Manichæi dicuntur, si huc ducas, & eorum propugnator sis, à te adiutos potentiores, quàm nos, futuros? Non temere sanctissimus Petrus hoc dixit; Vbi enim impietas ipsa cum potestate coniuncta est, illic veritas superari videtur; & iustitia tyrannide oppressa conculcatur.

Post hæc sacer Euthymius Sardensis Episcopus liberiore vsus oratione sic Imperatorem affatus est: Audias Imperator; ex quo tempore Christus in terram descendit, vsq; ad hunc diem per 21 octingentos annos, & ampliùs in Ecclesijs, quæ vbiq; gentium sunt, Christus ipse depingitur, & in imaginibus adoratur. Et quis'nam tam arrogans est, qui audeat tot annorum traditionem à sanctis Apostolis, martyribus, ac pijs patribus profectam dissoluere, vel paulu lum mouere, Apostolo ipso dicente: State igitur, fratres, & tenete traditiones, quas edocti estis siue per sermonem, siue per epistolam nostram: Et alio loco: Quamuis Angelus de cœlo euangelizet vobis præter id, quod accepistis, esto anathema? Quamobrem aduersus eos, qui ante nos hæresim hanc excogitarunt, Synodus apud Nicæam vrbem iterum collecta est sub Irene, & Constantino pijs Imperatoribus. Hanc Synodum ipse Dei filius proprio digito signauit: Quicunq; audebit aliquid ex ipsa mouere, vel expungere, anathema esto. Cùm hæc audisset Imperator, & versutæ mentis esset, facilè se hæc pati simulauit. Respondit autem & Theodorus vehemens Ecclesiæ magister, dux Studitarum: Ne tentes nunc, ò Imperator, Ecclesiasticum statum dissoluere. Ait enim Apostolus: Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, deinde Prophetas, tertiò Pastores, & Doctores ad perfectionẽ sanctorum. Non dixit Reges. Tibi quidem, ò Imperator, ciuilis status, & exercitus commissus est. Hæc igitur cura. Ecclesiam autem pastoribus, ac doctoribus (vt ait Apostolus) derelinque. At si non vis hoc facere, si quis peruertendæ fidei nostræ causa de cœlo nobis aliquid nunciauerit, ipsum non audiemus; tantùm abest, vt te audituri simus.

21 Vide hîc antiqtatẽ imaginum.

Tunc Imperator furore admodùm exardescens, & quod rectè dictum fuerat, velut iniuriosum quiddam accipiens, omnes eiecit; sanctum verò Theodorum in exilium misit, ac iussit, quandiu Imperator ipse viueret, in vrbem Byzantium non reuerti. Monasteriorum autẽ Præsides cùm præcepisset nusquam progredi, neq; Orthodoxæ fidei veritatem docere, expulit eos ex Vrbe; magnarum'q; Ecclesiarum Præfectos, partim ad Orientis, partim ad Occidentis insulas relegauit, sanctissimo'q; viro Nicephoro Patriarchæ scribens; Descende, inquit, tu de sede ista, quoniam Ecclesia te non indiget. At ille honestissimis suis literulis ad eum rescripsit: Non ita, ò Imperator, ego temere descendam; non enim causa aliqua in me est, cur deponi debeam. At

si rectæ fidei gratia, & propter pietatem tyrannidem patior, siue per te ipsum siue per aliquem regium tuum hominem mihi significes, & descendam. Tunc Imperator misit vnum ex optimatibus suis, qui tyrannico more ipsum deposuit. Ille verò cùm in magnam Ecclesiam descendisset, & 22 cereas faces accendisset, thuraq́; & preces adhibuisset, cùm populus ipse illius peregrinationem lamentaretur, hanc habuit orationem: Filij, Christianos vos inueni, Christianos vos relinquo. Cùmq; ad Acropolim descendisset, nauigiū cōscendit, & venit in eum locum, in quem exul ducebatur. Illic autem in ieiunijs, ac precibus, silentio, tolerantia, & multa patientia vsq; ad eum diem permansit, quo ad Dominum suum migrauit.

22 Etiam tūc in Ecclesia cereæ faces accendebātur, & thura, præcesq; adhibebantur.

Itaq; acerbi veritatis persecutores cùm omnem impunitatem adepti essent, cœperunt sine timore aliquo dilatari, & impiorum dogmatum semen spargere. Fecerunt & Patriarcham Theodotum quendam ex eorum numero, qui Spatharij dicuntur, adolescentium ludibrium, eligentes scilicet hominem ita rudē, ac leuem, vt & Theatri rem ludicram eum appellare soliti sint, qui aliquid ridiculum, & salsum in eum dicere volebant. Hunc, aiunt, & seruam quandā secum habuisse eo nomine, quòd è renibus laboraret, re autem vera, vt voluptatem expleret. Postea Iudaicum quoddam concilium ijdem in magna Ecclesia coēgerunt, & sub anathemate sanctos patres eiecerūt. Heu quæ insania hæc fuit. Sed reuertetur dolor ipsorum in capita eorum, & in vertices illorum anathema ipsum descendet. Episcopos verò, qui ab ipso dissentiebant, partim in terram deiectos pedibus conculcarunt, partim per posticum eiiciendos è consessu curarunt.

Quo facto, iussi sunt introire insignium monasteriorum duces. Itaque omnes introiuerunt; è quorum numero vnus fuit & diuinus pater noster Niceta, de quo nobis sermo est. Deinde illos primùm assentationibus versuto quodam modo decipere, postea verò & minis eosdem perterrefacere conabantur. Cùm verò illos omnia contemnentes vidissent, in diuersos carceres coniecerunt, cogitantes quid'nam ipsis fieret. Tunc & sanctus pater noster Niceta in carcere malè olente, & sordido clausus fuit, idq; per multos dies, ita vt, & si non alia pœna ei accessisset, satis condemnatio hæc ad suppliciū valeret; erat enim vir ille, vt quinis alius, ad nauseam propensus. Ad hæc omnia veniebant ad ipsum per singulos dies insani, & imperfecti quidā homunculi, abiecti, & pro nihilo faciendi, & planè indigni, qui virum appellarent. Eiusmodi tamen homines nugaces maledicta, & insana quædam verba in eum iactabāt, vt molestiam viro sancto afferrent. Præter cæteros autem homo quidam, Nicolaus nomine, inani, & temerario sermone illū sæpius affligebat, quoad eius pater, qui mortuus fuerat, in somnis filio Nicolao apparuit, eiq; minatus; Absti ne, inquit, à seruis Dej. Ex eo tempore vir ille immodestus resipuit, neq; amplius iusto viro molestus fuit; quin etiam alios impediebat, quominus id facerent.

Cùm igitur sanctus ille pater in carcere multos dies vexatus fuisset, tūc Imperator in Orientis partibus illum exulem esse iussit, & in castello quodā seruari, quod Masaleon dicebatur. Erat autem medium hyemis tempus. Itaq; licebat videre sanctū illud corpusculū frigore, ac niuibus è superiore parte affligi. Ex inferiore verò, cùm terra ipsa humorem emitteret, & multam difficultatem afferret, multò magis affligebatur. Ad hæc cùm is, qui virum sanctum ad exilium ducere iussus fuerat, natura esset immitis, diuinū illum patrem ita vrgebat, vt per septem dies, qui eo tempore breuissimi erant, totam viæ illius longitudinem transegerit. Hoc idem fera illa immitis & aduersus alios patres effecit. Cum verò Imperator considerasset exilio ipso nihil aliud perfectū iri, nisi

patres illos alacriores reddi, quippe qui animos omnibus angustijs maiores haberent, versutus ille consiliũ mutauit. Cùm enim nondũ quinq; dies illi viri in exilio mansissent, rursus maiore quodam studio eosdẽ Byzantium reuerti iussit eadem itineris difficultate, & molestia, eos'q; tandiu liberos esse, quoad ipse cogitaret, qua ratione ad suam voluntatem illos attrahere posset. Cùm'q; hyemis tempus, & sanctorum ieiuniorum dies transijssent, post sanctum Pascha malorum inuentori Ioanni eos tradidit, vt qua vellet ratione, ipsos affligeret.

Cùm igitur eos apprehendisset, in diuersos carceres immisit, & talibus tormentis subiecit, atq; compressit, qualibus neq; Gẽtiles olim Martyres ipsos afflixerant. Cùm enim in tristes, & obscuros carceres eos coniecisset, neq; stratum aliquod infra se, neq; tegumenta super se habentes, eo modo, quo singuli erant induti, sic humi prostrati sunt, testis quibusdam pro puluinari vtentes. Quibus singulis per foramen quoddã angustissimũ panis, eius'q; putidi vnciã, velut canibus, proijciebãt; tantũ videlicet, quantũ satis esse videbatur, ne fame periret. Ijsdẽ & paululũ aquæ male olentis dabatur. Erat enim Imperatori ꝓpositũ, vel sanctos viros ad suã sententiã adducere, vel vita eos priuare. Quinetiam vt plus molestiæ, atq; ærumnarum celeberrimo patri nostro afferret, eum, qui illi ministrabat, fratrem nostrum, Theoctistum nomine, qui & Christi gratia eius successor fuit, adhuc iuuenem in custodia conclusit, & eadem ratione afflixit. Cùm autem aduersarij illos vidissent malle mori, quàm veritatem ꝓdere, dederunt operam, vt ipsos eo nomine deciperent, quòd nihil aliud ab eis quærerent, nisi vt semel cum Theodoto communicarent, neq; quicquã amplius facerent; deinde singuli ad sua monasteria regredi possent cum ea fide, & sententia, quam haberent. Hac conditione exierunt patres illi, si decet patres eos appellare, qui velut in palæstra quadam supplantati sunt, quamuis eã rem in ardentem quendam feruorem posteriùs conuerterint, ob id'q; carcere detenti fuerint.

Venerunt igitur ad sanctum Nicetam, eum hortantes, vt exiret è carcere. Cùm autem ille remoraretur, & nullo pacto ijs, quæ ab ipsis dicerentur, parere vellet, pergebant ipsum excitare, quòd dicerent fieri non posse, vt illic ipse remaneret, alijs exeuntibus. Nihil, inquiebant, est, quod illi à nobis quærunt. Paululum quippiam prudenter eis concedamus, ne ipsi totum perdamus. Ita cùm diutius vim inferrent, contra voluntatem suam pater cessit, non ærumnas fugiens, neq; quòd calamitates pati recusaret (nunquam enim hoc dixerim) sed patrum hortatione impulsus se subiecit, non animo, & proposito, sed senes ipsos reueritus. Nam si pro fidei ratione vita, & mors proposita illi fuissent, certò scio mortem futuram fuisse illi optabiliorem, neq; omnino de recta fide, ac doctrina aliquid eum remissurum fuisse, etiam si pericula infinita proposita ei fuissent. Quamobrem omnes ad ea, quæ Oratoria dicuntur, quæ'q;, vt antea, picturis exculta erant, ascenderunt, communicarunt'q; cum Theodoto, manum illi dantes. Tunc illis Theodotus; Qui non adorant, inquit, imaginem ✱ Christi, anathemati subijciantur. Itaq; reliqui patres in suum quisq; monasterium, quod regebat, abierunt. Ille verò beatus pater cùm secum animo cogitasset, multæ ruinæ causam esse, cùm quis ab institutionis norma deflexerit, decreuit aufugere, & in aliam regionem proficisci, & illic errorem, in quem lapsus fuerat, emendare.

Cùm igitur omnia sua in nauigium coniecisset, nauigauit vsque Proconesum. Sed illic sententiam mutans, secum'q; dicens, vbi erratũ commissum fuit, illic opus esse & emendationem fieri, redijt rursus Byzantium, & in priore sua confessione, ac fide permanebat nihil omnino metuens. Quem cùm Impera-

✱ Nota ꝙ licet Theodotus iste profiteatur se adorare imaginẽ Christi, reliquas tamẽ sãctoꝝ imagines aspernabatur. Et ideo Niceta pœnitentiã egit, ꝙ cũ illo cõmunicasset.

tor ad se vocasset; Quid est, inquit, quòd cùm alij patres in sua monasteria profecti sint, tu solus hîc relictus es, propriam voluntatem secutus, non edicto meo parens? Sed, vt audiui, cogitasti & Imperium nostrum aufugere, ac nos decipere. Quamobrem nostro edicto cedens in monasterium tuum redi; sin minus ærumnas tibi afferam, quas perferre non poteris. Ad hæc sanctus ille vir leni voce respondens; Ego, inquit, Imperator, neq; in monasterium meum redibo, te iubente, neq; à fide mea desciscam, sed in eadem confessione mea sum, & ero, in qua & Patres mei seruati sunt, & propter quam olim periclitati sunt optimi Ecclesiæ propugnatores; in qua Ecclesia nos stamus, & gloriamur in spe gloriæ Dei. Benè illud scito, Imperator, quòd neq; mortem extimescens (ad tempus enim hæc est) neq; vitam hanc appetens (Deus testis est) feci, quod non decebat; sed senum illorum reuerentia his me subieci, quibus non debui. Certò igitur scias, nullam me vobiscum habere communionem, sed in traditione permanere, quàm ab initio accepi. Fac igitur mihi quicquid libet. Nihil ampliùs à me te auditurum speres.

Cùm igitur Imperator ea sententia illum esse vidisset, quæ mutari non posset, cum Zachariæ cuidam tradidit regalium ædium curatori, quæ Mangana dicuntur, illic'q; interea iussit ab illo viro custodiendum, quoad, quid de ipso agendum esset, delibetaret. Cùm autem Zacharias ille pietatis esset studiosus, nihil mali sancto homini fecit; sed omnino aliter se gerens, beneficijs maximis eum afficiebat, neq; in eius vultum præ reuerentia intueri audebat. Eum postea Imperator exulem misit in vnam quandam insulam ex his, quæ sunt in sinu ipso positæ, Glyceria vocata. Eam verò insulam detinebat Anthimus quidam præstigijs deditus, sacrilegus, versutus, obliquus, dolosus, arrogans, & crudelis. Hunc propter nimiam ipsius malitiam monasteriorum, quæ illic erant, Præsidem impij homines fecerunt; talibus enim viris tunc imperia in manus tradebantur, vt eorum potentia totum peruerteretur. Illum propter multam ipsius insaniam, arrogantiam, & temeritatem eius loci homines Caipham nominabant. Hic cùm sanctum virum accepisset, & potestatem contra eum haberet, crudeliter eum affligebat. Cùm enim in angusto, & arcto carcere ipsum conclusisset, perpetuò vexabat, neq; paululum è carcere illum prospicere sinebat, ipse carceris clauem secum ferens, & per foramen quoddam paululum cibi ei dari iubens. Quippe homines impij ei promiserant, si Nicetæ persuasisset, vt cum ipsis conueniret, maiore honore donandum. Quocirca nefarius homo Nicetam affligebat, sperans se viro sancto persuasurum quod volebat.

Cùm verò venerandus Niceta illic esset, admirabilium rerum auctor Deus miraculum quoddam perfecit. Non enim decet sancti Spiritus gratiam occultare, quæ in illo sancto viro multam se ostendit. Zacharias, quem supradiximus, diuini patris nostri custos valde beneficus, missus ab Imperatore ad Thracem pro rerum publicarum gubernatione, à barbaris eius regionis confinibus captus, & captiuus ductus fuit. Hoc cùm sanctissimus Synadorum Episcopus ex eo loco, in quo ipse custodiebatur, audisset, sanctissimo Nicetæ significans; Communis, inquit, noster amicus Zacharias comprehensus, & captiuus ductus est. Sed rogo te, vt eius causa Deum preceris; certò enim scio, quòd eum exorare possis. Id cùm patri per ministrum fratrem nostrum Philippū nunciatum fuisset, ita ea re tristis fuit, vt ferè totum diem ieiunus permāserit.

Cùm autem vespera venisset, quam habebat candelam ad carceris lumen, eam dedit ministro, vt aqua maritima illam ablueret. Quod minister cùm studiosè fecisset, sancto viro candelam reddidit. Cùm eam igitur ille accendisset, vigilabat, Deo ipsi pro Zacharia tandiu supplicans, quoad ab illo de Zachariæ

liberatione certã fidem accepit. Cùm enim venisset hora nocturna, qua psalmi cani solent, ministrum suum vocauit; cúmq; psalmos cecinissent, & Diaconus Nicetam hilarem, ac lætum vidisset, quæsiuit eius rei causam. Cui Niceta; Ne sis, inquit, Philippe, tristis; nostrum enim amicum Zachariam tuis oculis hîc visurus es. Non multò autem postea visum fuit genti, quam supra diximus, cum Imperatore pacem facere; & reconciliatione facta, exijt Zacharias cum reliquis captiuis, Deo, & viro sancto gratias agens.

Tres autẽ germani fratres proprio nauigio nauigantes cùm fluctuatione magna opprimerentur, & iam iam submergendi essent, inuocato viri sancti nomine, seruati sunt, & Deo ipsi gratias egerunt, qui suis hominibus sanctis talem gratiam conferre solet. Ita sanctus Niceta fortiter omnia tolerauit per sex annos angustijs afflictus, & rerum inopia vexatus vsq; ad mortem Leonis illius, qui cum Deo bellum gerebat. Hic verò nefarius pœnas sua temeritate dignas, hoc est mortem sæuissimã exoluit. Quidam enim ex ordine militari nouas res tentantes, & velut Angelum quendam ducem sequentes, nemine impediente, in regiam domum ingressi sunt, & intra locum, quod Oratorium dicitur, gladijs ipsum percusserunt. Visum enim illi fuit ad aram confugere. Itaq; illic percussus est, qui perpetuò iniquus fuerát.

Erat apud hunc duabus cathenis vinctus Michaël. Quem cùm hi, qui ferã illam domuerunt, statim à vinculis exoluissent, Imperatorem pronunciarunt. Cùm ille autem inter virtutem, & vitia medio quodam modo se gereret, fidem quidem ipsam nõ in pristinũ statim restituit; sed patres tamẽ nostros omnes ab exilio reuocauit, eosq; liberauit, qui erant in carceribus. Itaq; multa illa Ecclesiæ persecutio sedata est. Exijt igitur & beatus pater noster Niceta ex eo carcere, in quo erat, velut ex stadio quodam confessor illustris, & martyr sine sanguine, manifestè victricia præmia reportans. Abijt igitur magnus pater ad insulas Vrbi finitimas quietem appetens, in quarum vna sedit Angelorum vitam degens. Eratq; omnium dux ad salutem, omnium columen, omnium medicus, tam animarum, quàm corporum salutem procurans, indigentibus verò suppeditans, quæ necessaria illis erant, non solùm nostræ fidei hominibus, sed alienis etiam eleemosynam largiens. Posthæc beatus ille pater paruũ quoddam prædium ad Boream vergẽs è regione Vrbis positum mercatus est, & illic reliquum vitæ tempus, quod quidem breuissimum fuit, transegit.

Cùm verò tempus venisset, quo dissolui haberet, vt cum Christo esse posset, morbo vehementius eum vrgente, & ipsius vires consumente, cùm dies Dominicus illuxisset, hora sexta Sanctus illos pedes extendens, qui ad confessionem fidei benè cucurrerant, migrauit, & vnà cum 23 Angelis profectus est in cœlum, tertio die mensis Aprilis. Cùm igitur auditum fuisset virum illum sanctum diem obijsse, conuenit 24 multitudo magna ex Vrbe, & finitimis locis virorum, ac mulierum, monachorum, & virginum, qui omnes Nicetam vt patronum suum ad supernum Imperatorem precibus comitabantur. Venerunt & Archiepiscopi sanctissimus Theophilus Ephesi, & sacer Ioseph Thessalonicæ. Cúmq; consuetas exequias viro sancto exoluissent, in loculis eum reposuerunt. Eius verò discipuli cùm ipsum nauigio imposuissent, ad sanctum monasterium nauigarunt, quod ille proprijs laboribus excoluerat. Nos autem in littore ipsum expectabamus cùm religiosissimo Paulo Episcopo Plusiadis. Cùmq; ad nos peruenisset, & è nauigio eũ extulissemus, sanctas 25 illas reliquias lachrymantes venerati fuimus, quas in humeros accipientes, congruenti psalmorum cantu omnis fratrum societas ex vtrisq; monasterijs, ad ipsius patris monasteriũ deduximus. Plurima verò miracula per ipsum Deus in via effecit. Nam & dæmones è multis, qui vexabantur, fugati sunt, &

23 Vnà cũ Angelis pfectus est in cœlũ.

24 Vide magnificas sãcti viri exequias.

25 Sanctas illas reliquias lachrymantes venerati fuimus.

ægroti varijs morbis liberati. Inter quos & mulier sanguinis profluuium patiens cùm fide accessisset, & sanctas reliquias solùm tetigisset, sanitati restituta est.

Cùm igitur exequiarum ordinem ex more super ipsum compleuissemus, in communis patris nostri Nicephori monumento eum condidimus, quòd monumentum adhuc viuens sibi ipse fecerat à sinistra parte suggesti. In quo per Christi gratiam 26 curationes, & signa vsque ad hodiernum diem efficiuntur. Omnes enim infirmi, qui ad sanctos illos loculos accedunt, sani domum reuertuntur, quocunque morbo detenti fuerint. Hæc fuit sancti hominis vita, hæc cœlestis illius ciuis, & diuini patris nostri Nicetæ institutio. Hic Deum insatiabiliter amauit, & ab ipso Deo iurè amatus est. Eius gloriam celebrauit, & ipse gloria donatus est; Glorificantes enim me glorificabo; dicit Dominus: Cui conuenit gloria, Patri videlicet, & Filio, & sancto Spiritui nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

26 Curationes, & signa, quæ ad Sancti loculos fiunt, innocentiam vitæ eius testantur.

VITA SANCTAE VIRGINIS THEODORAE, ET DIDYMI MARTYRIS.

V. APRILIS.

DIOCLETIANO, & Maximiano Imperatoribus, Præside Alexandrinæ ciuitatis Eustrathio, edictum quoddam aduersus Christianos missum fuit, vt vel dijs immolarent, vel supplicio afficerentur. Cùm verò Præses ille pro tribunali sederet in magna Alexandrinorum ciuitate, iussit, cohortẽ accersire Theodorã virginem, quæ nuper capta fuerat, & in carcere seruabatur. Quam cùm duxisset; Præsto, inquit cohors, est Theodora. Iudex igitur: Cuiusnam sortis es mulier? Christiana, inquit Theodora, ego sum. At ille: Libera'ne, an serua? Dixi iam, inquit ipsa, Christianam me esse; Christus enim veniens, à peccato me liberauit. Quod verò & ad vanam, atq; inanem mundi huius gloriam attinet, claris parentibus orta sum. Tunc Iudex Quæstorem accersiri iussit. Quem cùm cohors præsto esse dixisset; Dic, inquit, Luci: Nosti'ne Theodoram virginem? Cui Lucius: Per tuam, Præses, valentem vitam, ac splendorem, nobilissima est, multæq; existimationis, & primi generis mulier. Quare, inquit Iudex, cùm sis ita nobilis, nuptias recusasti? Theodora respondit: Christi causa nubere nolui. Cùm enim ille homo factus in mundo versaretur, ab ea, quæ semper virgo, & Dei mater fuit, genitus, à corruptione nos remouit, & sempiternam vitam nobis promisit. Itaq; fore mihi persuadeo, vt in eius fide permanens, ad finem vsq; incorrupta, & intacta sim.

Tunc Iudex dixit: Imperatores iusserunt, vos, quæ virginitatem semper seruatis, aut dijs immolare, aut iniuriosiùs tractari. Arbitror, inquit Theodora, te non ignorare hominis propositum Deo ipsi in primis gratum esse; is verò animum meum, atq; propositum castum esse cognouit. Quòd si me id

pati, quod dicis, & violari coëgeris, non erit hæc impudicitia, sed vis, & iniuria. Iudex autem: Cùm te ingenuam esse nouerim, & tui rationem habere cupiam, admoneo, ne contumeliosiùs te geras; nihil enim proficies. Nam, per deos omnes, sententiam hanc Imperatores tulerunt. Tunc illi Theodora; Et priùs, inquit, tibi dixi, hominis propositū, atq; animum Deo gratum esse. Cùm enim omnia ille pernoscat, cogitata etiam nostra scit, & mentes ipsas perspicit. Quamobrem si coacta fuero facere quod dicis, impudicam me factam nunquam existimabo. Siue enim caput meum, siue manus, siue pedes abscindere, siue totum corpus dilacerare volueris, hoc quidem per vim, ac potestatem, quam habes, facere poteris. Similiter lupanari tradar, necne, in arbitrij mei potestate non est, sed in manu tua, cui per imperium vim licet inferre. Quod verò ad animi mei propositum attinet, certum est Deo ipsi castitatis meæ professionem seruare; illi enim virginitas mea dicata est; ille certus huius rei Dominus est; ille, si voluerit, virginitatem hanc meam, possessionem suam, incolumem, atq; intactam seruabit.

Iudex verò ait: Noli, Theodora, ætatem tuam honestè actam, totam iniuriæ, & probris obiicere; nam, vt Vrbis Quæstor testatus est, his parentibus orta es, qui nobilitate, atq; existimatione cum primis excellūt. Ad hæc Theodora; Christum, inquit, primùm confiteri debeo, qui & Deus est, & omnis nobilitatis, honoris'q; auctor, qui scit & me columbam suam puram, & incolumem ad finem vsq; seruare. Tum Iudex dixit: Cur'nam erras, ò Theodora. Eum'ne Deum credis, qui fuit in cruce suffixus? An qui talis est, te in lupanar coniectam, intactam seruare poterit ab his præsertim viris, qui mulierum amoribus insanire soliti sunt? Fidem, inquit Theodora, & spem habeo in Christo, qui Crucem perpessus fuit sub Pontio Pilato, fore, vt me ab iniquis istis viris eripiat, & à labe omnino liberam seruet in eius fide permanentem, neq; vnquam eum negantem. Iudex verò: Adhuc te nugantem patior, nec dum iubeo tormentis subiici. At si contendere non destiteris, vt ancillam aliquam te prosternens, faciam q; domini, atq; Imperatores nostri iusserunt, vt & reliquis mulieribus exemplum fias. Ad hæc Theodora: Parata sum corpus meum, cuius potestatem habes tibi tradere; anima verò ipsa in solius Dei manu est, ac potestate. Tum Iudex: Excæcate illam statim, ei'q; dicite, ne insanire ampliùs velit, sed cedere, & dijs ipsis immolare. Minimè, inquit Theodora, per Deum ipsum dæmonibus sacrificium, aut cultum afferre volo, cùm Deum adiutorem habeam. Ad hæc Iudex: Quid me cogis tibi honestissimæ fœminæ iniuriam facere? Ausculta mihi, ò stulta, ne in tantam turbam incidas eorum, qui sententiam expectant, quæ contra te feratur. Non sum amens, inquit Theodora, quæ Deum confiteor, & ipsum adiutorem habeo. Quam enim iniuriam mihi fore putas, ea res honorem, & gloriam sempiternam mihi comparabit. Tum Iudex: Ego nō ampliùs te feram, sed Imperatorum iussa exequar; futurum enim existimans, vt persuaderi posses, diutius te ferebam. Quòd si tibi parcens id minus curabo, quod iussus fui, Imperatores contemnere videbor. Illi autem Theodora ita respondit: Sicut ipse Imperatores metuis, quod'q; ab illis iussus es, id facere studes; ita & ego studeo non negare Deum meum; timeo enim & ipsa verum illum Imperatorem Deum contemnere. Contentiosè, inquit Iudex, mecum agis, & æternorum Imperatorum iussa negligis, & me, tanquam imbellem aliquem, despicis? Adhuc trium dierum tempus tibi condono, ac per deos omnes, nisi animum mutes, & sacrifices, in lupanar te tradam, vt mulieres omnes te ita tractari videntes, turpitudine tua castigentur. At Theodora: Et nunc idem Deus est, & semper, qui non permittet, vt eum derelinquam. Peto autem vt

intactam, ac puram me seruari iubeas, quoad sententiam tuleris. Tunc Iudex ait: Theodoram sub tuta custodia seruate vsq; ad tres dies, si fortè resipiscens sibi ipsa persuaserit, vt à tali contentione desistat. Quin & præcipio, ne permittatis aliquem ad eam ingredi, & cum ipsa versari, propterea quod familia nobili, & honesta nata est.

Post tres dies cùm Iudex in tribunali sederet; Adducatur, inquit, Theodora. Cohors ait: Domine, presto est Theodora. Tum ille: Si resipuisti, & tibi iã persuasisti, nunc sacrifica, & esto libera; puto enim te nequaquã sapere in eodem proposito persistentem. Respondit Theodora: Et antea dixi tibi, & nũc eadem dicere nõ recuso, castitatis meæ professionẽ Christi causa susceptã esse, qui fuit incorruptæ vitæ prædicator, meam'q; confessionem ipsius Dei gratia fieri. Eius igitur Domini, & Dei confessio per me prædicetur, & ipse videat (scit enim) quomodo suam Virginem puram conseruet. Per deos ipsos, inquit Iudex, dominorum iussa veritus, ne fortè illis non obediens, pericliter, aduersus te faciam, quod sum iussus. Quoniam verò in lupanar tradi maluisti, quàm diis ipsis sacrificare, videamus, num te seruet Christus ille tuus, propter quem in contentione ista persistere voluisti. Id cùm Iudex dixisset, ad cohortem versus; Tradatur, inquit, ista in lupanar. Tunc ait Theodora: Tu, Deus, qui occultas res inspicis, qui nouisti omnia, priusquam illa fiant, qui ad hodiernum vsq; diem mihi affuisti, & intactam in ea re me seruasti, quam tibi promisi, ipse & posthac me custodias, & à profanis, & iniquis eorum manibus, qui parati sunt ancillæ tuæ iniuriam inferre, incolumem, & integram serues. Hæc cùm illa dixisset, ad lupanar ducta est; ad quod ingressa oculos ad cœlum erexit, & ait: Tu, Pater Domini nostri Iesu Christi, me adiuua, vt ab his canibus eripiar. Tu, qui Petrum in carcere adiuuisti, eum'q; ab iniuria liberum illinc eduxisti, & me hinc ab iniuria incolumem educas, vt omnes videant, me'q; seruam tuam esse cognoscant.

Turbæ autem illæ eam, vt lupi agnam, circundantes, certatim studebant pro se quisq; ad eam ingredi, & vt canes in feram aliquam, & accipitres in columbam, ita in eam turbæ inhiantes ingredi festinabant. Cæterùm neq; tunc Christus ipse cessabat, sed cùm quendam ex fratribus præparasset, ad eam illum misit. Quidam enim religiosissimus frater, qui Dei negocia tractare optimè didicerat, & quemadmodum aliquem ex Dei voluntate diuitem fieri deceret, benè nouerat, ille cùm è rebus bonis semper aliquid ampliùs appeteret, & sibi comparare studeret, duplicem martyrij coronam sibi conciliauit, & regnum cœlorum hoc modo rapuit. Cùm enim militari habitu se induisset, primus ad eam ingressus est, quasi vnus ex impudentium, & intemperantium hominum numero esset. Eius igitur hominis nouam, & peregrinam figuram sancta illa virgo Theodora cùm vidisset, fuit perterrita; ea enim res multum iniuriæ, ac turpitudinis præseferebat. Quamobrem ancipiti, & dubio animo carceris angulos circumibat secum cogitans, num à Christo ipso relicta esset.

At sanctus Didymus (ita enim vocabatur) vt germanus frater, incipiens eam affari; Non sum, inquit, id, quod vides; extrinsecus enim lupus videor, intus verò sum ouis mansueta. Ne spectes exteriorem hanc vestem, sed interiorem, & promptum animi affectum consideres. Frater enim sum in aliena figura, contra diabolum sapiens, eorum quidem veste indutus, qui sunt illius ministri, vt ita huc ingrediens non agnoscerer (erant enim, qui huc venientem speculabantur) & Domini mei pretiosam possessionem, & Dei columbam puram seruare possem. Sed agè vestem mutemus; tibi Deus ipse victoriã largitur; me verò coronat sanctus, & qui sine macula est, agnus ille, qui tollit peccata mundi. Exi tu, & ad Dominum ito; ego propter Dominum hîc

remanebo. Hac meã veste, quam timebas, induaris. Esto tu pro me, vt est ab Apostolo dictum: Estote, vt ego, quoniam & ego, vt vos. Ille quidē hæc dicebat, Theodora verò libenter ei obtēperabat. Nouit enim ab illo ipso Deo, qui misit in lacum leonum Prophetam Abacuc, vt Danieli, qui & ipse Propheta erat, cibum impartiret, qui'q; & leonum ora obstruxit, militem illum tunc ad se missum, vt ipsius habitu occultata, & illinc erepta seruari posset.

Illa igitur virgo militis habitum sumpsit, ocreis'q;, quibus antea miles vti consueuerat, crura sua contexit; cùm'q; reliqua veste se induisset, capiti galeam imposuit, eius'q; armis acceptis, illo ipso, quem qui ei astiterat præcepit, ornatu induta egressa est. Admonita etiam fuit, ne quem aspiceret, propter eorum luporum impudentiam, atq; audaciam, ne'ue aliquem alloqueretur; sed recta ad portam tenderet, & Iesū ipsū viæ ducem sibi ꝓponeret. Et illa quidem illinc egressa, vt columba quædam alas quatiens, atq; in cœlum tendens, ex accipitris ore, vel agna è leonum faucibus, euasit. Frater verò ille sedebat, de sorore non ampliùs solicitus, & spirituale prandium expectans. Cùm'q; se capitis tegumento induisset, eo in loco sedebat. Erat autem ita coronatus, vt si aduersarium ipsum vicisset. Interuallo autem temporis quidam ex insanientium numero intemperantiæ seruus, ita vt erat impudens, illuc tanquam ad virginem ingredi ausus, cùm virum pro virgine offendisset, mente perculsus secum ipse dicebat: Nunquid virgines in viros transfert Iesus iste? Miles ille, qui ante me huc ingressus est, exiit. Quis'nam igitur hic est, qui sedet? Vbi'nam virgo illa, quæ hîc inclusa erat? Audiui aliquando à Iesu ipso aquam in vinum conuersam, nunc maius quiddam video; virginem enim in virum mutauit. Timeo ne & me in mulierem conuertat.

Ille verò cùm opportunè sororem eripuisset, factum suum non occultauit; sed clara voce; Non mutauit, inquit, me Dominus, sed & mihi, & illi coronam dedit. Quam igitur habebatis, eam non habetis; qui'q; vobis nō erat, eum nunc habetis. Virgo illa virgo est vt antea, miles verò Christi Iesu Athleta nunc est. Egressus igitur, qui fuerat paulò ante ingressus, quod factum erat, nunciauit. Id autem Iudex audiens, iussit eum ante tribunal sisti. Quem præsentem cùm vidisset, eum interrogans ait: Quod'nam tibi nomen est? Didymus, inquit ille, ego appellor. Tum Iudex: Et quis'nam tibi suggessit, vt istud faceres, ac me contemneres? Cui Didymus: Deus me misit, vt hoc facerem. Confitere, inquit Iudex, antequam tormentis subiiciaris. Vbi'nam est Theodora illa virgo? Respondit ille: Per Christum Dei filium, vbi ea sit, nescio. Illud scio, ac persuasum habeo, ꝙ cùm Dei sit serua, & Deum ipsum satis confessa fuerit, intacta permansit; quam Deus ipse incolumem & à labe puram seruauit. Itaq; quod factum est, non mihi, sed Deo ipsi tribuo, quoniam secundum fidem ipsius fecit illi Deus, quemadmodum & ipse nosti, si fateri velis. Tunc ait Iudex: Cuius'nam sortis homo tu es? Christianus, inquit Didymus, ego sum à Christo liber factus. At Iudex: Cruciate istum vehementer duobus modis propter eius petulantiam. Peto, inquit Didymus, vt quod ab Imperatoribus tuis iussus es, celeriter expedias. Cui Iudex: Per deos duplicia tormenta tibi reposita sunt, nisi diis ipsis sacrifices. Quod si feceris, prius illud facinus tuum audax condonabitur. Ego, inquit Didymus, re ipsa tibi ostendi, me Dei Athletam esse; propter finem enim mihi repositum hoc facere aggressus fui, vt & virgo ipsa, virgo remaneret, & ego Dei confessionem manifestè profiterer; nam in Dei fide permanens, tormenta non sentiam. Itaq; celeriter fac, quod videtur; non enim dæmonibus immolo. Nā & si in ignem me tradere volueris, illinc etiam Deus me potest eripere.

Tunc

Tunc illi Iudex: Tantæ audaciæ causa caput tibi abscindetur; & quoniam dominorum, atq; Imperatorum nostrorum præceptum contempsisti, reliquiæ tuæ in ignem tradentur. Ad hæc Didymus; Benedictus, inquit, Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui consilium meum nō despexit, sed & Theodoram ancillam suam integram seruauit, & me per duo tormenta coronabit. Cūmq; sententiam à Iudice latam accepisset, securi percursus est. Quo facto eius corpus in ignem fuit coniectum. Martyrio autem functus est sanctus Dydimus Nonis Aprilis, regnante in cœlis Domino nostro Iesu Christo; Quoniam ipsi est gloria cum Patre, & sancto Spiritu nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

MARTYRIVM SANCTI BADEMI ARCHIMANDRITAE.

VIII. APRILIS.

QVO tempore Quadraginta illi sancti martyres interfecti sunt, comprehensus fuit Bademus sanctus Archimandrita vnà cum septem quibusdam suis discipulis, & Regis Saporij iussu in carcere conclusus. Bademus autem ille ortum ducebat ab Vrbe Betlapat, ex familia admodum diuite. Cùm verò monachorum institutionem sequi cœpisset, omnia sua pauperibus distribuit. Cùmq; monasterium extra vrbem ædificasset, illic residebat, studens in omnibus Deo placere, &, quæ diuinæ voluntati grata sunt, ea perficere. Erat enim vir ille gratiæ, & veritatis plenus, & diuinæ electionis vas.

Hic igitur vir sanctus, diuina quadam, & perfecta prudentia ductus, ascendit in montem Domini, & habitauit in loco sancto eius, benedictionemq; accepit à Deo Saluatore suo, & aspexit faciem Dei Iacob. Hic est, qui nostris tēporibus fermēti loco relictus fuit ex perfecto illo sanctorum martyrū fermento, qui ab initio perfecti fuerunt. Eius autem sancti viri cæde, ac sanguine nostrorum temporum imbecillitas firmata est. Hic verè lapis fidelis sectus est à monte illorum, qui à principio fideles extiterunt; raptus enim fuit mysterij causa, vt nobis omnibus esset salutis via. Ita verò generosum, & constans propositum in martyrio subeundo præstitit, ac talem animi ardorē in Deū ostendit, sicq; ab omni sorde, labe, ac macula purum se præbuit, vt praua facinora aduersus illum nihil loci habere possent. Rapina ipsa statim procul ab eo fuit; cupiditates omnino extinctæ nihil contra illum poterant; mammonas eius virtutem cognoscens obstupuit; aurum se ab eo abscondidit; diuitiæ statim ab eodem spretæ sunt; arrogantia confestim apud illum fracta est; superbia in eius conspectu subitò humiliata; tumor, & animi elatio, vt puluis, in eius oculis cōculcata est. Paupertas verò ad eius pedes omnino fixa, & corroborata est; mansuetudo latera ipsius fuit amplexa; veritas in eo exorta, & iustitia erecta; charitas illum amplexata, & pax osculata, eoq; gauisa est; concordia in ipsius ouili posita; omnibusq; iustitiæ fructibus vir ille plenus fuit.

Omnes hæ virtutes in eo viro habitabant, quoniam odor suauis ipsius animæ mirum in modum singulis virtutibus iucundus erat, & ex illius candore animi tanquam fructum quendam libenter percipiebant.

Cùm igitur quatuor menses in carcere confecisset vnà cum septem illis discipulis vinctus, afflictus, & assiduis flagellis verberatus, omnia prompto animo perpessus est propter suam in Deum spem, & veritatis fiduciam. Erat autem tempore illo quidam, nomine Nersan, princeps vrbis, quæ Aria dicebatur. Eius verò vrbis fines Betgerme appellabantur. Hic Nersan, cùm esset Christianus, à Rege ipso cogebatur solem adorare. Sed cùm nollet contra Christi fidem facere, in vinculis detinebatur. Postea verò animo remissiore factus, & corde perculsus, martyriiq; formidine detentus propter tormenta, quæ violenter in illum inferenda erant, non ita, vt cœperat, ad extremum vsq; perseuerauit; sed mortalis, & breuis huius mundi amore captus, tormentorum angustiis succubuit. Sicq; miser ille, cùm vtrunq; appeteret, ab vtroq; excidit. Nam diuinam vitam perdidit martyrium aufugiens, & huius mundi voluptatibus frui non potuit terrenam gloriam appetens. Cùm enim caduci, & terreni Regis, magis quàm æterni, & cœlestis Dei honorem amaret, se à Deo ipso velle deficere professus est, & omnibus, quæ Rex vellet, se obtemperare.

Rex igitur, vt audiuit Nersan eo animo esse, valde gauisus est, & statim de sancto Bademo cogitauit, iussitq; illum vinculis exolutum, in atrium palatij per obliquam ianuam duci. Bademo autē eò ingresso, vbi Nersan vinctus detentus fuerat, Rex duobus quibusdam principibus viris hæc dixit: Si Nersan Bademum interficit, à vinculis soluatur, & accipiat eius bona. Iusserat enim Rex ipse omnia ipsius bona in fiscum conferri. Confestim igitur sanctum Bademum in medium constituerunt. Ille autem miser Nersan, vt audiuit quod à Rege dictum fuerat, & caduca mundi bona appeteret, stricto ense, ad Christi Martyrem interficiendum profectus est. Sed tremore quodam correptus, cùm plagam in virum sanctum infligere vellet, tanquam lapis statim immotus permansit. At Christi seruus ad eum oculos erigens; Vsq; eò, inquit, ò Nersan, malitia tua progressa est, vt non solùm tibi satis sit, quòd Deum tuum negaueris, sed & seruos ipsius interficere contendas? Væ tibi, væ tibi, infelix. Quid facies in die illo, aut quò fugies à terribili iudicio, cùm steteris ante horrendum illud tribunal magno, & æterno Deo rationem redditurus? Ego quidem, ò miserrime, martyrio Christi mei prompto animo conficiar; at nollem tamen manu tua confici, sed ab alio quopiam mortem sustinere voluissem.

Ille verò neq; his sermonibus erubescens, neq; quod iussus fuerat, valens perficere, faciem suam, vt lapidem, firmauit, & cor ferreum, ac durum habens, sanctum virum sæpiùs ense illo percussit; Sed nec semel opportunā plagam infligere, neq; eum interficere potuit; eius enim manus valde tremebat. At beatus Bademus cùm eiusmodi angustiis affligeretur, spiritum suum emisit, ensis ictibus tot, tantisq; confectus, vt omnes Gentiles firmam sancti martyris patientiam admirarentur, quòd velut columna quædam immobilis persistens, violentos plagarum impetus exciperet, & corde stabilis maneret; Regem verò illum propter imbecillitatem, & lentitudinem irriderent, & execrarentur. Sed & hic Nersan non multò postea mercedem recepit his dignam, quæ in Martyrem Christi commiserat, multis, & diuersis malis oppressus, & ense malè perditus.

Sanctus autem Bademus martyrio consummatus est mense Aprili, die octauo, in Christo Iesu Domino nostro. Eius verò reliquias extra vrbem eiectas

sustulerunt clam viri religiosi, & omnem diligentiam adhibentes, illas reposuerunt. Eius autem septem discipuli in carcere conclusi quatuor annos manserunt; & post mortem Saborij Regis in pace dimissi sunt, permissum'q; fuit, vt in sua ipsorum fide permanerent, gratia Domini nostri Iesu Christi; Cui gloria est in secula seculorum. Amen.

ALOYSIVS LIPO-
MANVS EPISCOPVS
VERONENSIS
PIO LECTORI.

NE mireris, amantissime lector, si alteram tibi magni martyris Georgij vitam paulò post primam legendam offerimus. Illam enim ex Veneta à Metaphraste, hanc verò ex Cryptæ Ferratæ bibliotheca à Pasicrate eiusdem beati martyris seruo scriptam habuimus. Quæ licet in paucis quibusdam dissimiles videantur, ea tamen dissimilitudo non in re, sed in ordine potiùs consistere videtur. Ea verò, quæ vnus tacuit, alter suppleuit. Vtraq; igitur cum sequente Encomio legenti iucunda erit, cùm in sancti huius martyris gestis enarrandis plurimùm conueniant. Fecimus hoc eò libentiùs, quò apud Latinos nostros de gloriosissimo, & celeberrimo martyre nihil, quod fide dignum esset, legebatur, cùm constet inter apocryphas scripturas connumerari passionem sancti Georgij martyris, quæ olim à sanctissimo Gelasio Papa reprobata est. Ne quis autem putet hanc historiam, quam nos in lucem proferimus à duobus iam dictis auctoribus contextam, eandem esse, quam ipse beatissimus Gelasius reprobauit, sciat, ipsam Orientalis Ecclesiæ testimonio confirmari, in qua singulis annis recitatur in compendium redacta. Itaq; posthac habebis, quo in martyris inuicti solenniis animum tuum abundè oblectare possis. Vale, & sancti huius patrocinijs te summoperè commenda. Mira enim sibi ex intimo corde addictis beneficia præstitit, & in posterum præstabit.

MARTYRIVM
SANCTI, ET MAGNI
MARTYRIS GEORGII
A PASICRATE
EIVS
SERVO SCRIPTVM.

XXIII. APRILIS.

NOSTRI quidem Saluatoris Iesu Christi Regnum cum æternum sit, neq; aliquod temporis principium habuit, neq; vllum vnquam finem habebit. Eius verò omni ex parte laudandus, & celebrandus aduentus, quo tempore Dei filius ex Maria Virgine carnem sumpsit, & homo factus præsens in terris fuit, per totum orbem terrarum effulsit, Apostolorum doctrina, & prædicatione his nunciatus, qui meruerunt, vt in sanctorum hominum sorte numerarentur. Quæ res & mirabilis fuit, & naturam omnem, ac sapientiam superauit. Multis autem incredibilis visa est propter admirabilem, & quæ hominum opinionem superabat, eius rei magnitudinem. Incredibile, inquam, id visum est illis, qui errori seruiebant. Quamobrem omnes, qui terrena, & falsa huius mundi gloria detenti erant, diuinæ prouidentiæ mysterium, ignominiam, & nugas quasdam existimabant; sanctaq; illa Dei hominis facti, & salutaris eius Regni prædicatio, à Iudæis quidē scandalū, à gentibus verò stultitia putabatur. Et tamē nihilominus Deo ipsi placuit per multam, & admirabilem seruorū suorū tolerantiam humanum genus ad veram, ac salutarem religionem conuertere.

Accidit autem, vt tempore illo, quo satanæ ipsius superstitio, & idolorum seruitus in hominibus dominabatur, Diocletianus Romanorum imperio poti retur, qui pestis profectò quædam fuit, & contra Christi gregem fera valde agrestis, inanium idolorum errori nimium addictus. Erat illi amicus quidā, qui sentiebat idem quod ille, & impietate mirum in modum excellebat. Huic nomen erat Magnentius, qui secundas in imperio tenebat, & aduersus Christianos insania quadam efferuescebat, colendorumq; idolorum impietate nimia efferebatur. Vnà igitur consultarunt, quid'nam fieri oporteret ad Christianorum culturam omnino de medio tollendam, & ad omnes homines deorū

suorum cultui subijciendos. Erant enim idolorum errori, quo animæ ipsæ perdebantur, valde inhiantes, Apollini præsertim perdendorum hominum duci.

Cùm igitur simul consultassent, edicta scripserunt Diocletiani Imperatoris nomine ad omnium Prouinciarum, ac regionum Præsides, Tribunos, & qui magistratu aliquo fungebantur. Literarum autem forma hæc erat. Diocletianus maximus semper Augustus æternus Imperator omnibus per omnẽ prouinciam, ac Romanorum ditionem Ducibus, Præsidibus, ac magistratu aliquo fungentibus salutem. Quoniam ad diuinas nostras aures fama quædam peruenit, quæ non mediocriter nos perturbauit, hæresim quandam valde impiam eorum, qui Christiani dicuntur, vigere cœpisse, quippe qui Iesum, quem Maria quædam Iudaica fœmina peperit, vt Deum colunt; Apollinem verò magnum illum deum, Mercurium, Dionysium, Herculem, ac Iouẽ ipsũ, per quos nostræ Reipublicæ pax data est, contumeliosis maledictis insectantur, venerantes, vt Deum, Christum illum, quem Iudæi, tanquã maleficum, in cruce suffixerunt; hac de causa edicimus, vt omnes Christiani, tam viri, quàm mulieres per omnes vrbes, ac regiones suppliciis acerbissimis subiiciantur, nisi diis nostris immolare, & errorem illum suum abiicere voluerint. Et si quidem paruerint, veniam illis dari volumus; sin minus, gladio percuti, & morte pessima puniri. Illud autem scitote, si hæc diuina nostra edicta neglexeritis, easdem, quas & illi dabunt, pœnas vos daturos.

His literis per omnem vrbem, ac regionem propositis, & persecutione magna contra Christi gregem erumpente, ita vt multi ex iis, qui valde insignes erant, post plurimos cruciatus animo remissiore facti sint, Diocletianus ipse magis magisq; insaniens, omnem Senatum ad se conuocauit, omnesq; magistratus, & militares tribunos, qui cum eòdem conuenissent, rursus consultabat, quomodo ex imperio suo Christianorũ genus omnino delere posset. Cùm verò tam ij, qui vnà sederent, quàm qui assisterent Imperatori, metu detenti se id prompto animo facturos dixissent, quod in mentem illi veniret, Diocletianus hanc habuit orationem.

Mihi quidẽ, charissimi auditores, nihil nostra in deos pietate videtur præstabilius. Nam & imperium ipsum nobis, & hominibus omnibus salus ab illis data est. Iustum igitur censemus deos ipsos perpetuis sacrificiis compensandos; eos verò Christianos, qui adhuc extant, & deos nostros contemnunt, omnium generum cruciatibus tandiu subiiciendos, quoad istorum impia superstitio dissoluatur, & mortis genere turpissimo extinguatur. Itaq; ad hæc ipsa omnes vna voce responderunt: Nos, maxime, inuictissimeq; Imperator, vestræ diuinitatis in omnibus prouidentiam amplectimur, & immortales deos honorari volumus, quemadmodum & vestrum imperium iubet. Si quis verò post hac extiterit, qui vel cogitatione ipsa Christum nominet, omniũ generum morti subiiciatur.

Cùm impius ille Tyrannorum Senatus ad hunc nefariũ, & peruersum modum decreuisset, & eiusmodi edicta proposuisset, omniumq; generũ tormenta contra Christianos homines excogitasset, & multi Christianorũ inimici diligenter inquirerent (quippe quòd aptissimum tempus sibi oblatum viderent) si quem Christianum inuenire possent; eo tempore, vt in obscura nocte stella quædam clara, & splendida effulsit pretiosa illa Christi margarita, Georgius, qui fuit meus dominus, & Christi miles. Ille multorum deorum errorem, & idolorum superstitionem, velut nubem quandam, exterminauit; & perfecta, cœlestiq; mente salutaris prædicationis diem proprio certamine omnibus ea re dignis illustrem ostendit. Qui fœdissimi Imperatoris Diocletiani minas

nihil metuens, non tam multorum Principum, qui cum illo erant, furorē, nō exercitū, nondenique proposita tormenta aliquo modo cogitans, sed in ea omnia, quæ verè terribilia sunt, intentum animum habens, religioso cordis sensu hæc secum dicebat: Quid cessas, Georgi, cùm Deus ipse eos inuitet, qui ad eius nuptias ire volunt? Patefactus est thalamus nuptialis, cœna parata est, quid cessas intrare priusquam ianua claudatur? Præsto est nūc Iesus, qui Crucem propter nos sustinuit. Clamat ille: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam verò non possunt occidere. Recordare, Georgi, Euangelicā illa documenta, & verum illud Domini promissum: Qui confessus fuerit me coram hominibus, confitebor & ego illum coram Patre meo, qui in cœlis est. Vitæ huius breuem vmbram, ac citò prætereuntem æternæ illi vitæ ne præferas, neque vanam mundi gloriam cœlesti spei anteponas; quoniam omnis gloria hominis est tanquam flos agri. Paulisper sustine, & cum Angelis perpetuò exultabis.

Hæc cùm secum ipse voce non elata, sed tam clara, quæ audiri poterat, collocutus esset, & consilio valde bono cogitationem suam confirmasset, non solùm Tyrannorum minas non extimuit, sed etiam veritatem ipsam verbis, ac factis prædicauit, & propositam tormentorum multitudinem irridens, suis certaminibus maximam sanctissimæ Christi Ecclesiæ doctrinam, & pulcherrima reliquit monumenta. Erat sanctus hic Christi martyr Georgius genere Cappadox, nobilis, moribus, ac facultatibus valde illustris, diuina quadam prudentia ornatus, atque tribunatibus plurimis functus. Aderat autem tunc ille vnà cum exercitu Imperatori.

Cùm igitur tantam insaniam ab idolorum seruis aduersus Christum exerceri vidisset, celeriter pecunias, & facultatem omnem suam pauperibus distribuit. Cùmque se Athletarum more ad stadium subeundum exuisset, & in medio regij tribunalis, Senatusque, & omnium militum illic sedentium, eorumque, qui magistratu aliquo prædit assistebant, præsenti animo stetisset, alta voce; Christianus, inquit, ò Imperator, ego sum, qui fretus vero, & cœlesti Deo, ac Rege Christo in medio vestrum stare non sum veritus. Miror autem tanto in istis idolis colendis errore vos detineri, & æternum, ac viuentem Deum ignorare, qui omnium opifex est, & tibi regnum istud dedit. Quamobrem, Imperator, & omnes, qui hîc vnà sedetis, nolite dæmonum errore, ac fallacia decipi. Dij enim, qui cœlum, & terram non fecerunt, dispereant. Nos verò Christiani vnum Deum Patrem adoramus, & vnum Dominum Iesum Christum filium Dei, per quem facta sunt omnia, & vnum Spiritum sanctum Dei, Trinitatem perfectam in vna diuinitate, & regno. Quapropter, & hîc piè viuimus, & post mortem vitam æternam expectamus. Vestra autem simulachra, quæ colitis, reuera nugæ sunt, & risu digna, cùm & fabulæ sint, & nihil veri in se habeant; nam diaboli inuentum hoc fuit, quod perniciem, atque interitum ijs affert, qui mentem illis adhibent.

Hæc cùm ille dixisset, Magnentius, qui secundas post Imperatorem tenebat, & illi erat valde charus, intuens in Georgium; Quodnam, inquit, est nomen tuum; & quisnam es tu, qui tantum audaciæ præfers? Respondit Georgius: Ego primo, & præcipuo nomine Christianus appellor, vt verò apud homines vocor, Georgius sum, cùm ita Deo meo placuerit: oportet enim me copiosum, & vberrimum cœlesti Deo meo pietatis fructum offerre. Tunc in eum intuens Diocletianus Imperator, velut sæuus aliquis draco; Audio, inquit, Georgi, prudentia, & fortitudine semper te probatum, & honoribus à regali nostra prouidentia dignum fuisse habitum. Agè igitur dijs nostris immola, ne pessimè moriaris, sed nostra humanitate magis frui possis, & honorē,

ac diuitias copiosiores, fiduciamq; maiorem apud nos ipsos assequaris. Ista nunc vana fiducia tua nihil tibi proderit.

Adhæc Georgius: Vtinam, ò Imperator me ferres, & verum, atque vnicum Deum agnosceres, vt & cœleste Regnum mereri posses. Ista enim potestas tua ad breue tempus est, tuaq; promissa, atq; illecebræ nunquam meæ in Deum pietatis stabilitatem commouere poterunt. Tui honores tecum sint, & promissa tua illi habeant, qui tibi obtemperant. Ego enim Christum habeo cœlestem Imperatorem, qui contra satanam, & eius ministros victoriam, & gloriam mihi præbet. His commotus Imperator, & furore accensus, iussit vecte illum ita verberari, vt eius viscera in terram funderentur. Quo facto, eius corpus sanguine circũfusum erat; vectis verò, vt plumbum, in posteriorem partem reflectebatur. Tunc dixit sanctus Georgius: Gratias tibi ago, Domine Iesu Christe, quoniam gladium à ministro diaboli sustulisti, & eius contra nos fremitum deiecisti. His commotus Diocletianus, & ira multa repletus, iussit eum de ligno deponi, & in carcerem duci, eiusq; pedes in ligno grauiter extendi, & in ipsius pectore lapidem magnum imponi. Lapide autem imposito, qui vix baiulari potuit, alta voce sanctus Georgius dixit; Gratias ago tibi, Deus, q dignus sim factus, qui onus acciperem, quod pectori, & cordi meo imponeretur, quodq; meæ in te confessionis stabilitatem firmare debeat.

Crastino autem die suggessit satanas Diocletiano, & iis, qui cum ipso erant, vt iuberent rotam quandam valde magnam multo, & vario artificio componi. Facta igitur fuit rota gladijs vndiq; armata, in quam iniquus ille Tyrannus iussit sanctum virum iniici. At ille vt in eum locum ductus fuit, & tristem illam machinam diaboli arte compositam vidit, in eam intuens dixit: Domine Iesu Christe, gratias tibi ago, q in hanc sortem me vocasti. Tu igitur, qui fuisti fixus in Cruce inter duos latrones, & ipse immortalis mortem gustasti, vt à morte hominem eriperes, da mihi, quæso, stabilem, & immobilem tuæ fidei confessionem in hac hora, & serua animam meam ab hac diaboli machina. Hæc cùm dixisset in eam machinam iniectus est, grauiterq; depressum eius corpus in multas partes discissum fuit. Quo facto Diocletianus Imperator, & eius amicus Magnentius elata voce dixerunt: Vidistis omnes, qui hîc præsentes estis, q non sit alius deus, nisi Apollo, & Neptunus, Hercules, Iuppiter, & magna Diana? Vbi nunc est Georgij Deus? Quare non venit ille, & eum è manibus nostris liberauit?

Cùm igitur in rotæ illius tormento eũ manere iussisset, ad prandium se contulit. Hora autem decima sonitus magnus è cœlo factus est, & vox hæc: Esto fortis, Georgi, & sententiam firmam tene; multi enim per te ad fidem meam conuertentur. Qui verò erant illic carnifices, & eum custodiebant, sonitu illo perculsi dicebant: Magnus est Deus Christianorum. Angelus autem Domini venit, & è tormento illo Martyrem dissoluit; cuius corpus cùm sanum restituisset, illum salutans; Gaude, inquit, Georgi, & crede in eum, qui te corroborat, Christum, & cursum tuum perfice. Ecce enim nos expectamus perfectæ confessionis coronam tibi dari. Surrexit autem Georgius lætus, & proprio Domino gratias agens, inambulansq; psalmos illos canebat: Exaltabo te, Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in seculum, & in seculum seculi. Dirige gressus meos, Domine, & non dominetur mei omnis iniustitia.

Cùmq; in eum locum venisset, vbi Apollinis statua erecta erat, inuenit illic Imperatorem, ac Magnentium, & omnes Imperatoris amicos sacrificia, & debacchationes idolis suis offerentes. Cùm igitur propius accessisset, alta voce; Agnoscis'ne, inquit, me, ò Imperator, & eum Deum, qui à me tibi

nunciatur, quiq; me de manibus tuis, & à letali machina, quam ipse opinabaris morti me tradituram esse, omnino eripuit? Erratis igitur vos idolis sacrificia offerentes. Tunc Imperator in eum intuens; Tu, inquit, quis es? Tunc ille; Georgius ego sum tuo iussu in rotam coniectus, quem & dereliquisti in multas partes à rota dissectum; me enim mortuum existimabas; qui & veni, vt tibi ostenderem Deum illum, quem tu vt imbecillem contemnebas, posse nos à morte eripere. Tunc Imperator iussit eum detineri; secum tamen cogitabat, eumq; valde inspiciebat, num non ipse reuera, sed eius imago esset, qui morte violenta sublatus fuerat, & eos illuderet. Magnentius autem dicebat similē illi esse. At sanctus Georgius; Ego, inquit, Georgius sum Christi seruus. Ne erretis in istis idolis; sed scitote Christum posse illos etiam à mortuis excitare, qui spem suam in eo collocarunt, eosq; à vestris manibus liberare.

Cùm verò Martyrem ipsum vidissent, & hæc ab illo audiuissent Anatolius, & Protoleo Tribuni militum, crediderunt in Deum cum familijs suis. Itaq; alta voce dicebant, Vnus Deus est, qui à Christianis colitur; ipse Deus solus. Hæc autem cùm Imperator audiuisset, iussit omnes illos extra vrbem in locis desertis obtruncari: Cùm igitur illi ad martyrium proficiscerentur, vna voce clamabant: Domine Iesu Christe, accipe animas nostras, & in Regnū illud tuum, quod nulla successione mutatur, nos perducas, neq; tarditatem nostram, quam in tui nominis confessione, & fide ostendimus, pro peccato nobis imputes, sed fac vt nihil nos impediat, quominus redemptionem peccatorum consequamur.

Hæc omnia cùm Imperatrix Alexandra de sancto martyre Georgio audiuisset, ipsa etiam Domino credidit, & ad Imperatorem accedens, liberè clamauit: Christiana ego sum, ego serua sum illius Dei, quem Georgius colit. Hæc cùm illa diceret, Magnētius; Dic, inquit, Imperatrix Alexādra: Quare Christum laudans Deos ipsos contemnis? Illa verò: Quod melius est ego appetens, id, quod ignobilius, & peius est, contempsi. Hæc cùm dixisset, domum rediit, interea Christi timorem in corde seruans, & fidem immobilē. Imperator autem furore percitus, iussit sanctum Georgium in lacum coniici ardentem ex materia illa, quæ dicitur asbestos, quæq; non nisi post tres dies extingui solet; iussitq; custodes ipsos diligenter obseruare, ne insidiæ aliquæ fierent. Post tres autem dies Imperator præcepit militibus, vt illuc profecti ossa illius, quem morte violenta interfectum existimabat, tollerent, & cautè in terra occultarent, ne aliquid ex ipsis inueniretur. Cùm igitur milites ipsi ad lacum illum venissent, vnà cum illis & multitudo magna ad spectaculum venit, & materia, quæ asbestos dicitur, sublata, sanctus martyr Georgius inuentus est nulla omnino corporis parte læsus. Angelus enim Domini vnà cum illo erat Christi curam in eum exercens.

Cùm igitur illum vidissent, omnes clamauerunt: Magnus est Deus Christianorum. Hæc cùm audisset Imperatrix Alexandra, ipsa etiam venit ad eū locum clamans: Vnus Deus est, quem Christiani colunt, neq; alius est præter ipsum, qui ex omnibus angustijs seruos suos eripit. Crediderunt autem & milites, qui missi fuerant, vt eum è lacu illo educerent. His auditis, Imperator iussit magnam militum manum illuc proficisci, & sanctum eum virum cōprehendere, & ad se ducere. Adducto igitur Martyre, sedens Imperator in tribunali cum Senatu suo; Quis, inquit, est, qui te viuum reddidit? Tum sanctus Christi martyr Georgius ait: Si audieritis rursus, minimè credetis. Illud tamen scito, Imperator, Christum Dei filium ab omnibus tormentis tuis me seruare; & omnes, qui eum inuocant, è laquecis diaboli eripere. Tunc

Imperator iussit ferreos calceos componi, clauos rectos habentes, & ignitos, quibus eius pedes induti huc, atque illuc agitarentur. At sanctus martyr cùm sic agitatus ambulare non posset, secum dicebat: Propera, Georgi, ad sortem illam, quæ te apprehendit. Et lachrymans ita Deum precabatur: Domine Deus meus. Saluator eorum, qui affliguntur, refugium illorum, qui persecutiones patiuntur, patientia eorum, qui nominis tui causa ærumnas perferunt, ne me derelinquas; sed da mihi patientiam vsque ad finem, ne dicat inimicus meus: Præualui aduersus eum.

Cùm primùm autem preces compleuit, venit vox è cœlo dicens: Esto bono animo, Georgi; tecum enim sum. Statim autem eius corpus sanatum fuit. Cùmque Martyr in carcerem coniectus fuisset, eo die, qui deinceps consecutus est, ante tribunal stetit. Imperator verò illi dixit: Quo vsque temeritatē tuam ostendens, tormenta feres, & magicis artibus in dies magis vtens, nos à te deceptum iri putas? Ausculta igitur mihi, & diis immola. Tum Georgius Imperatori, & his, qui cum illo erant: Ego, inquit, Dei mei auxilia expectans, & omnia vestra tormenta sustinens, sanus ante vos consisto. Solius igitur Dei potentiam testimonio meo confirmo, qui & paratus sum omnes vestros cruciatus perferre propter spem, quam in Christo meo collocaui. Vos autem, quæso, quam spem habetis in istis idolis, quæ cùm vitæ sint expertia, & nihil sint, à vobis tamen frustra coluntur? Ne igitur ampliùs vestræ ruinæ cōmune ludibrium aliis proponatis; pudeatque vos tandem deos nominare illos ipsos, qui luxuriis, nugis, fabulis, & cædibus studentes, in hoc mundo paulum vixerunt; & nunc igne illo, qui nunquam extinguetur, puniuntur; qui & vos omnes expectat, à quibus dij coluntur.

Hæc cùm Imperator, & Senatus audiuissent, iusserunt neruis quibusdam ingentibus mirum in modum Martyrem verberari. Cùmque id diutius fieret, Imperator, & Magnentius ei dixerunt: Quousque, miser, non nobis obtemperans, diis ipsis immolabis, vt honoribus magnis doneris? Ego, inquit sanctus Georgius, viuenti Deo quotidie sacrificium laudis offero, qui me liberabit de manibus vestris, & cœlesti honore, atque gloria donabit. Vtinam vos potiùs mihi obtemperaretis, & mecum vnà verum Deum coleretis. Tunc Magnentius ab Imperatore petiuit, vt eum solui iuberet. Cùm igitur ille stetisset, Magnentius dixit: Si vis nos Deo tuo credere, ostende nobis signum aliquod, quod ab illo fiat; & vnum aliquem ex his mortuis, qui iacent, fac è tumulo coram nobis exurgere: Cui sanctus Georgius; Manifestum, inquit, iis, qui rectè sentiunt, hoc est, Deum ipsum, qui è nihilo omnia creauit, posse mortuos etiam homines in vitam restituere. Quamuis autem vos diaboli errore detenti neque hoc facto in Deum viuētem credituri sitis, tamen eius multitudinis causa, quæ hìc præsens est, Dei mei benignitate confisus, ante omnium vestrum oculos Deum ipsum inuocabo, & orabo, vt signum hoc ostendat.

Cùmque genua 1 flexisset, & diutius Deum orasset, surgens, & manus in cœlū extendens dixit: Aeterne Deus, qui vis omnes homines saluos fieri, qui per sanctos Apostolos tuos, vnigeniti filij tui omnium generum signa, & prodigia effecisti, vt gentes conuerterentur, & te cognoscerent, tu ipse & nunc exaudi preces meas humilis serui tui, & exsuscita vnum è mortuis iacentium in hoc tumulo, de quo Magnentius dixit, in gloriam, & fidem nominis tui, & vnigeniti Iesu Christi. Repente verò terræmotus magnus eo in loco factus est; & tumuli, vbi mortui iacebant, tegumentum in terram cecidit, & vnus è mortuis iacētibus exiit. Qui cùm venisset, ante pedes sancti Georgij decubuit, eumque precatus dixit: Serue Dei altissimi, quæso, dignum me facias Christi

1 Orat sanctus primùm cū genuflexiōe, deinde cum manuum in cœlū extensione.

sigillo, & salute. Cui sanctus Georgius; Si credis, inquit, in Deũ, qui mortuos viuos reddit, saluus fies. Credo, inquit ille, in Deum viuentem, & vnigenitum eius filium Iesum Christum, qui nunc per orationem tuam me à mortuis suscitauit.

Imperator verò stupore, & perfidia repletus, eum interrogabat: Quando tu mortuus es? Et quis'nam antea fuisti? Cui mortuus ille respondit: Ego, antequàm Christus in terram veniret, vnus fui ex his, qui errore idolorum detinebãtur; quamobrem in locis obscuris tam multis temporibus cum iis, qui mecum vnà senserunt, hucusq; mansi. His igitur visis, & auditis, plurimi ex eo populo, qui præsentes erant, ac milites, in Deum crediderunt, & Christi gloriam collaudarunt. Id autem cùm Imperator vidisset, amentia, & furore magis repletus dicebat, Georgium Magum esse, & à spiritu illuc adductum, vt eos in errorem impelleret. At beatus Georgius; Quousq;, inquit, erratis, & viuenti Deo blasphemias dicitis? Scito, Imperator, neq; dæmones ipsos tales esse, qui Christi nomen audire patiantur. Quomodo igitur, quæ vidisti, & audisti, dæmonis nomine fieri potuissent? Tunc rursus iussit Imperator sanctum martyrem Georgium in carcerem duci; & ipse in palatium reuersus est. Cum verò ille esset in carcere, omnes, qui ad Christi fidem conuersi fuerant, nocte ad eum veniebant, à carceris custode muneribus aditum impetrantes. Et cùm ad Georgium ingressi essent, ab illo in Christi fide catechumeni efficiebantur. Sed & quicunq; homines diuersis morbis laborabant, ad eũ ferebantur; & qui aliquos cæcos habebant, ad eum illos ducebant. Ille autem precibus eos curabat.

Glycerius verò quidam homo rusticus cùm araret, bos, quem vnum habebat, cecidit, & mortuus est. Ille cùm ad carcerem venisset, ad pedes sancti Georgij se abiecit dicens: Domine, bouem vnum vtilem habebam, quo terram colebam, & ita nutriebar; nunc autem ille cùm sub aratro ceciderit, mortuus est. Precor igitur te, vt Deum ores, & bos meus viuus restituatur: futurum enim scio, vt Deus tuus te audiat. Sanctus autẽ martyr Georgius respondit: Si credis in Deum meum, bos tuus viuus exurget. Credo, inquit Glycerius, non esse alium Deum, nisi eum solum, qui Christianorum est. Tum Georgius; Vade, inquit, nam bouem viuentem inuenies. His verbis ille credens, abiit, cùmq; bouem viuum inuenisset, rediit clamans: Magnus est Deus Christianorum. Illum autem hæc dicentem carnifices, & milites comprehensum ad Imperatorem duxerunt. Quare Imperator turbatus, neque appellationem ipsius audire passus, eum iussit minutatim secari. At ille, cùm in Christi confessione cruciaretur, clamauit: Deus verax, qui omnia effecisti, ne me reprobes vas inutile, quoniã credidi tibi, Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Metuo autem, quoniam sine sancto baptismate tuo sum. Volebã quidem baptismate lauari, sed id antea facere non potui. Verùm si volueris tu, Domine, saluus fiam. Precor igitur te, Domine, vt sanguis meus pro baptismate mihi reputetur, quoniam Deus es, qui corda hominum, & propositum cognoscis, & animum inquiris. Venit autem vox ex alto hæc dicens: Veni, Glyceri, lætus ad me; perfectus enim eris apud me. Itaq; Glycerius martyrio consummatus est.

Delatum autem fuit Imperatori Diocletiano multos esse, qui venirent in carcerem, & à sancto Georgio docerentur, quos omnes ille ad se traheret, plurimos ægrotos curando. Tunc iussit Imperator sanctumGeorgium ad se duci. Magnentius verò dixit Imperatori, Christianorum genus morte non domari, cùm valde sit contentiosum. Itaq; virum istum, inquit, comitate potius, & blanditiis aggredere, si vis ei persuadere, vt diis immolet. Sanctus autem

Georgius, cùm ad Imperatorem veniret, psalmũ hunc canebat: Deus in adiutorium meum intende; Domine, ad adiuuandum me festina. Ductus igitur ad Imperatorem, præsto illi fuit. Tunc Imperator hortari eum ita cœpit: Per solem illum, & deos omnes, si me audieris, Georgi, & dijs nostris immolaueris, facultates multas tibi largiar, & in palatio apud me secundas habebis. Indulgeo enim tibi; & malo te mihi obtemperantem viuere, quàm repugnantem mori. Benè, inquit sanctus Martyr, nunc loqueris. Vtinam & antea iisdem verbis vsus fuisses. Nunc autem post tot cruciatus vbi'nam iniuriam, qua me affecisti, compensatam inueniam? Cui Imperator: Condona mihi, ò Georgi, tanquam parenti crimen istud, & diis immola, ac mecum in palatio viue. Tunc sanctus Georgius; Quoniam, inquit, omnino te ipsum mihi purgasti, hac in re tibi ego inseruiam. Vbi'nam sunt dij tui? Eamus ad illos.

Hoc Georgij dicto Imperator exhilaratus, iussit, omnem Senatum, & exercitum vnà cum populo ad templum conuenire; præconesq́ omnes per totam vrbem clamare, Georgium illum Galilæorum mysteriis eruditum, ad magnũ Apollinem adire. Hac re audita, Græci omnes epulantes clamabant: Apollo vicit; Imperator Diocletiane, in æternum regnes; magni sunt Imperatoris dij. Cum verò in templum omnes introiuissent, & silentium factum fuisset, stans sanctus Dei homo Georgius, & in statuã Apollinis intuens ait: Tu'ne deus es? Num ab hominibus te coli oportet? Hæc cùm dixisset spiritus ille impurus, qui prope statuam illam permanebat, clamauit: Non sum ego Deus, neq; qui mecum sunt; sed vnus est Deus verus, qui fecit omnia, & eius filius Christus, per quem fecit omnia. Nos angeli ipsius eramus, cùmq; ab eo defecerimus, dæmones nominamur, à quibus & homines ipsi decipiuntur. Cui Georgius: Si dii vos non estis, quare homines ipsos decipitis? Quomodo autem & nunc audetis hîc manere, cùm ego Dei seruus hîc stem, super quem inuocatus fuit, & nunc inuocatur Christus verus Deus? Statim autem tumultus magnus factus est, & clamores, tanquam lamentantium, dæmonum, omniaq; templa, & idola vnà ceciderunt, & cõminuta sunt, cùm sanctus ille vir vnà cum verbis, quæ supra retulimus, Crucis quoque [a] signum fecisset.

Id cùm Græcorum sacerdotes vidissent, aduersus sanctũ Georgium irruerunt. Quo detento, clamarunt: Tolle hunc, Imperator, tolle hunc veneficum, qui magicis artibus omnes decepit, & deos ipsos euertit. Imperator autem tum dæmonum fallacia, tum plurimo illo sacerdotum clamore in iram concitatus, dixit sancto Georgio: Homo pessime, atq; omni errore, & veneficio referte, nonne mecum conuenisti, te Appollini sacra facturum? Cui martyr Christi Georgius; Insipiens, inquit, & impudens Imperator, ego meum sacrificium Christo meo vero Deo obtuli; propterea omnes dij vestri euersi sunt. Scito igitur saltem nunc, eos neq; sibi opitulari posse; idola enim sunt sensu carentia, & dæmones, qui stolidos homines decipiunt, sed à Christi seruis euertuntur.

[a] Nota virtutẽ signi Crucis.

Tunc Imperatrix Alexandra cùm hæc audiuisset, ad Imperatorem accurrit, & coram ipso clamans hæc dicebat: Tu, Deus Georgij inuicti militis tui, propitius esto mihi scelestæ mulieri, neq; recorderis, Domine, eorum, quæ per inscitiam commisi; sed respice hanc meam extremam mutationem, & da mihi, vt partem habeam cum Christianis, & cum seruo tuo Georgio. Hæc cùm illa summis clamoribus, & lachrymis diceret, multitudo magna in Dominum Iesum credidit, præsertim propter miraculum illud idolorum, quæ comminuta sunt. Iratus igitur Imperator aduersus Alexandram, & Georgiũ sententiam tulit, & sancto illi martyri dixit: En, pessime Georgi, etiã Imperatricẽ

à te deceptam morti subiecisti. Vade igitur & tu vnà cum illa, & digna tuis in deos blasphemiis pœnam sustine. Legit autem sententiam, quæ sic habebat: Georgium Galilæorum discipulum, qui decretum nostri imperij violauit, neq; deos ipsos coluit, quinetiam Imperatricem ipsam corrupit, iubemus gladio percuti, eiusq;, & Alexandræ ab eo deceptæ capita truncari. Statim igitur eos comprehensos extra vrbem milites duxerunt.

Cùm autem Alexandra prompto animo ad brauium sibi exoptatissimũ vnà cum Martyre illo adiret, & animo, ac mente Deum precaretur, vt labiorum motus, & oculi ad cœlum erecti significabant, assedit in quodam loco, & animam suam Domino in pace reddidit. Cùm verò sanctum Georgium ad martyrij locum milites duxissent, ad ipsos conuersus; Expectate, inquit, paulisper, fratres, vt Deũ precer. Quod cùm illi concessissent, in cœlum 3 oculos, & manus erexit, ac, gemitu emisso, dixit: Deus meus, qui es ante secula, ad quem ego à iuuentute mea confugi, tu, qui bona, & vera es Christianorum expectatio, & certa seruorum tuorum promissio, ac perennis thesaurus, qui antequàm à te aliquid petatur, dona præbes his, qui te diligunt, exaudi me, Domine. Tu, qui dedisti mihi martyrij confessionem, & ad finem vsq; patientiam, tu, inquam, & nunc accipe animam meam, eamq́; ab aëreis, & inimicis spiritibus libera, ac me vnà cum iis, qui tibi grati fuerunt, collocare digneris. Dimitte & gentibus quæcunq; contra me fecerunt, & contra seruos tuos, qui inuocant sanctum nomen tuum. Illumina ipsos, vt veritatem tuam agnoscant, quoniam omnes vis saluos fieri. Emitte auxilium inuocantibus nomen tuum, Christe. Da ipsis timorem tuum, & charitatis in sanctos tuos desiderium, vt eorum memoriam retinentes, ipsorum etiam fidem imitentur, vt digni efficiantur vnà cum ipsis vita cœlesti, & Regno sempiterno; quoniam tuum est regnum, & gloria, Patris, & Filij, & Spiritus sancti in secula. Amẽ.

3 Et hic orat Sanctus, oculis, & manibus in cœlũ erectis.

Has preces cùm sanctus Christi Martyr Georgius compleuisset, genua ipsa inclinauit, & collum suum extendit; & à carnifice percussus dormiuit in Domino vigesimo tertio mensis Aprilis, diei, qui parasceue dicitur, hora septima. Ego verò sancti Georgij seruus, nomine Pasicrates, secutus dominum meum, omnia hæc vera in commentarios collegi. Beatus certè est, qui in Christum verum Deum nostrum, & Saluatorem crediderit; Cui gloria est, & imperium in secula seculorum. Amen.

ENCOMIVM IN SANCTVM MARTYREM CHRISTI GEORGIVM, QVOD HABITVM FVIT IN DIE, QVO EIVS MARTYRIVM CELEBRATVR.

SEMPER quidem splendida, & omnium ore laudata sunt sanctorum martyrum monumenta, cum primis verò laudabile, & gloriosum est, quòd hodierno die celebratur. Præsens enim memoria Martyris nō solùm eorum, quæ Dominus passus est, imitationem continet athletico certamine decorata, & verni temporis splendore (hoc enim tempore eius dies 4 festus agitur) pulchrior facta, verùm etiam hilaritatem, quæ ex sublimioribus Domini Iesu Christi diebus festis proficiscitur, abunde participat. Hic enim inter hos dies, tanquam inter duos soles proprio motu se vertentes, velut luna quædam interiectus, vtriusque splendoribus illustratur, & radiis Christum imitantibus orbem terrarum illustrat. Ante illum quidem effulsit, & cum lucidissima splendentis auroræ hora exortus est, vel statim consequentem, aut continuam potiùs eam horam habuit dies ille 5 festus à toto mundo celebratus, omniumque splendidissimus, ac præcipuus, Saluatoris, inquam, Christi veri Dei, & nostri Domini, & martyrum Principis, Crucem passi, ac resurgentis, qui propter nos homo factus est, & propter nostram salutem martyrium sustinuit sub Pontio Pilato, vt est in sacris literis; quique iis, quæ ipse passus est, victoriam contra mortem nobis largitus fuit. Idem quoque beati martyris Georgij dies festus meritò consequentem habet eiusdem Christi ad coelos Assumptionem; quo die humanā nostram naturam in seipso vnà cū Patre collocauit. Quæ res non casu euenit, sed horum dierum concursu veræ charitatis œconomiam, & manifestam rerum diuinarum cognationem significauit, ita Christo ipso, cuius causa martyrium susceptum fuit, summam in eum, qui illud suscepit, charitatem suam nobis ostendente, vt non solùm

4 Dies festus sancti Georgij.

5 Dies festus Dñicæ resurrectionis à toto mundo celebratur.

his, quæ passus est, eius similitudinem exprimeret, sed in ipso etiam die, quo passus est, se similem ostenderet.

Hæc eadem celebritas & alias omnes, quæ Martyribus in toto anno dicatæ sunt, antecedit, cùm sola hæc post sanctam Christi resurrectionem verno tempori, ac splendori præsideat. Quoniam igitur hæc athletica panegyris, ac celebritas his finibus circunscribitur, operæpretium est deinceps & eiusdem decus per partem explicare. Celebritatis autem decus est tum salutaris oratio, tum diuinum aliquod opus. Græcis quidem, & Barbaris, omnibusq; aliis, in quibus idolorum error dominabatur, diei festi honestas, & iucunditas erat, omni turpitudine, & intemperantia dæmones colere. Nobis verò, quibus Crucis trophæum contra mortem datum est, diuersum proponitur, hoc est omnibus certaminibus illos ipsos dæmones expugnare, ac redarguere. Quamobrē voluptatum dissolutio, vt turpissima res nobis inuisa est; labor autem, qui pro virtute, & mors, quæ pro pietate suscipitur, vt suauissima quædam res, à viris fidelibus præter cætera exoptatur. His rebus factum est, vt idolorum error deletus sit, & Martyrum multitudines effulserint, atq; terrestria loca cœlū sint effecta, sanctis viris, velut stellis quibusdam, exornatā. Nam huiusmodi quotidianæ celebritates terrarum orbem continent, Martyrum trophæa, eorumq; reliquias honorantem, & certamina illa, quæ martyres obierunt, pleno cœtu celebrantem, certamina, inquam, illa, quæ communis hostis maliciosè intulit, Dei cultum, & nomen illud, quod aliis commune non est, per idola ipsa sibi vendicare contendens. At Deus omnium, & Saluator, & stadij Princeps, pro sua in homines charitate concessit, humanam naturam aduersus illum victricem euadere, vt, à quibus studebat, tanquam deus, adorari, ab iisdem, vt mortuus, & pedibus conculcatus, irrideretur.

Quoniam igitur idolorum insania, & caligo eo tempore per omnem terrarū orbem effusa, propemodùm & eas partes, quæ non habitantur, repleuerat, omnibus ferè ad impietatem sponte se conferentibus, & eum, qui verè Deus est, summæ obliuioni tradentibus, tenebris, & longæ noctis compedibus irretitis hominibus illis, qui dæmonum culturam plurimi faciebant, & vanis spectris, tanquam miraculis quibusdam, perterrefactis, in dies superstitiosiores efficiebantur impietatis duces, & amatores studiosissimi, Diocletianus, inquā, & Magnentius; eorumq; per omnem vrbem satellites, instar suum, ad impietatem irruentes, studiosè in pessimis rebus versabantur, & non erat respectus morti eorū; ambulantes enim ambulabant in lumine ignis sui, neq; firmamentum erat in plaga eorum, cùm Deus ipse diuturna patientia illos prosequeretur, vt qui iusti essent, manifesti fierent; ne hominum natura imperfecta penitus perderetur, frumento vnà cum zizaniis exciso.

Tunc, velut stella quædam in die apparens, lætum pietatis fulgorem emittens illustris hic, & omnium voce decantatus Georgius apparuit, qui & nomine, & re fructuosus extitit, Georgius, inquam, qui & nomine ipso diuinum factū, & facto gratiam nomini congruentem in se ipso ostendit; qui Issachar imitatus est, & diuinæ agriculturæ bonitatē amore prosecutus fuit; qui laboriosam culturam amauit, &, vt scriptum legimus, ipse ab altissimo Deo agricultura effectus est; qui, vt bonus agricola, à teneris vnguiculis laborauit, & fructum centuplo copiosiorem suo tempore Domino reddidit; qui aratro virtutis suauē pietatis sulcum recta via duxit, ob idq; aptus Regno cœlorum probatus est; qui cum lachrymis sementem iecit, & cum exultatione messem collegit; qui cum luctu semina ipsa sparsit, & gaudens manipulos reportauit; qui fuit terra benè culta, quæ sæpè in se venientem Spiritus sancti pluuiam ebibit, & salutarem herbam his peperit, qui eam decerpunt cum fide.

Hic

Hic fuit campus ille odoratissimus, in quo pietatis flores abundè floruerūt; ex quibus faui mellis sponte producuntur, quorum dulcedo curatio quædam est animæ. Hic fuit arbor illa fœcundissima iuxta fluuios Spiritus sancti sata, & perpetuò florens, semperq; maturos virtutis fructus ferens ad illorū animos excolendos, qui talium fructuum cum fide participes fiunt. Hic fuit feracissimus veræ illius vitis palmes, cuius agricola est Pater cœlestis, qui spiritualem iucunditatem per ipsum nobis excolit ad nostros affectus curandos, & animam, & corpus renouandum. Idem fuit & diuinarum aquarum fons, ex quo animæ steriles irrigatæ, & excultæ, fidem, spem, charitatem, virtutum trinitatem diuinæ Trinitati amabilem produxit. Hic fuit diuinarum cogitationum cultor, & ipsius Dei ager, in quo pietatis gratia exculta fuit, & miraculorum copia, quæ omnibus vsui sit, excolitur. Solet enim appellatio ipsa Dei gratiā, & hominum virtutem indicare. Id quod in Abraham, in Sara, Isaac, Iacob, Mose, & in aliis multis factū didicimus. Talis fuit & nomine, & re Georgius.

Hic vt rosa quædam in mediis spinis tunc exortus, & tanquam liliū ex fœtida herba suauem pietatis odorem emittens, in medio idololatriæ cœno extitit; vt cupressus in ea regione, in qua rubi sunt; tanquam oliua fructifera in solitudine; & vt palma dulces reddens fructus olim amaros; vt luna plenum lumen emittens in nocte valde tristi; deniq; vt fax quædam in obscura caligine, & vt matutina stella in mediis nubibus, ac tenebris, iis, qui errabant in pelago impietatis, lucem præferens, vtq; sol in densa aliqua caligine lætum splendorem emittens. Quòd si vndenam bonam generis sui originē sortitus ille fuerit, scire cupis, res ipsæ, tanquam voce missa, testantur, Dei filium hunc esse, & Hierosolymæ illius ciuem, quæ superna, ac libera est. Quotquot enim acceperunt eum (vt ait ille, qui fuit & Christi discipulus, & virgo) dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius: cuiusmodi fuit Georgius, qui generis sui nobilitatem factis comprobauit.

Quoniam verò & terrenā eius nobilitatē scire cupis, patria ipsius fuit Cappadocum regio, altrix verò Palæstina, Christianus inde vsq; à proauis, ætate iuuenis, sapientia canus, corde rectus, & vtraq; re aduersus impietatem exultans. Qui in armorū certaminibus bene ab ipsa pueritia excelluerat, ac fortitudinem bellis gerendis conuenientē ita exercuerat, vt militaris ordinis Tribunatus eius fidei commissus fuerit. Cùmq; illud munus administrare ipsi opus fuisset, ac multis in rebus sæpè viriliter se gessisset, multamq; rei bellicæ scientiam sibi comparasset, & maiorem gradum appeteret, maiorem nimirū assecutus fuit. Nam cùm eas opes, quæ à patribus ad eum peruenerant, accepisset, ad eum, qui tunc erat, Imperatorē cucurrit; idemq; ferè illi euenit, quod Sauli olim euenerat. Ille enim cùm asinas inquireret, regnum terrestre inuenit; hic mundani honoris gradum exquirens, Regnū cœlorū sortitus est; quodq; præter opinionem accepit, maius eo fuit, cuius causa illuc venerat.

Cùm enim illuc venisset, & Deum ipsum contemni, dæmones verò coli vidisset, non tulit eam rem homo ille pietatis studio flagrantissimus; sed cum cogitaret illud Dauidis dictum: Vidi præuaricantes, & tabescebam: item illud: Tabescere me fecit zelus tuus, quoniam obliti sunt verba tua inimici mei: recordatus etiam id, quod Dominus ait: Quicunq; confessus fuerit me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est: diuino zelo inflammatus, suamq; cogitationem, tanquam telum quoddam, exacuens, festinauit diuina promissa præripere, ac Deum ipsum per suam in eum confessionem vicissim sui confessorem acquirere.

At ne illi per angustam portam introire aggredienti terrenarum facultatum cumulus impedimento foret, sed martyriū ipsum validius, ac nobilius illis sibi

parare posset, necessariò faciendum iudicauit, vt diuino præcepto ritè vteretur; quod præceptum Dominus ille, qui eiusmodi certaminibus præsidet, dedit adolescenti, qui diues erat, cùm sic ait. Si vis perfectus esse, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis; & veni, & sequere me. Id quidem prior ille adolescens animo non prompto, sed segni accepit; at posterior hic iuuenis libenter executus est; nam pecuniæ 6 onus deposuit, & in manus pauperum pecunijs traditis preciosam regni cœlestis margaritã emit, thesaurum'q; illum, qui sic in eo Regno conditus est, vt rapi non posit, sibi comparauit.

6 Vide veram Euangelicaꝫ paupertateꝫ.

Cùm igitur ex ea re suum animũ perfectè confirmasset, eum'q; diuino amori affixisset, auaritiæ, quæ animorum corruptela est, impulsorem diabolum euertit, & primam hanc coronam aduersus illum arripuit, eam'q; ad sublimioris victoriæ adiumentum, ac signum mente, & animo comprehendit; ipsorum deniq; pauperum precibus se ipsum communiuit; & ex iis ipsis victoriæ spem bonam certa fide collegit. Ita fidenti animo, tanquam leo, cùm suam crucem sustulisset, ad bellum contra impietatem gerendum prosiliit. Benè enim norat sapiens ille vir, eleemosynis, & multa fide peccata expurgari, quæ sunt victoriæ impedimenta. Eleemosyna enim à morte præter cætera liberat. Super scutum potentis, & super lanceam aduersus inimicum tuum pugnabit pro te inquit filius Sirac. Hac igitur re priùs communitus, & athletico more, ac fidenti animo ad pugnam egressus, non aliqua corporea, sed illa Spiritus sancti armatura se induit, quã Paulus Apostolus docuit. Lũbos enim in veritate præcinxit, & iustitiæ thorace se induit, pedes'q; calciauit in præparatione Euangelij pacis, assumit'q; galeam salutis, in omnibus suscipiens scutum fidei, quod extinguit omnia tela ignita diaboli, & gladium spiritus, quod est verbum Dei.

Hac igitur armatura, quæ corporeis oculis non cernitur, sed spiritu, & mente comprehenditur, se ipsum communiuit, quoniam non aduersus carnem, & sanguinem bellum susceperat, sed aduersus principatus, & potestates, aduersus rectorem mundi tenebrarum, contra spiritales res spiritali more armatus, ac ferè Apostolicum illud eulogiũ clara voce pronuncians: Arma nostra nõ sunt carnalia, sed potẽtia Deo ad euersionẽ munitionum. Statim igitur cùm è cœlo adiutorem sibi euocasset illum ipsum, cuius causa certamen proponebatur, cùm'q; animos in sua natura insitos concitasset, & Eliæ Prophetæ zelũ suscepisset, iusta'q; ira vsus fuisset, per arma iustitiæ dextra, & sinistra iniustitiam adortus, inuenit quodam in loco Imperatores illos nomine imperantes, re autẽ vera impietati deditos; quippe qui imperio ipso aduersus eum, qui illis imperium largitus fuerat, abutebantur. Vidit & infinita tormentorum genera, non aduersus illos proposita, qui aliquid iniustè fecerant, sed contra eos, qui pietatem seruabant, variis tribubus, gentibus, & linguis circa eos Imperatores armatis consistentibus.

Cùm verò, & illos Georgius audiuisset nefaria quædam pronunciantes, ac futurum minantes, vt si quis Christum nominarit, iis tormentis sine misericordia aliqua cõsumptus moriatur, diuino spiritu feruescens, Machabæorũ exẽplo, renes præcinxit, & furorẽ iudicio adhibito exercuit, & velut leo fremẽs, validum, & toruum aspectum præseferens, & minas ipsas nõ curans, in mediũ aduolauit, clara voce se Christianũ esse pronuncians, & manifestè, quanta esset pietatis nobilitas, ostendens. O' animum verè diuinum, & Dei charitate comprehensum, totum'q; ipsi Deo inhiantem. O' beatam vocem, quã ædidit Christi nomen ferens Georgius, qui & à Deo ipso accepit pietatis semina, ea'q; multo post tẽpore benè in suo animo exculta opportunè ipsi Deo perfecta reddidit. Eam, inquam, vocem cùm aër ipse accepisset, sanctitatis cuiusdam particeps

actus est, Angeli verò è cœlo intonuerunt, Archangeli acclamauerunt, omnesq; cœlorum virtutes mirum in modum exultarunt; sed & omniũ Dominus, & Deus iustum, & consentaneum esse censuit, vt illius animi studio, atq; alacritati auxilium afferret, & incorruptam victoriæ coronam ei pararet. Impiorum autem caterua obstupuit, eorumq; Imperator diabolus, audita voce illa, letalem plagam accepit. Et ille quidẽ generosus Christi athleta pergebat clara voce Christum Deum confiteri. Eos verò, qui ab ipsis colebantur, dæmones esse, eosq; errare, ac delirare affirmabat, qui fallaciis,& calumniis vtuntur, vt eos probent deos esse, qui non sunt; dæmonstrabatq; turpia quædam esse,non deos, aut diuinas res, quas loquerẽtur. Deniq; illis blasphemias proferentibus ora obstruens, admonebat homines illos, vt ab errore, in quo erant, tandem resipiscerent, & vnum, ac solum, verumq; Deum cognoscerent. Postremò illud diuinarum literarum eulogiũ crebrò repetebat: Qui non fecerunt cœlum, & terram, pereant.

At illi omni fraudum genere vtentes, omnibus modis Athletam tentabant nihil nõ dicentes,nihilq; non facientes,ac modò sermones blandos,& oleo ipso leniores proferentes, modò nudis, atq; apertis minarum iaculis eum ferientes. Interdum autem simulabant,se illius prudentiam, & generis splendorẽ,atq; in bellis gerendis fortitudinẽ admirari, & ipsius iuuentutẽ misericordia prosequi. Itaq; illum adhortabantur, ne immaturam mortẽ suaui huic vitæ temere præferre vellet;simul etiam honorum, & pecuniarũ munera non vulgaria illi proponebant. Postea tormentorum genera, & plurimas mortis vias minabantur, mortemq; non breuem, sed longam, & tristem eum passurum, si eorum monitis acquiescere noluisset. At firmus ille,& fortis Christi miles,qui Deo ipsi magis, quàm hominibus parere, & obedientia illa, quæ Deo præstatur, nihil valentius esse didicerat, nullo pacto mutatus, aut illorum minis succumbens, sed subdolas eorum adulationes redarguens,responsorum austeritate eas à se repellebat; fraudulenta verò promissa,vt vilia quædã,pro nihilo faciens respuebat; impiaq; consilia, tanquã pestifera quædã venena,propulsabat; & minas ipsas, animi, qui omnia perpeti paratus erat, alacritate irridebat; eosq; vrgens admonebat, ne, quod facturi essent, diutius morarentur, sed statim periculũ facerent, ac certiores fierent, an verè ita esset paratus, vt aiebat; illud deniq; clara voce dicebat: Meus amor Crucifixus est.

Vndiq; igitur (vt sũmatim dicã) inexpugnabilis erat vir ille, neq; ab inimicis aliqua ex parte capi poterat. Quis me,inquiebat,separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Certus enim sum, q; neq; mors, neq; vita, neq; Angeli,neq; principatus,neq; potestates, neq; virtutes,neq; præsentia,neq; futura,neq; creatura aliqua alia poterit me separare à charitate Christi; nam mihi viuẽre Christus est, & mori lucrũ. Atqui non sermone tantùm cum aduersarijs congrediebatur, sed re etiã ipsa prudẽter,& efficaciter se aduersus illos instruebat, tãquam fortis aliquis bellator,robur, & fortitudinem suam nõ solùm in feriẽdis aduersariis exercens, sed in iis etiã plagis, quæ ab ipsis illatæ sunt, fortiter perferendis,corpore, & spiritu se validum præbens,illo tormenta patiens,hoc autem eos vicissim feriens. Illi enim eius corpus flagellis verberabant; hic verbera ipsa patienti,& generoso animo ita superabat, vt ipsi magis cruciarentur, cùm nõ possent id assequi, quod volebãt,quàm ipse,qui flagellis verberabatur.

Nimirum illi sanctum Georgium veste quodam verberari iusserunt. Cùmq; vestis ipse, instar plumbi,retusus fuisset ad eorum propositũ inane redarguendum, spe decepti ad alia tormenta conuersi sunt; & tormentis grauioribus eũ subiicere conabantur, lapide quodã ingentis magnitudinis,cùm ille in carcere

seruaretur, per totam noctem supra ventrem imposito, præterquā quòd eius pedes lignea cōpede astricti erant, aliis quàm plurimis, & grauioribus tormētis adhibitis. Quibus cùm Athleta ille nimium laborasset, & ferè defecisset, postremò vehementissimum quoddam tormentum intulerunt. In rotam enim eum efferentes, generosi hominis constantiam se fracturos arbitrabantur. Circa quam rotam cùm, instar scorpionis alicuius, ille magnæ mentis vir lūbos deflexos teneret, & protenderetur, & opposita reuolutione eius spiritus coarctaretur, omnia ipsius membra, & artus è suo loco dimoti sunt, carnesq; confractæ, ac languidæ effectæ; simul'q; acutis accōmodatorum instrumentorum cuspidibus in multas partes ipsius corpus dissectum, multo sanguine fluente tormenta illa cruentauit.

Itaq; ab hominibus illis cæcis, ita vt erat, derelictus fuit tanquam mortuus, multis'q; hymnis ob eam rem deos, ac dæmones illos suos ipsi celebrarūt. Sed iidem etiam magis erubuerunt, cùm sanum eum vidissent, quem vt mortuum dereliquerant. Cùm enim Christus ipse omnium vita, verus Deus, ac Saluator, simul & à vulneribus, & à tormentis eum liberasset, custodes'q; ipsos perterrefactos illinc abegisset, iterum victor ille validiora certamina subire cupiens, concitato gradu ad impios illos homines prodiit, ac stetit, tā verbis, quàm factis inuictam Christi potentiam ostendens. Erat enim re vera visu admirabile spectaculū illud, formidolosum, atq; horribile, quod pariter & fideles homines confirmabat, & infidelibus ora obstruebat. Illi autem re inopinata perculsi, & perscrutādo certiores facti, non inane, aut falsum aliquid, sed verum esse, quod viderant, pro eo ꝙ resipiscere debebant, deteriora quædā tormenta, & magis violenta generoso illi viro intulerunt. Materia enim eum obruerunt, quæ asbestos dicitur, hoc est, quæ non extinguitur; sed tūc certè fuit extincta. Quæ res, cùm contra opinionem hominū acciderit, multis videtur incredibilis quæ[illegible]tibus, quonā pacto corpusculū, quod natura tale est, vt facilè corrūpi possi[illegible], vehementi, & ad comburendū idoneo materiæ illius feruori vel paulùm re[illegible]itere potuerit (Quod tamen ita restitit, vt etiam crines ipsi ab igne læsi non fuerint, sed omnino intacti permanserint) vel quomodo animal illud, quod ex tenui aëre spiritum ducendo, naturalem vitam cōtinet, ea materia, quæ ad obstruendum aliquid idonea est, obrutum, & respiratione priuatum, vita etiam ipsa priuatum non fuerit:

At si quis talibus ad contradicendum rationibus vsus fuerit, dicat is, quomodo Ionas in ventre Ceti tribus diebus vixit; eum'q; intactum fera illa euomuit; quomodo & Hieremias in cœni lacum demersus, intactus illinc eductus fuit; item quomodo tres illi pueri in fornacis flamma tenuem aërem respirabant, & combustis vinculis, eorū capillus combustus non est, neq; ignis odor in illis vllus remansit. Qui hæc, & alia admirabilia facta, & prodigia, quæ singulis ætatibus immēsæ gloriæ Dominus Deus seruorum suorum causa effecit, benè considerauerit, faciliùs adducetur, vt hoc etiam nobiscū vnà confiteatur, & credens dicat: Verè mirabilis est Deus in sanctis suis. Vniuersarum enim rerum natura talis est, qualem vult is, qui eam creauit; & hæc (vt in psalmo dictum fuit) mutatio est dexteræ excelsi.

Sed deficiet me tempus, & multò magis oratio ipsa propter sermonum inopiā, quæ in me est, si velim sigillatim, & per partem scribere omniū tormentorum, quæ publicè, & in carceribus aduersus Christi militem illata sunt, figuram, & speciem; & dolorum intolerabilem magnitudinem, quæ orationē omnem exuperat; eorum'q;, qui illum cruciabant, sæuitiam, atq; immanitatem; ipsius deniq; Athletæ in omnibus tormentis perferendis tolerantiam, & constantem animum; qui per singulos cruciatus, quantùm in eo fuit, illud

præstitit,

præstitit, quod est apud Paulum: Tanquam morientes sumus, & ecce viuimus: Quid dicam preces illas, quas per totam noctem, & diem, subeundo certamina, ad Deū fundebat, partim ei supplicans, qui salutē afferre potest, partim gratias agens, ꝙ illi opem tulerat? Ad hæc & eorū, qui dij habebantur, repentinam per Crucis 7 signum euersionem, ipsorumq; dæmonum lamentabilem consensionem, quippe qui manifestè confessi sunt, se deos nō esse, vt eos puderet, qui temere illos adorabant? Quid propositas interea quæstiones, atq; oppositiones, quæ multam in se continent tragœdiam? Quid mores, & eorum, quæ ab vtraq; parte dicebantur, sententiam, velut in tabula, exponam? Quid diuinas visiones, & collocutiones nocte, & die, ad eius patientiam remunerandam, sancto Martyri à Deo concessas? Quid auxilia, consolationes, & curationes, ex quibus recreationem percipiens, præteritorum laborum libenter obliuiscebatur, & iis, quæ denuo in illum inferebantur, forti, & constanti animo resistebat, quasi & corpus ipsum vnà cum animo adamantinum haberet?

7 Georgi' per Crucis signū falsos deos repente euertit.

Sed si quis cupit omnia Georgij beatissimi viri facta cognoscere, historiam de ipsius martyrio conscriptam legat, & ex illa ediscat certaminum magnitudinem, & illius optimi bellatoris altum animum, & iustissimam victoriā, diuinorumq; præmiorum dignam mercedem. Ex eadem historia manifestè cognoscere poterit, & admiratione affici, quomodo ij, qui sūma impietatis voragine obscurati erāt, dolos adhibētes, & amara dulcioribus verbis cōmiscentes, beatum Martyrem adorti sunt. Ille verò simplici veritatis sermone graues, & subdolas verborum machinas facilè dissoluebat, ac demoliebatur; eorumq; insidias, & occultos laqueos solidæ, & altæ mentis suæ alis transuolabat. Dein tormenta illa varia, & difficilia patientiæ suæ robore fortiter superans, cursum confecit per clauos crepidis affixos propositum. Idem securi percussus est, corporis morte animæ ipsius mortem extinguens. Demū sanguine suo victoriam adeptus fuit; & victoriæ corona cinctus, victricia carmina hilari animo ei cecinit, qui victoriæ auctor fuerat. Hymnus autē talis erat: Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.

Ad hæc qui studiosè, ac diligenter eius historiam leget, discet quemadmodum non sibi soli Martyr ille, verùm & plurimis aliis suo labore salutem conciliauit. De his loquor, quibus persuasit, vt & ipsi parē cursum transigerent, proprium sanguinem Deo libantes. Anatolio enim, & Protoleoni, vt hoc facerent, persuasit, duobus illis militibus, qui, cùm ea, quæ in certamine illo effulsere, miracula obstupuissent, & ipsi martyris Georgij fortitudinem æmulati sunt. Nec non & Glycerium ex bouis illius rediuiui prodigio celebrē nouimus à stulta idolorum superstitione liberatum. Quos omnes ex ipsis (vt ita dicam) draconis faucibus extractos, sacrificia perfecta, & proprio Domino accepta obtulit. Quid ꝙ & miracula maxima, & ingentia partim ijs, qui fideliter ea petebant, abunde per illius operam Deus largitus est, partim ab aduersarijs non fideliter petita, re ipsa per Martyris preces ita ipse perfecit, vt & mortuum hominem è tumulo exsuscitauerit, ad eorum, qui illud petierant, amentiam redarguendam, & veritatis cognitionem manifestiùs aperiendam? Quam assecuti fuissent, qui eam rem postularant, si æquiores oculos habere voluissent. Illi enim ipsi partim miraculorum euentis fidē non adhibentes, partim spectra quædam, & inania visa illa esse credentes, rursus in eundem errorem reuoluti sunt. Cùm enim ipsi omnes tormentorum machinas consumpsissent, & Martyris patiētia victi fuissent, ad eoꝝ signoꝝ, quæ fieri nunquam posse illis videbantur, petitionē, Iudaico more, confugerunt. Postea verò & ex eadē illa re conuicti, & in ruborem conuersi sunt. Multis enim miracula illa

salutem conciliarunt, ex illis ipsis Georgij Deum agnoscentibus. Cùm autem non possent ampliùs immensis illis, quæ per Martyrem facta erant, miraculis repugnare, neq; tamen ab ea, in qua erant, superstitione se abduci paterentur, cùmq; excæcati essent, & obtusi corde, auribus, atq; oculis (vt est ab Esaia dictum) ad patrios errores necessariò reuoluebantur; & machinis quibusdā veritatem ipsam se euersuros putabant.

Athanasium enim quendam in medium produxerunt, qui in magicis artibus multū existimationis habebat; cuius fama longè magis celebrabatur, quàm eorum, qui olim apud Aegyptum aduersus Mosem ipsum se aliquid effecturos opinabantur. Sed non diutius & hoc loco omnis illa magicæ artis fallacia vim habuit; mendacium enim ipsum à veritate superatum fuit; & illius magi præsentia vtilior tunc apparuit, quàm quo tempore Aegyptij magi Mosi restiterunt. Illi enim cùm Dei digitum esse cognoscerent, qui eorum artem euertebat, verbis tantùm id confitebantur. At hic fidem ipsam per Georgij opera sibi patefactam amplexatus, gladio percussus pro veritate mortem sustinuit, vitæq; nomini suo congruentis hæreditatem percepit.

Missos facio singulos, quos Christi miles ad eiusdem certaminis rationem adduxit, cum quibus & Reginam Alexandram eò adduxit, vt Mosis virtutem & ipsa in se ostenderet, cùm melius, ac præstantius regijs thesauris opprobrium Christi esse duxisset. Quæ prompto animo mortē gladio illatā, quantùm ad eius propositum pertinuit, Christi causa suscepit, & cœleste, ac sempiternum Regnum cum terrestri, & caduco permutauit.

O' insatiabiles diaboli fauces. O' inexhaustā Christi Dei gratiam. Vbinam sunt, qui impudenter nugantes aiunt, nostrū hostem diabolum res futuras prænoscere? En vt manuum suarum operibus comprehensus est; & non cognouit, ex quibus rebus se victorem futurum opinabatur, illis ipsis imprudenter se captum iri. Nam à quibus adorari gestiebat, ab illis eum irrisum fuisse apparet, ac quærens alios interficere, ipse tanquā mortuus factus est; idq; cū ipse in eos homines, qui nudi, atq; inermes erant, Reges ipsos, & omnē exercitum, omnemq; tormentorum violentiam hostili animo intulisset. Et Regum quidē ipsorum, cùm multa, & magna trophæa quondā statuissent, & postea in imperio esse desiuissent, victoriæ sunt extinctæ; at dexter Christi miles Georgius cùm semel omnium hostem deuicerit, semper eam victoriam, quam de illo reportauit, recentem habet, omnes simul dæmonum turmas Crucis telo ab humano cœtu expellens, & eos, qui sub illorum manu fuerant, ad libertatem reuocans. Quid victoria hac admirabilius, quid his triumphis sublimius, quid his coronis gloriosius?

Hæc fuit sapientis Ducis se aduersus hostem struentis ratio, ac via. Tā magnum fuit eleemosynæ illius, quam, venditis his, quæ possidebat, pauperibus distribuit, munimen, atq; præsidium. Hæc magni bellatoris victoriæ præmia; hæc nostri triumphantis militis trophæa; talia fuerunt & spolia. Hic in corpore ipso vitam degens eum, qui corporis expers est, interfecit, illum, cùm in corpore suo vexando occupatum haberet, spiritu iugulans; cùmq; circa suam ipsius prædam illum suspensum teneret, eos, quos in sinu suo ille antea captos detinebat, abripuit. Eius enim imitator erat, qui carnis specie obiecta hostem diabolum allexit; & dum eius pugnam recusare videbatur, eum decepit; & ita captiuos homines è manu ipsius eripuit. Hæc, inquā, ille faciebat Christū magistrum totum in se habēs, vel (vt veriùs dicam) totus magistro suo inhians, neq; ampliùs sibi viuens, sed ei, qui pro ipso mortem passus fuit, & resurrexit, & suo exemplo docuit, non eos timendos esse, qui corpus occidunt. Non enim erat ampliùs suo corpori, sed diuinæ voluntati obnoxius.

Quid dixi corpori? Neq; suæ animæ obnoxius erat. Cùm enim Christi esset discipulus, animam etiam ipsam voluntariè abnegauit, & tollens crucem suam ab omni cura liber magistro suo adhæsit. Meritò igitur præterita tormenta obliuiscebatur, & ad ea, quæ ante illum proponebantur, virili animo se intendebat. Itaq; non ea, quæ antecesserant, metiebatur, sed quæ supererant, requirebat. Defecerunt tormenta, sed non defecerunt coronæ; non enim defecerat promptus Martyris animus. Malorum inuētor semper aliquid amplius machinabatur, & Christi athleta Georgius maiores appetēs coronas, maiorū certaminū occasiones à machinatore diabolo exigebat. Ita erat vtrisq; victoriæ certamen, illi quidem (quamuis æquè superare Georgium nō posset) vt secum vnà sanctum virum perderet; huic studium erat, vt non solus seruaretur, sed & omnibus validissimum suum certamen, salutare quoddam exemplum, relinqueret. Itaq; iustus ille certaminis præfectus Iesus Christus, viro iustè certanti auxilium attulit. Vicit igitur Martyr; & periit, qui perdere alios studebat.

Tunc cœlestes mentes, & iustorum hominum chori hymnos cecinerunt, & victricibus certamen illud vocibus, atq; applausu laudantes, certaminis auctorem Deum celebrarunt. At Christus solus omnium Rex, & certaminum spectator, ac perfector, singulari gloria suum Athletam coronauit, cùm totū illi Regnum aperuerit. Vidit hostis diabolus, magisq; iratus est, inuidiæ stimulis, atq; æstu efferuescens, & (vt ait Dauid) dentibus frendens, & perpetuò contabescens, dolensq;, quòd voti sui compos fieri non posset. Licebat igitur videre astutissimum draconem aduersus carnem, & sanguinem gloriari solitum, elatumq;, & se efferentem, ac magnifica illa verba iactantem: Robore meo hoc faciam; & manuum mearum potentia auferam terminos gentium; & orbem totum terrarum comprehendam, velut nidum quempiam, & tanquam oua aliqua derelicta tollam; neq; est qui resistat, aut cōtra me aliquid dicat; & ponam sedem meam supra nubes cœli, & ero similis altissimo. Talem, inquam, & tantum hostem licebat videre à iuuene illo vno illusum, & ita despectum, atq; confusum, vt quid ageret, non haberet. Erat enim admodùm tristis, quòd tantæ res diuino illi viro per eum imprudentem, atq; inuitū conciliatæ fuissent. Nam Martyr ipse eorum etiam, quos propriis laboribus seruauit, certas, & immensas sibi mercedes adiunxit. Et quoniā sapiens ille bellator mercedem, quæ retribuenda erat, maximè spectabat, idcirco non destitit hostē irritare, & confundere, quoad perfectam de ipso victoriam adeptus est, eoq; irretito, corporis sui nauigium ad tranquillum portum appulit. Non dedit somnum oculis, neq; palpebris suis dormitationem, neq; temporibus suis requiem, donec locum, & Dei tabernaculum se ipsum effecit. Noluit præsentis mortis liberatione donari, vt meliorem resurrectionem assequeretur. Nō destitit fortiter se gerere, quoad Magistrum &, Sponsum dicentē audiuit: Euge serue bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam; intra in gaudium Domini tui.

Aptè in martyrem Georgium cadunt, vt cum Christo sponso cōiunctum, ea, quæ in Cantico de Christi sponsa Ecclesia scripta sunt, cuius formosi corporis membrum quoddam pretiosissimum Martyr ipse est: Veni à Libano, sponsa: quoniam non per gratiam tantùm, sed & propriorum operum 8 suaui odore sui amatorem, ac sponsum Deum effecit, morte ipsa eundem oblectans, factus perfecta victima, eiq; in odorē suauitatis accepta. Quòd si quis dixerit Libanum dictum fuisse, propter vitulum illum Libanum, & idolorum superstitionem, ex qua sacram illam Martyris animam aufugientem, & ad Dominū ipsum confugientē, Deus ipse, vt pater, apertis vlnis occurrens benignissimè

8 Vide vnà cū Dei gr̄a etiā bona opera nostra, quæ tamē ab ipsa procedūt, necessaria esse volētibus ad salutem peruenire.

his verbis affatus est: Veni à libano sponsa: quoniam & ita dictum illud quidam interpretati sunt, à verò ipso non aberrauerit. Quamobrem digna quoque est Martyris anima, quæ ab eodem Domino & hoc audiat: En vt pulchra, propinqua mea, es; tota pulchra, & macula non est in te. Id quod significat & illud: Confitebor ipsum & ego coram Angelis, & Patre meo, qui in cœlis est. Quid his laudationibus sublimius, quando & Iudex ipse eum laudat, qui iudicandus accedit? quando & is, qui exactor futurus est, se ipsum & debitorẽ futurum confitetur; & in suum gaudium ingredi eum hortatur, qui inde vsque à patribus suis reus erat? Hoc illud est, quod iureiurando affirmans per Prophetam dixit: Viuo ego, dicit Dominus, quoniam glorificantes me glorificabo. Ita Dei hæres, & cohæres Christi Dei, & filij Dei valde laudatus, & decantatus Georgius effectus est; qui cùm legitimè certauerit, mercedem etiam supra legem recepit. Non enim condignæ sunt passiones huius temporis ea gloria, quæ reuelanda est, his præsertim, qui sanguine purgati sunt, & Christi sacrificium sunt imitati.

Vtrum igitur celebrabo, & magis, magisque admirabor? Eumne, qui in hac corporea vita se tanta gratia dignũ præstitit, vt & Deum ipsum in se ipso collocarẽt, & iure proprium sanguinem pro ipso effunderet; an illum, qui eum ita corroborauit, & tali gratia omne humanum genus dignum effecit? Quis non vltra modum hæc admiretur? Quis diuinæ in humanam naturam charitatis exuperantiam non obstupescat? Nos peccata commisimus, quæ venia digna nõ erant, qui certè eius voluptatis, quã in Paradiso gustauimus, debito tenebamur. At Christus acerbissimorũ laborũ patientia omni ex parte hostes illos, qui nos in lucta deiecerant, expugnauit. Omitto enim dicere, quod ea, quæ nos passuri eramus, ipse patiendo, morte sua mortem nostrã æquo animo cõpensauit. Nunc verò è contrario ipse non indignos solum, accipit, & in iis, qui certant, ipse habitat, & certamina ipsa subleuat, sed coronas etiam tribuit, & suprema largitur dona, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis ascenderunt: in quæ & Archangeli ipsi cupiunt prospicere.

Talia sunt ea, quæ iis, qui eius causa labores patiuntur, Deus retribuit; quinetiã cohæredes suos illos nominat; quodque admirabilius est, mercedẽ præbet, & id, quod retribuit, non vt gratiam, sed vt 9 debitũ exoluit; vt ex Dauide, & vase electionis Paulo probatur. Tanta enim est ipsius Domini in eius seruos bonitas, vt non solùm debita non exigat, sed & insuper eos adiuuet, & magnifica dona gratificetur, modò fideli, & non vacillanti corde ad eum aliquis accedat. Ipse enim ait: Non te dimittam, neque te derelinquam. Certè verax Dauid est, cùm dicit: Ego dixi in excessu meo, Omnis homo mendax. Quæcunque enim aliquis ad Dei gloriam celebrandã dixerit, nihil dicet, quod eius laudibus par sit, sed omnino infra earum dignitatem positum erit. Eius enim dignitatis nõ solùm hominum natura, sed neque illa ipsa antiquissimorum, & ad Deum proximè accedentium Angelorum conditio capax est. Quamobrem id, quod comprehendi non potest, silentio præteriens, quantum illud sit, ita significabo; & Deum ipsum ita magis honorabo, quàm aliquid de eo dicã, quod ab eius dignitate longissimè distet.

9 Ecce seruorũ Dei meritũ, quando is illis vitã æternam, tanquã debitam mercedem, exoluit.

Sed dicet aliquis nos ad Martyrem reuocans: Si Christus ipse in Martyre illo certante habitabat, nihil mirum si aduersus tot cruciatus generoso, & forti animo ille restitit; hoc enim non Georgij opus fuit, sed Habitantis Dei in eo gratia; cùm enim Deus vult, naturæ conditio superatur. Huic ego respondens; Verè, inquam, ò amice, neque dubitanter eius, qui in Martyre habitabat, gratia totũ effecit; sed quidnam fuit, quod eius habitationẽ ei conciliauit? Considerẽs velim primam causam, cur in eo Christus habitauit; deinde ita expen-

das, quæ ab ipsa gratia rectè sunt effecta. Causam quidem Dominus ipse per tonitrui filium Ioannem nobis reuelauit, cùm sic ait: Si quis diligit me, diligetur à Patre meo; & ego diligam eum, & manifestabo me ipsum illi: Et, Ad eum veniemus, & apud eum mansionem faciemus. Declarans autem & charitatis effectum; Qui habet, inquit, mandata mea, & seruat illa, ipse est, qui diligit me. Quoniam igitur Georgius mandata Dei habuit, ac seruauit, re ipsa Christum dilexit; idcirco & ipse dilectus eum in se habitantem possedit, quẽ dilexit. Cùm verò Christus in illo habitaret, meritò, non gratis tantum, martyrij dono illum honorauit. Quod enim martyrium ipsum merces sit, & bonorum operum remuneratio, Dominũ ipsum audi in Euangelio, quod à Marco scriptum est, affirmantem, mercedem multam his retribui, qui in persecutionibus se dignos præstiterint.

Primum igitur Georgij, ac præclarum factum, quod & Christi charitatẽ ei conciliauit, in eo extitit, quoniam antea se ipsum dignum 10 præparauit, qui puro vitæ suæ candore Christum in se susciperet, quamuis ætate iuuenili adhuc esset, & militari magistratu, ac potestate vteretur (Id quod non est facile in hominibus reperire) deinde ꝙ prõpto animo certamen appetierit, ac se ipsum per eorum, quæ possidebat, largitionẽ ad id paratũ ostenderit; quòd'ꝗ adiutorem sapienter eum inuocauerit, quem secum habitantem habebat, Christum. Itaq; fidenti animo ad pericula, quæ pro Christo subeunda erant, progressus fuit. Hæc autem præclara facta à Georgij proposito, ac voluntate proficiscebantur, pura, inquam, illius vita, fides non vacillans, sed certa, promptus ad labores perpetiendos animus, ac studium, cordis humilitas; quibus rebus nihil sublimius; quæq; nisi affuerint, fieri non potest, vt aliquis in Deũ charitatem ostendat. Hæc cùm obtulisset, & in his summam charitatẽ ostendisset, vicissim & ipse valde à Christo dilectus est, & apertè in se eũ suscepit, qui iurè illum dilexerat. Quamobrem, antequàm certamina subiisset, cùm iã paratus esset, certaminibus non fuit perturbatus; sed victor coronatus est, paratum habens sibi adiutorem Iesum Christum. Ipse enim cùm naturæ nostræ debitum, atq; infirmitatem benè nosset, quinetiã & nos ipsos ad animi tumorẽ, elationem'q; procliues esse sciret, neq; totum nostræ fidei 11 cõmisit, ne duorum alterum pateremur, vel infirmitate, vt Petrus Apostolus, cadentes, vel si ex sententia nobis res succederent, vt Pharisæus ille superbus intumescentes; neq; rursus totum ipse perfecit, ne omnino nos inutiles essemus, & debitis nostris adhuc obnoxij remaneremus.

10 Vides ꝙ Dei gratia his datur, qui se ante præparãt. Verùm nõ ob hoc grã dari dicit ex meritis.

11 Nota ꝙ Dei gratia requiritur ad bona opera peragenda, vt sint meritoria; ſʒ ea sola non sufficit; necessariũ eniʒ est & nostrũ liberum arbitrium, & industria collaborans, & cooperãs, ne omnino sim⁹ inutiles; iuxta illud Apostoli: Non solus ego, sed grã Dei mecum: Et, Dei cooperatores sumus.

Itaq;, vt antea dixi, nostram per hæc omnia salutem procurans, secũdùm mensuram fidei, quæ inest in singulis, ac pro eorum ratione, à quibus rogatur, dona ipsa tribuit, & cùm quæritur, inuenitur, & pulsantibus diuinarum miserationum suarum viscera patefacit, periclitantibus'q; adiumentũ, & subsidium affert. Deniq; eorum omnium propugnator est, qui pro eo aliquid pati sibi proposuerunt, non sinens nos tentari supra id, quod possumus, sed faciens cum tentatione & prouentum, vt possimus labores sufferre, ob id'q; & perfecta patientiæ corona donari. Quicunq; verò propriæ segniciei causa terrestri, & corporeo sensu detinemur, multas peccatorum sordes in nobis ipsis habẽtes, superno, ac cœlesti auxilio destituimur. Itaq; meritò formidamus, & decidimus; neq;, tentatione aliqua exoriẽte, consistere firmo loco possumus. Quãobrem necesse est Dei præceptum illud assiduè à nobis seruari: Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. Quod enim dicit, Vigilate, & orate, nihil aliud vult, nisi vt propriam imbecillitatem agnoscamus, semper'q; diuinum auxilium imploremus. Nã & Petrus Apostolus sæpè pro Christo ipso se moriturum pollicebatur; sed quoniã Christi subsidium non quæsiuit, sui spiritus

prompto feruore, & alacritate confisus, redarguta fuit carnis infirmitas, quæ spiritus feruorem superauit. Quamobrem ad illum spectans Dominus dicebat: Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem; spiritus quidem promptus, caro autem infirma; ob idq; meo subsidio vobis opus est.

Ipsum igitur, & nos in omnibus Saluatorem, ac liberatorem Christum imploramus per gloriosum hunc, semperq; celebrem, qui trophæum, & pulcherrimam victoriam verè assecutus est; per martyrem, inquam, Georgium precamur Deum, vt eius voluntas in nobis fiat, sicut & in cœlis; vt vna, & concors nostra cum illo, & cum cœlestibus mentibus sit sententia, ac voluntas; vt videlicet in nobis cõpleatur diuina illa vox, quam de nobis Filius ad Patrem misit, cùm nos ad se ipsum congregaret: Vt sicut, ego, & tu, Pater, vnũ sumus, & ipsi in nobis vnum sint; ego in ipsis, & tu in me: vt sint perfecti in vno, eodemq; sensu, eo scilicet, qui diuinus est; vt ita & ipso in nobis habitante, & intenso amoris vinculo secum vnà colligatos nos tenente, efficere possimus, quod in Cantico dicitur: Tenui ipsum, & non dimisi eum: ipse verò in nobis illud perficiat: Non te dimittam: haud quaquam in tentatione nos relinquens, sed liberãs nos à malo, & ab omni studio, atq; impetu hostis diaboli corruptioni animæ inhiantis, sicut tunc diuinum hunc multis certaminibus exercitatum, & sanctum martyrem Georgium liberauit; vt & nos vnà cum illo choreas ducentes dicere possimus: Anima nostra, sicut passer, erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum, & terram. Quoniam Regnum, & potestas seruandi nos in tempore angustiarum à nullo alio, nisi ab ipso solo proficiscitur Domino nostro Iesu Christo vero Deo, ac Saluatorẽ nostro, per quem, & cum quo conuenit, & iure debetur eiusdem Imperij consorti Patri, & eiusdem essentiæ Spiritui sancto vitæ auctori, omnis gloria, honor, & adoratio, magnitudo, ac magnificentia nunc, & in secula seculorum. Amen.

SANCTI MARCI APOSTOLI, ET EVANGELISTAE MARTYRIVM.

XXV. APRILIS.

TEMPORE illo cùm Apostoli per omnem orbem terrarum dispersi essent, diuina voluntate factum est, vt vir sanctissimus Marcus in Aegypti regionem adiret. Euangelistam hunc esse sancti Apostolicæ Ecclesiæ Canones constituerunt, eò quòd primus ipse in tota Aegypti regione, Lybia, Marmarica, Ammaniaca, & Pentapoli, Christi euangelium, quod scripserat, & eius ad nos aduentum prædicauit. Erat enim tota illa regio hominibus referta, qui cùm essent corde incircunciso, & durissimo, idolis seruiebāt, pleni omni impuritate, & impurorum spirituum cultores. Per omnes enim vrbes, ac prouincias, templa, & lucos constituebant. Siderum etiam euenta, & Magicæ artes, omnisq; dæmonum facultas apud eos exercebatur, quam Dominus Iesus, cùm in eam regionem iuisset, dissoluendam, atq; euertendam præmonstrauit.

Cùm igitur diuinus Euāgelista Marcus in Cyrenem vrbem Pentapolis venisset, & cœleste Christi regnum prædicasset, & apud eos miracula ingentia fecisset (ægrotos enim curauit, leprosos mūdos reddidit, ac diuinæ gratiæ verbo impuros, & feroces spiritus eiecit) multi per eum crediderunt in Dominum Iesum Christum, & fecerunt, vt eorum simulachra in terram deiicerentur; qui & baptismate illuminati sunt in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. Illic igitur per sanctum Spiritum ei reuelatum fuit, vt ad Pharitem Alexandriam abiret, & bonam Dei sementem illic spargeret. Itaq; beatus Euangelista Marcus ad stadiū, tanquam generosus, & fortis Athleta, prompto animo gradiebatur. Cùmq; fratres ipsos salutasset; Dominus, inquit, meus mihi dixit, vt ad vrbem Alexandriam proficiscar. Fratres autem eò vsq; illum deduxerunt, quoad in nauigium ingressus est. Cùmq; panis bucellam degustassent, benè illi precantes, eumq; deducentes, sic dicebant: Dominus Iesus Christus prosperum faciat iter tuum.

Beatus verò Marcus postridie Alexandriam venit. Cùmq; descendisset è naui, adiit locum quendam, qui vocabatur Mendion. Cùm autem eius vrbis portam ingressus esset, statim ipsius calceamentum dissolutum fuit. Quod beatus Apostolus intelligens; Verè, inquit, via hæc expedita, & facilis est.

Visoq́; veterum calceamentorum sutore, calceamentum reficiendū ei tradidit. Ille verò calceamentorum Sutor subula sinistram manum suam percussit, & continuò clamauit: Vnus Deus est. Id cùm beatus Marcus audiuisset, secum cogitans, ac ridens dixit: Prosperum fecit Dominus iter meum. Cùmq́; in humum despuisset, ex ipso sputo lutum confecit, & eius viri manum illinens; In nomine, inquit, Iesu Christi viuentis in secula, esto sanus; ac statim eius viri manus sanata est. Sutor autem ille cùm Apostoli Marci potentiam, & orationis efficacitatem, habitumq́; virtutis exercitationi conuenientem animaduertisset; Precor, inquit, te, homo Dei, vt venias hodie, & diuertas ad domum serui tui, vt simul pane vescamur, quoniam misericordia hodie me prosecutus fuisti. Beatus Apostolus Marcus ea re valde lætatus; Dominus, inquit, dabit tibi panem vitæ cœlestis. Homo igitur ille valde hilaris, coëgit Apostolum domum suam diuertere.

Quam cùm beatus Marcus introiuisset; Benedictio, inquit, Domini hîc sit. Precemur Deum, fratres. Ac simul precati sunt; & post preces accubuerunt. Vt verò benignè se vicissim acceperunt, dixit homo ille: Pater, obsecro te, quis es? Et vnde'nam oratio ista tā potens in te profecta est? Cui sanctus Marcus dixit: Ego seruus sum Domini Iesu Christi filij Dei. Vellem, inquit ille, Deum videre. Tum sanctus Marcus: Illum ipsum tibi ostendam. Cœpitq́; sanctus Apostolus exponere initium illius Euangelij, Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham, eiq́; ostendere, quæ Prophetæ ipsi de Christo prædixerunt. Vir autem ille; Istas, inquit, Domine, scripturas, quas tu dicis, nunquam ego audiui, sed Iliadem, & Odysseam, & quæcun'q́; Aegyptiorum filij doceri solent. Tunc cœpit sanctus Euangelista Marcus Christum ipsi nunciare, atq; ostendere huius mundi sapientiam stultitiam esse apud Deum. Credidit homo ille Deo, propter ea, quæ à Marco dicta sunt, & propter signa, & prodigia per eum facta; ipseq́;, & tota eius domus, & magna eius regionis multitudo ab Euangelista ipso illuminata est. Erat autē hominis illius nomen Anianus.

Cùm verò creuisset numerus eorum, qui in Domino crediderunt, audiuerunt ciuitatis illius optimates, Galilæum quendam illuc venisse, qui deorum sacrificia euerteret, & ipsorum cultum impediret. Quamobrem eum interficere studebant, atq; insidias multas ei faciebant. Quas cùm sanctus Marcus cognouisset, ordinauit Episcopum Anianum, & tres presbyteros, Malchum, Sabinum, & Cerdonem, ac septem diaconos, & alios vndecim, qui Ecclesiasticum ministerium obirent. Quo facto, aufugiens, rursus in Pentapolim venit. Ibi cùm annos duos transegisset, & fratres, qui illic erant, confirmasset, Episcoposq́;, & clericos per regionem illam ordinasset, rursum venit Alexandriam, & eius loci fratres multo numero, & gratia, & scientia Dei auctos inuenit, qui & Ecclesiam sibi ipsis ædificauerant in iis locis, quæ Bubulci nomen habent, maritimaq́; sunt infra præcipitia quædam posita. Qua re iustus ille vir multùm gauisus est; cùmq́; genua in terram posuisset, diuinam gloriam celebrauit.

Cùm verò multum temporis transiisset, & Christiani aucti essent, idola ipsa irridebant, & Græcos, qui ea colerent, subsannabant. At Græci, posteaquam audiuerunt sanctum Euangelistam Marcum illuc venisse, ardore quodam, atq; inuidia repleti sunt, eò quòd audirent admirabilia quædam per eum fieri. Aegrotos enim sanabat, leprosos mundabat, surdis auditum ita restituebat, vt Euangelij prædicationem ab eo percipere possent; multis deniq; cæcis visum præstabat. Quamobrē illū insectabātur. Quē cùm nō inuenirēt, stridebāt dentibus suis, & in sacrificiis, & idolorū suorū debacchationibus

aduersus

aduersus sanctissimum virum vociferantes dicebant: Multæ sunt huius magi, & venefici violentiæ.

Factum autem fuit, vt beatus, & 1 festus dies noster, hoc est sanctũ Pascha die Dominico celebraretur, octauo Calẽdas Maij, hoc est vigesimoquarto die mensis Aprilis, qui ab Aegyptiis Pharmuthius vocatur. Illo autem tempore & Serapidis illorum dei debacchatio celebrabatur. Cùm igitur eam temporis opportunitatem nacti essent, homines quosdam subornatos miserunt, qui Apostolum sanctás 2 diuinæ oblationis preces, & ministerium facientem inuenerunt. Quem cùm comprehendissent, fune in eius collum iniecto, trahebant, ita dicentes: Trahimus bubalum hunc ad bubulci stabulum. At sanctus Marcus cùm traheretur, Saluatori Christo gratias agens; Gratias, inquit, ago tibi, Domine Iesu Christe, quòd dignus habitus sum, qui pro nomine tuo hæc paterer. Eius autem carnes decidebant, & sanguine ipso lapides inquinabantur.

Erat eius diei vespera, cùm in carcerem eum coniecerunt, donec inter se decernerent, quali morte ipsum de medio tollerent. Media verò nocte, ianuis clausis, & custodibus ante ianuam excubantibus, ecce terræmotus magnus factus est. Angelus autem Domini cùm descendisset de cœlo, tetigit ipsum dicens: Serue Dei Marce summe omnium illorum sanctorum, qui sunt in Aegypti regione, en scriptum est nomen tuum in libro vitæ cœlestis, & connumeratus es cum sanctis Apostolis, & memoria tua non delebitur in æternum. Eiusdem chori consors eris, cuius cœlestes, & supernæ potentiæ consortes sunt. Archangeli spiritum tuum in cœlos suscipient; & reliquiæ tuæ in terris non peribunt. Hanc visionem cùm beatus Marcus vidisset, manus suas in cœlũ 3 extendit, ac dixit: Gratias ago tibi, Domine mi Iesu Christe, quòd non dereliquisti me, sed cum sanctis tuis me connumerasti. Precor te, Domine Iesu Christe, vt accipias in pace animam meam, neq; me reprobes, aut excludas à gratia tua. Cùmq; hæc ille dixisset, Dominus Iesus Christus ad eum venit figura illa, quam habebat, quo tempore versabatur cum Discipulis suis, & qua forma erat, antequàm Crucem passus, & sepultus fuisset. Qui & ei dixit: Pax tibi, Marce Euangelista meus. Beatus verò Marcus dixit: Pax tibi, Domine Iesu Christe.

Cùm verò dies illuxisset, venit illuc ciuitatis multitudo, quæ cùm illum eduxisset è carcere, rursus in eius collum funem iniecerunt, cumq; pertrahentes dicebant: Trahamus bubalum in bubulci stabulum. At beatus Marcus eò maiores gratias omnipotenti Domino Iesu Christo agebat dicens: In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. Cùmq; hoc dixisset, tradidit Deo spiritum. Impiorum verò Græcorum multitudo, cùm ignem eo in loco, qui Angelorum nomine appellatur, accendisset, illius viri iusti reliquias comburebat. Tunc Domini, & Saluatoris nostri Iesu Christi prouidentia factum est, vt turbo quidam erumperet, & tempestas magna fieret, & sol ipse radios suos contraheret, tonitruaq;, & eorum sonitus multus audiretur, plurima quoq; pluuia cũ grandine cõmista vsq; ad vesperam duraret, ita vt ædificia multa corruerẽt, & homines nõ pauci mortui caderent. Eius igitur rei timore perculsi reliquias sancti Marci dereliquerunt, ac fugerunt. Alij verò irridentes dicebant, beatissimi illorum Serapidis prouidentia hæc in illo viro fuisse facta propter natalem ipsius diem.

Tunc venerunt homines religiosi, & viri iusti reliquias à cinere secreuerunt atq; in eum locum tulerunt, vbi preces, & psalmos suos canebat; eiusq; funus curarunt, vt ciuitatis mos erat. Reliquias autem deposuerunt in loco illustri è lapidibus exciso, ipsius memoriã sobriè, & piè cum precibus celebrãtes,

1 Beatus, & festus dies sancti Paschæ die Dominico celebrabatur.

2 Vide ex hoc loco sctõs Apostolos domini Missas celebrasse, atque ritũ huiusmodi non esse nouitiũ inuentum, vt astruunt hæretici.

3 Orat Sãctus, manibus in cœlũ extensis.

quo nihil pretiosius Alexandrina ciuitatis possidebat. Illas autem reliquias Orientem versus collocarunt.

Beatus igitur Marcus Euangelista, primus Christi martyr in Aegypti Alexandria, mense, qui apud Aegyptios Pharmutius, & apud Hebræos Nisan dicitur, septimo calendas Maij, vt Romani numerāt, hoc est, Aprilis vigesimoquinto obiit, Imperatore Claudio Nerone Cæsare, nobis autem Christianis imperante Domino nostro Iesu Christo; Cui gloria est, & Imperium cum Patre, & Spiritu sancto, in secula seculorum. Amen.

PROCOPII DIACONI, ET CHARTOPHYLACIS LAVDATIO IN SANCTVM APOSTOLVM, ET EVANGELISTAM MARCVM.

RVRSVS Apostolica panegyris, ac celebritas effulget. Rursus ego vnà cum iis, qui eiusdē chori participes sunt, exulto. Rursus eius, qui Christi discipulus fuit, memoria, instar facis cuiusdam, lumen nobis præfert. Et ego linguam ipsam ad hymnorum choreas celebrandas confero. Quæ quidem lingua obscura quædam pronunciat; nullius enim vibratilis orationis particeps est, neq; pulchra, & eleganti concinnitate verborum probatur; quamuis neq; si his rebus benè munita esset, ad beati Marci laudes explicandas satis esse posset. Ea tamen nunc præclaris Euangelistæ factis exultat, & earum rerum, quas ille benè gessit, facultatem quàm maximè potest admiratur.

Marcus Petri filius, & eius, qui claues cœlorum accepit, socius, mysteriorum nuncius, & arcanorum præco, qui Aegyptum illustrauit, & in illius regionis sacro throno primus sedit (Neq; enim hoc ad laudationis, & gloriæ materiam paruum est, cùm difficilius sit tellurem spinosiorem factam, quam illam, quæ purgata est, laboris studio excolere) hic, inquam, nos hodie in conuiuium accipit, hic sua egregia, & præclara facta, tanquam obsonia quædam, proponit. Simul enim cum vere ipso suauissimo, & omnium iucundissimo anni tempore huius viri sancti dies 4 festus exorsus est, & instar splendidissimi solis humanas animas illustrauit. Nāque vt nunc terra ipsa floribus ornata est, ita & præsens dies præclaris Euāgelistæ Marci factis decoratus, omnes ad se congregauit. Fidelium hominum cateruæ, tanquàm ex conuentione quadam, eodem in loco versantes, Apostolum ipsum beatum prædicant. Gentium cœtus, atq; conuentus mysteriorum auctorem celebrant; & magnificè, vt Christi scribam, extollunt; eiusq; diuini aduentus testem honorant. Vel dicam potiùs: Mundus ipse tanta huius viri rectè facta vt diuina suspicit, & magno cum applausu veneratur. Cuncti enim eius doctrinam adiutricem sentiunt. Sed neq; oratio, neq; lingua hunc pro dignitate laudare potest. Quid enim primum, aut quid postremum laudauerit? Nam & appellationes earū

4 Dies festus sācti Marci.

rerum, quæ in illo effulserunt, multiplices sunt, & certamina ipsa horribilia. Hic enim & eum contemplatus est, quem humani oculi videre non potuerunt, in nostro hoc corporeo tegumento apparentem. Hic & terram, quæ ipsum produxit, dereliquit, diuinaq; voce inuitatus, propinquorum hominum amoris illecebras propulsauit; proq; nihilo fecit generis honores, ac splendorem. Fluxæ, & caducæ mundi facultates somnium quoddam illi visæ sunt. Itaq; Deum ipsum rerum omnium Dominum tantùm dilexit; vnamq;, & solam felicitatem ea esse arbitratus est, quæ Deus promisit. Idem & in Discipulorũ societatẽ aggregatus fuit. Nam in septuaginta duorũ Apostolorũ cœtu connumeratus est tanquam splendidum quoddam lumen inter stellas apparens, ab illo, qui eum vocauit, delectus, cui nihil ex ijs, quæ in inferiore hac mundi scena, & voluptate habentur, conferri potest. Verè Petri filius fuit Marcus, ita illi mente, & animo fuit similis. Natura enim ipsa, quæ propria sunt alicui generi, ea sic distribuit, vt & his, qui sunt eiusdem generis, communia sint; & egregias vniuscuiusq; virtutes omnibus communes proponit. Hoc ex eo declaratur, quòd Marcus Deo ipsi obediuit, & eum, à quo formatus est, sequi studuit, cæteraq; bona his similia, diligentia, & virtutis studio assecutus fuit. Vt enim est apud prophetam Amos, ex persona diuitis, ac principalis Spiritus prænunciantem: Ecce ego firmans tonitru, & creans spiritum, & nuncians in homines Christum ipsius: ab extremis terræ partibus vsq; ad extremas mundi partes perrexit, vt rerum omnium opificis Dei Euangeliũ prædicaret, variaq; rectè factorum semina spargeret. Nam orbem terrarum illustrauit, erroris impietatem extinxit, & eos, qui idolorũ victimis, atq; cruoribus cõtaminati erãt, abstersit, atq; purgauit, Deoq; ipsi per baptismũ purgatos (ne multa dicens longior sim) obtulit. Pro scuto enim, & hasta, linguam habebat, qua prædicationem omnibus firmissimam annunciabat, turbasq; multas ad veram vitam traducebat. Vnde enim scaturiebat miraculorum redundantia, illinc & turbæ ipsæ ad diuinam cognitionem percipiendam deriuabantur.

Qui pedibus antea mutilatus erat, integer postea factus, magister iis proponebatur, qui ad currendum veloces erant. Qui oculorum lumine antea carebat, pupillarum deinde aciem habens acutissimam, alios ad cognitionis lucem, tanquam manu protensa, deducebat. Tactus iis, qui eo carebant, restitutus, illos, qui ad consueta libamina, multo furore, atq; cupiditate ferebantur, ad veram religionis formam dirigebat. Itaq; sacrificiorum, quæ idolis offerebantur, ignis in caliginem conuersus est; & erroris auctores dæmones tanquam in cinerem redacti erant, veraq;, & diuina pietas efflorescebat. Ita erant splendida tua, diuine Marce, facta; ita illustria, & admirabilia victoriarum trophæa. His enim captiuos duxisti aduersantis exercitus Imperatores tu idiota ille, & olim rudis. His Gentium errorem expugnasti tu inermis, & vnica vtens veste. His armis vnà cum Petro ipso tu Petri filius Italorum gentem subiecisti, ab oriente sole motus, & ad occidentem aduolans, prædicationisq; orationẽ latè fundens, qua parte & sol ipse radios suos in extremos mundi fines spargit, non sophistica argumentorum via, & ratione, non comptis, & concinnis argumentationibus, sed simplici oratione, & veritate sola vsus, quæ omnium victoriam inexpugnabilem reportat.

Quòd enim omnis oratio expugnari facilè possit, nisi ea, quæ vera sunt, colat, & prædicet, ex hoc ipso cognoscere poteris. Pythagoras ille, cùm falsas opiniones fortiter defenderet, & multas fabulas disputaret, Italis persuadere non potuit, vt illas crederent. Illud idem & Democritus cùm ageret, Abderitarum suis dictis auscultantem habuit neminem. Orpheus etiam ille, qui sermone feras ipsas mulcere dicebatur, ciuibus suis Thracibus non persuasit.

Atqui

Atqui omnes isti multa orationis copia redundabant, & inani quadam sapientia elati, nimium sibi placebant, in qua & omnes perierunt, & alto, ac sempiterno silentio obruti sunt. Talis enim est falsa, & imbecilla gloria. Marcus verò ea proponens, quæ absunt ab omni iactatione, & à Spiritu sancto edocentur, illos etiam ipsos, quos aduersarios habebat, ad sibi obediendum faciles reddidit; superno enim, & cœlesti auxilio corroborabatur; puraq; & syncera fides, quam prædicabat, portis inferorum robustior erat. Ille igitur vir celeberrimus, ac semper laudandus, vt veritatis præco, ad hanc vsq; diem à cunctis celebratur. Vt enim decebat diuinam erga nos prouidentiã, ac dispensationem ad salutarem finem perduci, ita & huius beati viri memoriam in vita ipsa cum laudibus immortalem perpetuò seruari conueniens est. Per ipsum enim rebus creatis Deus prædicatus est. Per ipsum iis, qui aberrauerant, conuersio ipsa conciliata est. Per eundem prouisum fuit, quomodo homines ipsi ad formatorem suum Deum ducerentur.

Postea verò quàm misericordis Dei misericordem aduentum prædicauit, & lingua de diuinis rebus disserente plurimos, cumq; his & Italos ad veritatis cognitionem attraxit, his ipsis, tanquam sapiens architectus, & Euangelij librum construxit, in quo nouas illas leges insculpsit, quas Hieremiæ prophetæ prædictio antea innuit hæc dicens: Perficiam in domum Israel, & in domum Iudæ testamentum nouum, dans leges meas in cordibus ipsorum. Hoc, inquam, Marcus fecit, vt non prædicatione solùm, sed Euangelica etiam scriptura, his, qui postea futuri erant, Verbi Dei hominis facti conditionem enuclearet, eiusq; diuina signa, ac miracula ante oculos nostros poneret, quæq; pro nobis passus est, ac quemadmodum è monumento resurrexit, & ad cœlos, vnde descenderat, elatus est, cunctis seculis ostenderet.

Magnum certè hoc, Marce, tuum fuit, & planè diuinum opus. Mundo enim vniuerso vtilitatẽ attulit, & idcirco vbiq; decantatur. Nã vox tua supra tonitrui sonitũ fuit, & Euangelij tui lumen supra solis radios effulsit. Illi enim nube teguntur, vel nubecula aliqua opposita adumbrantur; at Euangelij tui lumen, ac splendor, tui etiam animi formosam speciem detegit. Neq; enim hoc aggredi potuisses, nisi interior mentis tuæ virtus effulsisset, quæ semper fulget, & iis, quos prope se habet, instar facis lumẽ præfert, eos verò, qui longè sunt, ad se reuocat. Quæ cùm pulchritudine non quæsita, sed naturali, & vera decoretur, compendiosaq; & breui sapientia illustretur, admirabilia Dei facta in omnium aures infundit. Ita factum est, vt Christi fides effloresceret. Ita ipsa vicit veritas. Ita Trinitas in vna natura, adoratur, & nunciatur: Ita ab omni homine Pater sine principio, & Filius ipse quoq; sine principio cũ eiusdem substantiæ, & vitam dante Spiritu diuinis sermonibus explicatur, atq; colitur in tribus videlicet personis vnus Deus, singularis illa, & diuina natura, vna illa rerum omnium effectrix potentia, quæ mente non cõprehenditur; error verò ipse amotus, expulsusq; est; deorum multitudo, inanis, & vana cultura esse deprehensa est; quiq; vniuersas res creatas, vt est in fabulis (ò amẽtiam) in tres partes, non suas, sibi diuiserunt, illi ipsi, vt in psalmo est, cum sonitu perierunt; & hominum euersores dæmones nunc euersi sunt; non enim Deum hominem factum videre potuerunt. Quamobrẽ cùm se ab humano corpore debellatos, non à diuinitate aperta superatos vidissent, erubuerunt. Non enim se victos arbitrati fuissent, si à potente Deo victi essent. Et nunc Dei laus in omnes fines terræ, vt à Prophetis prædictum fuit, diffusa est. Occidentis regiones Apostolus ad Christum conuertit, & rebus mysticis gentes instruxit, quemadmodũ videlicet Deus ipse ꝓpter suã in humanũ genus beneuolẽtiam se ipse summisit; docuitq; solũ, & vnum Deũ colendũ esse, atq; adorandum.

Sed nō post multos illos sudores Apostolus cessauit, neq; ad Apostolici muneris aratrum ducendum tardior factus fuit. Nam & Libyæ regionem celeriter peragrauit, vnde & ad Orientis terram profectus est, vbi Euangelij sementem spargens, illis gentibus persuasit, vt Deum, quem ipse prædicabat, agnoscerent. Ad hæc & aliis Aegypti vrbibus multorum hominum copia refertis cùm cœlestia retia tetendisset, omnes ciuitates illas prædicationibus, ac miraculis in Christi sagenam comprehendit. Dæmonum simulachra, quæ illic colebantur, exterminauit, &, vt sanctus quidam lapis (quemadmodum prophetia dixit) illiusmodi erroris altaria euertit, quæq; in illis inerant, inania, & vana simulachra, solo adæquauit, non tubarum clangoribus, non mœnia illa Hierici deiiciens, sed hominum interfectoris diaboli fallaciam reuellens illis ipsis mœnibus ad expugnandum difficiliorem, templaq; omnium Dominatori Deo iisdem in locis erigens, vbi & caliginosas eorum, qui illic erant, animas candidiores factas Deo reconciliauit, & baptismate illustratas, eidem familiares, & amicas reddidit.

Hic enim Aegyptiorum regioni præcipuè à diuino Spiritu magister assignatus; hic eiusdem terræ in primis Pontifex, & Pastor à magno illo Petro propositus fuit; qui munus in manus sibi commissum Apostolicis laboribus exornauit, & variis modis laborans, ministerium illud sacrum excoluit, non deliciis vtens, non segnitiei, aut voluptati deditus, sed tentationibus tam à summis, quàm ab infimis hominibus circundatus, & infinitis malorum copiis vndiq; impugnatus, vt ea ratione, quemadmodum & Paulus, tumorem omnem comprimeret. O' diuinum discipulum, qui terrarum orbem lustrauit. O' corpus tot, tantisq; operibus non defatigatum. O' salutaris prædicationis semper florentem, & immortalem potentiam. Diuina enim opera, & quæ à Deo proficiscuntur, corruptionem non patiuntur. Decet hoc loco, & de diuinarum rerum spectatore Marco meritò illud dicere: In omnem terrā exiuit sonus eius, & in fines orbis terræ verborum ipsius vtilitas: quod Dauid diuinorum opificiorum magnificentiam admirans pronunciauit. Hæc vox sola tibi, qui à Deo sapiens effectus es, iurè, Marce, conuenit. Hæc sola, inquam, vox supra omes alias Rhetoricæ facultatis voces tibi congruens est. Nam & cursum tuum, & certamina hæc ipsa exprimit, tum res asperas, ac difficiles, necnon incorruptam coronam, quæ non auro ex regione Ophir confecta est, non lapidibus Indicis, & margaritis varia, sed talis est, qualem immortalis Iudex ille, & certaminum præfectus Deus amanter componit, & propriis cultoribus retribuit. Tui enim pedes speciosi sunt, vt prophetica prædictione significatum est, quippe qui terræ ambitum peragrarunt. Lingua tua speciosa, quæ pacem illam omnium mentem exuperantem feliciter nunciauit. Manus item speciosæ, quæ Euangelium calamo ministrarunt.

Sed quidnam hæc sola sacratissima membra dico? Totus laboribus Apostolicis sanctus, totus martyrij stigmatibus ita ornatus fuit Marcus, vt & martyrij præmijs, & brauiis omnib⁹ nūc fruatur. Qui enim antea sacrificiū offerebat, is propter Christū etiā sacrificium factus est; & pastor ea, quæ ouium propria sunt, vnà cum ouibus suscepit. Nam & ipse, tanquam ouis, vnà cum alio Apostolico cœtu in medium luporum missus, & hostia viuens Deo oblata est. Vinculis enim comprehensus fuit ab iniquis manibus ille, qui multos à dæmonum faucibus eripuit. Vinctus tamen, & huc, atque illuc ductus, iniuriisq;, ac maledictis lacessitus, mansuetè, & æquo animo omnia perferebat, Dominum ipsum imitatus. Multo carnis propriæ sanguine perfusus est, qui terram illam dæmonum sordibus expurgauerat. Hæc enim sunt, quæ ingratorum hominum insipientia iis retribuit, per quos beneficia conciliata eis

sunt. Postremò omnium generum cruciatibus, velut aurum quoddam, probatus, ad infinitam illam lucem euolauit, variorum certaminum, & fortium factorum multiplices fructus percepturus. Talis fuit Apostoli cursus; tales Euangelistæ Marci conatus, miraculo pleni, & supernis plausibus digni.

An non magnus Marcus in omnibus summas laudes meretur? Quid enim Apostolo sublimius? Quid Christi scriba honoratius? Quid cum martyrij gloria conferendum? Cùm verò & pontificius amictus eidem accesserit, athleticarum luctationum gloria decoratus, quid'nam aliud ad gloriæ splendorem reliquum est? Non, inquam, aliud, nisi Angelorum cohortes, & diuina illa templa, in quibus vnà cùm aliis lectissimis Dei ministris versatur, & exultat, magistri sui vultum conspiciens, & diuina, ac principalis illius monarchiæ pulchritudinem spectans, eius'que lumine decoratus. Cuius enim viri studio Dei gloria aliis hominibus prædicata est, eum cœlestis, & infinita gloria consecuta fuit.

5 Vides ad sancti sepulchrum cōfugere homines pro obtinēdis ab eo gratiis?

Sed neque earum laudationum, quæ in hoc inferiore mundo sunt, expers est, licet his non indigeat. Nunc enim Alexandria, immò verò tota Aegyptus Marcum ipsum in primo throno considentem sortita, tanquam alterum quendam Nilum, non corporeum, sed mysticum habens, ita spiritales eorum agros irrigantem, quemadmodum frugiferos ille alter, qui oculis corporeis cernitur, irrigare solitus est; illum, inquam, vt Apostolum, vt Euangelistam, vt Martyrem magno præconio extollit, & hymnos eius appellationibus congruentes concelebrat. Videt hunc in monumento positum, licet in supernis regionibus eius anima versetur, & exultet. Eius pulueris thesauro locupletata, funebres cantus ipsi Apostolo pronunciat; & tanquam cum viuente aliquo, & in spiritu versante colloquitur; & gratiis per illum ipsum concessis oblectatur; & pro illis honoribus, quos Apostolo congruentes, velut dona quædam, offert, maiora beneficia vicissim recipit. Cùm enim tentationum flatus aduersus ciuitatem spirant, Apostoli Marci 5 sepulchrum vrbis incolæ circumeunt, & à malis ipsis liberantur. Barbarorum supercilium, ac superbia mala quædam acerbissima illis minatur; at ipsi ad pastorem supplices confluunt. Molestiarum, & affectuum examen cùm eos perturbat, ad Apostolum ipsum, tanquam ad medici officinam, è qua scaturiunt curationes, homines confugiunt. Immò verò vniuersa Aegyptus, Marcum ipsum magistrum, & adiutorem sibi ascribens, eius in omnibus iis, quæ tristia contingunt, auxilium implorat; & die 6 festo, quem singulis annis honorat, laudes ipsas, velut debitum quoddam, illi offert; & multa cum 7 pōpa, atque applausu, exultatione'que, & panegyri laudationes ipsas celebrat; diuinum'que ipsius Euangelium amplectitur, vt tabulas à Deo insculptas; vel, vt rectius dicam, tanquam ipsum Christi os veneratur, verba'que à Deo pronunciata, ab Apostoli ore se audire arbitratur.

6 Et die festo, quem singulis annis honorat, velut debitū quoddam, illi offert laudes.

7 Nota in diebus Martyrum etiā antiquitus eorum laudes cum multa pompa, applausu, exultatione, & panegyri celebrari solitas.

Quem Deū & nobis, sacratissime doctor, & Euangelista, propitium reddere ne graueris, & iis ipsis, quæ molesta nobis accidunt, quibus'que perturbamur, nos subleues; quæ'que in vita difficilia, & grauia nobis sunt, ea facilia 8 reddas; rumpas & chirographum illud, in quo nostra crimina scripta sunt; erratorum des veniam. Talem enim ab ipsius Domini lingua potestatem accepisti. Si ligaueris, id, quod ligatur, solui non poterit. Si ad commiserationem, ac veniam spectaueris, vinculum ipsum facilè dissoluetur. Ne despicias nos propriorum peccatorum cathenis constrictos; sed impera vinculis ipsis, & illa effringentur. Denique Ecclesias ipsas pacatas, & tranquillas reddas, quas tuis sermonibus in fundamento quodam firmo constituisti; pro

8 Vides hîc sāctos esse inuocandos. Sanctos peccatoribus veniam impetrare. Sanctorum, post mortem magnam esse virtutem.

Illis quippe Domini nostri sanguis effusus est, à quo & liberatio profecta fuit; facq́; vt & nos bonorum cœlestium participes efficiamur, gratia, & benignitate Domini nostri Iesu Christi; Cui gloria est, & imperium, nunc, & in secula seculorum. Amen.

Martyrium

MARTYRIVM SANCTI BASILEI EPISCOPI AMASEAE, PER IOANNEM PRESBYTERVM NICOMEDIAE SCRIPTVM.

XXVI. APRILIS.

FACTVM est, vt, postquàm Deus percussit impium illum Romanorum Principem, suæq; magnæ, & veræ confessionis hostem acerbissimum Maxentium Tyrannum; quem sub Constantino pio Imperatore, & Christianæ religionis obseruantissimo, vt olim Pharaonem illum, in flumen demersit, & in Constantini manus Romam tradidit; factum, inquam, fuit, vt benignissimus Imperator omnia Christianis hominibus prouideret, & quamprimùm suæ sororis virum Licinium mitteret ad expugnandum Maximinū. Qui cùm in partibus Orientis Regnum sortitus esset, aduersus eum, qui verus, ac solus Deus est, iniquitatem loquebatur, & sæua tyrannide eorum genus, qui Dei pietatē obseruabant, affligebat, vt nemo alius fecerat eorum, qui antea fuerunt.

Licinius igitur omnipotēte Domini nostri Iesu Christi manu adiutus, quippe qui Christi fidē syncero animo tunc obseruabat, victoriā de Maximino reportauit, cùm in eo Regno esset, quod ille in Oriente obtinuerat. Nefarius enim Maximinus de bello ipso parū cogitans, Licinij quidē manum in fugam conuersus euasit, sed non omnino effugit illam Dei manum, quæ omnia ita comprehendit, vt ab ea nihil abstrahi possit; quæ manus tunc rationes, & pœnas pessimis illius sceleribus dignas exegit. Cùm enim domi se occultasset, repentino quodam per totum corpus, & insanabili morbo percussus est; doloribusq; asperis, ac vehementibus cùm mirum in modum premeretur, pronus in terram cecidit, eius carnibus occulto quodam igne liquescētibus, omnibusq; ipsius membris diffluentibus, solis ossibus anima ipsa conclusa; quæ ossa cùm carne, & sanguine carerent, è proprio loco, in quo posita erant, abrumpi cœperunt. At anima illa miserrima, neq; sic à scelesto, & spoliato suo tabernaculo discedere potuit, priusquam Domino ipsi supplex confessa est impietatē suā, ac tyrannidem, quam aduersus Christum, eius seruos affligendo, exercuerat. Tali miser ille turpissimo fine vitam suam exegit.

Itaq; post iustam Maximini pœnam, & diuinitus inuectam iram, Licinius,

cum totum Orientem sub se haberet, magno cum apparatu ad nostræ regionis vrbem Nicomediam venit vnà cum coniuge sua, vt in regia domo habitaret, & Orientis Imperium gubernaret. Iam verò primùm summa quædam pax repente per totum nostræ regionis orbem, post vehementes illas insanientis idololatriæ cōmotas fluctuationes, ac pugnas, Licinij arbitrio, atq; opera inuecta est. At bonarum rerum inimicus diabolus, piè viuentium tranquillitatem, ac lætitiam non diu ferre potuit. Licinio enim ipsi exemplo non fuit eorum Tyrannorum, qui antea fuerunt, euersio, ac pœna, ne & ipse talis esset, sed ea, quæ iusta sunt, faceret, atq; in illis perseueraret. Nam cùm feliciter, quod cupiebat, ei processisset, quæq; sperabantur, in eius potestatem venissent, ostendit non longè postea, qualemnam animum haberet, & cuiusmodi re vera esset, quòd videlicet per simulationem, & sub quadam simulatæ fidei specie, atq; integumento cum maximo illo Imperatore Constantino versatus fuerat, quo tempore Constantini res gestas considerans, animum suum occultabat. Tunc igitur, cùm totus scelestus esset, & nefarius, totusq; ad diaboli voluntatem se accommodasset, solius, & veri, omniumq; Creatoris Dei confessionem reprobauit, idq; post iusiurandum illud, quod Dei amantissimo Imperatori Constantino sæpius exposuit, nullo vnquā tempore se à Christianorum fide defecturum, sed illius se fore propugnatorem. Quæ sua promissa pro nihilo faciens, Græcorum cultui se ipse totum diligenter tradidit, ardenti zelo in rebus illis execrabilibus permanens, & vbiq; idolis ipsis sacrificia offerens. Qui & violenter senatorias mulieres abripiens, in conspectu hominum turpe, atq; intemperatum facinus committebat, non matribus, neq; filijs parcēs, quominus intemperanter cum illis coiret. Ad hæc per omnes gentes infinitas calamitates meditari non desistebat.

Hæc cùm magni Constantini germana soror videret, atq; audiret, eaq; ferre non posset, literas ad pium virum, & Dei amicum Constantinum clam misit, quibus significabat, quæ Licinius facere ausus fuerat. Ille enim superstitiosæ dæmonum culturæ studiosus, & ipsi Deo inuisus Licinius, omnes Christianos homines è domo sua procul fugauit; qua re apertè se Christi diuino patrocinio nudum, ac destitutum ostendit. Cùm igitur sine impedimento aliquo talia diutius ab illo fierent, vna quædam puella ex earum numero, quæ in Reginæ ministerium ardenti studio affectæ erant, è genere Christianorum exorta, moribusq;, & tēperantia florescēs, cùm hæc cognosceret, & ad stuprum à Licinio prouocata, cum eo misceri exhorreret, simulq; ne propter Zelotypiam, ac suspitionem à domina sua affligeretur, arcanum illud Reginæ ipsi aperire ausa est. Hæc, inquit, Imperator constituit mihi facere. Benignus enim, qui eius cubiculi præfectus est, cùm tanquam magnum aliquod donū se mihi collaturū speraret, hoc significauit. Te igitur obtestor per Deum illum, qui cœli, & terræ Dominus est, quem & ipsa times, & Imperator Constantinus colit, ne sinas virginitate mea nefario coitu vitiata me priuari.

Hæc cùm Regina didicisset, & puellæ ipsius æquam mentem, ac propositū libenter amplexata esset, illam primùm occultauit eo nomine, quòd delirio correpta moritura videretur. Postea verò opportunum tempus nacta, multum auri, & argenti, regiumq; ornatum, ac omnē supellectilē, necnō pueros illi dedit, eamq; misit in Armeniæ regionem, atq; illis hominibus, qui eam deducebant, præcepit, vt nullo modo, quæ fierent, alicui patefacerent, quænam scilicet, aut vnde esset illa puella, quoad Dominus ipse prouidisset. Illi verò virili veste eam ornarunt; cùmq; Reginæ de puellæ custodia, & benignitate in eam seruanda fidem certam dedissent, in eum locum, in quem iussi fuerant, proficiscebantur; ac si qui ab illis quæsiuissent, quisnam ille esset, Tribunum

quendam esse respondebant. Dei autem prouidentia factum est, vt illi in vrbē Amaseam venirent. Erat autem vrbs illa Ponticæ prouinciæ metropolis. Glaphyra igitur (hoc enim erat puellæ nomen) cùm vrbem munitissimam vidisset, eius loci specie delectata est, & pueros suos admonuit, vt si Christianorū genus illic inuenissent, in ea vrbe permanerent.

Cùm verò adolescens quidam, qui ad Quintium vrbis illius cum primis illustrem pertinebat, audiuisset viros illos Christianos esse, & quærere, si qui eiusdem fidei essent in vrbe illa, ad Quintium pertulit, quod audierat. Qui nihil moratus eos conuenit, ac rogauit, vt in domo ipsius esse vellent, & si gratū eis esset, illic manerent, dicens, se quoq; Christianū esse, & eo in loco Christianum Episcopum habere, virum egregium, & dignum, qui cum Apostolis ipsis conferri posset. Illi eius verbis obtemperantes, & in eius domo partem quandam capientes, apud clarissimum virum Quintiū permāserunt; & Episcopum ipsum cōuenere, qui Basileus appellabatur. Erat vir ille admodū eloquens, omniq; virtute, & spirituali prudentia refertus. Cùm verò à Glaphyra ipsa quæsitum fuisset, quænam, & vnde esset, respondit, se Italam genere, & Christianam esse, & ex parentibus Christianis, ancillamq; Reginæ illius, quæ Constantini Augusti soror, & Licinij Regis vxor erat. Adiūxit etiā deinceps, quænam fuerat causa, vt ad eum locum veniret. Illi cùm hæc audiuissent, præceperunt, vt neq; ipsa, neq; quisquam illorum, qui ad eam pertinebant, cum aliquibus versaretur, ne aliquo modo vrbis Præfecto delati essent, & calamitatis alicuius causa ea res ipsis foret. Beatus verò Episcopus Basileus dixit, ad Dei gloriam illam discessionis causam pertinere.

Illis ipsis diebus 1 templum Ecclesiæ causa Episcopus construebat; nā vsq; ad illud tempus non fuerat intra vrbem Christianis ipsis locus aliquis sanctus. Casta igitur illa virgo Glaphyra multum auri, & argenti ad tēpli ædificationem cōtulit, & omnes ferè suas facultates ad omnia ea suppeditabat, quæ beatus Basileus iussisset. Quinetiam & ad dominam suam scripsit, vbinam esset, & apud quem manere sibi proposuisset, ac de sacro illo ædificio certiorem eam fecit, petens, vt plus pecuniæ ad eam mitteret, qua templum sanctū Christianis compleri posset. Id libentissimè fecit magni Constantini soror, quæ & plurimas pecunias, & multa dona ad eam misit. Scripsit etiā & literas ad Episcopum, quibus puellam ei commendabat.

1 Ecce quomodo res bona est, ac Deo placēs templa construere, & opes in eorum ædificationem effundere.

Temporis interuallo iniquioris dæmonis arte factum aiunt, vt Glaphyræ literas Benignus ille, de quo diximus, inuenerit. Quibus lectis, cùm audisset puellam viuere, & apud quendam virum Amaseæ esse, Regi Licinio hoc patefecit. Qui cùm mirum in modum furore accensus fuisset, illa ipsa hora ad prouinciæ Præsidem edictum misit, quo iubebat Basileum ipsum, & famulam Glaphyram ferreis vinculis ligatos ad eum mitti. Priùs igitur quàm Regis literæ ad Præsidem venissent, Dei prouidentia factum est, vt Glaphyra ipsa ex humanis rebus discederet. Corruptor autem ille, & inhumanus Præses cùm Regis edictum accepisset, sanctissimum Episcopum Basileum cōprehendit, & ferreis vinculis astrictum ad Regem misit. De Glaphyra autē scripsit, quòd mortua esset. Consequebantur beatum Episcopum Basileum duo clerici diaconi, quorum alter Parthenius, alter Theotimus vocabatur. Omnes autē in via ipsa ab impiis militibus, & carnificibus vexati sunt. Cùm verò ad Nicomediam regiam vrbem venissent, Dei seruus Basileus in carcerem coniectus est. Parthenius verò, & Theotimus apud quendam Elpidiphorum Christianum hominem, atq; hospitalem, qui carceri proximus habitabat, benignè, & multa cum misericordia hospitio accepti sunt.

Fidelissimus igitur Elpidiphorus, cùm omnia de viro illo cognouisset, &

carceris custodi notus esset, auro ab eo impetrauit, vt sine impedimento aliquo, & ipse, & diaconi, & quoscunque voluisset, ad magnum Dei Pontificem introirent, & vnà cum illo diuinas preces, atque psalmos a noctibus præsertim canere possent. Instãte igitur die, quo ante Tyrannũ Basileus ipse sistendus erat, mediæ noctis tempore, carceris custode accersito, diaconos suos, & admirabilem Elpidiphorum quæsiuit. Custos igitur ipse celerrimè eos omnes ad Basileum duxit. Ille verò psalmos, vt consueuerat, etiam tunc canebat, exorsus ab illa psalmorum decade, Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Deinde cùm in psalmis dicendis vlterius progressus esset, tertiò versum hunc, extensis in cœlum manibus, & lachrymas fundens dixit: Et habitauero in extremis maris; & manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua, Domine. Diaconi autem illi, cùm Basileum in precibus, tanquam perplexum, vidissent, lapsum fuisse suspicati sunt. Ipse verò sciebat, quid diceret, vt earum rerum finis ostendit, quæ de illo conclusæ sunt.

a Vide nostram Psalmodiam.

Deinde cum hymnos, & preces expleuisset, die ipso iam lucescente, Diaconos affatus; Tentationes, inquit, adsunt, fratres, à diabolo quidem ipso cõmotæ; sed ab hominibus in nos illatæ. Ne segnes sitis, neque ob eas ærumnas, quæ futuræ sunt, animo concidatis, sed sustinete, stabiles manentes in fide; neque vos dimoueri patiamini, vt probati, non confusi in aduentu Domini sitis, vigilanter ac firmiter animæ oculos ad eum intentos habentes, qui potest nos seruare à morte, & luctum vertere in gaudium, angustias ipsas in iucũditatem, lachrymas in risum, labores in requiem. Omnes vitæ huius voluptates, & sensuum illecebras, abiectissima quæque esse propter Dei filium Iesum Christum existimate, vt eius hæredes vnà cum omnibus sanctis viris efficiamini, eius Regni delicijs fruentes. Scitote enim, filij mei, hac nocte Dominũ meum mihi verè apparuisse, & qualis dissolutionis meæ, & in illum migrationis futurus sit finis, quæcunque denique magna, & præclara in seruum suum faciet, mihi declarasse. Vos igitur tranquillo animo estote, & in Christo, reuertentes, fratres ipsos confirmate. Eutychium vero Callistrati filium Episcopũ vobis assumetis. Ita enim mihi Dominus reuelauit, qui sua gratia, & benignitate motus faciet, vt vile hoc corpus meum vobis reddatur.

Cùm eius clerici amaros fletus emitterent, ille consuetam suam doctrinam adhibens, ipsos admonuit, & hortatus est, vt reuerti vellent, manibus Elpidiphori eos commendans, cui & hoc dixit: Tu, frater, à Deo ipso electus es, vt charitatis mercedem recipias. Vnà igitur cum illis ærumnas patere, neque ipsos dimittas, quocunque loco Dominus ad eorum ministerium te inuitauerit. Cùm primùm verò eos Basileus dimisisset, Rex ipse iussit illum ad se duci, ac primùm Glaphyræ puellæ crimen obiiciebat, quòd eam acceperat, neque quicquam de ea re significauerat. Ille ad hæc omnia iustam defensionem opposuit. At Rex iussit ab eius aspectu Episcopum amoueri. Cui & per vrbis Tribunum significans; Condonabo, inquit, tibi erratum hoc, & insuper honores maximos adiiciam, si mihi obtemperaueris, & deis meis sacrificia obtuleris; quinetiam & eorum sacerdotum, qui hîc sunt, Pontificem te constituam. Beatus verò ille Dei minister Basileus Tribuno respondit: Hæc dices Regi: Licet totum regnum tuum mihi dare volueris, nunquam tantum mihi dabis, quantum auferre vis, cùm à Deo viuente me separare studeas, & dæmonibus animarum corruptoribus adiungere, atque ab infinita, sempiterna, immortalique gloria abalienare, & ad caducos honores impellere, quorum honestas turpitudo est, & splendor abusio quædam inutilis. Sed si vis me bonum consiliarium audire, tu mihi obtemperes, & redeas illuc, vnde discessisti, quemque reprobatum contempsisti, ad eum te supplicem abiicias. Bonus enim est Deus noster, neque

quisquam alius est præter ipsum iustus, sanctus, & saluator. Pœnitētiam igitur agas, & à vanis istis rebus discedas, ne propter insipientiā tuam mala, & calamitates in te veniant, illatæ ab illo ipso iusto Iudice, quem tu negans dixisti, Deum non esse.

Hæc Tribunus statim Regi nunciauit; quem Rex iterum ad Basileū mittens; Rursus, inquit, illum admone, nisi fortè cogi velit. Quòd si parere mihi noluerit, statim eius capite obtrūcato, in mare præcipitetur, vt videamus, an Galilæus ille ipsum seruare possit. Rursus igitur Tribunus ad eum venit, ac dixit: Inter vitam, & mortem nunc es constitutus. Duorum alterum delige; vel mihi obtemperes, & Regem ipsum colas diis immolans, quos ipse veneratur; vel te ipsum gladio feriendum esse scias, & in mare præcipitandum. Hæc cùm sanctus ille vir audiuisset, admodùm lætus respondit: Ego immortalem Deum meum, ac Regē colere, & eius præceptis obedire studeo. Isti enim, quos ipsi deos vocatis, dæmones sunt, cum quibus & qui eis credunt, à vero, & solo Deo meo in omnes imperium tenente, in illo ipso Iudicij tempore, quod definiuit, in ignem gehennæ, qui nunquam extinguitur, detrudentur in tenebras exteriores, vbi erit fletus, & stridor dentium. Fac igitur contra me quicquid vis. Ego enim non solùm capite priuari, & in mare, vt dixisti, proiici, sed etiam infinitos cruciatus pro Christo meo sustinere paratus sum. Quandiu enim spiritus ipse in naribus meis superfuerit, formatorem, & Deum meum non negabo, neq; ignis illius omnia vorantis reus efficiar.

Cùm Tribunus ex iis intellexisset hominis sententiam stabilem esse, atq; immobilem, iussit mediocriter flagellis verberatum capite priuari, & in mare eius corpus deiici. Hoc enim modo quàmplurimos ex iis, qui Christi fidē colebant, illos præsertim, qui Dei gregibus præsidebant, obtruncatos piscibus escā proiecerat. At ille grauissimus, & valde religiosus Christi martyr Basileus, verbera ipsa grato animo excipiens dicebat: Non tribulatio, non angustia, non plurima pericula, non gladius, non ignis, aut mors separare me poterunt à charitate Christi; potest enim ille ab omnibus me liberare. Cùm q; duceretur, canebat psalmi versus illos: Qui pascis Israël, intende, qui deducis velut ouē Ioseph; qui sedes super Cherubin, manifestare coram Ephraim, Beniamin, & Manasse. Excita potentiam tuam, & veni, vt saluos facias nos. Hæc maximè illi optabilia erant; & spectabant ad ea innuenda, quæ postea Elpidiphoro, & iis, qui cum illo erant, euenerunt. Elpidiphorus autem simul cum diaconis, & quibusdam hominibus Christianis Basileum sequebatur, quē carnifices ipsi vehementer vrgebant. Venerunt igitur ad eum locum, in quo illi martyrium obeundum erat. Elpidiphorus autem carnifices adiit, quibus & nonnullos argenteos nummos dedit, eosq; rogauit, vt Basileo liceret cum domesticis suis ea loqui, quæ voluisset. Id cùm carnifices libentissimè concessissent, ille diuinus Christi athleta, & Episcopus Basileus, cùm in maris littore 3 genua inclinasset, & manus ipsas in cœlum extendisset, Deum orauit theologicis vocibus, & aliis attentionem afferentibus in hanc sententiam prolatis.

3 Orat Sāctus cum genuflexione, & manuum in cœlū extēsione.

Tu, qui cœlestes, & incorporeas mentes constituisti; qui cœlum, tanquam pellē, extendisti, terramq; ipsā super aquas fundasti; qui mare, & omnia creasti, quæ in his ipsis continentur, Domine Deus meus, qui vnicuiq; & quocūq; in loco, & in omnibus semper præsens es; quiq; facis voluntatem timentium te, & custodientium mandata tua, exaudi preces meas, & fidelem gregem tuum custodi, cui me inutilem seruum tuum præficere dignatus es; illum ab omni Græcorum vanitate, ac violentia libera; & ab omni magniloquentia, & impia hæreticorum lingua blasphemias contra te loquente intactum serua. Tu, qui omnia potes, idolorum insaniam extermina, & satanæ opera destrue, Ecclesiæ

verò tuæ cœtum amplifica. Omnem hanc ciuitatem, & ei finitimas vnũ populum efficias, cuius eadem mens, idem'q; animus sit in tua, qui verus Deus es, recta confessione retinenda. Eundem populum & bonorum operum, tibi'q; placentium æmulatorem constitue, vt ab omnibus gloriosè celebretur nomen Patris, & Filij,& Spiritus sancti nunc, & in secula seculorum. Cùm'q; vocem hanc, Amen, addidisset, Elpidiphorum, & diaconos ipsos amplexatus cũ osculo sancto, quemadmodum maximus ille Paulus Ephesiorum presbyteros olim amplexatus fuit; Benedictus, inquit, Deus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum hostium, qui corporeis oculis non videntur; sed laqueos ipsorum contriuit, & nos liberauit, auxilium'q; præbuit, vt ex angustiis eriperemur; neq; supra,quàm possumus,nos tentari permisit. Salutate fratres,& filios meos, quos genui in Spiritu sancto. Gratia Saluatoris nostri Iesu Christi sit cum omnibus vobis. Amen. Tunc ad carnificem conuersus; Fac, inquit, tu amice, quod iussus es, & cuius causa hîc ades. Cùm'q; genua inclinasset,& collum protendisset,lætus, atq; exultans plaga vna percussus bonum illud certamen fortissimè confecit.

Tunc Elpidiphorus carnificibus aurum offerens eos rogabat, ne Basilei corpus in mare demergerent, sed illud sibi sepeliendum traderent. Verùm hoc illi facere noluerunt suspicati, ne, si fortè deprehensi essent, suis etiam capitibus à Rege condemnati obtruncarentur. Cùm'q; ille pretiosum martyris caput à carnificibus petiisset,nec ipsũ impetrare potuit. Itaq; carnifices illi, cùm piscatorum quorundam scapham arripuissent,in eam Martyris corpus cum capite coniecerunt, & longiùs à terra distantes in altum mare aliò caput, aliò corpus demerserunt, nobis id videntibus, qui & gemitibus confundebamur. Elpidiphorus aũt minister Christi fidelissimus cùm Diaconos in domum suam accepisset, eos consolatus recreauit. Nocte verò illa diuina quædam Angeli visio Elpidiphoro ter oblata est, eodem'q; tempore Angelus ipse sic affatus eum fuit: Episcopus Basileus Sinopem venit, & illic vos expectat. Surge igitur, & eius Diaconos tecum habens nauigium conscende, & ad ipsum proficiscere.

Elpidiphorus cùm ter eodem tempore surrexisset, & visionem secum cogitasset, clericis illam exposuit, ab eis quærens, an re vera locum aliquẽ, vel regionem Sinopem dictam alicubi esse audiuissent. Parthenius vrbem Ponti esse dixit. Et ego, inquit ille,in somnis mihi videbar magno illi viro manum meã porrigere, & vnà cum ipso in Domini templum introire, qui & hoc mihi dicebat: Vt vides, ita erit tibi. Cùm igitur Elpidiphorus aurũ, & viaticũ sumpsisset, & omnibus aliis rebus maiorem Christi fidem duceret, eam'q; secũ haberet,ac vt viæ ducem quendam sequeretur, Ameseno nauigio inuento,vnà cũ Basilei Diaconis in illud conscendit. Nauigabant igitur in vrbem maritimã Sinopem, Deum'q; precabantur, vt quæ initio facere iussi fuerant,ea manifestiùs eisdem iterum reuelarentur,

Illa igitur nocte, qui antea Elpidiphoro apparuerat, præsto fuit,ac dixit: Ad dextrum vrbis sinum rete ipsum demittite, & quam cupitis margaritã inuenietis: ac repente ostendit illi & locum, & signa quædam, ac domum pellucentẽ, sanctum'q; virum in ea sedentem cum multitudine militum, dixit'q;: En ipsum vides; manè igitur veniens illũ capias. Experrectus igitur,& valde lætatus,his, qui cum illo erant, se hæc vidisse significauit;qui cũ diluculo surrexissent,iuerunt prout visione illa docti fuerant, cùm & signa, & locum inuenissent. Ecce autem & piscatorum nauigium, qui retia sua componebant, oblatum est. Eos cùm admirabilis Elpidiphorus ad se vocasset; Quid vultis, inquit, vobis demus, vt rete nobis iaciatis. Illi autẽ libentissimè cum eis pactionem fecerunt. Qui cùm in nauigiũ cõscendissent,sortiti sũt inter se de primo iactu,sors'q; ipsa

Theotimo cecidit In ipsius igitur nomine retia in mare demissa sunt, quæ extracta nihil in se captũ habebant. Deinde Parthenius pro Elpidiphoro sortitionẽ fecit,& secundus sagenæ iactus Parthenio cecidit.Sed neq; sic aliqd ab eis captum fuit. Dixit autem Elpidiphorus: Ego non in meo, sed in Dei mei nomine vobis committo, vt sagenam in mare iaciatis. Fidem enim in Deo ipso habeo fore, vt quod propositum mihi est, assequi possim.

Hoc igitur facto, gloriosi Episcopi, & martyris Basilei corpus admirabili quodam modo, & supra quàm dici posit,in sagena illa complicatũ fuit. Cùm igitur piscatores sagenam extrahentes, multum onus in illa esse præsensissent, arridentes; Felicissimus, inquiunt,istius hominis Deus est. Cùm verò retia in terram extracta fuissent, & hominem in mari peremptum vidissent, sententiã mutantes de fortuna illa conquerebantur. At Elpidiphorus cùm eum vidisset, & sanctum virum Basileum cognouisset, se continere non poterat, quin multũ lachrymaret, atq; ingemisceret. Parthenius verò in eius aurem incumbens; Ne demus, inquit, istis suspitionem, sed tanquam communem humani generis naturam misericordia prosequentes, illos rogemus, vt nobis eum dent,quò terræ cadauer ipsũ mandare possimus. Consultabant enim piscatores de illo iterum in mare proiiciendo. Quamobrem piscatoribus dixerunt: Vos quidem, fratres, laborastis, id'q;, quod à Deo ipso vobis datum fuit, cœpistis; date nobis eum, qui pro piscibus extractus est, vt quæ ad sepulturam pertinent,rite illi adhibeamus, vt terræ id, quod ei cognatum est, adiungatur. Piscatores autem pro cadauere nihil sibi dari patiebantur. At Elpidiphorus; Vos, inquit, laborem passi estis, quod'q; vobis impositum fuit, exoluistis; iustum igitur est vos mercedẽ recipere. Cùm hoc diceret, non antea destitit,quàm quod constitutum eis fuerat, acceperunt.

Cùm igitur ad ripam quandam maris nauigassent, corpore illo accepto, ac reposito, à piscatoribus relicti sunt, sole ad vesperum iam vergente. Tum illi honoratum sancti martyris tabernaculum amplexari cœperunt cum lachrymis, atq; gemitibus, & ea re multum gauisi sunt. Cùm enim Martyris caput sine corpore, corpus'q; sine capite, vtrunq; nobis ipsis spectantibus, in altum mare proiectum fuisset, admirabile fuit, & insigne admodùm diuinæ potentiæ opus, illud idem caput cum corpore coniunctum emergere, cùm sectionis signum existeret,quam gladio allatã vndiq; collum Martyris præseferebat quidem, sed ita tamen vt à sacro illo capite disiunctum non esset. Neq; vllũ omnino damnum, vel tumorem ex aquis ipsis, quibus diu agitatum fuerat, vt alia omnia consueuerunt, corpus illud acceperat, neq; aliquid malè olebat;quinetiam odoris suauitatem quandã emittebat. Prorsus enim ab omni corruptione liberum erat. Non à capite, non à palpebris, non à canicie illa, quæ nuper florere cœperat, pili effluxerant, sed qualis erat, cùm adhuc superstes dormiebat, talis & nunc ante illos positus cernebatur, multorum'q; vnguentorum suauitatem redolebat. Nondum autem septuagesimum annũ excesserat. Sed nemo his fidem non habeat, quasi diuinæ potentiæ ordine hæc nõ sint facta, cùm sciat quæ in Erythræo mari,& Iordane fluuio sub Mose, Iosue, Elia, & Elisæo olim à Deo effecta sunt, quæ'q; postea in Iona illo diuino homine,& tribus adolescentibus, qui in Babylonia illa fornace fortiter se gesserunt, quorum neq; crines, neq; indumẽta ignis odore, aut incendio corrupta sunt. Hæc enim Dei potentia euenerunt omnia facientis, & suo nutu quocunq; tempore voluerit, quæ contra omnium opinionem sunt, disponentis. Idem enim Deus est, qui & tunc, & nunc mirabilia omnia in eos, quos se dignos inuenit,vel post mortem eorum efficere solet.

Cùm satis igitur collachrymassent,& iam aduesperasceret, Elpidiphorus ad

vrbem cucurrit, & velum quoddã emit; cùm'que multa nox esset, corpus ipsius velo illo inuoluit; quod in cuiusdã Christiani hominis domo, qui erat vnus Eupolitarũ, & apud quem iam antea diuerterant, reponens, vnà cum iis, qui illic erant, decenter funus ipsum curauit. Quamprimùm autẽ & ex tabulis arcam quandam Elpidiphorus composuit, atque in vehiculum mercede conductũ corpore imposito, vnà cum Diaconis ad illius vrbem Amaseam profectus est, ac totos quinque dies in itinere consumpsit. Ad multam verò noctem in templo nuper constructo reliquias illas reposuerunt. Diluculo autẽ tota Christianorum multitudo in eum locum collecta, occultè quidem propter Præsidis metũ, ne si hoc ille sciret, eis malefaceret, festinauit sancti viri corpus sepulchro dare. Sed quoniã verisimile erat aliquos vel non credere, vel eius corporis spectandi cupidos esse, cùm velum illud reuoluissent, omnium virtutum, & continentiæ specimen viderunt, eorum'que sensus admirabili quadã odorum suauitate oblectatus est. Cùm'que totum illud sancti viri corpus, quod Spiritus sancti templum fuerat, inspexissent, ac re illa, omnium'que opinionem superante miraculo perculsi fuissent, & spiritualem patrem, ac magistrum lachrymis prosecuti essent, ipsi denique miraculorum effectori Deo gloriam reddidissent, cum psalmis, & 4 lampadibus, & multis aromatibus ante illud templum, quod à Basileo martyre, Dei ope adiuuante, constructum fuerat, in ea parte, quæ ad Orientem spectat, vbi & reliquorum sanctorum martyrum corpora multa reposita esse dicuntur, eius etiam corpus condiderunt, hucusque Episcopum, pastorem, & sui gregis etiam post mortem custodem vigilantissimum habentes, eundem'que grauissimorum, ac ferocium, cuiusmodi arabici sunt, luporum, qui nõ corporeis oculis, sed mente comprehendũtur, aliarum'que ferarum, Græcorum, inquam, & hæreticorum persecutorem diligentissimum.

4 Ecce Christianã sepulturam cum psalmis, & lãpadibus, & multis aromatibus.

Post insignem igitur hominis illius sancti cædem, Constantinus Imperator cùm hæc didicisset tum ex sororis suæ literis, tum ex aliis viris Senatoriis, qui à Licinio vexati fuerant, & ad Constantinum, tanquam ad seruatorem, & malorum emendatorem confugerant, Roma discessit maxima ira percitus, vel diuino potius consilio, cum Crispo filio, qui & in omnibus Rex bonus erat, eique similis, à quo genitus fuerat. Venit igitur Constantinus in Orientem, vt Licinium comprehenderet, qui se ad bellum contra Imperatorem gerendum instruxerat. Sed eius exercitus totus ad Imperatorem illum maximè gloriosum, & nobiles victorias reportantem se contulit, ei'que adhæsit. Licinium verò cum ferè ad mortem vsque Imperator castigasset, regali, & quacunque alia principatus potestate priuatum in Galliam demandauit, vt in illa regione habitaret; eo enim quòd eius affinis erat, illum morte punire noluit, qui iure millies mori debebat. Ei autem, toto Senatu audiente, dixit: Luge, & pœnitentiam age ob ea, quæ ausus es, bonis'que operibus studẽs ab illis nunquã desiste; fortasse Deus propitius, ac beneuolus erit tibi, qui omnis beneuolentiæ expers, & insidiator fuisti; fortasse & sempiternæ pœnæ sententiam aufugies. Nihilominùs tamen diuina pœna vehementer illum aggressa fuit; in ea enim regione, ad quã missus est, difficilia quædam vlcera, remedia eius malitiæ congruentia, similem illi, quam Maximinus passus fuerat, plagam attulerunt. Cùm igitur grauiter ingemisceret, & solum, ac verum Deum à se reprobatum fuisse confessus esset, ex hac vita miser auulsus fuit.

Porrò cùm magnus, & verè Christi electus Imperator Cõstantinus Imperiũ inuictũ, atque inexpugnabile adeptus esset, diuisiones illas, quas primus ex Romanis Imperatoribus Diocletiãus excogitauerat, in veterẽ statũ restitutas diuinis legibus, & statutis coniunxit; ac per oẽs gentes Græcæ superstitionis ritũ, ac tyrannidem in nihilum redegit. Christianorum verò res augeri, extolli, & omni

cum

cum fiducia rectissimam, & veram Christi confessionē prædicari fecit; omniaq; illa, quæ ad idolorum templa pertinebant, siue pecuniæ, siue reditus fuissent, Domini Iesu Christi Ecclesiis distribui edicto iussit; Imperium deniq; ipsum eidē Domino acceptū referēs, Byzantium vrbem suo nomine appellandā construxit, quam omnium Rex, atq; Imperator Deus diligit. Obiit autem martyrio functus beatus, & inter sacerdotes, atq; illustres martyres cū primis egregius, & fidelis Basileus, mense Martio, vigesimooctauo die. Sepultus verò fuit in sacri sui gregis vrbe mense Aprili vigesimosexto, imperante Constantino, in Christo Iesu Domino nostro, cui gloria, & imperium in secula. Amen.

Posteaquam tale in Christo ministerium amabilis Elpidiphorus compleuit, & in vrbe Nicomedia apud me minimum inter Christi sacerdotes Ioannē fuit, omnes Basilei res gestas, quæ supradictæ sunt, Deo teste, mihi exposuit. Quàobrem ad eorum, qui hæc legent, vel audire voluerint, ædificationem, atq; vtilitatem literis mandare, & scripta relinquere studui, quæcunq; vidi, audiui, & didici; nam & ipse dignus habitus fui, qui per dilectum Elpidiphorū illius beati viri spirituali congressu fruerer, quo tempore in carcere custodiebatur, à quo & maximam vtilitatē percepi. Cùm enim tēpore illo inter Christi fideles homines contentio, ac dissidium ortum esset, ego ab eo viro, qui omni affectione liber, & præceptor erat verè magnus, supplex petij, vt diceret, num rectè sentirent, qui filium ipsum simul cum Deo omnium supremo pariter æternum esse, & sine principio tenerent, dicentes eum esse eiusdem essentiæ, cuius & pater est, necnon duo hæc sine principio, & pari honore prædita esse affirmantes; an potiùs hæreticā disputationē sustinerēt, cùm quodam loco clara voce Filius ipse dicat: Pater maior me est: item illud: Vado ad Deum meum. Tunc ille; Si diuina, inquit, oracula diligenter, & accuratè legere volueris, omni affectu, & odio liber, inuenies, rectissimè illos sentire, qui fitentur, sic Deum ipsum a se coli; cùm Ioannes apertè clamet: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum; hoc erat in principio apud Deum: et Paulus testetur, Christum esse Dei potentiam, & Dei sapientiam, imaginem, & characterem Dei inuisibilis, primogenitum omnis creaturæ, atq; creatorem. In ipso enim creata sunt omnia, siue visibilia, siue inuisibilia; & omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factū est nihil, quod factum est. Si verò in ipso, & per ipsum omnia creata sunt, & constiterunt, manifestè tempus, & secula creata esse intelligimus.

At si quis ad eam insaniam deuenerit, vt Patrem, & Deum sine potentia, sapientia, & verbo fuisse dicat, habeat ille & de Filio talem opinionem, ꝙ patibilis fuerit, & paulatim creuerit, atq; additamentum acceperit, eiusq; ipsius diuini existentis totam naturam (vt opinatur) ad principium referat. Auctio enim, & additamentum, quod paulatim fit, principiū habet omnino id, quod fit in tēpore. Verùm nō existimo aliquē ex iis, qui rectè sentiūt, tale quippiā opinari, neq; hoc à veritate puto dissentire, ꝙ Pater sine principio, & Filius cū Deo etiam ipse sine principio sit. Nō enim in tēpore Pater est, sed supra tēpus, supra quod & Filium esse manifestum est. Itaq; cùm Deus, & Pater semper fuerit, æternus etiam est Filius ipse, supra quàm cogitari possit, diuino modo à Patre genitus. Cùm enim confiteamur semper eum fuisse sine principio, semper sapientem, & potentem, fateamur igitur necesse est fuisse Verbum, & Verbi Genitorem; quod Verbum non in aërem dissoluitur, quemadmodum nostra verba dissoluuntur, sed consistit, & est verè indissolubile, semper ab eo, qui sine principio est, ab ipso, inquā, Genitore secundū verā essentiam principiū habens supra principium. Quòd enim Verbum ipsum, hoc est Filius, eiusdē substantiæ sit, cuius & Pater, Filius ipse homo factus clara voce affirmat, cùm ait:

Ego, & pater vnũ sumus: et, Qui videt me, videt & patrẽ meũ. Hæc enim verba aliter intelligi non possunt, quàm quod eiusdẽ substantiæ cognationem iis, qui verè sunt, aptè congruere ostendant. Eandẽ sententiam & in verbis illis contineri arbitror: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Cùm hoc dicit, vnum ostendit nomen Patris, & Filij, & sancti Spiritus. Curnam hoc fecit? Vt eiusdem substantiæ, voluntatis, regni, potestatis, ac virtutis, eandem cognationem esse doceret, diuersitatemq́ue personarum, quæ in Trinitate considerantur, ostenderet.

Quod verò dixit: Pater meus maior me est: &, Vado ad Deum meum: in eam partem accipiendum est, in quam accipimus, cùm audimus illum esuriuisse, sitiuisse, dormiuisse defessum, anxium, & tristem fuisse, crucem denique, & mortem pertulisse. Hæc enim omnia pij homines humanæ filij Dei, hoc est vnigeniti Verbi, naturæ propter nos susceptæ tribuere debent; quoniam formã hominis suscepit, & sponte sua se ipsum exinaniuit, & cùm esset diues (vt ait diuinus Paulus) propter nos factus est pauper, vt nos illius paupertate diuites efficeremur. Similis enim nobis fuit per omnia, excepto peccato. Tales igitur humiles voces, & patibili naturæ conuenientes cogitandum est illi conuenire, qua parte homo fuit. Illas verò magnas, & Deo conuenientes voces de eodem cogitabimus, qua parte Verbum erat Dei in principio, & Deus, vnũ cum patre; id quod ex diuinis signis ostensum est. Itaque Genitori similem fuisse intelliget, qui animæ oculis non caliginosis eum contemplari voluerit.

Cùm his sermonibus à beato illo martyre adiutus fuissem, & ad rectæ, syncereq́ue fidei firmissimum lapidem conuersus animum meum in eo confirmassem, & eorum, qui Filium à Patris substantia disiungere, atque alienare conati sunt, vel se ipsos potiùs ab vnigeniti Filij prouidentia seiungunt, inanem, & adulterinam doctrinam execratus fuissem, ad lectissimum eorum, qui Deo rectè credunt, numerum me ipsum aggregaui, in Patre, Filio, & sancto Spiritu, eiusdem Trinitatis gloriam celebrans, & nunc, & in secula. Amen. Ita completum fuit martyrium sancti Basilei, qui fuit Episcopus vrbis Amaseæ. Eius autem memoria celebratur vigesimosexto die mensis Aprilis. Te verò, qui hæc aut legis, aut scribis, obtestor per illum ipsum Deum, qui omnia videt, & potest, vt propter peruersorum hominum, & eorum, qui nobis inimicissimi sunt, hæreticorum malitiam, ab hac narratione nihil subtrahas, neque quicquam illi addas.

MARTYRIVM SANCTI PAPHNVTII ANACHORETAE, ET QVINGENTORVM QVADRAGINTA SEX, QVI VNA CVM ILLO MARTYRIVM PASSI SVNT.

XXVIII. APRILIS.

FVIT, IMPERATORE Diocletiano, Arianus quidam Præses, qui per totã Aegyptũ Christianos homines inquirebat, vt cogeret illos diis sacrificare. Veniebat igitur in vrbem Genteriam, quo in loco erat Anachoreta quidam in solitudine, cognomento Abbas Paphnutius, vir iustus, & in tota illa regione insignis. Is apud Præsidem ipsum ob eam causam delatus erat, quòd deos sperneret, & Imperatorum iussis aduersaretur. Arianus igitur Præses valde contra eum indignatus, duobus Centurionibus præcepit, vt beatum Paphnutium, antequàm dies illucesceret, ad se vinctum ducerent. Abbas verò Paphnutius nihil horum sciens per montem ingrediebatur, illic pernoctans, vt consueuerat. Cui Angelus Domini apparens; Salue, inquit, Paphnuti Christi Athleta. Cui Paphnutius respondit: Saluus sis & tu, Domine. Sequere me, inquit Angelus, vt coronem domum illam, quam à puero ædificasti. Ingredere in cellulam tuam, & arma te lorica iustitiæ, & pallio sacro indutus cœlestem oblationem offeras, quoniam veni hodie, vt te vocarem ad thalamum Domini tui, vt sine solicitudine aliqua fruaris Deo tuo. Iã enim delatus es apud Arianum Præsidem, qui præcepit ducentis militibus, vt antequàm dies crastinus

illucescat, te vinctũ ad tribunal ducant. Sed esto bono animo, neq; timeas; ego enim sum Angelus ille, qui fui cum patribus tuis, & nũc tecum sum. Dominus autem te fortem reddet, faciet'q; vt talis sis, qui Arianum Præsidem confundere valeas.

Cùm igitur Angelus hæc illi dixisset, beatus Paphnutius in cellulã suã ingressus, pallio, & linteo se induit, ac post oblationẽ exiit ita hilaris, vt aliquis faceret ad conuiuiũ pergẽs. Angelus verò, manu eius apprehensa, cũ illo de cœlestibus mysteriis colloquẽs ibat. Cùm'q; ad Aegypti fluuium, qui Nilus nominatur, peruenissent, Angelus ipse, quæ euentura illi erant, enarrauit, eo'q; salutato, in cœlum ascendit. Arianus autem Præses, è proprio nauigio descendit, & in solio quodam sedit apud portum ipsum, vbi omnes vicinarũ vrbium magistratus honoris causa eum expectabant. Sedit autem in solio illo nihil aliud curans, nisi vt beatus Paphnutius capi posset. Ob id enim ducentis militibus præceperat, vt illum comprehensũm ad se ducerent. At beatus Paphnutius cùm eos anteuertisset, stetit in conspectu Ariani Præsidis, clamans'q; forti animo, & voce libera dixit: Christianus ego sum. Ego, inquã, sum Paphnutius ille, qui à te quæritur. Ne igitur militibus tuis mei quærendi molestiam adhibeas. Tu quidem exercitum tuum habes ad Christianos homines cõgregandos, & ad eorum sanguinem effundendũ; nos verò habemus Angelos ipsos, à quibus ad cœleste illud Dei regnum adiungamur.

Arianus Præses intuens in illum ait: Tu'ne es ille desertor deorum, atq; impius Paphnutius, qui leges contemnis, & deos iustos aspernaris? Non sum, inquit Paphnutius, à Deo alienus, neq; impius, sed Deo viuo à pueritia mea seruio. Tu verò, qui multos deos obseruas, alienus es à Deo ipso. Hæc cùm Præses Arianus audiuisset, stridens dentibus suis ita dixit: Per deos illos immortales Apollinem, & Dianam, pessimis suppliciis te affligam. Ac statim iussit iusti viri manus, & pedes ferreis vinculis constringi, & vnà cum aliis vinctis connumerari inter fures, & maleficos collocatum. Et Præses quidem ipse in vrbem abiit, beatus verò Paphnutius paulatim incedebat propter vincula, quibus pedes ligati erant. Itaque se ipsum pedetentim promouens sic secum loquebatur: Paphnuti, Paphnuti, agnosce sortem hanc, quæ tibi euenit; recordare quemadmodum & Iesus Dominus inter duos latrones positus fuit.

Cùm igitur Præses in vrbem introiuisset, statim beati Paphnutij causam inquirebat. Qui ab iniustis illis militibus exagitatus ad tribunalis gradum ascendit, Dei'q; gloriam collaudabat. Statim aũt ferrea vincula è manibus ipsius, & pedibus, velut quædã aqua, effluxerunt. Itaq; stetit ante Arianum Præsidẽ, qui ad eum ita locutus est: Quis'nam, Paphnuti, furor te corripuit? Quare non sacrificas istis diis, sed pessimè tibi moriendũ esse proposuisti? Cui Paphnutius; Christianorum, inquit, mors non est mors, sed vita sempiterna. Quamobrem nulli sacrifico, nisi omnipotenti Deo meo Regi omnium seculorum. Arianus verò Præses iussit illuc ferri clibanos, & ferrea iacula, ac sartagines oleo feruenti plenas; quibus omnibus circundato beato illi viro Præses dixit: Paphnuti, nisi mihi obedias, his omnibus cruciandus es. Ridens aũt Paphnutius; Putas'ne, inquit, Ariane, ista tua tormenta mihi adeò terribilia videri, vt Deum meum negare velim? Auertat semper hoc Deus. Quinimmò illud tibi dico, nostras monachorum viuendi constitutiones longè plura tormenta in se continere; in multis enim exercitationibus nos tentamur. Sed noster Saluator ita nos corroborat, vt occulta satanæ bella superare possimus. Idem rursus & nos corroborabit ad istam tuam, quæ nihil contra nos poterit, persecutionem superandam.

Tunc

Tunc Arianus dixit: Multa, Paphnuti, verba facis, quæ meo tribunali ferenda non sunt. Porrò iussit beatum Paphnutium in armamentario suspendi, & lacerari. Sanctus igitur Paphnutius suspensus est, & eousq; laceratus, quoad ipsius intestina in humum deiecta sunt, & totum corpus sanguine conspersum fuit. Ille verò cùm oculos in cœlum erexisset, Deum sic inuocauit: Domine Iesu Christe, non refugio dispensationem tuam, paratus enim sum mori pro nomine tuo; sed precor benignitatem tuam, ne permittas me priùs mori, quàm Arianum confundam, & eius manufacta simulachra. Tunc Angelus Domini stetit ad dexteram sancti Paphnutij, cùmq; eius intestina suscepisset, in ventrem ipsius ea cõiecit, conclusitq;, & ita sanum ipsius corpus restituit, vt si nunquam antea tormentis laceratum fuisset. Duo verò milites Dionysius, & Callimachus cùm Angeli manum intestina beati Paphnutij sic in ventrem ipsius coniicientem vidissent, repente Domino Deo crediderunt, cùmq; suas militares zonas dirupissent, in conspectu Ariani Præsidis steterunt dicentes: Et nos Christiani sumus. Illis verò Arianus; Quidnam, inquit, vidistis, vt in talem insaniam conuersi tribunal nostrum contemnatis, & audeatis iustos Imperatoris deos abnegare? Tunc milites vna voce responderunt: Quod vidimus, non possumus tibi enarrare; scriptum est enim in literis diuinis, quibus Christiani homines vtuntur: Nolite dare sanctũ canibus, neq; proiicere margaritas vestras ante porcos. Ergo, inquit Arianus, me porcis similem iudicatis? Ad hæc milites dixerunt: Iustiores sunt porci, & canes, quàm tu es; animal enim omne, quantumuis rationis expers sit, Dei ipsius nutui subiicitur, & tacitis vocibus eum laudat; tu verò Dominum ipsum aspernaris, & negas. His verbis Arianus valde indignatus iussit illos statim obtruncari. Quare extra vrbem ducti sunt; & securi percussi martyrium suum cõpleuerunt; & [1] in cœlos ipsos gloriosè ascenderunt.

[1] Vide animas Sãctorũ statim post hãc vitam cœlos petere.

Arianus verò Præses surrexit è tribunali, vt iret ad prandiũ, iussitq; beatum Paphnutiũ in carcerem coniici. Milites igitur illum arreptum in obscura quadã carceris cellula concluserunt. Crastino autem die beati Paphnutij causam Præses non inquirebat, sed publicis rebus operam dabat, cogens Duces exercitus, ac Præfectos res publicas expedire. Quas cùm illi non expediuissent, iussit eos in carcerem coniici. Erant autem omnes quadraginta. Nocte verò illa, qua in eo loco conclusi sunt, viderunt inibi lucem magnam, instar Solis tempore æstiuo exorientis, ita vt totus locus illustratus fuerit. Quo viso, Magistratus illi, qui conclusi fuerant, carceris custodem ad se vocarunt, & ab eo quærentes; Quænam, inquiunt, tanta vestra fuit audacia, vt ignem in carcerem inferretis, & eum comburere conaremini, vt & qui vincti sunt, fugam arripiant, & nos periclitemur? Respondit illis Præfectus carceris: Nunquam, ò fratres, ignis huc allatus est; neq; ego parum miror; iam enim duas noctes eodẽ modo hic locus effulsit, ex quo tẽpore Christianus homo Paphnutius in obscura cellula clausus fuit; neq; omnino tenebræ in carcere fuerunt, sed lux per totam noctem apud nos effulsit, sicut sol ipse, cùm exoritur. Magistratus illi cùm hæc audiuissent, in eum locum accesserunt, vbi Paphnutius inclusus fuerat, & illic stantes ipsum pro suæ ciuitatis, & totius orbis terrarum salute orantem audiuerunt. Cùmq; cellulam aperuissent, introiuerunt, eumq; manus erectas velut faces quasdam accensas effulgentes habentem viderunt, circa quem multa odoris suauitas inerat.

Hoc cùm quadraginta illi Magistratus vidissent, eum adierunt, atq; adorarunt, cum quo & totam noctem transegerunt. Cùm verò dies illuxisset, Magistratus illi Paphnutium salutarunt. Ipse verò pacem eis optans; Pax, inquit vobis sit, filij. Sed quinam estis? Tunc illi: Præses nobis iratus est, &

iussit in carcerē nos conijci rerū publicarū causa. Quibus ait sanctus Paphnutius: Etsi hodie vobis poena remissa fuerit, posthac quid opus est denuo vos negociis ciuilibus implicari? Quamobrem audite me, & credite Deo meo; nā eius nomen confitentes vestris iniquitatibus liberati fueritis, peccatorumq́; vestrorum chirographum delebitur; cùmq́; coelestis Hierosolymæ ciues effecti fueritis, scribentur vestra nomina in libro sanctorum viuentium in secula. Tū illi quadraginta Magistratus vna, eademq́; sentētia responderūt: Nos toto animo Deum tuum confitemur; fortasse enim hæc, quæ accidit, carceris occasio ad æternam libertatem nos perducet. Agitè, inquit beatus Paphnutius, surgite, eamus hinc, ò filij, iam enim vestra nomina scripta sunt in libro viuentium.

Exiit igitur è carcere beatus Paphnutius ab Ariano Præside requisitus, quem & Magistratus illi sequebantur. Cùmq́; ad tribunal venisset; O' tribunal, inquit, tribunal, ego contra te veni. Tu cum Apolline tuo, & ego cum Domino meo Iesu Christo. Hæc illum dicentem milites Præsidis circundederunt. Beatus autem Paphnutius statim ita ex oculis eorum euanuit, vt non ampliùs videretur. Porrò quadraginta illi Magistratus statim ad tribunal ascenderunt clamantes, se Christianos esse. Arianus verò Præses cùm illos inspexisset, indignatus; Quid'nam, inquit, vobis accidit, aut quid'nam habetis? Numquid ægrè tulistis, q̄ vos spreuerim, ob idq́; de vestra vita desperastis? Magistratus autem illi vna voce dixerunt: Nos tuis fabulis mentem non adhibemus, sed coelestem spem nobis proposuimus, & breuia, & caduca hæc dereliquimus, vt sempiterna illa bona recipiamus. Idq́; scias, verè nos de omnibus nostris facultatibus consultò tibi concesisse. Itaq; redituum, & nostrarum omnium possesionum potestatem habes. Vxores verò, & filij nostri, si placet, nos sequantur.

Quæ'nam ista vestra insania est, inquit Arianus? Vt video non aliunde, nisi à deorum desertore Paphnutio, & magicis eius veneficiis hoc proficiscitur. Illi autem: Obmutescat lingua ista tua, quoniam contra sanctum Dei virum maledicta protulisti: Hæc cùm Præses Arianus audiuisset, ita indignatus est, vt statim iusserit illos in supplicium agi; qui tormenta diuini amoris causa sustinuerūt. Eos enim nefarij ministri cùm in desertū locū abduxissent, & foueas effodissent, easq́; igne impleuissent, beatos ipsos viros illic combusserunt. Stabat autem sanctus Paphnutius supra singulos rogos, sanctorum virorū animas quasi proprijs manibus excepturus. Combusti sunt autē quadraginta illi Magistratus, & vno, eodemq́; die martyrium eorum perfectum fuit, qui sempiternum brauium receperunt.

Beatus verò Paphnutius cùm per vrbem ambularet, vidit ianuam cuiusdā ditissimi hominis patefactam. Erat autem viro illi nomen Nestorius. Accessit igitur, & mulieri, quæ ianuam custodiebat; Da, inquit, mihi, filia, paulùm aquæ, vt bibam. Cui ancilla dixit: Ingredere, Pater. Nouerat enim eum virum, quoniam propter multa egregia illius facta inter Anachoretas celebrabatur, & eius vita valde laudabatur. Cùm igitur eius aspectum vidisset, libentissimè illum accepit; cùmq́; ad heram suam accessisset; Egredere, inquit, celeriter, vt beatum Paphnutium videas, per quem multa signa facta sunt sub Ariano Præside. Illa statim cucurrit, & ad domus suæ atrium venit, viditq́; beatum Paphnutium stantem, vt Angelum Dei, eumq́; adorans ait; Verè tota vita mea non tanti est, vt tua præsentia digna sit; magni certè fecit me Deus meus, q̄ hoc tectum tuo ingressu dignatus fuerit. Cùmq́; illum manu apprehendisset, in propriam domum introduxit, & in sede argentea collocabat. Ridens autem beatus ille vir; Quorsum, inquit, multū istud aurū, quod video,

tam impressum, quàm rude? Vana, & inani spe vos iactatis. Audi me igitur, filia, et elige tibi vitam Angelicam, & immortalium bonorum conciliatricem institutionem.

Cùm hæc audiuisset eius mulieris filia, quæ intra cubiculum erat, statim exiit pretiosam vestem ferens. Beatus igitur Paphnutius humi sedit, & duæ illæ mulieres ad pedes ipsius sederunt. Quibus dixit beatus Paphnutius: Derelinquite istas inanes diuitias, quoniam rubigo aurum corrumpet, & tineæ vestes istas absument, pulchraq; formæ species in sepulchris ipsis vertetur in deformitatem; sola Dei gloria, & Regnum ipsius in æternũ permanet. Cùm adhuc beatus Paphnutius hæc ad Dei seruas loqueretur, eius mulieris vir Nestorius domum venit. Præcurrens igitur mulier occurrit viro, vt ei de sancto illo homine significaret. Nestorius verò vxorem anteuertens; Quare, inquit, tali bono dignus factus non fui, vt vnà cum collegis meis comburerer, qui ob hanc causam æternam vitam sunt assecuti? Vtinam inuenissem iustum illum virum Paphnutium, & in domum nostram duxissem, qui pro nobis Deũ oraret, vt ab eo vocaremur, & glorioso ipsius Regno digni efficeremur.

Tum ei vxor: Celerrimè votis tuis satisfactum est. Ingredere domum, & vide sanctum Paphnutium omni virtute ornatum. Cùm igitur introiuisset, & sanctum virum inuenisset, eum adorauit. Cui beatus Paphnutius; Surge, inquit; Iesus enim Christus Dominus meus mihi præcepit, vt ad vos diuerterem; nanq; habet vos pro vasis necessariis paratos. Nunc autem ne sitis negligentes. Surgite, eamus, & confiteamini Dominum nostrum Iesum Christum coram Ariano Præside; non enim semper tale certamen proponitur, neque brauia vbiq; sunt. Eamus, inquam, eamus, ò filii, vt celerrimè coronas accipiamus. Beatus igitur Paphnutius cùm surrexisset, præibat; ipsi verò eum sequebantur. Cùmq; Nestorij vxor è domo exiisset, sic orauit; Domine Iesu Christe, en vt ianuam ipsam patentem reliqui, neq; illã clausi; & tu ergo, Domine, portas cœli mihi patefacias. Beatus autem Paphnutius illis præcurrens, & ante tribunal consistens; Tribunal, inquit, tribunal, contra te rursus veni. Tu cum Apolline tuo, & ego cum Domino meo Iesu Christo.

Arianus tunc quandam causam iudicabat, qui se conuertens voluit sanctum Paphnutium propriis manibus detinere; sed Angelus Domini subitò ipsum ab eo arripuit. Nestorius aũt, & vxor illius, & filia sublimi voce, & libera oratione se Christianos esse professi sunt. Arianus cùm Nestorium vidisset, intuens in eum; Ita'ne, inquit, & tu, Nestori, ab eodem insaniæ fonte potum sumpsisti? An nescis, latrones, & sacrilegos in hoc meo tribunali condemnari? Adora igitur iustos Imperatorum deos, & redi domum tuam honoratus cum vxore tua, & filia. Tum Nestorius respondit: Ne sis tu de his rebus solicitus; non enim talis sum, vt ventre alliciar, vel patris tui diaboli illecebris decipiar, vel iniquitatis ipsius, quæ mater tua est, assentationibus circumueniar. Conuersus Arianus ad puellam; Quod'nam, inquit, est nomen tuum? Illa dixit; Stephana ego vocor. Sacrifica, inquit Præses, diis, Stephana, & à me multos honores percipies. Tunc illa respondit: Nunquam profanis diis tuis, & impuris dæmonibus sacrificabo; sed corpus meum hostiam viuentem, cœlestiq; Deo meo gratam offero. Hæc cùm audisset Arianus, iussit illam in armamentario in conspectu parentum suspendi.

Abrepta igitur à carnificibus puella suspensa lacerabatur. Erat autem annos decem & octo nata, forma valde bona. Milites igitur eius latera discerpserunt. Itaq; totum ipsius corpus sanguine commiscebatur. Ad cuius sinistram partem mater ipsa stans, & animum addens dicebat: Sustine, filia, adhuc paululum, & brauium tuum recipies. Scis quemadmodum dotem tibi

præparaueram, quantam nemo in ciuitate nostra adhuc dedit, cùm vellē primo ciuitatis nostræ viro vxorem te collocare. Nunc verò, filia mea, sempiternā, & veram hæreditatē percipias; tuus enim sponsus immortalis est Iesus Christus, ad quem nunc abis in cœlestem illum thalamum. Hæc cùm mater diceret, etiam Pater similiter illam his vocibus hortabatur: Esto fortis, ò filia, hodie enim cognoui me Deo dignum factum; itaq; gaudeo, & exulto, q te Deo ipsi donum præmitto. Cùm adhuc parentes illius hæc dicerent, milites, qui eam lacerabant, ad eius epar lacerandū iam deuenerant; ac statim puella spiritum Deo tradidit, quam parentes propriis manibus in monumento deposuerunt. Deinde ante Arianum stantes deos ipsius contumeliosè appellare cœperunt. Iratus igitur Præses iussit illos statim obtruncari. Suum itaq; martyrium in Christo & ipsi compleuerunt, & gloriosè in 2 cœlū profecti sunt.

2 Et gloriosè in cœlū profecti sunt.

Beatus verò Paphnutius ibat per totam ciuitatem quærens qui ad brauium ire vellent; noctes autē in diuinis precibus transigebat. Cùmq; exiisset ab vrbe, inuenit sexdecim pueros ad gymnasium euntes, illorum Senatorum filios, qui martyrium sustinuerunt. Beatus igitur Paphnutius cùm ante illos stetisset, eosq; salutasset; Miror, inquit, filij, q velitis à vestris parentibus abalienari, qui Christi regnum sibi delegerunt, & in cœlis regnant, nuncq; in illa sanctorum Dei metropoli cum Angelis eius se oblectant. Obedite igitur mihi, ò filij, & credite Deo meo, in quem & parentes vestri crediderunt, ac me sequentes veniatis ad Arianum Præsidem, & confiteamini Iesum Regem seculorum, & vno animo eatis ad cœlos ad illum veritatis magistrum, & vera disciplina erudiamini. Statim puerorum mens verbis beati Paphnutij confirmata est. Itaq; simul Deo crediderunt dicētes: Eamus, eamus, Pater Paphnuti; nihil impedimento sit nostræ alacritati; iā enim à mundo hoc alienati sumus, & corda nostra in cœlis ipsis versantur, vbi est & domus parentum nostrorum. Beatus igitur Paphnutius ante illos currebat, velut aliquis pastor gregem suum ducens; cùmq; ad tribunal venisset, clamans voce magna; Tribunal, inquit, tribunal, contra te denuo veni. Ariane Tyranne, tu cū Apolline tuo, & ego cum Domino meo Iesu Christo. Arianus autem iussit milites gladios educere & beatum Paphnutium circundare; sed subitò ille à Spiritu sancto ereptus fuit.

Id cùm sexdecim pueri vidissent, ascenderūt ad tribunal vociferātes: Christiani nos sumus; en vt liberè hoc dicimus. Quibus Arianus: Vbinam sunt parentes vestri? An, vt infantes, vos petulātes estis? Habemus, inquiunt pueri, ætatem ad respondendum tibi valde idoneam. Nos sumus illorum filij, qui Martyres fuerunt, & nunc apud Deum sunt. Sacrificate, inquit Præses, ne corpora vestra sub tormentis dispereant. Respondentes autem pueri dixerūt: Crucia nos quibusuis tormentis; non enim sacrificamus. Arianus verò cùm in illos intuens quendam vidisset aliis natu minorem, annum ferè decimū tertium agentem; Quidnam, inquit, ò fili, tibi proderit, si morte pessima sublatus fueris? Quin potiùs audi me, fili mi, vt apud nos sis, & plurimas pecunias tibi largiar, scribamq; ad Imperatores, qui honore te decorabunt, modò iussis diis Apollini, & Dianæ sacrifices, de quibus & diuina Imperatoris maiestas scripsit, q hi sunt dei viui. Tunc puer: Et vbinam est Imperatoris edictum, in quo de ipsis diis ita scriptum fuit. Tunc Arianus iussit edictū proferri. Quod cùm sacerdotes sumpsissent, ipsum adorarunt. Similiter & Præses assurrexit, & edictum amplexatus est, pueroq; dedit. Illud cùm puer accepisset, ac legisset, inuenit septuaginta deos in illo scriptos, de quibus Diocletianus scripserat, vt adoratio, & libamen eis offerretur. Iussit autem Arianus ignem ad aram accendi; cùmq; thus accepisset tam ipse, quàm reliqui

homines,

homines, in ignem coniecerunt. At puer pro thure ipso Imperatoris edictum in ignem coniecit, dixitq́; Vnus est Deus Pater Domini nostri Iesu Christi; qui verò in edicto Imperatotis, tanquam dij scripti sunt, igne redarguentur.

Sacerdotes autem cùm suorum idolorum libellum comburi vidissent, vellebant crines è capitibus suis, & in furorem conuersi gladiis se lacerabant. Arianus ea re indignatus, iussit puerum in aram tolli, & viuentem comburi. Illum igitur abreptum milites in mediam ardentis ignis flammam iniecerũt. Aequales verò pueri alta voce sic eum rogabant: Frater, & consors nostrorum certaminum, memento nostri apud altissimum Deum; nam propter tuam prudentiam primitiæ Deo ipsi, & sacrificiũ tu ante nos oblatus es. Itaq; & Præses animi tui fortitudinem, & ipsi Græci prudentiam tuam obstupuerunt. Hæc cùm illi dicerent, puer spiritum suum in medio igne Deo reddidit. At Præses maximè indignabatur, ꝙ Imperatoris edictum combustum fuerat; quamobrem cùm reliquorum puerorum nomina denotasset, iussit illos iaculis transfigi. Statim igitur milites extra vrbem illos circundederũt, & quindecim pueros illo die iaculis transfixerunt; perfectumq́; fuit illorum martyrium; & immortale Dei regnum ipsi etiam possederunt.

At sanctus Paphnutius circumibat, vt pastor aliquis inquirens oues in deserto errantes. Cùmq́; ab vrbe exiisset, & vsq; ad fluuij portum venisset, vidit homines apud portũ octogintaquatuor numero, qui erant piscatores. Accessit igitur ad illos beatus Paphnutius. Homines verò illi inter se dicebãt: Verè hic est Paphnutius anachoreta ille insignis: ac statim subligaculis se induentes, obuiam valde celeriter illi processerunt, quem & inclinatis capitibus adorarunt. Beatus verò Paphnutius illis benedicens; Saluete, inquit, filij; nunc deligo vnumquenq; vestrum, quoad sanctam ciuitatẽ habitauero, hoc est domum Patris nostri, qui in cœlis est, & tabernaculum eorum, qui sunt fratres mei in Christo. Quare autem ita ociosè per totum diem hîc cessatis? Quare & vos non iuistis ad opus faciendum in vinea Domini mei? Quare ita segnes estis, certamine ipso, & brauio proposito? Obedite mihi, & credite Domino meo Iesu Christo Regi seculorum, & Christianorum Saluatori. Confiteamini eius nomen vnius horæ spatio, & ipse vobis æternam vitam largietur, facietq́; vt ante vos veniant Angeli lucis, & veros athletas effectos in regionem viuorum cum gaudio perducant.

Cùm igitur illi hæc à beato Paphnutio audiuissent, repleti Spiritu sancto, statim Deo crediderunt, & ad vrbẽ celeriter peruenerunt. Erant autẽ omnes, vt diximus, octogintaquatuor numero Ariani Præsidis piscatores, qui cibos mensæ ipsius parabant. Beatus verò Paphnutius ante illos currens, ascendit ad tribunal; & clamans; Tribunal, inquit, tribunal, contra te rursus veni. O' Ariane, tu cum Apolline tuo, & ego cum Domino meo Iesu Christo. Arianus autẽ Præses iussit militibus Paphnutiũ circundare. Quẽ cùm illi cõprehendissent, ligauerũt. Illi aũt Octoginta quatuor viri ascenderunt ad tribunal, velut leones in querceto exultantes, ac liberè clamabant: Christiani sumus & nos. Arianus Præses eis dixit: Quis vos decepit, vt pessimè moriamini? Tunc illi vna voce responderunt: Concordi animo huc venimus, vt te confundere possimus. Arianus Præses; O' scelestissimi, inquit, homines, honorificè vobiscum me gero, ob idq́; me contemnitis? Quod cùm dixisset, iussit illos flagellis cædi. Ipsi verò Octogintaquatuor homines eodẽ animo irruẽtes euerterunt soliũ Præsidis. Itaq; milites strictis ensibus illos percusserunt; & Præses eos iussit in supplicium agi. Statimq́; iniusti illi milites in desertũ locũ ductos securi percusserũt; atq; ita illorum martyriũ cõpletum fuit; qui & ipsi coronam immortalitatis receperunt in Christo Iesu Domino nostro. Amen.

Posthæc Arianus cùm beatũ Paphnutiũ ad se accersiri iussisset; Desertor, inquit, deorum, & venefice, faciam vt omnes, qui hîc præsentes sunt, cognoscant Iesum Christum, quem appellas, talem non esse, qui liberet te de manibus meis. Statimq́ iussit Paphnutium in rotam ferream extolli. Rota verò illa talis constructa erat, qualis serra fabri esse solet, à parte superiore gladij aciem, inferiore autem serræ cuspidem habens. Qua rota cùm valde beatus Paphnutius laceraretur, in quatuor partes discerptus est. Arianus autem cùm hoc vidisset, vocem extulit, ac dixit: Vbi nunc est Iesus ille Paphnutij Deus? Quare non venit, vt ipsum è manibus meis liberaret? Cognoscite saltem nunc, non esse alium Deum, nisi Apollinem, Iouem, Dianam, & Palladem. Hi sunt dei viui, qui nostro Imperatori maiestatẽ imperandi contulerunt. Iussitq́ impius ille Præses beati Paphnutij corpus supra fastigium templi, quod est in illa vrbe, poni, futurum sperans, vt volucres cœli venirent, & ipsius carnes deuorarent. Fecerunt igitur milites, quod iussi fuerant. Arianus verò surrexit è tribunali, & in prætorium suum abiit; erat enim hora prandij.

At beati Paphnutij corpus iacebat in templi fastigio, neq; auis aliqua illuc ad Paphnutium aduolabat; Angelus enim Domini corpus sancti viri contexerat. Et ecce Dominus ipse descendit cum Archangelis, habens à dextra Michaëlem, & à sinistra Gabrielem, qui eius corpus conglutinauit, atq; instaurauit, dicens: Manu mea primum illum hominem formaui, eadem illa manus instaurat te nunc electum meum. Cùmq; hæc Saluator dixisset, in eũ insufflauit, & anima in eius corpus rediit; quem virum Saluator ipse spiritu fortitudinis repleuit; et postquàm eum amplexatus fuisset; Vade, inquit, & impudentem Præsidem redargue, qui nomen meum conuiciatur. Cùm hæc dixisset, in cœlos ascendit, & iustum illum virum lucida quadam nube circundatum è templi fastigio in terram demisit. Abiit igitur beatus Paphnutius indutus nube, tanquam vestimento, & Arianum quæsiuit; quem inuenit in platea sceleratos quosdam homines iudicantem; cùmq; ante illum repente stetisset, clamans; Ego, inquit, sum Paphnutius à te discerptus. Quare conuiciaris nomen Dei mei, & contumeliosè appellas eum, qui cuncta creauit? En vt Dominus meus Iesus Christus me in priorem formam restituit, ac misit, vt arguam te insipientiæ tuæ, & iis, qui hîc sunt, persuadeam, vt te mortalẽ agnoscant, & mortuis simulachris seruientem.

Eusebius Præfectus cùm beatum Paphnutium à mortuis excitatũ vidisset, credidit Domino Iesu cum militibus suis, quos cùm recensuisset, inuenit quadringentos. Eis verò dixit: Fratres, mecum sentite, & mihi obedite; Christũ confiteamini, vt sitis eius milites, qui Paphnutio denuo vitam dedit, eumq; misit ad redarguendum Arianum, ꝙ circa idolorum superstitionem multum erret; idq; fecit, vt omnes ipsi credant, quòd non sit alius Deus, nisi vnus, qui in cœlis est. Curemus igitur, vt sicut ego vos recensui, ita Dominus noster Iesus Christus Rex seculorum nos recenseat in cœlis cum omnibus sanctis suis. Cùm hæc Eusebius Præfectus dixisset, stetit ante Arianum Præsidem, ac liberè clamans; Christianus, inquit, ego sum. Similiter & eius milites quadringenti clamauerunt vna voce: Christiani sumus & nos; en liberè loquimur. Arianus Præses tunc Eusebio dixit. Minimè in mea potestate tu es; abi ad Ducem tuum, vt ille te iudicet. Cui Eusebius: Omnium, inquit, potestas tibi data est. At Arianus: Non curo Christianos vlcisci. Tunc Eusebius dixit: Confitere igitur, non esse alium Deum, nisi vnum, qui in cœlis est, & ista vestra manufacta opera nihili esse. Minimè, inquit Arianus, hoc dicã; nunquam hoc eueniat; viui enim sunt Apollo, & Diana.

Tunc Eusebius Præfectus, cùm manũ suam puluere impleuisset, in eius faciem coniiciens; Fac, inquit, opera patris tui diaboli. Arianus ea re indignatus iussit flagellis illum verberari, & ait: Minimè, Eusebi, te celeriter interficiam, sed paulatim cruciabo, & tormentis te affligi sinam, quoad iudicium meum à te contemptum fuisse Imperator Diocletianus audierit. Respondit Eusebius: Per imperium regni Domini mei Iesu Christi nõ præteribit hodiernus dies, quin ego de mensa ipsius Domini mei comedã; tu enim non poteris comedere, aut bibere, nisi priùs sententiam de me tuleris. Tunc Arianus Præses iussit proprium currum ad se duci; cùmq; in illum conscendisset, statim iumentorum pedes in terram defixi sunt. Cùm autem vellet è curru descendere, similiter & ipse detentus est. Ita verò, vt erat corde duro, & obstinato, iussit sibi patinam afferri eduliis plenam, vt cibum sumeret. Properauit igitur eius coquus, & cibũ illi paratũ attulit. Sed cùm ipse manum in patinam extendisset, ita detentus est, vt manum in os suum inferre non posset. Tunc vnus quispiam, qui Præsidi assidebat: Non ampliùs, inquit, domine, in hac vrbe maneamus; en vt tota veneficiis Paphnutij corrupta est. Tunc Præses surrexit, & indignatus iussit abduci Eusebium cum quadringentis militibus, & omnes viuos comburi. Illos igitur nefarij milites extra vrbem duxerunt, & cùm quatuor foueas defodissent, & igne illas repleuissent, sanctos martyres illic combusserunt. Sicq; illorum martyrium completum fuit. Quorum animas cùm sancti Angeli in cœlos assumpsissent, ipsi diuini martyres æternum brauium receperunt.

Arianus verò Præses exiit ab vrbe illo ipso die secum ducens beatum Paphnutium, ascenditq; in nauigium supra fluuium, ac iussit afferri molam, eamq; in collo beati Paphnutij ligari, & in medium fluuium deiici. Beatus autem Paphnutius in fluuium deiectus enauigauit cum mola supra fluuium: nam supra lapidem ita sedebat, quasi supra nauigium aliquod ferretur. Flauit autem ventus quidam vehemens in Ariani Præsidis nauigium; itaq; circunferebatur. Ad quẽ beatus Paphnutius cùm propiùs accessisset: Ariane, inquit, Ariane, nauigium istud tuũ ventis, nautis, & gubernatoribus indiget; mihi verò nullo istorum opus est; gubernator enim meus est Christus. Tu solitus es ante te metatores mittere, & vrbes construere; ego verò præire studeo ad parandas Domino meo Iesu Christo animas, quæ regale ipsius palatium habitare possint. Tunc qui Ariano assidebat; Ne sinamus, inquit, Domine, hominem hunc apud nos esse; veneficiis enim suis nos diruet. Porrò Arianus statim iussit, aliorum nauigiorum gubernatores cum omnibus nauigiis suis illud, in quo ipse vehebatur, ad terram appellere. Cùmq; beati Paphnutij acta scripsisset, quatuor militibus ipsum tradidit, vt ad Imperatorem Diocletianum ducerent, à quo Paphnutij causa decerneretur.

Post aliquot verò dies milites illi ad Diocletianum Imperatorem venerunt, & Præsidis Ariani literas ei reddiderunt. Qui cùm beati Paphnutij acta legisset, quamprimùm iussit ipsum in arbore, quæ palma dicitur, crucifigi. Idq; milites ipsi extra vrbem fecerunt. Cùm verò ille crucifigeretur, Deo benedicebat, qui per sanctos suos homines tot, tantaq; miracula efficiat. Sic beatus Paphnutius martyrium suum confecit; qui ab hora diei secunda crucifixus vsq; ad horam nonam permansit; tuncq; spiritum suum emisit, & in cœlos ȝ gloriosè ascendit, æternæq; vitæ brauium recepit. Eius verò corpus milites cùm ab arbore palma detraxissent, sub terra cõdiderunt, vigesimo octauo die mẽsis Aprilis; qui & ipsi in Deũ crediderũt; cùmq; beati Pahpnutij corpus in tumulo composuissent, statim Diocletianum Imperatorẽ, priusquam aliò iret, adierunt, & Dominum Iesum Christum confessi sunt; Diocletiani

ȝ Et in cœlos gloriosè ascendit.

verò idola contempserunt. Quare Diocletianus indignatus iussit illos eadem hora obtruncari. Itaque & ipsi suum martyrium in Christi confessione compleuerunt.

Qui verò sub beato Paphnutio brauium receperunt. Quingenti fuerunt, & quadraginta sex tam viri, quàm mulieres, incorruptum Dei regnum possidentes in Christo Iesu Domino nostro; quoniam ipsi conuenit gloria, imperium, & adoratio cum Patre, & sancto Spiritu in secula seculorum.

Amen.

MARTYRIVM SANCTORVM MAXIMI, DADAE, ET QVINTILIANI.

EODEM XXVIII. APRILIS DIE.

QVO tempore imperabant Maximus, & Maximianus homines valde impij, Consulibus Tarquinio, & Gabinio, secundo eorum Imperij anno, diaboli furor aduersus Christianos homines erupit. Cùm igitur Consules ipsi orbem terrarũ pro Consulatus munere curarent, illo ipso anno edictum ædiderunt in hanc sentenitam: Licet omnes vos nobis subiectos, deorum cultui deuotos esse sciamus, nihilominùs tamẽ cùm huius magistratus, qui secundùm Imperatorem primum locum obtinet, curam susceperimus, omnes eos, qui nostris temporibus regiones istas incolunt, rogamus, vt circa deorum cultum, atque charitatem omni ratione, ac studio paratos se præbeant. Si quis autem deprehensus fuerit Christi mentionem faciens, quacunq; in parte fuerit, is nostram iram aduersus se concitabit. Hæc cùm populus audiuisset, magno concursu properebant omnes ea facere, quæ edicto illo continebantur. Iidem ad diem constitutam suos Magistratus salutarunt, dominis suis gratiam, & felicitatem exoptantes, quippe qui deorum cultui talem curam adhiberent. Tunc Consul Tarquinius; Quoniam, inquit, vos ita promptos inueni, faciendum iudico, vosq; hortor, vt crastino die accedentes, diis ipsis sacrificium offeratis; cùmq; è longinquis regionibus conueneritis, nobiscum vnà vos oblectetis. Postea verò in suam quisq; patriam reuertetur.

Postero igitur die omnes venerunt diis suis sacrificia oblaturi. Quo facto Tarquinius Consul, vt promiserat, illos dimisit. Posthæc autem homo quidã furiosus Tarquinium adiit, eiq; dixit, tres viros esse, qui hesterno die ipsius edicto parere, & dijs immolare noluerunt, quippe qui dicerent solum Deum, qui in cœlis est, à se coli. Hæc cùm audisset Tarquinius, misit ministros suos, qui eos comprehenderent. Ministri autem illi cùm ad prædiũ venissent, quod appellatur Ozobia, illos inuenerunt Deum precantes; quos comprehensos, & ferreis cathenis ligatos, celeriter à satellitibus custoditos duxerunt. Illi igitur cùm vespere ingressi fuissent ad Tarquiniũ, ei nunciarunt, cõprehensos

esse homines illos, qui Christianos se esse dicerent. Tum illis Tarquinius; Hoc, inquit, tempore tam repente illos non accipiam, sed vestræ fidei vsq; ad matutinam crastini diei horam seruandos cōmitto. Milites igitur, vt iussi fuerant, ipsos custodierunt. At illi per totam noctem Deum precantes dicebant: Largire nobis, Domine Iesu Christe, tuam cœlestem potentiam, quæ nobis auxilium ferat, vt possimus aduersarios nostros vincere; & pro tua benignitate dignos nos facias, qui victoriæ coronam reportemus.

Cùm igitur dies illuxisset, iussit Tarquinius sanctos illos viros coram se duci. Quos cum vidisset, atq; inspexisset; Istine, inquit, sunt, qui nostra iussa contempserunt, & pro suo arbitrio Dei cultum tenent? Mox autem ad illos conuersus ait: Primùm dicite vestra nomina. Cui sanctus Maximus respondit: Ego secundùm fidem nostram in Domino Iesu Christo sum Christianus vnà cum iis fratribus meis; vt verò homines me appellant, Maximus vocor. Huic Tarquinius Consul: Ita profectò respondisti, quasi clericus, non diis nostris, sed alteri cuipiam inseruiens. Ille verò alius, qui te sequitur, & nobis in eadem re aduersatur, quo nomine dicitur? Tum ille; Dadas, inquit, ego vocor, qui talis & ipse sum, qualē & frater noster se esse priùs dixit. Dein Tarquinius: Tertius autem ille quo nomine vocatur? Quintilianus, inquit ille, ego appellor, qui & ipse Christianus sum.

Hæc omnia Magnilianus notarius excepit, quæ, iubente Consule, recitauit. Tunc Tarquinius illis dixit: En vt in manibus nostris vita vestra nunc est. Si igitur vultis viuere, ite, & matri deorum immolate, eiusq; sacerdotes estote; illius enim sacerdos mortuus est, & ad magnum Iouem, ac cœlestem regem abiit, vt illi ministret. Tunc sanctus Maximus; Non te pudet, inquit, homo pessime, & impudentissime, neq; vereris Domini, ac Dei nomen ita nominare, vt adulterum illum Iouem cœlestem Regem esse dicas? Scitote, ò stolidi homines, Christum esse Regem illum cœlestem, qui omnibus prouidet, & omnia in manu sua continet. Hæc dicimus, vt illud cognoscatis, q; nos perniciosa ista iussa seruare non possumus; nos enim omnibus modis cœlesti Deo seruimus, quippe qui eius manu formati sumus.

Gabinius Consul, cùm Dadam, & Quintilianum ad se vocasset, multis inanibus verbis illos adhortabatur, si fortè posset eos capere, & cum illorum pernicie ad propriam voluntatem attrahere. Tunc sancti viri Dadas, & Quintilianus ei responderunt: Nos assentimur iis, quæ à fratre nostro Maximo dicta sunt, eaq; comprobamus, quoniam ipse est catholicæ Ecclesiæ lector, & diuinam scripturam benè nouit, scitq; quid nobis facere expediat. Tu verò dæmonum insania deceptus, ignoras quid conducibile tibi sit. Nam si velles id facere, quod tibi expediret, vnum illud cœleste lumen contemplari potuisses. Tunc Gabinius Consul vnà cum Tarquinio dixit: En quot modis vos adhortati sumus; sed imperio nostro parere non vultis, & pergitis insanire. Vos, inquit Maximus, insani estis, qui homines rectè viuētes, & soli Deo seruientes ad dæmonum superstitionem attrahere vultis. Facite igitur quicquid vobis placuerit; nos enim à proposito nostro, ac volūtate nullo modo abducetis. Tū Gabinius, & Tarquinius Consules inter se cōsultabant de iis, quæ à sanctis illis viris dicta fuerant; iusseruntq; sanctos martyres in carcerē reduci; qui deinde ibant de propria salute loquentes.

Media verò nocte sanctus Maximus legēs diuinas literas Dadam, & Quintilianum multùm erudiebat. Cùmq; dormirent diabolum ipsum armis præcinctum, & secum pugnantem in somnis viderunt. Cùm verò experrecti fuissent, apparuit illis Angelus dicens: Nolite timere, Deus enim ille, cui vos ipsos tradidistis, vos sustentat, neq; à vobis longè abest. Hac oratione illi viri sancti corroborati, vsq; ad matutinum tempus Deum ipsum collaudabant.

Consules verò tūc illos duci, & corā sisti iusserūt. Quod cùm ministri fecissent, Gabinius Consul dixit: En in conspectu nostro statis; nunc igitur vos hortamur, vt euntes diis immoletis; non enim tenues, aut mediocres honores à nobis percipietis. At si nobis parere non vultis, mortem vobis ipsis asciscetis, quoniam nostri dij hac nocte nobis dormientibus hoc dixerunt. Et nobis, inquiunt sancti martyres, Dominus Deus noster nobis dormientibus dignatus est hoc reuelare, vt pro nomine ipsius omnes cruciatus sustinere velimus. Tunc Tarquinius Gabinio dixit: Homines isti, nisi tradantur suppliciis, nullo modo eis persuadere poterimus. Huic Gabinius respondit: Cùm ipsi hoc velint, & confirment, eius rei culpam sibi ascribant.

Itaq; iusserunt ministris, vt eos exuerent. Quibus exutis, Gabinius ministris præcepit, vt illos illigatos nudos in terram extenderent, & flagellis verberarent. Id cùm ministri audiuissent, celeriter fecerūt quod iussi sunt. Tarquinius verò ministris præcepit, vt eos interrogarent, an Consulibus parere vellent, & diis immolare; quod si facere noluissent, alia supplicia parāda esse nunciarent, ita vt acerbissimis tormentis afflicti de vita discederēt. Cùm igitur sancti martyres à ministris interrogati fuissent, tanquam vno ore loquentes dixerunt: Nos à Deo ipso roborati vestra tormēta contemnimus, neq; istis iniquis iussis assentimur, vt dæmonibus sacrificemus. Ministri verò cùm hæc ab illis audiuissent, Consulibus ea retulerunt. Tarquinius autem dixit: Si nobis obtemperare isti nolunt, eos in carcerem coniicite, quoniam prandij hora nunc est.

Cùm verò septima hora transiisset, iusserūt sanctos illos viros ante tribunal sisti. Qui cùm præsto essent, Gabinius Consul; Nū inquit, Maxime, aliquid recti deliberasti, vt diis sacrifices? Respondit sanctus Maximus: Minimè nos tale consilium suscepimus; nam, sicut & antea tibi diximus, neminem alium nos adoramus, nisi Dominum nostrum Iesum Christum cum Patre, & sancto Spiritu. Tunc Gabinius iratus sanctis martyribus dixit: Nisi rectè sapere vultis, & diis ipsis sacrificare, vos perdam, & in loca quædam deserta mitti, & illic vestra capita statim abscindi iubebo. Hæc cùm sancti martyres audiuissent; Obtestamur, inquiunt, te vt facias, quod de nobis constituisti. Tunc Consules ipsi iusserunt in propria loca eos abduci, & illic obtruncari. Itaque sancti martyres sententiam de se latam accipientes, Dei gloriam ita collaudabant: Domine Iesu Christe, qui liberasti nos ab hoc præsenti, & pessimo seculo, dignare nos, quæsumus, tua illa cœlesti requie, vt & nos possimus incorruptum, & cœleste Regnum tuū possidere, qui benedictus es in secula. Amen.

Cùm autem venissent sancti martyres in eum locū, cui nomen est Ozobia, & Christi [1] signo sua corpora signauissent, & sancto Spiritu firmati essent, à carnifice securi percussi sunt, quemadmodum à Consulibus decretum fuerat. Itaq; Deo illi, cui crediderant, sancti martyres animas suas reddiderūt.

Passi sunt autem Maximus, Dadas, & Quintilianus vigesimo octauo die mensis Aprilis, imperantibus Maximo & Maximiano, Tarquinio & Gabinio Consulibus; in nobis autem regnante Domino nostro Iesu Christo; Cui gloria est, & imperium in secula seculorum. Amen.

[1] Et Christi signo sua corpora signauissent.

MARTYRIVM SANCTORVM ALEXANDRI, ET ANTONINAE VIRGINIS.

III. MAII.

CVM esset temporibus illis persecutio, & multi fratres pro Christi pietate interfecti fuissent, post multos dies oblata est Festo Præsidi, homini omnis misericordiæ experti, Christiana quædā virgo, quæ Antonina vocabatur, è castello quodā, cui nomen erat Crodamnum. Virgo autem illa honestam vitam egerat; quam & Christus ipse perfectam reddidit in perferēdis pro pietate certaminibus, quo diabolum aduersarium expugnare posset. Cùm enim Virgo illa crudelissimo Præsidi Festo tradita fuisset, cœpit Festus ipse insidiis virginem aggredi; atque ita illam hortabatur: Domina Antonina, volo te virginem ita honestam, & pudicam Dianæ sacerdotem constituere; quinetiam munera, & honores tibi conferam, vt & domui meæ imperare possis.

Illa cùm diu tacuisset, vix tandem respondens; Quid, inquit, huiusmodi munera inania mihi largiri vis? At si tu, Feste, mearum diuitiarum particeps esse cupis, crede Domino meo Iesu Christo, & diuitias sempiternas consequeris. Tum Festus: Auertant hoc dij, vt tali Deo ipse credam, homini præsertim in Cruce suffixo. Non ego, inquit Antonina, in Cruce fixum, & sepultum fuisse inficior: sed eundem illum Deum fuisse confiteor, quippe qui tertia die resurrexit, & nunc sedet ad dexteram Patris sui, sicut scriptum est in psalmo centesimo nono: Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Ad hæc Festus: Multæ istæ tuæ sermonum machinæ inanes sunt. Cur non potiùs mihi obtemperas, & diis sacrificas, vt multa libertate fruaris? Tum Virgo illa respondit: Ego istiusmodi diis sensu carentibus non sacrifico; dæmones enim sunt, cùm in lege Dei mei scriptum sit: Omnes dij gentium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit. At Festus: Tu'ne deos nostros vocas dæmones? Maximè,

inquit,

inquit illa; quibus enim vis nulla inest, quique non consistunt, hi non dij, sed dæmones sunt. His verbis Festus iratus, militibus dixit: Eius maxillas multis alapis verberate, vt paululum erubescat. Statimque hæc addidit: Per deos omnes, nisi edicto Imperatoris tu, Antonina, obtemperaueris, pessimis modis te verberatam in lupanar mitti iubebo, ac sic igne te comburendam esse decernam. Interea liceat tibi tres dies cogitare, recusesne facere, quod iubeo, an velis resipiscere, & diis sacrificare. Hoc enim plures alij agere cœperunt, quod tu nunc audes, sed postea mutato consilio diis sacrificarunt. Tum Antonina; Fac, inquit, quod vis, impie Tyranne.

Tradita igitur quatuor militibus, lætanti animo, & vultu hilari in carcerē abiit. Tunc Præses carceris Præfectum clam ad se vocauit, & iussit, ne quid mali omnino ei faceret, sed potiùs illam admoneret, vt sentētiam mutaret, & diis sacrificaret; Difficulter enim, inquit, Christianorum genus de sententia depelli potest. Præfectus igitur carceris cùm virginem illam inclusisset, his verbis admonere eam cœpit. Antonina virgo honestissima, cur ita permanes in ista tua sententia? Cur non potiùs consilium mutas, & diis sacrificas, vt salua esse possis? Illa verò nihil omnino respondebat, ita vt custos carceris secum dubitaret, quorsum hoc faceret. Tunc virgo, genibus 1 in solo positis, nocte, & die Deum precabatur. Cùm verò tres dies præteriissent, repente tonitru factum est tam magnum, vt claustra ipsius carceris perfracta sint, & fores patefactæ, magnumque lumen in carcere ipso effulserit, & vox hæc è cœlo demissa sit: *Surge, Antonina, & cibum sume, panis, & aquæ particeps fias, & esto fortis, neque nefarium istum Præsidem Festum timeas, quoniā ego tecum sum.* Surrexit illa, cùm diuinas preces compleuisset, & Amen addidisset; cùmque panem, & aquam, cibum, & potum sumpsisset, somno se dedit.

1 Ecce quomodo orat virgo cum genu flexione.

Postea verò quàm dies illuxit, Præses pro tribunali sedens dixit: Adducite sacrilegā illam fœminam, vt videamus, quænam sit eius sententia. Ducebāt igitur illam milites, ante Festum Præsidem sistendam. Tum beata virgo 2 in cœlum intuens; Gratias, inquit, ago tibi, Domine Deus meus, quod in me voluntatem tuam exequaris; quæso vt ne me derelinquas vsque ad mortem. Tū vox è cœlo venit, quæ dixit: Fac iter tuum, ego enim tecū sum. Cùm verò eò venisset, vbi Festus sedebat, risit beata virgo Antonina. Quā cùm Festus ridentē vidisset; Quid est, inquit, quod risisti? Tum illa respondit: Dicam risus mei causam; præuidi solium istud tuum euertendum, ob idque te ipsum risi. Sensit Præses virginis contumeliam, & iussit illā flagellis verberari. Quæ cùm mentis oculos in cœlum erexisset; Gratias, inquit, ago tibi, Domine Deus meus, quod dignatus sis facere, vt ego misera, & peccatrix cum sanctis tuis sortem habeam; hunc autem nefarium, & sanguine fœdatū celeriter ad inferos demittes, vt cognoscat inanes esse deos illos, in quibus spem suam collocauit.

2 Et hic orat in cœlū intuens.

Hæc cùm humani sanguinis appetens Præses ille audisset, magis turbatus dixit militibus: *Scelesta hæc, & impura mulier non solùm deos nostros ad iram prouocat, sed etiā nos contumeliis afficit*, quamobrem illam in lupanar intromittite, vt eius libido expleatur. Itaque milites in cellam quandam eam adduxerunt. Angelus autem Domini apparuit vni ex militibus, qui tertium, & vigesimum annum agebat, atque Alexander appellabatur. Cui Angelus ille; Alexander, inquit, loquere cum Præside, & ingredere ad Antoninam, & indue illam chlamyde tua, vt exiens à scelesto Præside non agnoscatur. Tum bonus ille Christi miles Præsidem adiit, & dixit: Iube me introire ad Antoninam, & siquidem illi persuasero, benè erit, sin minus, fac quod libet. Permisit Præses, & ait: Fac quicquid vis. Ingressus Alexander in eam cellā, in

qua erat beata virgo, abiecit se ad eius pedes, & ait: Dei serua virgo Antonina, Dominus misit me ad te, vt nunciem tibi quæcunq; ille mihi dixit, & quomodo seruari possis. Illa ea re perterrefacta valde timuit. Repente verò lux magna circa illos effulsit, & vox hæc ad eos venit: Ne timeas, Antonina, qui enim te ad hunc statum vocauit, idem cùm sit admodùm benignus, & Alexandrum ipsum ad eiusdem brauij conditionem vocauit. Quamobrem eius chlamyde te induas, & capite, vultu'q; in terram demisso, exeas istinc, & sic à Præside non cognosceris; ego enim te ita occultabo, vt ab eo agnosci non possis. Sumpsit igitur Virgo Alexandri chlamydem, & illa caput suum inuoluit; cùm'q; foras progressa esset, manu annuens Præsidi; Fac, inquit, quod vis. Et velut dama quædam è laqueis liberata, iter suum hilaris effecit.

Præses verò cùm existimaret Alexandrum esse, qui hæc diceret, missis quatuor militibus; Abite, inquit, & muliere ipsa vtamini, vt vultis, eam'q; foras educite, vt illam multa ignominia nos afficiamus. Milites igitur ingressi, vt turpitudinem aliquam Virgini afferrent, eam non inuenerunt, sed solum Alexandrum. Qua re perculsi dixerunt: Et vbi'nam est illa? Et vnde'nam tu hîc es? Illum itaq; manu apprehensum cùm ad Præsidem duxissent; Hunc, inquiunt, solum intus inuenimus. Quem cùm Festus vidisset, ea re perculsus sic Alexandrum est allocutus: Agè miser, atq; infelix, dicas: Quomodo istud contra nos facere ausus es? Vbi'nam est nefaria illa meretrix? Tu omnino eam vitiasti, & idcirco chlamyde tua contectam dimisisti, quam & vxorem te ducturum promisisti. Sed non ita erit, non enim manus meas effugies. Cùm'q; Alexander taceret, & Præses ipse diu secum cogitasset, iussit illum suspendi, & flagellis verberari.

Cùm igitur verberaretur, ab eo quærebat Præses, vbi'nam esset scelesta illa mulier. Alexander verò nihil respondebat, sed cœlũ tantùm intuebatur; demissa'q; vox est è cœlo ad Præsidem, quæ ait: Scelerate Feste, cur innocentem hominem ita crucias? Qua voce audita, desijt Præses illum cruciare, & iussit è ligno detractum custodiri, tempus'q; præscripsit, quo daret operam, vt scelesta illa mulier inueniretur. Cùm verò dies quinq; præteriissent, Præses Alexandrũ ad se accersitum interrogans; Quid'nam, inquit, deliberasti? Tunc Alexander respondit: Quid'nam aliud deliberem, fœdissimè, & crudelissime Præses? Tum Festus: Vbi'nam, inquit, est mulier, ad quam tu ingressus es? Ei autem Alexander: Nescio vbi illa sit. Adhuc illis loquentibus, Deus ipse Antoninæ virgini dixit: Esto fortis, & vade in eum locum, in quo sedet impius, & sceleratus Præses. Venit illa, & stetit coram Præside, ac dixit: Scelerate, & impure Feste, quem quæris? An me ipsam? En præsto sum, vt potentiam tuam euertam.

Eam cùm Festus vidisset, confuso, & perturbato animo esse cœpit, missis'q; militibus, iussit eam suspendi, & verberari, vt diligenter inquireret, num virgo esset, an corrupta. Illa verò cùm verberaretur, vocem nullam emittebat. Cùm'q; è ligno deposita esset, quæsiuit ab ea Præses, virgo'ne esset, an corrupta. Tum illa: Scelerate, & crudelis, nos tuæ sæuitiæ, & libidinis participes non sumus; nam Deus ipse sua misericordia me incorruptam seruauit. Tunc Festus in illam intuens miratus est, & dixit: Cùm igitur virgo sis, agè diis sacrifica vnà cum Alexandro, & salui eritis. Tunc Alexander, & virgo Antonina vocem hanc, tanquam ex vno ore prolatam, ædiderunt: Non tales sunt cruciatus isti tui, miser Feste, qui nos adducere possint, vt diis istis vanis sacrificemus, in quibus vis nulla inest. At Præses; Amborum, inquit, summas manus abscindite. Illi verò generosi milites Christi manus extendentes dixerunt: Antea nos tibi, scelerate, & fœdissime homo, diximus, nullis tuis

artibus fieri posse, vt piæ nostræ cogitationes expugnentur. Quamobrem fac quicquid vis.

Prolato igitur gladio milites extremas manus amborum absciderunt. Illi verò factum non sentientes, diuinam gloriam concinebant, & ad Præsidem conuersi; Sæuissime, inquiunt, & sceleratissime Feste, neq; sic cruciatus, quos tibi nobis inferre libuit, sentimus. Te verò Deus ipse celeriter ad inferos detrudet, inevitabilibus suppliciis puniendum. Tunc ira percitus Festus, quòd se contumeliosis verbis appellari audiuisset, iussit profundam foueam parari, & ait: Suspendantur isti, & tandiu verberentur, quoad supplicium sentiant. Quinetiam foueam ingenti pyra compleri iussit, vt sanctis illis martyres in ea cõburerentur. Illi verò cùm verberarentur, neq; id sentirent, sed Dei gloriam celebrarent, iussit iniquus Præses faces accensas eorum lateribus admoueri. Tunc Alexander, & Antonina voce magna clamabant: Nos, miser Feste, propter Christi pietatem hæc patimur, futurum credentes, vt post mortem nostram ab ipso mercedem recipiamus; te verò Deus celeriter perdet, quòd eius seruos ita crucias.

Furore percitus Festus: Accendite, inquit, in fouea pyram vehementissimè, vt isti celeriter in illam coniiciantur. Fecerunt milites, quod iussi fuerant, & Festo id factum esse retulerunt. Tum ille immisericors Præses iussit militibus martyres ipsos pice illinire, & in pyram coniicere. Fecerunt ipsi quod Præses iusserat, & Alexandrum, & Antoninam illuc coniecerunt. Iussit autem Preses & aridam picem supra pyram imponi, vt illi omnino comburerentur, atque vt ipsorum etiam ossa in cinerem redigi possent. Iussit deinde foueam ipsam obrui dicens: Ne mulierculæ istorum ossa colligere possint, sicut mos est Christianis hominibus facere. Cùm igitur Festus in ignem illos coniecisset, & foueam obruisset, rediit in domum suam; qui nõ amplius cibum, aut potum sumpsit, sed mutus remansit. Spiritus enim malignus per Angelos immissus vsque ad septimum diem eum cruciauit. Itaq; post septem dies vehementissimis cruciatibus detentus animam efflauit. Quo sepulto, persecutio sedata est.

Martyrium autem compleuerunt sancti martyres Alexander, & Antonina V Nonas Maij hora nona, die sabbato, regnante Domino nostro Iesu Christo; Cui sit gloria in secula seculorum. Amen.

MARTYRIVM SANCTAE VIRGINIS, ET MARTYRIS PELAGIAE THARSENSIS.

IIII. MAII.

CVM esset nuper à Diocletiano Imperatore per totum orbem terrarum Christianorum persecutio renouata, multi, ac ferè innumerabiles viri furorem Imperatoris extimescẽtes, ad montes ipsos aufugerunt. Verùm qui erant in fide stabiliores, & Deum magis quàm homines metuebant, permanserunt in sanctis Ecclesiis, Deum ipsum precantes, vt certamen pro Christo subeuntes, victores fierent.

Eo tempore beatus, & religiosus Episcopus, qui Clino dicebatur, baptizabat multos; ac singulos, qui supernæ vocationis brauium persequi volebãt, hortationibus suis magis, magisq; excitabat. Eius autem fama per totum Orientem celebrabatur. Postea & Tharsum vrbem Ciliciæ Episcopus ille se contulit, in qua vrbe multos baptizauit. Tertio autem die post beati eius viri in eam vrbem aduentum, audiuit Imperator quicquid Episcopus ille faciebat, quòdq; multos à diis ipsius auertens, proprio Deo adiungebat. Itaq; vrbis portas claudi iussit, & eum viuum comprehendi. Beatus verò Episcopus Clino diuina reuelatione admonitus exiit ex vrbe illa, nemine ipsum vidente. Cùmq; per totam vrbem quæsitus, non inuentus fuisset, iratus Imperator omnibus illis, quos Episcopus Clino baptizauerat, iussit eos in carcere concludi. Erant enim multi, quos Dominus singillatim acceperat.

Virgo autem quædam nomine Pelagia Dei timore admodùm excellens, cuius pulchritudinem pro dignitate explicare non possumus, cùm in ea vrbe habitaret, quæ supra dicta est, audiuit de Episcopi fuga, & ipsum videre cupiit. Eius virginis pulchritudinem, & decoram speciem cùm Diocletiani filius audiuisset, misit procuratores suos, & multos milites, qui Virgini persuaderent, vt se illi in matrimonium collocaret. Beata verò Pelagia cùm se Christi signo a muniuisset, eos à se repellens; Desponsata, inquit, ego sum Dei filio. Redierunt illi, & quæ audierant, Imperatoris filio retulerunt; qui maximum furorem in eam concepit, sed tunc quidem tacuit, iracundiam in aliud tempus reseruans. Sancta verò Pelagia ad matrem ingressa; Volo, inquit, mater, nutricem meam visere; illam enim iam diu non vidi. Nimirum volebat

a Beata verò Pelagia cùm se Christi signo muniuisset.

sancta

sancta illa virgo per nutricis occasionem ad Episcopum illũ diuinũ hominem accedere. Audierat enim à quibusdam, quo loco ille tunc viueret.

At eius mater praui dæmonis instinctu non concessit, quod filia petierat; sed omnino prohibuit illam discedere dicens: Non potes nunc, ò filia, illuc ire, sed aliàs opportuniùs ire poteris. At Dominus Iesus Christus noctis tẽpore beati Episcopi Clinonis speciem reuelatione diuina Pelagiæ ostendit; cuius viri aspectum, & honestam formam Virgo ipsa admirata est. Cùm verò se à matre prohiberi videret, ne ad nutricem iret, clam seruos suos ad carcerẽ misit ad eos, quos ab Episcopo illo baptizatos Imperator coërceri iusserat, vt ab illis ipsis de Clinonis Episcopi forma certior fieret, quò scire posset, an verum fuisset, quod nocte per visum contemplata fuerat. Cùm igitur pueri venissent, & Episcopi formam, atq; characterem nunciassent, cognouit omnia conuenire cum forma illa, quam per nocturnam visionem didicerat. Itaque sancta Pelagia gaudio magno affecta; Tuorum, inquit, Domine, bonorum nuncius est homo ille; precor te, ne mysteriis tuis indignã me facias. Cùmq; hæc precata esset, ad matrem suam introiuit, eiq; dixit: Rogo te nunc, domina, ac mater mea, vt præstes mihi, quod pollicita es, cùm dixisti, opportuno tempore me ad nutricem meam ituram. En tempus nunc præsto est, agè mitte me ad illam.

Cùm eius verba mater audiuisset, secum cogitabat dubitans, ne si filiam ire prohiberet, præ mœrore in morbum illa incideret. Statim igitur exurgens regalem purpuram gemmis pretiosis, & variis distinctam, omniaq; ornamenta illuc proferri iussit, perinde ac si filio Diocletiani desponsata esset, eamq; sic indutam cum puerorum, & multorum militũ comitatu misit. Tum mater: Vade, inquit, filia, & meis verbis nutricem tuam saluta. Cùm igitur iumento imposita fuisset, ibat gaudens, & eo, quod expectabat, admodùm læta, & exultãs. Cùm verò milliaribus ferè decem processisset, vnus è militibus, qui simul ibant, Longinus nomine, vidit quendam venientem sub montis cuiusdã arboribus; quem cum ex habitu, & decora faciei specie cognouisset, ad commilitonem suum conuersus; Iuliane, inquit, frater, nostíne virũ hunc ante nos venientem? Hic est ille Dei homo Clino, ille, inquam, miraculorum effector per totum Orientem, cuius fama vsq; ad Imperatorem peruenit, & propter quem Christianorum persecutio commota est. Milites autem illi Longinus, & Iulianus erant ex eorum numero, qui Christo seruiebant. Quidã verò ex Eunuchis cùm audiuissent, quæ milites dicebant, nunciauerunt dominæ suæ. Quæ cùm audiuisset, rem cognouit, & iumentũ sisti iussit, è quo descendit, & pedibus sancto illi viro iuit obuiã, militibus, & pueris præcipiẽs quietè se gerere, neq; homini molestos esse, verùm secedere, & sub vmbra illarum arborum se continere, quoad ipsa cum illo Dei viro loqueretur. Erant enim illic pleriq; Christi mysteriorum expertes, ob idq; non sinebat eos mysteria Dei audire.

Cùm igitur omnes secessissent, sancta virgo Pelagia diuinũ illum Dei virũ allocuta est. Qui eius visu perculsus dixit: Tecũ sit Christi pax, ò adolescens fœmina. Tum illa; Benedictus, inquit, Deus, qui in ista imagine tua mihi reuelatus est, quoniam te misit ad me, vt serues animam meam ab interitu. Nunc igitur per Deum, cui seruis, te precor, vt verè mihi dicas, quis tu es, & quodnam est nomen tuum, quæue tua conditio. Cui beatus Episcopus dixit: Ego, quod mihi præcipuum, & omnibus rebus pretiosius est, Christianus sum, rationalium Christi ouium pastor, qui Clino appellor. Tunc illa cùm existimasset pastorem eorum pecorum esse, quæ sacrificantur, ei dixit: Precor te, domine, vt dicentem me audire non graueris. Multæ sunt oues in domo patris mei, itaq;, si placet, veni, & ipsas pasce; & ego tibi mercedem

multam tribuam. Tunc Episcopus: Non sum ego pecorum pastor, quæ tu opinaris, sed rationalium Christi ouium, hoc est hominum, qui vitam æternã consequi sperant. Et quidnam, inquit sancta Pelagia, agnis tuis ipse das, quare vitam æternam habere possint? At beatus Clino: Illis nuncio cognitionem Patris, & Filij, & sancti Spiritus. Age, inquit illa, domine mi Pater, dic, quidnam magis necessarium sit iis, qui volunt esse cum Deo tuo. Da, quæso, mihi hoc. Cui Christi ouium pastor respondit: Annuncio tibi baptisma in remissionem peccatorum, & in vitam æternam: Hoc ipso nihil magis necessarium. Id cùm audiuisset Pelagia, & ad beati Episcopi Clinonis genua se deiecisset; Miserere, inquit, mei, domine, & da mihi donum istud. Ex quo enim tempore mecum locutus es, ipsius Dei lumen in corde meo effulsit. Itaque satanæ, & Angelis, ac machinis ipsius, hoc est vita carentibus idolis renuncio. Illa ego huc usq; colui, ab his misericordiam quærens, ex quibus non vtilitas proficiscitur, sed pernicies, & mors sempiterna. Nunc igitur Deum precor, vt ego, quamuis indigna, ipsius filio despondear, qui occultas cordis mei partes illuminauit; ipse enim est iustitiæ sol.

Cùm tam admirabilem virginis orationem beatus Episcopus Clino audiuisset, eam admiratus, manus suas in cœlum sustulit, ac dixit: Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui sedes super cœlos, & virginem hanc ad tui cognitionem vocasti, emitte ipsi sanctum, & illustre baptisma dilecti filij tui Domini nostri Iesu Christi. Cùm ita ille Deum precaretur, repente fons aquæ viuæ ante ipsos scaturiit; cùmq; beatus Episcopus vidisset se celeriter à Deo exauditum, continuò eum laudans; Magnus es, inquit, Deus noster, Pater, & Filius, & sanctus Spiritus, quoniam dedisti hæreditatem filijs hominum, baptisma in vitam sempiternam. Et nunc, Domine, tu, qui nosti corda hominum, scis humilitatem serui tui, quòd vereor virginẽ hanc sic baptismate lauare; sed tu, qui potens es in omnibus, prouide quidnam fieri oporteat. Cùm sic ille Deum precatus esset, Pelagia dixit; Domine, & pater, exaudita est in hoc oratio tua; ecce enim misit Deus lumen, sicut precatus es, nam video duos milites supra fontem stantes, & in manibus linteũ ita splendidum habentes, vt huius fontis aquæ, velut sol, fulgeant. Ne igitur verearis baptismate me lauare. Beatus Episcopus cùm Pelagiam hæc dicentem audiuisset, Deo gloriam reddidit, & ad fontem accessit, vt 2 aquas ipsas expiaret, & sanctas faceret; qui cùm Deum precaretur, factũ est vt & ipse Angelos supra fontem stantes videret ea figura, qua Pelagia illos viderat.

2 Vides quòd aquam ante expiat, quàm virginem baptizet?

Cùm igitur Angelos vidisset, vocem ad Deum sic extulit: Gloria tibi sit, Rex vniuersarum rerum, qui fecisti Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem. Tu me dignum efficias, qui hanc virginem, quam ipse mihi obtulisti, tibi offeram hostiam viuentem in memoriam, & odorem suauitatis. Fac & ipsam dignam, quæ in grege electorum tuorum numerari possit, vt in die regni tui, & ipsa cum quinq; illis virginibus prudẽtibus in thalamũ Christi tui lampadem suam accensam habens ingrediatur. Cùm preces compleuisset, exultans Spiritu sancto ob ea, quæ viderat mirabiliter facta, virginem ipsam in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti illuminauit. Quæ cùm baptismate renouata esset, communionem 3 de Christi mensa Episcopus accepit, eiq; impartiuit. Postea sancta Pelagia Episcopum adorauit, eiusq; vestigia exosculans; Domine, inquit, ac pater benedicte, precare Deum pro me, vt à sancto Spiritu fortis efficiar. Cui beatus Episcopus dixit: Deus ille, cui dedisti pignus animæ tuæ, ipse mittat tibi auxilium de sancto habitaculo suo, & det tibi, vt aduersarium superes.

3 Habes hic quòd [illegible]ndo adul[illegible] [illegible]ptiza[illegible]ntur, etiã [illegible]cram Eucharistiã accipiebant.

Ex hac sancti Episcopi oratione cùm virgo per Spiritum sanctum multam

voluptatem, & lætitiam accepisset, Episcopū sic affata est: Pater, per Deum illum te precor, qui per te ipsum mihi salutem dedit, ne me despicias, neque quod à te petiero, mihi deneges. Quoniam à sanctis manibus tuis illā Domini, & æterni Regis purpurā accepi, posthac fragilem, terrenamq; hanc vestem, & reliqua hæc omnia habere non licet. Tu igitur hæc accipe, & in longinquam regionem feras, vbi vendi possint, eorumq; pretia cape, & indigentibus distribue; mihi enim ex hoc tempore hæc ipsa sunt execrabilia. Tum Episcopus Clino; Mihi quidem, inquit, non liceret id facere; sed ne tibi molestum sit, quoniam me per Deum obtestata es, capiam ista. Tum Pelagia; Ego audiui, cùm diceres, Dominum nostrum dixisse: Nemo potest duobus Dominis seruire. Cùm virginis illius prudentiam beatus Episcopus admiraretur, & pro ipsa Deum precatus esset, illi benedixit, eamq; dimittens vt ad suos rediret; Vade, inquit, in pace. Sancta verò Pelagia gaudio affecta per Spiritum sanctum Dei gloriam laudabat, quòd digna effecta esset, quæ cœlestia bona perciperet.

Rediit igitur ad pueros suos, qui eam secuti fuerant, viditq; ipsos tenebris, & caligine detentos; cæcitas enim eis acciderat, ob idq; ambulare non poterant. Pelagia cùm illos ipsos, tanquam vinctos detineri animaduertisset, cognouit diaboli arte, atq; insidijs id factum. Itaq; & sibi, & pueris 4 Crucis signum adhibuit, ac statim illa tentatio ab ipsis remota est. Cœperunt autem ab ea quærere, vbinam esset homo ille, qui lumen ei præbuerat, & mulier valde speciosa, quam inter ipsam, & eum virum stantem à se visam dicebant, in capite ipso duo diademata, & super ea Crucis signum tenentē: Pelagia hæc audiens; Silete, inquit. Verùm potestisne & vos accedere, quò & ego accessi, ad bonam, inquam, illam spem, & Regnum sempiternum? Responderūt iuuenes illi: Quare non possumus & nos, hera nostra, illi credere, qui potest à pœnis sempiternis nos eripere, & in altissimo cœlo vita donare? Pelagia igitur cùm fecisset, vt idola renuerent, quæ ad illum vsq; diem coluerant, eos tales præparauit, qui cœlestis eruditionis participes fieri possent.

4 Ecce Crucis signū quàm terribile contra diaboli machinamēta propugnaculum.

Deinde cùm in iumento sedisset, abiit ad nutricem suam, quæ (vt consueuerat) obuiam illi venit, sanctæq; Pelagiæ vultum lætum, & longè pulchriorem vidit, quàm antea viderat. Vidit etiam in ea multa alia mutata; antea enim sumptuosis vestibus ornabatur, tunc verò modesto habitu induta erat; antea elato animo fuerat, tunc summissè, & humiliter se gerebat; antea superba, tunc abiecta veste corpus tegebat; antea varijs, & delicatis cibis vescebatur, tunc, vt fama erat, & ex macie cognoscebatur, precibus, & ieiunio diligenter vacabat. Cùm hæc nutrix intelligeret, illam Christianam factam esse animaduertit; cùmq; recordata esset, quot modis Diocletianus Imperator eos cruciabat, qui eiusmodi mentem haberent, & tamen illis persuadere non posset, vt Christum negarent, hæc secum cogitabat: Si huic consilium do, ne sit Christiana, quemadmodum Imperatoris edicto præcipitur, illa nequaquam mihi obtemperabit; particeps enim facta est gratiæ illius, quā Christiani profitentur, cùm dicunt vnum solum esse Deum. Cœpitq; nutrix ipsa sic Pelagiam affari: Filia, sicut nimiæ tuæ pulchritudinis, atq; honestæ formæ admirationem attulisti Diocletiano Imperatori, & eius filio, omnibusq; optimatibus, & toto exercitui, iis deniq; Regibus, qui longè hinc absunt, ita vera pulchritudine prædita placeas Dei filio, cui te ipsam sponsam dedisti; æterno enim Imperatori, vt prætefers, tu credidisti. Ille præbeat tibi vim, & patientiam contra aduersarios, & victricia præmia certamini tuo retribuat. Redi autem cum pace, quoniam in domum meam te intromittere non audeo, ne fortè hoc audiat is, qui te sponsā ambit, & cū toto meo genere, ac familia me

destruat. Equidem id mea causa non facio, quoniam si me periculis traderem, mercedem tecum vnà perciperem; verus enim est Deus, in quem tu credidisti. Cùm hæc audiuisset Pelagia, demisso vultu à nutrice sua discescit; cùmq; ad matrem rediret, & prope esset, mater obuiam illi venit, vt consueuerat. Verùm cùm eius vestem mutatam vidisset, eius rei causam non quæsiuit, sed clamorem magnum cum eiulatu, atq; vlulatu emisit. Pelagia verò risit illa quidem, sed nihil respondit. At mater furore percita iacuit semimortua, & sine voce diu mansit. Postea cùm animum collegisset, & ad se reuersa esset, surrexit, ac nihil dicens filiæ, neq; quod factum erat, ab ipsa exquirens, properauit ad militum, & armatorum equitum multitudinem adducendam. Quibus cùm Iudex præcepisset, vt in omnibus his, quæ ipsa vellet, ei obtemperarent, venit cũ militibus; sed filiam suã non inuenit, cũ ea interim recessisset.

Exeuntes igitur illinc omnes, & vias, & semitas circumeuntes, omnia loca perscrutabantur vsq; ad milliaria quadraginta peruestigantes, & tã eã inuenire studentes, quàm illũ, qui talẽ iniuriam ipsi Pelagiæ intulerat. Audierat enim ipsius mater à pueris, quòd ad Episcopum quendam se contulisset ob idq; illis militibus, qui missi fuerant, præceperat, vt si Episcopum inuenirent, & ipsum vinctum ad se ducerent. Milites igitur abeuntes, & longinqua loca perscrutantes, neminem inuenerunt. Sancta verò Pelagia cum famulis suis, qui Christo crediderant, sedebat trans flumen, & ipsa quidem milites videbat, illi verò, qui eam quærebant, neminem videre poterant. Quàobrem ipsius animus exultauit in Domino, ac ridens adolescentibus, qui cum illa erant; videtis'ne, inquit, vt Dominus Iesus charos habet omnes ad se venientes, & spem suam in ipso collocantes? Itaq; milites frustra laborãtes ad ipsius matrem redierunt; cui cùm dixissent, neq; virum, qui filiæ iniuriam (vt ipsa dicebat) intulerat, neq; filiam ipsam à se inuentã, ipsa hæc audiens graui mœrore affecta est.

Sed Pelagia vnà cum iis, quos secum habebat, venit ad matrem, eiq; dixit: Cur insania, & rabie percita es? Cur non vis resipiscere? Non verita es mittere, qui ad te ducant virum sanctum, qui colit vniuersæ naturæ spirantis, & omnis potentiæ Dominum? Non te pudet bellum aduersus Deum ipsum aggredi? A' quo si eius seruus Episcopus petierit, Angelum ipse mittet, & temporis momento omnem exercitum à te missum dissipabit, quoniam Deum ipsum Episcopus colit; quamobrem, & ab illo exauditur. Respondẽs eius mater; Et quis'nam, inquit, hic est, de quo ista dicis? Rex, inquit filia, regnantium, cui & me ipsam tradidi, priorẽ sponsum meum execrãs. Tunc eius mater filiam Christianam factam verè cognouit, addensq; Agè, inquit, dic: Ecquis'nam est Christianorum Deus, cui te ipsam tradidisti? Tunc filia Cur, inquit, curiosè inquiris de diuinitate illa, quæ verbis explicari nõ potest? Scito enim ipsum esse Dominum cœli, & terræ, montium, & collium, qui & firmamentum creauit, abyssos constituit, terminũ mari posuit, ne transiliret, & continentem terram vastaret. Quæris de Deo meo? Hic est, qui portas æreas cõtriuit, & vectes ferreos confregit, & mortuos in vitã restituit.

Hæc cùm eius mater audiuisset, statim ad Diocletiani filium misit dicẽs: En sponsa tua Christianorum Deo coniugata est. Ille hoc audiens, ægrè tulit, atque recordatus est, quemadmodum antea ipsius pater Diocletianus Christianos capiebat, & multis modis ipsos cruciabat. Secedens ergo secum ita loquebatur: Propterea quòd adolescentula hæc Deum Christianorũ concupiuit, non poterit de cætero illum relinquere, & mihi vxor esse. Num igitur posthac ego Christianos aspicere potero? Num se ipsos pro Deo suo tradentes, eumq; non negantes? Itaq; ne illam, ac me ipsum tormentis

subiectum

subiectum videam, iustum censeo eius causa me ipsum interficere. Gladio igitur sumpto, paratus erat se interimere, cùm Pelagiæ desiderium propter admirabilem eius pulchritudinem ferre non posset. Quaobrem lugens ita dicebat: Væ pulchritudini, qua ego priuatus sum. Væ mammis, in quibus ipse non requieui. Væ ori, cuius amore mihi frui non licet. Hæc lamentans, neq; furorem sustinens, in gladium incubuit, & mortuus est.

Pelagiæ verò mater cùm audiuisset filiæ sponsum ipsius causa sibi mortem intulisse, filiam apprehendit, & ad Diocletianum adduxit, ne ipsam cum tota familia Imperator perderet. In palatium igitur ingressa in medio constitit. Diocletianus verò cùm matrem vnà cum filia stantem vidisset; Quidnam, inquit, est istud, quod fecisti? Pelagiæ verò mater ei respondit: En filiam meã adduxi, cuius causa filius tuus se ipsum interfecit. Nunc igitur hanc puniens filij tui cædem vlciscere. Diocletianus cùm Pelagiam pulchriorem vidisset, quàm omnes vxores, & pellices suæ essent, non cogitauit filij cædẽ vlcisci, sed quo pacto illam adduceret, vt Christianorum fidem negaret, & eius coniũx fieret. Statim igitur iussit satellitibus, qui præsto erant, ante virginem illam afferre infinitam vim auri. Volebat enim multa sui auri copia Christi spõsam, & sanctam Dei puellam capere. Cùmq; ipsius matri centum auri talenta dedisset, illam dimisit; quæ domum suam rediit à filia seiuncta, & diaboli gaudio affecta.

Diocletianus verò iussit Pelagiam manè duci coram exercitu suo, vt illam ad fidei negationem impelleret, & coniugem duceret. Itaq; illam coram omnibus sic affatus est: Vnum hoc à te peto, vt Christum neges, & mecum matrimonio copuleris, totoq; Imperio meo potiaris. Quod si feceris, filius, quẽ ex te suscipiam, post me regnabit. Deniq; si voluntati meæ obtemperaueris, capitis mei diadema capiti tuo imponam. Ad hæc Pelagia: Insaniens tu quidem temere ista locutus es; sed scito voluntati tuæ me non obtemperaturam, neq; tibi vsui futuram in his, quæ dicis, neq; capitis tui diadema capiti meo impositum iri; noui enim tria diademata in altissimis cœlis præparata, & iam adornata mihi esse. Primum diadema erit pro fide, qua me ipsam Domino tradidi. Alterum erit Regni cœlorum diadema, quoniam ipsum expecto. Tertium mihi propositum est pro ærumnis, atq; tormentis inter homines à me suscipiendis, quorum causa cœlestis gratia excipiet me apud Deum. Illud igitur scito, quòd voluntati tuæ non morem geram, neq; Deum meum negabo.

His auditis, Diocletianus Imperator iussit militibus, qui aderant, bouẽ æreum, ligna, bitumen, & saginam suillam afferre, bouemq; illum subiecto igne incendere. Cùm igitur ærẽ bouem, vt ab Imperatore iussi fuerant, ita incendissent, vt eius aspectus, instar ignis, longiùs reluceret (Aberat autem bos ille ab Imperatore quinquaginta vlnis) adolescentulam illam in medium produxerunt. Quã cùm seniores, & Christiani homines vidissent, pro ipsa Deum precati sunt, vt vires, & patiẽtiã ei ipse Dominus sufficeret. Imperator autẽ; Exue, inquit, adolescentula, vestes, quibus induta es. Pelagia verò cùm vidisset paratos esse, qui illam exuerent, magna voce, atq; clamore Imperatorem appellans; Recordare, inquit, vxores, & pellices tuas, ipsas etiam, vt me, carne indutas esse.

Imperator cùm hæc audisset, & amoris insaniam ferre nõ posset, iussit multò magis quamprimùm exui. At illa cùm se Crucis ¶ signo muniuisset, & vltro se ipsa exuisset, suas vestes in conspectu Imperatoris abiecit, & ait: Fortasse tu es dolosus ille serpens in arbore inuolutus, & in Euam irrepens. Tu illam corripuisti, qui per eã Adam etiã ipsũ cœpisti; quamobrem vterq; fuit à

¶ Cùm se Crucis signo muniuisset.

Paradiso eiectus. Tu es dolosus ille, qui olim in cor Cain te insinuasti, & in eius mente inuidiam inseruisti, vt virginem, & consanguineum fratrem interficeret. Tu es, qui propria tua libidine, ac petulantia confisus, corā Deo stetisti, & expetiuisti iustum illum virum Iob, quem tentares; cuius & filios interfecisti, & omnes facultates perdidisti. Sed hostes Christi deficient gladio consumpti; è quorum numero te fore scias, qui demum periturus es. Impegisti enim in ipsius Iesu nomen, cui me ipsam tradidi. Hæc sancta illa virgo dixit Imperatori, quibus etiam assistentem diabolum conuicit. Tunc diabolus ipse inops consilij subterfugit, & qui à veritate alienior est, è longinquo loco sic clamabat: O' quanta est Christianorum me expugnantium violentia.

Puella verò Pelagia sancto Spiritu coroborata cucurrit, & æreū bouem apprehendit, statimq; manuum ipsius carnes, velut cera, liquefactæ sunt; illa verò nihil omnino sentiebat. Deinde caput suum in os bouis iniecit, ac se ipsā intra bouē collocauit; statimq; ex eius facie, ventre, ac lateribus, totoq; corpore, cùm ipsa penitus in bouē introiuisset, carnes, instar olei, effluxerunt; & per totam vrbem hora illa odoris suauitas, velut vnguenti cuiuspiam, perfusa est. Cùmq; adhuc paululum spiraret, Dominum Deum voce magna sic laudabat: Gloria tibi sit, Domine vnigenite fili altissimi Dei, cuius aduentu factum est, vt qui antea decepti fuerant, ad manus tuas redirent, &, victa, atq; conculcata hostis potentia, in te ipso perfecti euaderent. Sic puella Pelagia in Domino fuit consummata.

Tunc duobus militibus prope bouem stantibus Imperator; Videte, inquit, an adhuc viuat Pelagia. Vnus militum Theonicus, alter Iulianus appellabatur. Hi cùm victricem puellam in Domino consummatam vidissent, dixerunt Diocletiano: Non mortua est puella, sed martyr facta, cùm pulcherrimam confessionem confessa sit, & suum Dominum non denegauerit. Imperator cùm illos hæc respondentes audiuisset, iussit eos ligari, & in carcerem coniici; aliosq; milites misit, qui viderent, an verè puella mortua esset. Illi cùm eā mortuā vidissent, retulerūt Imperatori, quòd mortua esset. Tunc Diocletianus furens magna voce clamauit, & manibus purpuream suam vestē discindens ait: O' Christianorum animos. En vt illi ad mortem vsq; perseuerāt Deum non negantes, neq; voluntati nostræ obsequentes. Nunquid illi sunt potestate mea validiores? Ego'ne inimicis meis non satiabor? Cùm hæc dixisset, iussit sanctæ Pelagiæ reliquias nulla sepultura honorari. Itaq; proiecta sunt in montem, Linatum nomine. Descenderunt autem quatuor leones, & circa Pelagiæ ossa consederunt, à feris, atq; volucribus ea seruantes.

Apparuit autem Spiritus sanctus beato Episcopo Clinoni, qui Pelagiam Catechismo instruxerat, eiq; dixit: Nuncio tibi optatum nuncium. Hodie puella Pelagia martyrium sustinuit, quemadmodū tu Deum pro illa precatus fueras. Surge igitur, & oblationem Deo ipsi offeras, quòd Virgo constantem, & firmam confessionem præstiterit. Indicauit autem ipsi & locum, vbi sancta martyr Pelagia iacebat; quò abiit beatus Episcopus Clino; cùmq; vidisset locū beatæ Pelagiæ, vidit & leones quatuor illi assidentes. Qui cùm Episcopū illū beatum intuiti essent, ei obuiam processerunt, & ipsum submissis corporibus adorarunt. Beatus verò Episcopus ea re gaudens, exultansq; sanctæ Pelagiæ reliquias suscepit, & in montis sublimiorem partem tulit. Cùmq; stadiis ferè decem processisset, ad eius montis verticem ascendit; quem cùm, velut marmor, politum esse vidisset, conduxit qui lapides inciderent; & sacellum quoddam ædificauit, sanctæq; Pelagiæ reliquias illic reposuit; & montem illum appellauit, Montem congregationis; sanctæq; Pelagiæ nomen sic inscripsit: Sancta virgo Pelagia, quæ Deo se ipsam obtulit, & ad finē vsque pro veritate

certauit, quòd ad corpus pertinet, hîc requiescit; eius autem anima in coelis 6 regnat cum Angelis. Ita martyrium compleuit sancta martyr Christi Pelagia, in Patris, & Filij, & Spiritus sancti gloriam, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

6 Eius aũt anima in coelis regnat cum Angelis.

V iiij

EPISTOLA CYRILLI HIEROSOLYMORVM EPISCOPI AD CONSTANTIVM IMPERATOREM DE CRVCIS SIGNO, QVOD IN COELO APPARVIT.

VII. MAII.

IMPERATORI religiosissimo, & pietatis amantissimo Constantio Augusto Cyrillus Hierosolymorum Episcopus in Domino salutem. Hanc primam ex vrbe Hierosolyma Epistolam ad te mitto, religiosissime Imperator, quam & tibi accipere, & mihi conuenientissimum fuit ad te mittere, non assentationis alicuius sermonibus refertam, sed cœlestium signorũ, & diuinæ visionis nunciã, neq; confictas Rhetoricæ dictionis probabilitates continentem, sed sanctorum Euangeliorum prædictionem, ac veritatem ex ipsarũ rerum euentu testantem. Alij quidem his, quæ habent, te sæpissimè honorant, & coronas auro, ac pellucentibus gemmis compositas capiti tuo imponentes proni te adorant; nos verò non terrenis rebus te coronamus (terrena enim dona terram ipsam finem habent) sed cœlestium rerum diuinum opus, quod, te Imperatore, in vrbe Hierosolyma perfectum fuit, pietati tuæ studiosè nunciamus, non vt nunc, tanquam inscius, ad Dei notitiam venias, cùm longè antea hanc acceperis, & pietate præditus alios eã doceas; sed vt quæ nosti, in illis ipsis confirmeris, cùmq; Imperij paternam hæreditatem acceperis, & à Deo ipso maioribus, ac cœlestibus coronis honoratus fueris, Deo nostro omnium Imperatori etiam nunc dignas gratias agas. Maiore aũt fiducia Imperium tuum aduersus hostes ipsos afficies ex iis miraculis, quæ temporibus tuis Deus ostendit, te ab ipso diligi cognoscens.

Quo quidẽ tempore diuinæ pietatis amantissimus, & beatæ memoriæ Constantinus pater tuus imperabat, salutare Crucis signum Hierosolymis inuentũ fuit, diuina gratia ei viro, qui pietatis erat studiosus, quiq; res ad pietatẽ spectantes diligenter exquirebat, occultam antea sanctorum locorum notitiam aperiente. Te autem imperante, religiosissime Domine, propter tuam in Deũ

pietatem cœlestia etiam miracula sunt ædita, ipsius, inquam, Domini, & Saluatoris Iesu Christi vnigeniti Filij Dei trophæum contra mortis victoriam erectum, beata scilicet illa Crux lucis multæ splendoribus effulgens Hierosolymis apparuit.

His sanctis diebus sanctæ Pentecostes.

His enim sanctis diebus sanctæ Pentecostes 1 nonis Maij circa tertiam diei horam, ingentis magnitudinis Crux, quæ tota ex luce constabat, supra sanctissimum Golgothæ locum, vsq; ad sanctum montem oliuarum extensa in cœlo apparuit, non vni, aut duobus hominibus, sed ab vniuersa Vrbis illius multitudine manifestissimè visa; neq;, vt aliquis putaret, repente apparens statim euanuit, sed pluribus horis supra terram spectantium oculis visa est, splendoris fulgore Solis radios vincens. Nisi enim splendorem suum his, qui Crucem illam aspiciebant, Solis ipsius radiis efficaciorem præbuisset, Solis splendore superata, & cõtecta fuisset. Quãobrem vniuersa Hierosolymorũ multitudo præ diuinæ illius visionis terrore, ac lætitia repente ad sanctã Ecclesiã cucurrit. Itaq; senes, mulieres, ipsæ etiã puellæ, quæ in thalamis antea seruabantur, & cuiusuis ætatis homines, tã indigenæ, quàm peregrini, tam Christiani, quàm qui ex diuersis nationibus illic erant, concordi animo, & tanquam ex vno ore, cuncti Christum Iesum nostrum Dominum Dei filium vnigenitũ miraculorum effectorem collaudabant, cùm re ipsa, & experientia edocti essent, Christianorum dogma omni pietate refertum, non probabilibus humanæ sapientiæ verbis, sed Spiritus sancti demonstratione, ac potentia constare; neque ab hominibus solùm prædicari, sed è cœlo ipso diuinis testimonijs confirmari.

Nos igitur, qui vrbem Hierosolymam incolimus, & miraculum valde magnum nostris oculis vidimus, atq; comprehendimus, Deo ipsi vniuersorũ Regi, & vnigenito Dei filio, vt decebat, gratias egimus, atq; agemus, quem adoramus, & adorabimus, assiduasq; pro religioso Imperio tuo in iis sanctis locis preces ad illum ipsũ mittimus, ac mittemus. Decuit aũt huiusmodi visiones cœlestes nõ silentio præterire, sed pietati tuæ, recẽti adhuc eius rei memoria, significare, vt ad fidei, quæ in te inest, bona fundamenta, earum rerũ, quæ nuper ostensæ sunt, cognitionem adiungens, firmiorem in Dominum nostrum Iesum Christum fiduciam assumas, simulq; omni fortitudine consueta vndiq; roboratus, vt Deum ipsum adiutorem habens, Crucis trophæum salutare, & omni gloria sublimius præferas, signum, inquam, illud, cuius figuram cœlum ipsum hominibus ostendens, maximè gloriosum esse docuit.

Miraculum quidem ipsum, Imperator religiosissimè, Prophetarum testimoniis, & sanctis Christi vocibus in Euangeliis ipsis prædictum, iurè, ac ritè & nunc ostensum est, & iterum maiore quodam modo ostendetur. Cùm enim in Euangelio, quod à beato Matthæo scriptum est, futurarum rerum notitiã Saluator ipse beatis Apostolis suis, ac per illos iis, qui postea futuri erant, clarissimè impertiret, hæc prædixit: Tunc apparebit signum filij hominis in cœlo. Hunc diuinum Euangelij librum consueto more in manum sumens, quæ de hac ipsa re testimonia illic sunt, scripta inuenies. Quibus maximè te hortor, vt crebrò mentem adhibeas, eò quòd reliqua eodem ordine contenta, & à Saluatore nostro prænunciata multam pietatem, atq; obseruantiam requirant, vt ab aduersariis dæmonum potentiis damno aliquo non afficiamur.

Has, Imperator pietatis studiosissime, nostrorum sermonum primitias tibi affero, has primas voces ex vrbe Hierosolyma ad te pronuncio, qui nobiscum vnà verissimè, & omni cum pietate Christum vnigenitum Dei filium, & Saluatorem nostrum colis, qui, vt diuinis literis scriptum est, ex vrbe Hierosolyma orbi terrarũ salutem dedit; quiq; mortẽ ipsam in hac regione cõculcauit,

& proprio, certoq́ loco hominum peccata multo suo sanguine deleuit; & iis omnibus, qui fidem ipsius acceperunt, vitam, immortalitatem, & cœlestem, ac diuinam gratiam elargitus est; cuius potentia, & gratia te seruari cupimus, illustrioribus, ac maioribus pietatis operibus decoratum, & legitimo filio auctum, quem etiam ipsum Cæsarem lætus videas. Vtriq; autem ipse omnium Rex, & Dominus Deus omnis benignitatis largitor, multos annorum circuitus, eosq́ pacatos concedat, & in Christianorum gloriam te vniuerso terrarum orbi prosperis rebus vtentem, ac valentem, omniq́; virtute ornatum conseruet, consuetam in sanctas Dei Ecclesias, & Romanorum Imperium humanitatem exercentem, ac maioribus pietatis diuinæ factis gloriantem, per multos, inquam, annorum ambitus, tranquillos, atq; pacatos ipse vniuersarum rerum Dominus Deus, Auguste Imperator religiosissime, te cum tota familia tua nobis incolumem seruet.

MARTYRIVM SANCTI ACATII.

VIII. MAII.

CVM tertiò bonorum omniũ hostis, & omni ex parte improbißimus draco diabolus aduersus Dei seruos turbinẽ cõmouisset sub Maximiano Diocletiani genero, & ipsius satanæ filio, ac propugnatore, statim impia eius edicta per omnes regiones missa sunt. Edictis autem illis id præcipiebatur, vt in omni vrbe, si quis esset, qui nollet Deorum culturam obire, sine remißione aliqua omnibus supplicijs, ac tormentis subiiceretur. Edicta verò ipsa omni terrore, & regalibus minis, ac periculis referta erant. Ad hæc & exercitus ducibus præceptum fuit, vt si quis è militibus Imperatoris edicto, quòd ad deorum, vel ad dæmonum potiùs culturam pertineret, non obediret, ille vinculis astrictus tribunalibus ad supplicia perferenda traderetur.

Tempore illo sancti Acatij martyris facta effloruerunt, qui re ipsa nomen suum comprobauit, cùm nihil omnino malorum dæmonum particeps fuerit, neq; quicquam egerit, quod cum malitiosi diaboli machinis conueniret. Hic vir sanctißimus fuit genere Cappadox, & conditione quidem miles, at proposito, & voluntate Christi athleta; itaq; & genus, & ordinis dignitatẽ exornauit. Eius factum hoc modo se habuit. Cùm Firmus quidam militaris ordinis esset Tribunus eorum, qui Romanorum lingua Martij, Græcè verò Arei dicebantur, & sub eo Tribuno Centurio esset Acatius, Firmus ipse singulos milites ad se accersitos tentabat, vt quem animum quisq; haberet, experiri, ac scire posset. Cùm'q; multos partim assentationib⁹, partim minis ad idolorum superstitionẽ, atq; interitum allexisset, posteaquam Tribuni tentatio ad Acatium peruenit, tunc beatus ille, clara voce; Christianus, inquit, ego natus fui; itaq; Christianus & sum, & ero, Domino meo Iesu Christo hoc approbante; nam & ex parentibus, & ex maioribus Christianis natus sum. Hoc cùm ille dixisset, & Firmus tertiò eũ tentaret, ac modò grauibus minis, modò promissis ingentibus promptam animi alacritatem, & eius constantiam debilitare, & illum ad se trahere conaretur, ita cõstans, & immobilis in Christi confessione beatus ille perstitit, vt deinceps Firmus coactus fuerit, prout edicto regio iubebatur, virum sanctum Acatium vinculis astrictum ad Bibianũ quendam mittere, qui totius exercitus imperium administrabat.

Cùm igitur hic pro tribunali sederet, & eos interrogaturus esset, qui Dei confeßionem profitebantur, Antoninus scriba ad Bibianum hæc detulit: Pridie

huius dici, Bibiane præfect, Firmus eorum, qui Martij dicuntur, tribunatum gerens, Acatium Centurionem vinctum misit ad potestatem tuam, quippe qui dominorum nostrorum, & inuictorum Augustorum edicto parere noluerit, eo quòd Christianorum religionem sequatur. Diligenter quoq; causam ipsius ad te scripsit. Bibianus tunc dixit: Recitentur quæ ad me scripta sunt ab optimo viro Firmo Tribuno. Recitata autem sunt; quæ scripta erant in hanc sententiam. Flaccus Firmus Bibiano Duci salutem. Acatium Centurionem sub me Tribuno militantem, multumq; à nobis partim illecebris, partim promissis, partim etiam minis prouocatum, vt à Christianorum secta discederet, cùm se Christianum esse asseueraret, & in ea confessione constanter permaneret, ego inuictorum, ac triumphantium Imperatorum nostrorum iussis obediens, illum vinctum ad te misi, qui tormentis, ac suppliciis subiici debet, vt legibus ipsis obediat.

Hac Epistola recitata, Bibianus dixit; Adducatur Acatius, quem Tribunus dicit. Adest ille; inquit Antoninus Commentariorũ præfectus. Acatius verò tunc illic stetit ridenti vultu; quæ res futurum eius viri gaudium figurabat. Iudex igitur illi dixit; Quodnam tibi nomẽ est? Respondit ille: Optabile & mihi, & toti generi meo nomen est à Christo deriuatum; illud verò, quo humano vsu appellor, Acatius est. Ad hæc Iudex; Quare, inquit, Acatius nominatus, vt ipse dicis, malus nunc es, non obediens edictis Imperatorum? Hoc enim significant, quæ nobis à Firmo Tribuno scripta sunt. Tum Acatius: Captiosis sermonibus mecum agis, ò Iudex? Verùm ego tibi affirmo ob eã rem iustiùs me Acatium nominari, quòd nolim dæmonum istorum sanguinem vorantium malitiæ particeps fieri, neque cum Græcis communicare, qui talibus obtemperant. At Iudex dixit: Vndenam tu es, qui tam temerario sermone te iactas? Quorsum, inquit Acatius, de patria me interrogas? Cui Iudex: Quoniam rerum vsum habemus, & patriarum mores rectè nouimus, propterea hoc te quæsiui, vt pro eius patriæ, ex qua tu es, moribus, ac dignitate me in hac quæstione præstem. Tum Acatius; Genere, inquit, Achiuus sum, in Cappadocia verò natus; quo loco cùm parentes mei habitarent, ad exercitum veni, vbi & multos ex meis commilitonibus ante me Christi martyres fuisse accepi; quin etiam vicinos, & æquales meos, tales fuisse cognoui; quibus & signorum gratiam post ipsorum mortem à Deo ipso impartitam vidimus. Illos igitur sequi malui, quàm eas, quas vos leges dicitis, cùm humanæ illæ sint, & vnà cum hominibus post vitæ huius excessum corrumpantur.

Ad hæc Iudex; Ne putes, mediocres cruciatus tibi parandos esse; etenim ista patria tua nugacitas, & mira temeritas hoc expostulat. Ne igitur hæc patiaris, abiice omnes istas cogitationes, & Imperatorum legibus obtẽpera, deorum cultui seruiens, quorum nutu omnium victores, ac rectores Augusti rerum potiuntur; nos etiam, & tribunal hoc nostrum reuerere, neq; putes te omnium esse prudentissimũ, temeritate ista importuna nunc abutentem, & in homine illo, quem pœnis secundùm legem decretis subiectum fuisse aiunt, spes tuas collocantem. Erras, inquit Acatius, ò Iudex, grauissimis satanæ fallaciis deceptus; non enim propter eorum deorum, quos tu dicis, cultum Imperio Cæsares Augusti potiuntur, sed benigni Dei omnia gubernantis concessione hoc efficitur. Quòd autem dicis, in homine condemnato (vt ipse ais) me spem collocasse, scito Iesum Dominum nostrum hominẽ nostri causa factũ in mundum hunc venisse, vt nobis salutem daret; qui cùm idem esset verus Deus, mira quadam, & immensa prouidentia humanam suscepit naturam, & eam in se habuit. Id verò tu neq; cognoscere, neq; audire poteris, nisi priùs te ipsũ fidei Christianæ accommodaueris. Cùm enim natura, vt dixi, esset verus Deus, &

Verbum

Verbum à Patre non diuisum, sed cum illo semper coæternũ, propriis, quibus ipse voluit, temporibus nostræ salutis opus perfecit, & à satanæ ipsius, qui ab initio nobis inuiderat, condemnatione, ac seruitute nos liberauit.

Ad hæc Iudex dixit: Si Imperatores ipsi contra eum faciunt, cur & illos nõ punit Christus iste tuus, qui, vt ipse dicis, humanam naturam nostri causa suscepit? Facilè enim Imperatores punire potest, si est Deus verè potens. Ex hoc ipso, inquit Acatius, eum, ac eius bonitatem, & potentiam cognoscere potes, quòd cùm iniuriæ illi fiant, non statim pœnas vobis refert, sed diutius expectat, vt vos Græcos pœniteat, qui cultum, & venerationem Deo congruentem dæmonibus affertis. Ad hæc & seruorum, qui ei grati sunt, electionẽ, ac progressum hoc modo complere vult. Itaq; hac prouidentia vtitur. Nam si statim vobis pœnam inferre vellet, & vos ipsi in perpetuum periissetis, & ipsius serui manifesti non fierent; quinetiã gratiæ ipsius potentia otiosa permansisset. Quomodo enim Dominus noster gloriosè laudari posset, nisi diuturna in vestris sceleribus puniendis patientia vteretur. Nunc verò hæc ita fieri permittit, vt & vos, qui non resipiscitis, sed diuturnam ipsius patienti respuentes in vestra sæuitia persistitis, & ab eo magis magisq; desciscentes ad interitũ properatis, vestra culpa condemnemini; & nos, qui eius imperium agnouimus, perpetuò cùm illo viuamus. Quinetiam ipsius gloria in illis hominibus manifestior fiet, qui scelera sua recognoscentes vitam emendauerint.

Tunc Bibianus; Literas forsan didicisti, ob idq; sic disertè respondes. Nã per deos ipsos sermonem rationi consentaneum habuisti, vt hominum salutem sub Dei potentia esse ostenderes. Ex hoc ipso, inquit Acatius, Dei omnium dominatoris potentiam, & gratiam agnoscere potes, quòd cùm non didicerim literas illas, quæ vobis valde optabiles videntur, nisi tantùm pauca quædam ad diuinarum literarum lectionem necessaria, ipse Deus pro nobis miserabilibus suis seruis respondet, facitq; vt ab omnibus hominibus, quinetiam vt & à vobis ipsis, qui eruditi estis, laudemur. Nam & ab initio cùm dispensationis diuinæ opus perficeret, & suum ipsius Regnum orbi terrarum prædicandũ curaret, non hominibus genere, aut diuitiis, orationisue, aut literarum facultate præstantibus ad Euangelij sui prædicationem, sed piscatoribus, & publicanis, ac pauperibus quibusdam vsus est. Hoc autem fecit, vt eius potentia, quæ mẽtem omnem exuperat, cognosceretur, sancto, ac diuino Spiritu eius discipulos adiuuante.

Post hæc Iudex: Omittens ego quod opportunè mihi faciendum est, tecum nugor, qui talia disseris. Tu scis Imperatorum edicta omni terrore plena vobis proposita esse, vt vos Christiani homines vel sacrificetis, & deos ipsos colatis, in omnibus rebus vos illis subiicientes, atq; eo modo honores ab illis reportetis; vel, si sacrificare nolueritis, condemnemini, & suppliciis, ac pœnis subiiciamini. Velim igitur dicas, num diis ipsis sacrifices, & legibus obtemperes, an te id facturum neges. Respondit Acatius: Sæpè & à Firmo interrogatus Christianum me esse confessus sum. Quod ergo dixi, iterum dico, me Christianum esse, & impuris dæmonibus non sacrificare. Ego, inquit Iudex, etiam nunc ætatem istã tuam misericordia prosequor. Video enim te non amplius, quàm vigintiquinq; annos natum. Quinetiam militarem dignitatem reueritus nolui te statim tormentis subiicere. At si diutius in ista tua insania persistes, coges me ineuitabilibus tormentis te subiicere. Ad hæc Acatius: Quod volo facere, non stultum, sed valde prudens, & Deo gratum opus est, vt eum, qui me creauit, & ad hunc vsq; diem prouidentia sua prosecutus est, non deseram, illum, inquam, ipsum, qui solus est verus Deus. Quomodo, inquit Iudex, dixisti solum esse verum Deum, cùm dicas Christum Dei filiũ

esse? Omnino enim necesse est, vt si Filius est,& Patri par sit, & ita non vnus, sed duo sint dij. Cùm igitur & ipsi duos deos dicatis, quare nunc vnum Deum profers? Cogis enim me tecum nugari, cùm ista tu nunc absurda, & inconcinna dicas.

Tum Acatius: Ego credo, & in Iesu, qui sub Pontio Pilato crucifixus fuit, spem habeo, futurum vt mihi per sanctum eius Spiritum sermonis facultas suggeratur, qua interrogationi tuæ respondere, & quæstionem tuã explicare possim. Non vulgaris quæstio hæc est, quare cùm duos nominemus, vnum Deum à nobis coli profiteamur. Dico igitur tibi & Spiritum sanctum à Patre, & Filio esse inseparabilem, ac tres quidem personas esse in tribus appellationibus, sed vnam tamen horum nominum potentiam esse, ac diuinitatem. Vnũ autem dicimus Deum habentem & Verbum, & Spiritum sanctum. Absurdissimum enim esset Deum sine Verbo, & sine vitali Spiritu dicere. Id'q; exẽplo tibi ostendam ad hanc ipsam rem explicandam accommodato, quatenus humanæ facultatis conditio patitur. Quemadmodum Imperator, qui nunc est, quem tu dominum, ego verò hominem dico, & maiori iudicio subiectum, & filius eius(quorum qui pater est, Maximianus dicitur, filius autem Maxentius appellatur)duo quidem illi sunt, sed ipsorum tamen natura, humanæ, inquã, conditionis ratio vna est, Imperium'q; patris, & filij vnum, & inseparabile; honoratur enim filius per patrem,& pater per filium; eodẽ modo & Deus consideratur, nam cùm diuina Patris, Verbi,& Spiritus sancti essentia, vna, eadem'q; sit immutabilis, propterea vnus, & verè Deus est, qui à nobis colitur.

Ad hæc Iudex; Sæpè, inquit, te hortatus sum, vt ad rem propositam redeas, at tu istis tuis sermonibus nullã tibi vtilitatẽ afferentibus, studes me à proposito abducere. Fac igitur, quod ipse dico, & sacrificium offeras, ac patrios deos agnoscas, per quos omnia hæc constiterunt. Diutius enim tibi peperci. Cui Acatius. Ne putes, terroribus istis me perculsum iri. En habes corpus meũ ad flagella excipienda paratissimum; vtere illo, vt libet; mentem verò,& animi mei propositum neq; tu, neq; Imperator tuus, neq; dæmonum tuorum præsentia vnquam peruertere, & ad scelus compellere poterit. Tunc illi Iudex: Ergo, quando tu ita vis, omnino necesse est verberibus, ac tormentis te subiicere, & Imperatoris edictum exequi. Nam fieri non potest, vt tali quæstioni subiectus, sic redeas, iudicium nostrum illudens. Tunc Præses furore percitus, & cohortẽ affatus; Figite, inquit, quatuor vectes, & in illis Acatium alligate, crudis'q; neruis ipsius terga, & ventrem verberate, vt discat talia non nugari, neq; putet se aliquid scire, cùm nihil sciat. Videamus an ipsius Deus auxiliũ ei afferat; eius'q; mens, ac propositum quàm firmum,& immutabile sit, experiamur. Cùm igitur Acatius in illis vectibus alligatus esset, & eius terga vndiq; verberarentur, hanc solam vocem ille emittebat: Christe, opem feras mihi humili seruo tuo. Domine Deus, ne me derelinquas.

Cùm verò sex carnifices vicissim illum verberarent, & eius sanguis in terrã abũde diffunderetur, totum'q; corpus vulneribus acerbissimis laniatum esset, Iudex ipse cùm miserabiles illas plagas videret, & martyris mẽtem, ac voluntatem constantem, atq; immobilem esse animaduerteret; Num, inquit, nunc sacrificabis? Ita'ne miser dici, quàm amicus Imperatorum esse maluisti? Ad hæc dixit Acatius: Nequaquam ego sacrifico; habeo enim Dominum meum Iesum Christum opem mihi ferentem; itaq; istis tuis cruciatibus robustiorem, ac promptiorem me reddidisti. Hactenus enim tormentorum expectatio aliqua ex parte cogitationes meas perturbabat; cùm verò vis illata est, & hæc pati cœpi, per Iesum Christum mihi potentiam suggerentem, robustissimus factus sum, & ad omnia tormenta suscipienda paratissimus, Deo ipso sine

dubitatione aliqua confisus. Tum Iudex; Ista, inquit, dicis, quoniam maiora tormenta tibi non intuli. Sed ego temeritatē istam tuam deiiciam. Eò enim quòd hactenus tibi peperci, audacem, vt dicis, te reddidi. Cui Acatius: Fac celerrimè quicquid vis. Quos enim cruciatus mihi afferre cogitas, illi vtilitatem mihi afferent; & quò maiora tormenta adhibebis, eò maiorē Domini mei gratiam inuitus mihi conciliabis. Hæc, inquit Iudex, loqueris, quoniam corpus tuum nondum verberibus laceratum est. Tum Acatius; Iam dixi, vt faceres quicquid vis, non enim impuris dæmonibus sacrifico, neq; voluntati tuæ, aut patris tui satanæ morem gero. His auditis, Iudex commotus dixit: Plumbeis laminis eius maxillas contundite, ne iste nostra diuturna in eum patientia temerario modo abutatur. Post hæc Acatius: En factum est, quod voluisti, neq; quicquam ampliùs profecisti; non enim malæ artes tuæ meam in Christū charitatem superabunt. Sacrifica, inquit Iudex, & ab imminentibus reliquis tormentis liber esto. Respondit Acatius: Nunquam (vt dixi) sacrificabo, tantùm enim imminentes cruciatus despicio, quantùm & antecedentes non curaui, Deo ipso mihi animos suggerente.

Ad hæc Iudex; Quomodo, inquit, tu miles, atq; illiteratus, ita causam tuā agis? Cui Acatius: Putas'ne propria virtute nos hæc respondere? Minimè, inquam, nos hæc facimus sed locuples, & sanctus Dei Spiritus seruis suis liberam orationem, & patientiam suppeditat, illis prouidens, quemadmodum Saluator ipse discipulos suos docuit, cùm sic dixit: Quando vos tradiderint Principibus propter nomen meum, ne soliciti sitis, quomodo, aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid dicatis; non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Antoninus scriba dixit sancto Martyri: Et quænam tibi, miser, vtilitas futura est, si de talibus rebus admonitus persuaderi non vis, ac postea grauioribus tormentis adductus Imperatorum edicto parebis? Abi, & te ipsum admoneas, inquit Acatius, nam si neq; Præsidē ipsum, neq; minas illius, neq; cruciatus in me illatos Dei ope adiutus curaui, putas'ne me talem esse, qui te audiam? Tum Iudex ministris dixit: Acatium impium hominem olim militem in carcere interiore tribus lignis alligatum custodite, & grauibus cathenis eius collum, ac totum corpus circundate, sequentis diei iudicio reseruandum; neq; à suæ gentis hominibus illum videri permittite, ne fortè ab ipsis beatus prædicetur, & ad futuras quæstiones constantior inueniatur.

Ductus igitur fuit beatus Acatius in carcerem, tum præterita confessione, quam professus fuerat, tum futuris bonis, quæ à Deo vero accepturus erat, valde lætus; mansitq; in carcere in vrbe Perintho septem dies. Interea Bibianus accepit literas à Flaccino, vt Byzantium se conferret; iussit autem & eos, qui erant in carcere, illum sequi. Beatus igitur martyr Acatius, & vulnerum tumore, & corporis labore afflictus, ad hæc & illis multis ferreis cathenis grauatus, militum q; in via vrgentium importunitate, & itineris lassitudine, ac ciborum inopia, deniq; notorum hominum, è quibus neminem videre permittebatur, absentia valde mœrens, & de vita ipsa desperans, cùm & alij vincti cū sequerentur, & carnifices vrgerent, petijt à carnificibus, vt orandi Dei potestatē illi facerent. Cùm igitur quodam in loco stetisset, ita Deū precatus est. Gloria sit tibi, Deus, qui pro tua clementia in eos misericordem te præbes, qui diligunt nomen tuum; gloria, inquam, tibi sit, qui & me in peccatis viuentem ad hanc sortem tuam vocasti; gloria tibi, Iesu, qui nostræ carnis infirmitatem nouisti, & vt tormenta fortiter ferrem, patientiam mihi præbuisti. Quoniam igitur vides, mi Domine, multis malis me oppressum, ita vt anima ipsa è corpore meo excessura videatur, tu ipse, Domine, mitte Angelum, qui me curet, & ab

angustiis, quibus opprimor, me sanet; ac velis mihi hoc concedere, vt quæsti-ratione, modò Iudicis sententia decretum sit, martyrium compleam, & apud te sim. Cùm ita Deum oraret, vox è nube demissa est (erat enim aër ipse nubibus contectus) Esto, Acati, robustus, & fortis. Vox autem illa fuit ita clara, vt carnifices, & alij vincti eam audientes admirarentur, ac dicerent: Nunquid & nubes loquuntur? An vnquam tale quid auditũ est, vt nunc ipsi audiuimus? Hæc dicentes de ea re ambigebant. Multi verò ex iis, qui vincti ducebantur, cùm hæc audissent, in Dei filium crediderunt, & ad Martyris pedes se abiicientes eum rogarunt, vt Christianæ fidei doctrinã ipsis exponeret.

Tunc igitur martyr Acatius vnà cum illis iter faciens; Ego, inquit, paulùm temporis miles fui, sed apud sacerdotes educatus, quinetiam genus è sacerdotibus ducens, memini audire ipsos hæc docentes, quemadmodum Deus ipse, cùm homini, qui è Paradiso exciderat, salutẽ dare, & ab inferis eũ educere vellet, misit in hunc mundum coæternum Verbum suum. Veniens igitur filius Dei carnem suscepit ex sancta Virgine Maria, & figura apparens, vt homo, Crucem sustinuit, vt Adami, qui Deo non obediuerat, peccatum per Crucis lignum emendaret, & condemnationis remissionem ei condonaret, ipse pro nobis noster Dominus debitũ soluens; nã eò quòd in Cruce fixus fuit, chirographum, quod contra nos erat, discidit, & peccatum dissoluit, & propria morte deleuit mortem, & inferos expoliauit, omnemq́; diaboli potestatem confudit, atq; infirmauit; cùmq́; totum diaboli exercitum profligasset, portasq́; æreas confregisset, ac vectes ferreos cõtriuisset, triduo è mortuis resurgens, humano generi resurgendi facultatem præbuit, vt omnes omnibus futuris seculis viueremus. Hic enim mundus ad breue tempus manet, & nihil est. Hæc omnia cùm illi audiuissent, ad Christi fidem conuersi sunt. Postridie verò noctis tempore eo in loco, in quo erant, viderunt quosdam splendida veste indutos, & militari habitu ornatos cum Acatio ipso loquentes. Quidam autem ex his, qui eos viderant, existimabant Acatij commilitones, atq; amicos esse, qui metuentes Imperatorem noctis tempore Acatium viserent. Alij verò visionem aliquã diuinam eam fuisse dicebant. Cùm autem postera nocte Byzantium venissent, & simul in vnam domum coniecti essent, rursus viderũt eosdem Angelos cum Acatio loquentes, & vulnera, quæ erant in illius corpore, aqua feruenti abluentes, eumq́; curantes, ita vt omnes, qui & tunc, & superiore nocte illos viderant, dicerent, verè sanctorum Angelorum visionem Martyri oblatam fuisse.

Postridie verò cùm Martyr in carcerem interiorẽ coniectus, & Iudicis iussu ligno, ac ferreis vinculis ligatus fuisset, aliiq; vincti in exteriore carcere seruarentur, rursus multa lumina nocte accensa apud Martyrem ipsum, & viros alios viderunt è vinculis eũ soluentes, atq; curantes, alios verò cibũ ipsi afferentes; idq́; cùm sæpius vidissent, carceris custodem adduxerunt, vt ipse quoq; propriis oculis factum videns de re illa certior fieret. Eam rem cùm custos carceris visam obstupuisset, multis amicis narrauit. Præses verò septimo die postquàm Byzantium venit, Martyrem ad se duci iubens; Vocetur, inquit, Acatius impiæ Galilæorum religionis patronus. Cui Antoninus scriba: En præsto est ille, quem quæris. Cùm igitur ante tribunal Martyr constitisset, eiusq́; vultũ hilarẽ, velut Angeli alicuius aspectũ, Præses vidisset, obstupuit; sperabat enim futurum, vt tum vulneribus corporis, tum vinculorum ærumnis, ac ciborum penuria corpore consumptum, & de via multa fessum videret. Cùm igitur aliter se habentem vidisset, eius pulchritudinem, atq; hilaritatem sic admiratus est, vt cohorti diceret: An non vobis, milites pessimi, præcepi, vt hominem istum in interiorem carcerem coniectum in ligno ligaretis, ferreisq́;, & grauissimis, ac multis vinculis eius collum, & totum corpus, cõstringeretis, ita vt ipsius florẽs ætas ijs ligaminib⁹ angeretur, ac lãguesceret,

neq;

neque sineretis aliquem ipsum visere, nisi qui cibum illi afferret? Quomodo igitur ipsum, velut athletam quendam, pinguem factum video; quinetiam longè pulchriorem, ac venustiorem, quàm antea fuerat.

Tum Antoninus scriba: Ita quidem factum est, vt iussisti; in omnes enim ærumnas illas, quas dixisti, coniectus, & ex vrbe Perintho hucusque per totam viam ferreis vinculis astrictus fuit. Quòd si amplitudini tuæ visum fuerit vincula ipsa ferrea videre, eaque ponderare, en illa hîc sunt. Nam vsque ad hoc tribunal homo iste his ferreis vinculis exutus non fuit. Quære à carceris custode minas adhibens, & vide, an ita illi iussum sit, quemadmodum tu præcepisti. Tum Iudex; Veniat, inquit, huc custos carceris. Cùm venisset ille; Iudex ita eum interrogauit: Quare, scelestissime custos, facere noluisti, quod iussus es, sed ita nutritum, atque instauratum istum ad nos duxisti, quasi bellator quidam futurus nobis esset? Ad hæc Acatius; Mea, inquit, pugnandi virtus è cœlo à vero illo certaminis Præfecto Iesu Christo seruata est, qui & robur mihi attulit; Dominus enim meus ita curat seruos suos solo verbo. Tum Iudex: Confringite eius dentes, vt non loquatur, nisi cùm interrogatus fuerit. Iterum autem custodem carceris interrogans; Quidnam, inquit, scelestissime respondes?

Tum Cassius custos carceris respondit: Per tuam amplitudinem iuro, executum me fuisse quæcunque tu iussisti, & insuper alia mala his addidisse; sed fuere alij, qui hunc hominem curauerunt, vt sciunt omnes, qui vnà cum ipso vincti erant. Quòd si rem aliter se habere cognoueris, en caput meum præsto est; potestatem habes; quæso facias quicquid vis. Videbamus enim sæpius quosdam veste splendida ornatos milites, aliosque vrbanis viris, alios Medis quibusdam similes esse censebamus, qui vnà cum ipso versabantur, quique eius vulnera curabant, & diligenter abstergebant, multisque cibariis propositis vnà cum eo vescebantur. Hæc omnia homines, qui ex vrbe Perintho vnà cum eo vincti ducti sunt, tum in via, tum hîc cùm sæpius vidissent, mihi retulerunt; ita vt ego, cùm ipsis non crederem, & verum scire cuperem, meis oculis videns id cognouerim. At si quando repente, cùm hæc spectarem, ingredi ad eum voluissem, & ab illis quærere, vndenam illuc ingressi essent, aut quinam forent illi, quos vnà cum ipso vidissem, sæpius ad eum ingressus, neque quenquam illorum, neque quicquam è cibariis illis videbam, sed hunc solum ligno alligatum preces ad Deum fundentem, & diuinam gloriam laudantem, interdum verò dormientem.

Tum Iudex; Pecunias, inquit, ab Acatij consanguineis accepisti, ob idque iudicium vis eludere. Ac statim furore percitus plumbeis virgis eius terga pulsari iussit. Qui cùm cruciaretur, vociferans dicebat: Quæso, Iudex, vt si res aliter se habet, quàm dixi, me interficias. Tum ille: Veneficum igitur hominem hunc esse affirmes opus est. Cui carceris custos; Ego, inquit, quod vidi, dico, neque scio, veneficusne sit, an non. Hæc cùm beatus Acatius audiret, illorum stultitiam irridebat, quamuis fractis esset maxillis. Itaque Iudex ipse rursus furore accensus Acatio dixit; Tune venisti, vt nos derideres præstigiis, ac veneficiis tuis confisus? Ego, inquit Acatius, non rideo, quòd vestra pernicie gaudeam; immo sempiternã vestram condemnationẽ multùm doleo. Vos autem ipsi vestram vitam irridetis, qui verum illum Deum cœli, & terræ, maris, & omnium, quæ in eis sunt, effectorẽ dereliquistis, & lapides ipsos adoratis. Tũ Iudex ei dixit: Ne putes ista tua constantia me victum iri; non sinam te viuere, nisi diis sacrifices, & inuictorum Imperatorum edictis obedias. Cui Acatius: Si timerem minas tuas, statim tibi obtemperans fecissem quod iubes; quoniam verò sententia mea melior est, quàm tua, minas

istas nihil timeo; fac, quod lubet.

Tunc Iudex furore percitus; Sacrificas'ne, inquit, an adhuc pergis insanire? Respondit Acatius: Tu pergis id facere, qui homines, à quibus nihil mali commissum est, neque aliquid in te peccatum fuit, sic iniustè consumis. Hæc cùm audisset Iudex, iussit virgas quernas afferri, & eius terga, ac ventrem verberari. Cùmq; decem homines vicissim Acatij corpus verberarent, Martyr ipse tormentis afflictus, sic clamabat: Christe, adiuua humilem seruum tuum. Iratus autem Iudex iussit ventrem ampliùs verberari. Cùmq; decem illi homines hoc fecissent, & beatus martyr doleret, voce magna dixit: Domine Iesu Christe, adiuua seruum tuum Acatium. Hoc cùm ab eo dictum fuisset, statim vox de cœlo venit, ac dixit: Ne timeas, Acati, sed esto bono animo, decet enim te cum patribus tuis esse, & cœlo versantem oblectari, eò quòd nunc nominis mei confessionem profitearis. Cùm hæc vox audita esset, homines illi, qui Martyrem verberabant, torpescentes tanquam muti effecti sunt, neq; manus ipsas ampliùs mouere poterant, ita vt Iudex ipse ambigeret, & furore accensus sanctum illum martyrem Acatium ad maiora iudicia, hoc est ad Flaccinum Proconsulem Thraciæ mitteret, qui & relationem talem ad eum scripsit.

Admirabili, & maximo Iudici Flaccino Proconsuli Bibianus Imperatorum deuotissimus salutem. Acatium impiæ Christianorum religionis patronum à Firmo Martiæ legionis Tribuno ad me missum, neque volentem ijs parere, quæ ab inuictis Imperatoribus nostris præcepta sunt, cùm viginti diebus ante ad me missum acceperim, & vehementer de ipso inquisiuerim, nihil ampliùs profeci; propositi enim sui tenax est. Quoniam verò potestas tua plus timoris afferre potest, propterea hominem hunc cum actis, quæ de illo à me composita sunt, cùm te præstantissimum virum esse sciam, ad te misi. Cùm igitur Flaccinus has literas accepisset, iussit Martyrem in carcere quidem concludi, sed seruari tamen sine vinculis, & remota custodia illa tam atroci. Vxorem enim Christianam Flaccinus habebat, à qua rogatus, & iureiurando clam astrictus fuerat, vt qui propter Christi fidem ab ipso inquirebantur, non diu, neq; multum ab eo cruciarentur.

Iussit igitur Flaccinus post quinq; dies Acatium martyrem ad se duci, & eius acta recitari, quæ Bibianus confecerat. Quibus recitatis, inquisitionis, quæ à Bibiano facta fuerat, austeritatem, & Martyris constantiam, stabilemq; confessionem, & miracula per ipsum facta cognouit, Bibianumq; accusauit, quòd non celeriter eum interfecerat, sed tam exquisitè aduersus militarem hominem se gesserat; iussitq; martyris caput abscindi ante vrbem Byzantium, ita pronuncians: Acatium Galilæorum adiutorem, & nostrorum Imperatorum trophæis insignium desertorem, qui operam dedit, vt quamprimùm vitæ suæ finem talem videret, sicut quæstiones de eo factæ docuerunt, hunc, inquam, hominem legibus non obedientem tribunal nostrum iubet gladio percuti, & capite priuari.

Postea verò quàm beatus Acatius vocationis suæ opus iam iam perficiendum cognouit, Spiritu sancto ita decernente, clamans sic ait: Quàm multis linguis te laudare vellem, Christe Dux vitæ, & fili Dei, quoniam ita misericors, & benignus es in me peccatis obnoxium, qui & tali sorte me dignatus fuisti. Cùmq; ductus fuisset extra vrbem Byzantium in eum locum, vbi martyrium obeundum illi erat, rogauit carnifices, vt paulisper Dei orandi facultatem ei concederent. Itaq; positis in terra [1] genibus, has preces ad Deum misit: Gloria tibi, Deus, & immensæ tuæ magnificentiæ conuenit laudatio, qui sic gloriosum in nobis peccatorum onere grauatis te ostendis. Quò enim

[1] Orat Sãctus, positis in terra genibus.

maiora beneficia nobis largiris, & quò magis iniquitates nostras remittis, eò abundantiùs benignitatis tuæ gloria relucet. Benedictum sit nomen gloriæ tuæ, quòd ita faciendum probasti, vt in Filio tuo vnigenito, & Spiritu sancto hominem ipsum honorares, & nunc me tantis beneficiis indignum propter bonitatem tuam ad talem gloriam inuitasti, non propter mea opera. Benedico igitur tibi, Domine Deus sanctus Israël, cum vnigenito Filio tuo, & sancto Spiritu, quoniam tua est gloria, tuus honor, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen. Hæc cùm dixisset, gladio percussus fuit, & capite truncatus.

Itaq; martyrium perfecit sanctus Acatius octauo die mensis Maij, Imperatore Maximiano. Eius autem corpus viri pij, ac religiosi collegerunt, & omni studio, ac diligentia funus ipsius curauerunt eo in loco, qui Staurius appellatur, regnante Domino nostro Iesu Christo; Cui gloria sit, & Imperium in secula seculorum. Amen.

MARTYRIVM

SANCTORVM GLY-

CERIAE, ET LAODICII.

X. MAII.

ANNO PRIMO Imperatoris Antonini, Præside Græciæ Sabino, multa erat consensio Christianorum, qui habitabant in vrbe Traianopoli, per singulos autem dies in vnum locum conueniebant, & multo labore, ac studio à Deo pacem petebant: pauci enim erāt Deum metuentes. Antoninus verò Imperator, cùm Græcorum superstitionem sequeretur, omnibus idolis sacrificabat, iis videlicet, qui falso nomine dij appellabantur; sed multò diligentiùs, ac frequētiùs Ioui sacra faciebat, & in eius superstitionis errore assiduè versari videbatur.

Quodā autē die in tēplo ipsius Iouis cū execrandis illis sacerdotibus consultauit, & in omnes vrbes, regiones, ac prouincias misit, vt vniuersi homines accederent, & diis sacrificarent, Ioui præsertim; ac quicunq; diis ipsis sacrificia offerre nollet, is acerba morte interfici deberet. Cùm edictum illud tam iniquum vbiq; diuulgaretur, in Græciam quoq; perlatum est. Quod cùm Præses accepisset, primum sacrificium in templo apud Marianopolim offerebat, Imperatoris legem ostendens, neminem verò adhuc cogēs. Postero autem die mane Traianopolim profectus, similiter & iis, qui illic erant, legem ostendit, & hoc edictum proposuit: Sabinus fortissimus Præses, & valde illustris, omnibus populis, & regionibus illustribus salutem. Vna mente, ac sententia omnes conuenientes, intra tres dies nos ipsos purgemus, & in Iouis templum ingrediamur, atq; Imperatoris natalē diem agentes, magno deo Ioui sacrificium offeramus. Qui verò non obtemperauerit, neq; lampadem tenens sacrificium obtulerit, grauibus suppliciis cruciatus moriatur.

Tunc omnes in vrbe illa Christiani homines Deum precabantur, pacem petentes. Glyceria verò quædam Romana fœmina filia Macarij ter Consulis, cùm esset in vrbe illa, & singulis diebus, atq; horis in eam paruam domum ingrederetur, in quā homines Christiani cōgregabantur, se ipsam Deo, & Christo eius purgabat, omnibus ita dicens: Fratres, sorores, filij, patres, & quæcūq; matris loco mihi estis, videte, & vobis cauete, ac diligenter animaduertite, qualis est Imperator ille, cuius characterem habemus, & quali forma in fronte signati sumus, qualis deniq; monetæ inscriptionem accepimus. Hæc igitur cùm sciamus, demus operam, vt quamdiligentissimè Domini nostri

præcepta

præcepta seruantes, apud illũ ipsum æterũ Regem salutẽ cõsequamur, characterem etiam, quem accepimus, ab omni labe vacuum, ac purũ custodientes. Id cùm fœmina illa dixisset: Optamus, inquiunt omnes, horum omnium, quæ dixisti, compotes fieri. Tum illa: Vestræ igitur preces Deo ipsi offerantur.

Postea verò quàm tres dies præterierunt, ciues omnes cum lampadibus insanientes concurrebant. Venit autem & Glyceria, quæ Crucis Christi signum in fronte inscriptum habebat, quo animam illuminare posset. Ad Præsidem igitur cucurrit; cùmq; ante illum stetisset, sic est locuta: Clarissime Præses, en sacrificiorum, quæ Deo ipsi offerenda sunt, ipsa initium faciam. Prima enim sum, & eo patre nata, qui fuit tertiò Romanus Cõsul. Et vbinam, inquit Præses, lampas tua est, quæ id facturã significes? Cui Glyceria: In fronte scriptam habeo lampadem meam; quæ, cùm extingui non posit, syncera nostra, quæ Deo ipsi offerimus, sacrificia illuminat, & æterno Regi offert. Tum Præses dixit: Agè, lampadem sumens Ioui sacrifica. Minimè, inquit Glyceria, æterno Regi, & Deo lãpadibus fumum emittentibus opus est; sed iube ipsas extingui, vt sacrificium meum non labefactetur. Iussit igitur Præses, & extinctæ sunt lampades. Quibus extinctis, sancta illa fœmina Glyceria pectus temperantia, & fortitudine præcinctum habens, oculos ad cœlum intendit, &, manu ad populum extensa; Videtis'ne, inquit, illustrem hanc lampadem in fronte mea inscriptam? Cùmq; hæc diceret, Crucem Christi ostendit, ac dixit: Deus omnipotens, qui per Christi tui Crucem à seruis tuis gloriosè collaudaris; qui sanctis illis tribus pueris te ostẽdisti, eosq; ab ignis fornace liberasti; qui leonum ora clausisti, & seruum tuum Danielem victorem effecisti; qui Belo euerso, & Dracone interfecto dæmonum imaginẽ confregisti, Iesu Christe, purissimus Dei agnus, veni, quæso, & mihi humili, atq; abiectæ fœminæ opitulare, & dæmonem hũc arte humana erectum comminue, nouaq;, & inania istorum sacrificia disperge, ac dissipa.

Cùm sancta illa fœmina Glyceria huiusmodi preces ad Deum misisset, repente magnum quoddam tonitru auditum fuit, & Iuppiter ipse corruit, atq; comminutus est; erat enim lapideus. Hæc cùm vidisset Præses, furore percitus vnà cum iis sacerdotibus, qui cum illo erant, iussit Glyceriam lapidibus in eam iactis interfici. Itaq; nefariorum hominum multitudo descendit, & lapides in Glyceriam coniecit. Lapides verò ipsi, tanquam in locum quendam repositi, eam circundabant quidem, sed non tangebant. Cùm verò Dei beneficium hoc esse illi non intelligerent, pharmaceutriam, hoc est veneficam mulierem, eam esse dicebant, ob idq; lapidibus non percuti. Tum Glyceria; Rectè, inquit, dicitis me Pharmaceutriam esse: Christi enim pharmaca per me vim suam operãtia, vestrũ errorem redarguunt, eiusq; auxilium iniurias vestras dispergit. His auditis, Præses dixit: Ad crastinum vsq; diem in carcere custodiatur mulier ista, ne fortè veneficijs suis vtens effugiat, & à Deo suo se adiutam fuisse dicat, & ita multos decipiat. Tum Glyceria; Stulte, inquit, excæcate, atq; impurissime homo, non animaduertis me præceptis Dei ligatã esse, & eius legi affixam, è quibus solui non possum? Ipsius enim vinculum est indissolubile, quo superborum vincula dissoluuntur, & eorum, qui Deo ipsi resistunt, consilia dissipantur.

Hæc cùm dixisset, in carcerem abiit. Ad quam Philocrates presbyter accessit. Illi autem dixit Glyceria: Signa me Christi signo, & pretioso veritatis Chrismate me ipsam exorna, & Deo illi, atq; Imperatori, cui tu militas, & cuius arma ipse geris, me commenda, vt eo signo munita prauissimi dæmonis malitiam superem. Ad hæc Phylocrates presbyter; Signũ, inquit, Christi

vota tua expleat, & pretiosum Christi vnguentum faciat, vt, quod cupis, id assequaris. Hæc cùm dixisset, pacem ei precatus discessit. Eo autem die, qui consecutus est, Præses ipse manè ad domum regiam venit, vt Glyceriam sanctam illam fœminam ad se duci faceret, eamq; interrogaret, an diis sacrificare vellet. Quod si facere noluisset, pluribus tormentis afficiendam, ac morte deniq; condemnandam esse censuit. Ducta igitur fuit, & ante Præsidē stetit hilari vultu. Cui Præses; Dic, inquit, Glyceria: Nō ū adhuc persuasum nō habes, vt magno Deo Ioui sacrifices, cui & Imperator ipse sacrificat? Quomodo, inquit Glyceria, illi sacrificem, qui fractus est, & in multas partes cōminutus? Quiq; sibi ipse opem ferre non potuit, huic tu me vis sacrificium offerre? Habeo notitiam illius magni Dei, qui sedet in cœlis, quiq; mihi opem tulit, & nefariam vestram potentiā dissoluit. Illi me sacrificia offerre decet; illi me gratam esse conuenit.

Cùm hæc audisset Præses; Sacrifica, inquit, antequàm te crucie. Tū Glyceria: At cruciabit me Deus meus, si te audiam. Ecquis tu nam, inquit Præses, te à morte liberabit? Respondit Glyceria: Ego studeo, & propero corporis mei labore animæ vulneribus mederi. Tunc Præses iussit, Glyceriam crinibus suspensam, ac dilaniatam interfici. Illa verò suspensa dicebat: Gloria tibi sit, Deus omnipotens, qui stolido huic Præsidi ostendisti, non alia illi esse tormenta, nisi crines illos à tua benignitate mihi datos, quibus caput meum circūdatur. Iis, inquam, crinibus, per quos Præses me cruciat, ipse redarguitur. Illi enim pro corporis tegumento, & gloria tua mihi à te adiutore meo dati sunt; & illi ipsi nunc aduersus bonarum rerum inimicum Præsidem hunc adiumento mihi sunt. Hæc cùm illa dixisset, iussit Præses eam laniari. Quæ dum laniaretur; Nefarie, inquit, & omni malitia referte minister diaboli, nihili sunt ista tua tormenta, quæ ipsa non sentio. Habeo enim omnium Dominum Deū, qui per Iesum Christum me seruauit, qui & nunc mihi opitulatur. Para igitur maiora aliqua tormenta; hæc enim nulla sunt.

Talia dicebat Glyceria; & carnificum manus ipsam laniando defatigatæ iā erant. Præses verò cùm se à fœmina illa superatum videret, eam deponi iussit, & eius oculos contundi. Tum Glyceria; Lux mea, inquit, Deus, & firmamentum meū Christus est, qui sua bonitate ancillæ suæ cogitationes confirmat. Te precor, Domine, vt vultum meum illumines, & ad iniurias, quæ propter diuinitatis tuæ confessionem mihi afferuntur, excipiendas paratiorem me reddas. Tu, Domine, in patientia tua me corrobora; tu enim es Deus, qui per Dominum nostrum Iesum Christum sancti Spiritus tui thesauros iis conferre soles, qui nominis tui confessionem oratione firma, ac stabili profitentur. Qui omnibus tuis viris sanctis opem tulisti, per quos & ipsa tui notitiam accepi, eamq; amplexa sum, exaudi nunc ancillam tuam, quoniā nominis tui causa studeo è laqueis diaboli, & ab ore serpētis liberari. Hæc cùm diceret, à carnificibus verberabatur. Angelus autem Domini Dei repente illic astitit, & carnifices illos ita prostrauit, vt mortui viderentur. Tum Præses; Dic, inquit, Glyceria: Quare Imperatori non obtemperas? At illa: Cui tu nam Imperatori vis me obtemperare? Dico, inquit Præses, vt illi obedias, qui rerum habet imperium, & legem hanc seruandam iussit. Respondit Glyceria: Ego omnium rerum Imperatori Deo, & eius legi obedio, eamq; seruo. Tum Præses; Obtempera, inquit, & diis sacrifica. Illi autem Glyceria: Nolo sacrificium offerre, quod iubes, cùm inane illud sit; sed sacrificium offeram Deo meo, quod ipse in Spiritu sancto requirit, quodq; pater Abraham sacrificauit, cùm Isaac filium suum obtulit, & vero Deo gratus fuit, à quo beneficium accepit, vt esset pater multarum gentium. Fac, inquit Præses, ò mulier, quod dico, &

sacrifica, ne sic decepta graui, ac turpi morte pereas. At illa dixit: Christus nostri certaminis præfectus in spirituali stadio non solùm viros certantes, sed etiã mulieres ipsas contra diabolum patrem tuum præliantes splendidè coronat. Commune enim veritatis stadium iis, qui in eo currunt, propositum est. Iussit autem Præses ipsam in carcerem duci, neq; cibos ab aliquo ad eam ferri.

Abiit igitur illa valde læta, & diuinam gloriam celebrans in carcerem ingressa est. Custos autem ipse multo timore illam in carcere custodiebat, quæ Deum ita laudabat: Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, qui cognitus es à sanctis viris præcepta tua obseruantibus; qui sancto illi viro Petro Roma discedenti te ostendisti; qui & aduersarium tuum Simonem illum magum per eundem Petrum Apostolũ redarguisti; qui magno Dauid adiumento fuisti, & Goliath aduersarium ipsius sub eius pedibus conculcasti. Tu venerandus, & purissimus Deus exaudi me, & esto simul cum ancilla tua, eamq; eripe à prauissimo Præside.

Cùm tres dies præteriissent, dixit Præses Prætori, vt annulum ipsius caperet, & carcerem sigillo muniret, in quo maga illa fœmina seruabatur; sic enim eam vocabat. Prætor igitur abiit, & in carcerem ingressus Glyceriam ipsam inuenit diligenter custoditã, & Deum laudantem. Sigillo igitur claustris impresso, iussit & exteriora carceris loca custodiri. Cùm autem illa intus esset, & Deum laudaret, Angeli cibũ ei afferebant. Præses verò cùm post aliquot dies in vrbem Heracleam profecturus esset, carcerem visere voluit, vt si viuam Glyceriam inuenisset, eam post se duci iuberet. Cùm autem ad carcerem venisset, licet ianuam sigillo munitam, vt iusserat, videret, neq; ad eam quenquã ingressum fuisse certò sciret, patefactis tamen foribus, eam vinculis solutã vidit, & lancem ipsi appositam, in qua erant panis, atq; lac, & aqua in cratere. Itaq; stupore affectus illã eduxit, non intelligens, Deũ esse, qui eam nutriebat. Illa verò sic Deum precabatur: Domine Deus, qui veritatis cognitionẽ nos doces; qui populũ tuũ prouidentia maxima prosequeris; qui Danieli per Angelum cibos præbuisti, & ad sanctũ illum virum Eliã in fluuio Iordane prandium, ac cœnam misisti; qui errantes conuertis, & cæcos illuminas; tu, inquã, Deus, recordatus es & mei humilis ancillæ tuæ, & ex illis tuis thesauris, qui diripi non possunt, beneficentiam depromens, me humilem ancillam tuã adiuuisti. Hæc cùm dixisset, abiit in vrbem Heracleam, Dei gloriam laudans.

Cùm verò Præses ipse illic esset, in tẽplo Iouis immolabat. Christiani autem, qui erant in illa vrbe, audiuerunt de muliere, quæ propter Christi cõfessionem tam fortiter certauerat, omnesq; vnà cum venerando Episcopo Dometio ei obuiam venerunt tribus milliaribus longè ab vrbe. Tunc Episcopus ipse orationem hanc ad Deum misit: Christe lux, quæ nunquam extingueris, sol iustitiæ, lux eorum, qui sunt in tenebris, & errantium dux; qui Moysem duxisti, & Pharaonẽ in mare præcipitasti, tu, quæso, esto dux & seruæ tuæ Glyceriæ in confessione nominis tui. Hæc cùm dixisset Episcopus, sancta Christi martyr Glyceria in vrbem ingressa est. Postero autem die iussit Præses sanctã mulierem ad se duci, & si diis sacrificare noluisset, igne comburi. Ducta igitur illa est. Cui Præses dixit: Num, Glyceria, certum aliquid deliberasti? Tum illa: In lege scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum: et, Sit vester sermo, Non, Non: dixi enim tibi me Deo meo adiunctam esse, & diabolo, cui tu seruis, renunciasse. Quomodo igitur Christo adiũcta possum aliquando ab eo segregari, & pro vita mortem eligere? Fac igitur quicquid lubet; ego enim parata sum breuia ista, & caduca despicere, vt bona illa cœlestia consequar. Tunc Præses eam in fornacem ignis coniici iussit. Accensa igitur fornace, sãcta mulier Crucis r signo se ipsã muniuit, ac dixit: Domine

r Sancta mulier Crucis signo seipsam muniuit.

Deus omnipotens, benedico tibi, & nominis tui gloriam celebro, quoniam præsentem diem, atq; horam hanc mihi ancillæ tuæ in exultationem æternam concessisti. Scripsi, & pronunciaui cõfessionem tuam coram Angelis, & hominibus. Exple animæ meæ desiderium; & iniquo, atq; impio Præsidi ostende, quòd sis adiutor meus.

Hæc cùm dixisset, & in fornacem coniecta esset, repente ros è coelo demissus ignis flammam extinxit, & sancta mulier in fornace ipsa, velut pura quædam agna, stetit canens verba hæc: Sãctus es, Deus, qui diuinitate tua ad humilem ancillam tuam Glyceriam de coelo auxilium misisti, vt omnia tibi, & voluntati tuæ subiecta te cognoscerent. Huius flammæ radij horribilia iussa tua non ferentes aufugerunt; & nunc iniqui, atq; improbi Præsidis mentẽ cõburunt. Hæc cùm dixisset, exiit è fornace sine læsione aliqua. Tunc Iudex; Cuius'nam, inquit, auxilio confisa diis non sacrificas? Respondit Glyceria; Deo meo, & Christo ipsius obediens. Tum Præses: Ne verbis artificiosis amplius vtaris, & omnes decipias. Cui Glyceria; Non verbis, inquit, artificiosis, sed operibus bonis, ac sermonibus, fidem omnibus facio. Tum Præses iussit, capitis eius pellem à vertice vsq; ad frontem detrahi. Itaq; Satellites cùm manibus, ac pedibus mulierẽ vinctam tenerent, fecerunt id, quod à Præside iussi fuerant. Sancta verò Glyceria, dum pellis ei secaretur, ita Deũ orabat: Domine Deus, qui effulgentem lucem emittis, & iustitiam facis efflorescere, per hanc pellis meæ detractionem, scelesto Præsidi Sabino illud ostende, quòd quicunq; spem suã in te collocarunt, student per maximas quasq; ærumnas confessionis coronam à te percipere. Quamobrem gratias tibi ago, quòd per huius meæ carnis pellem detractam, omnia, quæ in me sunt, detexisti, vt lumine tuo illustrata, possim illud dicere: Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.

Cùm eius mulieris constantiam non ferret Præses (putabat enim sibi iniuriam ab ea fieri) iussit eam in carcerem duci, vt vsq; ad crastinum diem manibus, & pedibus vincta seruaretur, & super acutos lapides prosterneretur, quò super illos agitata ærumnosè, ac pessimè interiret. Fecerunt ministri, quod iussi fuerant, & ita eã disposuerũt. Media verò nocte Angelus Domini venit, & à vinculis Glyceriam dissoluit; & illam faciei speciem propter pellẽ detractam inhonestiorem factam ita curauit, vt talis esset facies ipsa, qualem Deus effecerat. Postridie verò manè Præses, cùm progressus esset, iussit ad se duci sanctam mulierem Glyceriam. Itaq; custos carceris, nomine Laodicius, cùm, patefactis foribus, eam solutam vidisset, neq; agnouisset, in desperationem venit, & se ipsum interficere voluit. Illa verò; Caue, inquit, istud facias, sed tibi ipsi parcas; ego enim sum illa, quam tu quæris. Tum custos tremens dixit; Miserere, quæso, mei, ne moriar. Credo in Deum illum, qui tibi opem tulit. At illa: Sequere igitur Christum, qui salutem affert. Tunc Laodicius Glyceriam eduxit, & eius vinculis ipse illigatus eam sequebatur. Id cùm Præses vidisset; Quid'nam, inquit, istud est, quod fecisti, Laodici? Vbi est mulier illa, quæ deuincta tibi commissa fuit? Tum Laodicius: En tribunali assistit, quæ proxima nocte diuino lumine illustrata insignem, ac splendidam faciei speciem per manum Angeli à Deo missi recepit, & ab eodem vinculis exoluta fuit. Eius autem vincula, cùm Dei miracula perspexerim, ipse accepi. Credo igitur id, quod ipsa credit, & eiusdem mortis volo fieri particeps.

Tum Præses, Feriatur, inquit, iste, & capite priuetur. Sine videamus, an illi Christus opem ferat. Ille verò cùm securi feriendus esset, hæc verba protulit; Tu Christianorum Deus, connumera me, quæso, cum serua tua Glyceria

Itaq; illa sic Deum orauit: Pater Domini nostri Iesu Christi, qui mortis dolorem dissoluisti, & captiuos liberasti, tu, quæso, libera seruum tuum Laodiciũ, & da, vt in Christi tui confessione perficiatur; & illum in pace ad te collige. His auditis, Laodicius addidit, Amen. Cùmq; hoc dixisset, securi percussus est, & eius corpus à Christianis sublatum fuit. Tum Præses ad Glyceriã conuersus, eam ita affatus est: Scis Glyceria, te patre natam, qui Romæ ter Cõsulatum gessit, & matre, quæ nihilominus quàm pater & ipsa nobilis est. Dic igitur: Quis nam est iste, qui tibi opẽ affert? Christus, inquit Glyceria, mundi saluator, & Deus totius consolationis, qui mihi prandium misit in carcerẽ, & à vinculis me liberauit, & faciei meæ honestam speciem restituit, is, inquam, est adiutor meus. Hæc cum audisset Præses, iussit ipsam feris obiici, & cum eis pugnare. Illa verò ad feras, quasi ad iucundissimas aliquas epulas, accessit.

Sedente igitur Præside, ingressa est Glyceria composito incessu, & hilari vultu, & stetit in medio stadio Christum adiutorem suum expectans. Cùm q; illa sic stetisset, ferarum Præfectus repagula sustulit, & Leæna ingẽti corpore fremens exiit, quæ ad Glyceriam accurrit, & ad eius pedes reuoluta est. Tunc illa cùm 2 oculos suos ad cœlum erexisset; Gratias, inquit, tibi ago, Deus omnipotens, Deus patrum, Deus misericordiarum, qui agrestes feras mansuetióres effecisti ad diuinitatis tuæ potentiam comprobandam; qui aspera, & difficilia, mihi lenia, & plana reddidisti; qui arida loca aquarũ multitudine cõpleuisti. Exaudi me, Deus, & redde maligno Præsidi consiliis ipsius cõgruentia. Da, quæso, mihi, vt quæ tibi grata sunt, ea faciam, & mandata tua obseruem, quò venerandam coronam cũ sanctis patribus assequar. Hæc cùm dixisset, vox è cœlo demissa est, quæ dixit: Exaudiui orationem tuam; veni cum pace; patefactæ sunt tibi fores Regni cœlorum. Tunc alia quædam Leæna in Glyceriam immissa fuit; quæ cùm egressa esset, ipsam momordit, neq; morsus vestigiũ aliquod reliquit. Itaq; sancta illa bellatrix Glyceria in veritatis cõfessione perfecta obiit Leænæ illius morsu tacta. Tunc ferarum Præfectus, atq; educator repagulũ sustulit, & feræ illæ tristes in stabulum suũ redierunt. Præses verò illa ipsa hora hydropicus effectus, & in platea omnibus rebus indigens, & aliis exemplo propositus, mortuus est.

2 Orat Sancta cum oculorũ eleuatiõe ad cœlum.

Cùm verò beata Glyceria martyrij confessione perfecta obiisset, eius corpus Dometius Episcopus accepit, & in loco quodam venerando prope vrbem reposuit. Cuius memoriam piè, ac religiosè agimus decimo die Mensis Maij Deum precantes, vt eius socij esse cum gloria mereamur. Martyrium autem obiit sancta Glyceria vnà cũ Laodicio, Antonino Imperatore, & Sabino Præside, in nobis autem regnante Domino nostro Iesu Christo; Cui gloria, vnà cum Patre, & Spiritu sancto in secula seculorum. Amen.

MARTYRIVM SANCTI ALTERIVS ALEXANDRI.

XIII. MAII.

QVO tempore impius Maximianus imperabat, persecutio multa contra Christianæ religionis sectatores per omnes regiones commota erat. Centurio autem quidam dæmonum amicissimus Maximiani Imperatoris iussu erexit templũ Ioui longè ab vrbe Roma stadio vno. Edixit igitur Maximianus Imperator, vt quicunque Christianam fidem sequebantur, diis ipsis sacrificare cogerentur; iussitq; omnes præsto esse in templi dedicatione, ac præcones ipsos per totam vrbem indicere, vt quicunque illic essent deorum studiosi, crastino die omnes in templi dedicatione cũ Imperatore conuenirent. Itaq; omnes, audita præconum voce, & tubæ ipsius clangore, parati erant vnà cum Imperatore in Iouis templo presto esse. Multi ergo, rebus omnibus omissis, templũ adierũt, & Ioui sacrificarũt. Quidã verò admodùm diues, Tyberianus nomine, sub imperio suo habẽs milites à Felice tribuno sibi cõmissos, omnes illos conuocauit, eisq; hæc dixit: Audite, fratres. Scitis vos omnes, quemadmodum Imperator præcepit, vt hodierno die in templo Iouis cuncti vnà cum ipso præsto simus. Parate igitur vos, vt mecum vnà in templum veniatis. Hæc cum militibus suis diceret, nunciatũ illis fuit Imperatorem in templum venisse. Tunc celeriter cum Tribuno ipso milites omnes properabant, vt Imperatori assisterent.

Vnus verò ex illorum numero, nomine Alexander, cùm à puero pietatem seruans Deum ipsum timeret, Tribuno respondit: Si ad Deum illum, qui verè Deus cœlestis est, nobis eundum esse dixisses, eumq; adorandum, rectè quidem locutus fuisses. Quos enim vos deos esse dicitis, dæmones illi sunt, non dij. Tum Tyberianus; Non omnibus, inquit, diis, sed vni deo Ioui nobis nũc sacrificandum esse dixi, licet sint alij, quos & Imperator, & nos colimus. Ad hæc Alexander; Iouem ipsum deum nominasti; at ille talis est, qualis & cæteri, qui dæmones sunt, valde fallaces, cùm eos à quibus coluntur, circunuenire, atq; omnino perdere soliti sint; quemadmodum & vos ipsi asseritis, illum ipsum Iouem aliquando mulierem appetiuisse, & cùm illam iuxta mare inuenisset, ipsam deceptam corrupisse. Quis vestrum vnquam vidit, aut aliquando audiuit, Deum impuris facinoribus labefactari? Non solùm igitur, vt dixi, dæmones, sed etiam fallaces illi sunt. At noster Deus corporeis oculis non cernitur, qui cœli, & terræ effector est; neq; iis indiget sacrificiis, quæ vos impuris dæmonibus offerre consueuistis, sed sacrificium postulat purum,

ac sine sanguine. Hæc cùm Tyberianus audiuisset; Omitte, inquit, insaniam istam, Alexander, & deos ipsos beneficiorum auctores ne contemnas, ne forte Imperator hæc audiat, & aduersus me indignetur, quòd te talia dicentem feram.

Hæc cùm dixisset, festinabat vnà cum Imperatore in templo esse; erat enim tempus, quo Imperator diis sacrificia offerret. Memor verò eorum verborũ, quæ à milite suo audiuerat, Maximianum adiit, & ita eum allocutus est: Milites omnes, Imperator, quos mihi maiestas tua commisit, tuo edicto inseruientes vidi; vnus verò è militibus non solùm mihi repugnauit, sed deos etiã ipsos contumeliosis verbis affecit, affirmãs deos illos, quos tu Imperator, & nos colimus, dæmones esse impurissimos; neque cogitat, eos, qui edictis imperii tui aduersantur, mea manu interfici. Hæc cùm Maximianus accepisset, militi, de quo hæc audiuerat, valde iratus fuit; &, Vbi'nam, inquit, ille est, de quo hæc dicis? Agè duc illum ad me, vt sciam quid ille sentiat. Tũ Maximiano Tyberianus; Ita edictum tuum, Imperator, & me ipsum miles ille ꝑ nihilo fecit, vt huc venire neglexerit. Illico Maximianus iussit tres milites abire, & illum ferreis cathenis vinctum ad se ducere. Beatus verò Alexander domi suæ in lecto requiescebat; erat autem hora quasi sexta. Tunc Angelus Domini in somnis illi apparuit, & ait: *Esto fortis, Alexander, quoniam multa passurus es pro nomine Christi Crucifixi; parata enim tibi sunt tormẽta multa. En veniunt ad te Imperatoris milites; sed ne timeas, neq; cor tuum expauescat; ego enim missus sum, vt tibi opem feram aduersus* omnia tormenta illa, quæ ab Imperatore afferenda sunt. Surge igitur, & Deum tuum ora; ego enim tecum ero quoad cursum confeceris. Hæc cùm beatus Alexander ab Angelo audiuisset, surrexit, & Deo psalmum illum cecinit: Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. Dicet Domino, Susceptor meus es tu, & refugium meum in die tribulationis meæ. Et quæ deinceps sequuntur. Cùmq; psalmum totum absoluisset, domo sua egressus, militibus illis occurrit, quos olim sodales habuerat. Qui cùm Alexandrum vidissent, præ timore in terram ceciderunt; erat enim eius aspectus, tanquam fulgur.

Tunc beatus Alexander dixit: *Surgite, fratres; quid'nam timidi estis?* Cui milites responderunt: Vidimus Dei potentia te circundatum, & præ timore in terram cecidimus. Ad hæc Alexander; Audite, inquit, fratres. Deus ille cœlestis prouidit seruo suo. Facite igitur vos, quod iussi estis in eum, contra quem missi fuistis; & me vinctum ducite. Tũ milites responderunt: Nos decreueramus nihil tibi dicere, quomodo igitur tu hæc ipsa cognouisti? Nõ necesse habeo, inquit Alexander, vobis multa loqui, quoniam propero ad certamen mihi propositum, quod cœlestis Imperator mihi præparauit. Ego enim ab vrbe Roma Byzantiũ vsq; iturus sum. Hæc cùm dixisset beatus Alexãder, *flexit* 1 genua, & has preces ad Deum misit: Domine Iesu Christe Deus patrum nostrorum, laudabilis, & benedictus es in secula. Nunc te precor, Domine, ne separes me à consortio iustorum tuorum, neq; me ad te venientẽ repellas, quoniam nomen tuum sanctum, & terribile mihi notum fecisti, quia tu es adiutor, & susceptor meus. Mitte, quæso, Domine, Angelum tuum, qui mihi opem ferat, & coram Maximiano Imperatore orationem expeditã linguæ meæ suppeditet. Has preces cùm Alexander compleuisset, milites in ipsum manus coniecerunt, eumq; vinctum ad Maximianum Imperatorem duxerũt. Mater autem ipsius Pœmenia eam rem ignorabat. Milites igitur festinabant quamprimùm ad Imperatoris tribunal Alexandrum ducere. Turbæ verò cùm eum vidissent, magnoperè obstupuerunt; erat enim ætate valde robustus

1 Orat Sãctus cum genuflexione.

annum agens quasi decimumoctauum, aspectu ita formoso, vt Angeli alicuius speciem præseferre videretur.

Cùm verò & aspexisset illum valde hilarem, furore magno perciti dixerūt; An non iste, qui talis est, multò ante debebat apud Imperatorem deferri? Hæc cùm beatus Alexander audiuisset, exardescens, & vultum, instar ignis, accensum habens, ad scelestos illos homines conuersus; Vos, inquit, de me Imperatori vestro nunciate. Maximianus igitur cùm audiuisset Alexandrum presto esse, Tyberianum accersiri iussit. Qui cùm venisset; En, inquit Imperator, adest ille, cuius causa milites misimus. Cùmq; hæc dixisset, iussit Alexandrum ante tribunal sisti. Tunc Maximianus; Verè'ne, Alexander, maiestatem meam contempsisti, qui ita stultè, atq; insolenter Tribunum vnà cum sociis tuis ad templum sequi noluisti, vt mecum simul magnum deum Iouem coleres? Ad hæc Alexander; Ego, inquit, Deum meum, qui in cœlis est, colo, & eius filium Iesum Christum, & Spiritum sanctum; alium enim ipse neq; noui, neq; confiteri possum, cùm nullus alius sit Deus, nisi quē ipse colo. Cùm igitur præter cœlestem hunc Deū alius non sit, ne me ampliùs de deo alio interroges. Quòd verò ad maiestatem tuam pertinet, ego neq; minas, neq; tormenta tua extimesco, quæcunq; à te mihi afferenda sunt.

His auditis, iratus Maximianus dixit: Et quid'nā potest facere Deus iste, quē tu dicis? Respōdit Alexāder, Deus me⁹ corporeis oculis nō videtur, sed omnia potest facere; neq; quicquā est, quod eius potentiæ subiectum non sit. At Maximianus; Est'ne Deus, qui ab hominibus in Cruce suffixus, atq; interfectus fuit? Obmutesce, satana, inquit Alexander; non enim dignus es, qui Cristū crucifixum nomines. Stulte, quem crucifixum, ac mortuum fuisse dixisti, an non eundem audiuisti à mortuis etiā resurrexisse, & multis, qui mortui fuerant, vitam restituisse? Ad hæc Maximianus: Miseret me iuuentutis tuæ, q; ætate admodùm iuuenili te esse video. Misereat te, inquit Alexander, conditionis tuæ, & resipiscens eripe te ipsum à laqueis diaboli. Tum Maximianus dixit: Accede miserrime, & Ioui deo sacrifica, ne morte pessima intereas. Te ipsum, inquit Alexander, miserrimum appella, qui dæmones impuros veneraris; ego enim neq; minas tuas, neq; tormenta, quæcunq; ipse allaturus es, extimesco, cùm verum Deum adiutorem habeam. Maximianus autem: Iam dixi, me tui misericordia commotum esse. Accede igitur & diis sacrifica. Idq; si feceris, scito te vnum ex eorum numero futurum, qui in palatio meo regali primas tenent. Et quis'nam, inquit Alexander, deus ille est, cui à me sacrificiū offerri vis? Cui Maximianus: Magno Deo Ioui sacrificium offeres. Tunc beatus Alexander, elatis 2 in cœlum manibus, ita Deum precatus est: Domine Iesu Christe, ne derelinquas me humilem seruum tuum, sed opem feras mihi peccatori & indigno. Cùmq; preces compleuisset, oculos ad cœlum erexit, & vidit cœlos apertos, & filium Dei sedentem ad Patris dexteram; ac tunc Maximianum rursus interrogauit: Cui'nam deo vis sacrificem? Ioui magno, inquit ille. Ad hæc Alexander: An ignoras, dæmonem, & fallacem istum esse, quem tu deum appellas, quoniam mulierem quandam concupiuit, & eius amore captus, tauri forma se induit, & præstigiis suis mulierem miseram decepit, ac fœdauit?

2 Elatis in cœlum manib⁹, Deum precatus est.

Hæc Maximianus cùm audiuisset, ridens ait: Hoc nostrorum deorum potentiam demonstrat, quòd hominibus tales se ostendunt, quales ipsi volunt. Propterea, inquit Alexander, laudas illorum turpia facinora, quia cum illis conuenis, neq; Deum illum cognouisti, qui te honore, & Imperio isto donauit. Tum Maximianus: Mihi quidem dij Imperium hoc largiti sunt. Cui Alexander: Tu quidem, inquit, veritatem odisti, ob idq; Deum non agnoscis; &

quamuis

quamuis prudēs videaris,te ipsū tamen pdidisti dæmonibus fidē habens. Iterum dixit Maximianus: Multum profectò me miseret tui,ob idq́; te sustineo, cùm me contemnas, & ita mecum loquaris, quasi tui similis ego sim. Propterea,inqt Alexander,te ipsū cōtemno,quod prudēs cùm appareas,stultus factus es,colens idola muta, & sensu carentia. Cùm enim immortalem Deū,& semper viuentem impiè dereliqueris, patrem tuum satanam diabolum secutus es. Relinque igitur tenebras, & ad lucem te conuerte, ne pereas,& in sempiternum ignem tradaris. Tum iratus Maximianus iussit ad se accersiri Tyberianum Tribunum. Cùmq́; Alexandrum eiecisset, tradens eum Tyberiano; En, inquit, hominem hunc potestati tuæ trado,quinetiam præcipio,vt ab vrbe Roma Byzantium vsq; diligenter inquiras de nostris diis, & de Iesu,qui dicitur, quem colit Alexander; cuius sectatoribus, quoscunq; inuenies, nolim parcas, neq; isti Alexandro, sed & ipsum, & omnes Christianos affligas, vtcunq́; tibi visum fuerit, vt omnes edicto meo aduersantes cognoscant manu mea se posse interfici. Tum beatus Alexander; Gratias ago tibi, Tyranne,q̄ me per multas regiones celebrem fieri iussisti. Per deos ipsos, inquit Maximianus, non effugies manus Tyberiani. Non enim ille tui miserebitur,quēadmodum ego misertus fui. Cui Alexander: De hac etiam re Deo meo gratias agam, si fortè dignus inueniar, qui vbiq; gentium pro Christi nomine labores, & ærumnas patiar.

Hæc cùm audiuisset Maximianus,iussit Alexandrum extra tribunal eiici; quem cum Tyberianus eiecisset, & potestati suæ traditum haberet,postero die sedens in tribunali iussit ipsum illuc duci. Cùm autem duceretur, risit,ac dixit: En vt rursus satanas se instruxit, & contra me armatus est. Postquā autē ille ingressus fuit, Tyberianus ita eum affatus est: Quid est ò Alexander? An adhuc in illa temeritate tua persistis? Fac quod dico; diis sacrifica, & te ipsū à tormentis libera. Respondit Alexander: Vidi ego sempiternam gloriā mihi præparatā; quare delectatus sum, & exultauit spiritus meus. Ad hæc Tyberianus: Si facies, quod iussit Imperator, & diis sacrificabis, tunc magis lætari, & exultare poteris. At si perges temere agere, illud tibi prædico per deos omnes, per omnes vrbes, ac regiones ossa tua à me dispergenda esse. Ego, inquit, Alexander, facio quod iubet Dominus meus cœlestis, neq; minas tuas timeo, neq; tormenta tua formido. Hæc cùm audisset Tyberianus, ira percitus iussit Alexandrum suspendi, & eius carnes laniari. Cùm verò laniaretur, vocem nullam emittebat; sed erigens oculos in cœlum, Deo ipsi gratias agebat. Quod cùm vidisset Tyberianus, iussit militibus Alexandrum è ligno depositum extra vrbem educere, grauibusq́; cathenis vinctum in Thraciam perducere.

Angelus autē Domini eius matri apparuit in somnis, & ait: Surge,Pœmenia; quamcelerrimè præpara pueros tuos, & iumenta, nihil molestiæ in animo habens, ac filium tuum sequere; martyrium enim pro Christi confessione illi obeundum est. Hoc igitur,vt dixi, tibi molestum non sit, neq; prius desistas,quàm ad locum ei propositum perueneris. Alexandri mater cùm hæc audiuisset ab Angelo,magnoperè lætata est,cùmq́; surrexisset, sicut dixit illi Angelus, iter faciens sequebatur filium. Quæ in vrbem ingressa,in quam perductus fuerat,illic eum inuenit, quo tempore à Tyberiano Præside interrogabatur. Cùm igitur optima illa fœmina eum vidisset,missa voce magna; Deus, inquit, ille altissimus pastor bonus, cui tu credidisti, adiutor tibi sit,fili mi. Postquam verò Tyberianus fœminæ illius vocem audisset, quæsiuit, quænam esset vox illa; neq; quisquam ex illa turba, quæ multa illic assistebat, potuit dicere, vnde'nam ea vox aduenerat. Tum Alexandro dixit Tyberianus: Agè,

miser, diis sacrifica. Sacrifico, inquit Alexander, sacrificium laudis cœlesti Deo meo. Ad hæc Iudex: An non dixisti mihi, Alexander, vestrum illum Deum sacrificiis non egere? Talibus, inquit ille, sacrificiis, qualia vos offertis, Deus meus non eget; sed sacrificium iustitiæ, ac sanctitatis requirit, quoniã Deus noster sanctus est. Tunc iussit Tyberianus faces accensas eius maxillis admoueri dicens: Videamus, an veniat Deus ipsius, & liberet eum de manibus meis. Itaq; ministri satanæ fecerunt quod iussi fuerant, & faces accẽsas Alexandro admouerunt. Ille verò, elatis in cœlũ oculis, hæc dicebat: Gloria tibi sit, Domine Iesu Christe, qui Archangelũ Michaëlẽ in Babylonẽ misisti, & tres illos pueros ab ignis fornace liberasti. Tu, Domine, libera me ab hora hac, & præsenti angustia, & Tyrannum hunc subiice potestati tuæ, vt & ego cũ Dauide illud dicam: Transiuimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. At cùm Tyberianus vidisset, ignem ipsum nullam vim habere contra Alexandrum, erubuit, & seruis suis præcepit, vt eum vinculis astrictum ducerent; quibus & dixit: Interim præite vos; ego verò sequar. Mater autẽ Alexandri cùm filium à Iudicis conspectu abductum vidisset, rogauit milites, vt eam sinerent filiũ adire, atq; alloqui. Cùm igitur illa prope accessisset, & Alexander matrem vidisset; Benè, inquit, mater domina mea, huc venisti; sequere me vsq; ad eum locũ, qui propositus mihi est, quemadmodùm Christus Dominus hoc mihi reuelauit. Quidam verò è militum numero cùm hæc viderent, dicebant: Tu quidem, Alexander, beatus es, quoniam magna est fides tua; magnus enim Deus est Christianorũ. En vt multa tormẽta passus pro nomine ipsius, nihil mali accepisti. Hæc dicentes iter faciebant, vt à Tyberiano iussi fuerant. Cùm verò ad fontem venissent, & apud illum consedissent, cœperunt vnà cibum sumere; & beatum Alexandrum hortabantur, vt ipse quoq; id faceret; erant enim dies quadraginta, quibus vir ille beatissimus neq; panẽ, neq; aquam gustauerat. Tunc Christi athleta, flexis in terram genibus, cœpit psalmum illum canere: Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum, & terram. Domine Iesu Christe, serua me ouem tuam sine peccati labe, ne gaudeat inimicus meus super me, quoniam cognoui nomen tuum sanctũ, & terribile. Ne me confundas ante Tyrannum hunc, sed emitte Angelum tuum, & dexterã tuam, & esto adiutor, & protector meus. Cùmq; preces compleuisset, illa ipsa hora astitit Angelus Domini, eiq; dixit: Ne timeas, Alexander, quoniam exaudiuit Dominus preces tuas, & me misit, vt tibi opem feram.

Cùm verò ij, qui cum illo erant, Angeli cum eo loquentis vocem audirent, & neminem viderent, valde timuerunt, & in terram prostrati sunt. Tum Alexander: Quid'nam, inquit, fratres, vidistis, quod vos in terrã prostrauerit? Illi autem responderunt: Audiuimus Dei vocem tecũ loquentis, & timore perculsi sumus, talẽ sonum non ferentes. Hæc cùm illi dicerent, venit Tyberianus cum satellitibus suis. Erant autem cũ illo & eius vrbis optimates. Quæsiuit Tyberianus à ministris suis, quo nomine locus ille appellaretur. Responderunt illi, Iudicij locum appellari. Ducite, inquit Tyberianus, huc Alexandrum, qui Christianum se esse dicit, vt interrogem, quod'nam sit eius consiliũ, si fortè, mutata sententia, diis velit sacrificium offerre. Cùm igitur Iudex ipse pro tribunali sederet, astiterunt quatuor consiliarij. Tunc beatum Alexandrum interrogauit: Adhuc'ne in temeritate illa tua praua, & insania persistis, neq; diis sacrificas? Sed, vt video, corpus tuum robustum est, propterea non vis sacrificia diis offerre. Me certè miseret tui, ob id'q; ad deos ipsos omnium dominos te conuertere vellem. Tum Alexander respondit: Impie, & excæcate fili satanæ, cùm te ipsum diabolo tradideris, quomodo te miseret mei?

Satanas enim pater tuus nemini misericordem se præbet; sed vult omnes secū vnà in gehennam ignis attrahere, ac perdere. Ita'ne, inquit Tyberianus, homo scelestisſime, mecum loqueris, quasi ego sim tui similis? An propterea contumeliosis verbis me afficis, ꝙ te benignitate, & misericordia ꝓsecutus fuerim? Id quidem te hortari debebat, vt me honore potiùs, quàm contumelia prosequereris. Tum Alexander: Verè similis es patri tuo satanæ, qui tanquam silex aliqua durisſima omni planè sensu cares. An ignoras locum hunc Iudicium appellari? Quæ res manifestè significat tibi Dei iudicium imminere. Veniet enim, qui iudicaturus est viuos, & mortuos, & vnicuiꝗ operum mercedē redditurus. Tum cognoscere poteris, an hæc quæ tibi dixi, vera sint. Nam Deus ipse te quoq; iudicabit, ꝙ sine misericordia seruum ipsius iudices. Ille enim videt, quàm impiè mecum agas, & quibus tormentis me crucies. Sed hæc mihi gloriam, tibi verò perniciem maximam afferent.

His auditis, Tyberianus magnoperè iratus est, iusſitꝗ; tribulos in terrā spargi, & Alexandrū super illos sterni, ac distrahi. Has ærūnas cùm vir ille beatisſimus pateretur, ne vocem quidē emittebat. Tyberianus verò cùm animaduerteret, Alexandrū eos cruciatus non sentire, magis iratus fraxineis virgis eū cædi iusſit. At ille cùm à militibus cæderetur; Ista'ne, inquit, homo impurisſime, tormenta tua sunt? Adde alia, si qua habes his acerbiora; ego enim diuina ope adiutus nihil istorum tormentorum sentio, cùm Dominus meus Iesus Christus præsto mihi sit, & opem ferat. Habes igitur corpus meum in potestate tua; fac illi quod libet; animæ autem meæ, neq; tu, neq; pater tuus satanas vnquam dominabitur, sed Dominus meus Iesus Christus. Ad hæc Tyberianus; Iam iam te in ignem coniiciam, vt videam, an veniat Christus iste tuus, quem dicis, & te è manibus meis eripiat; illud enim velim scias, carnes tuas, & ossa per singulas regiones, per quas ego transiturus sum, disſipatū iri; &, ne mulieres ipsæ aliquid è carnibus tuis, & ossibus inueniant, quod postea vnguentis odoratisſimis perfundant, & vt sanctas aliquas reliquias venerētur, iubebo cineres tuos in fluuium proiici; sicꝗ; ne vestigium quidē aliquod memoriæ tuæ supererit. Tunc Alexander; Perdet, inquit, te Christus ipse, & carnes, & ossa tua sub cœlo ita disperget, vt monumentū tuū quamprimùm dispereat; futurum enim est, vt, Domino meo Iesu Christo ita prouidente, non redeas, neq; Imperatoris tui scelesti aspectum videas; & delebit Deus memoriā tuam de terra, quoniam eum non cognouisti, neq; miser illum honorasti, qui honorem, & potestatem istam tibi largitus est. Nam si ipsum cognouisses, in cœlo viuere potuisses. At nunc viuentem Deum reliquisti, & patrem tuū satanam diligis, cum quo in gehennam ignis detrusus peribis. Ego autem semper Domino meo, & Saluatori Iesu Christo benedicam, qui me ex manibus tuis iniquis eripiet, quoniam ipsius est gloria, & imperium in secula.

Hæc cùm Tyberianus accepisset, furore magno percitus vultum mutauit, & iusſit ministros suos eo in loco manere, & cœnam parare. Cubuit autem illic ipse cum toto satellitio suo; Alexandrum verò milites ipsi sub arbore quadā collocatum seruabant. Cùm autem Tyberianus cubaret, astitit illi Angelus Domini valde terribilis, qui gladium tenens; Tyberiane, inquit, aduersum te ego veni, quoniam cum Alexandro Dei seruo tam iniquè te geris, vt videas, ac scias, quàm facilè hoc gladio te interficere posſim. Surge igitur, & per Illyricam regionem Byzantium quamcelerrimè propera; tempus enim Alexandri Deo seruientis iam prope est. Cùm Tyberianus rem ita terribilem vidisset, ita tremore correptus fuit, vt eius carnes ferè liquefierent. Cùm igitur totus tremens surrexisset, cohortibus suis, & principibus viris conuocatis visum illud narrauit. Tum illi dixerunt: Volebamus quidem nos te admonere, ne

malè, atque iniuste Dei seruū cruciares, sed timebamus; audiuimus enim & nos magnum esse Christianorum Deum, & eos, qui eius seruos cruciant, igne consumendos esse. His auditis, Tyberianus valde timuit, & illa ipsa noctis hora omnes iter facere, & beatum Alexandrum præire iussit. Cùm verò multas vrbes prætergressus fuisset, in nullam introiuit, vt seruaret quod ab Angelo per visum audiuerat, à quo admonitus fuerat, vt per Illyricam regionem quāprimùm Byzantiū properaret. Per multos igitur dies non ausus est à beato Alexandro aliquid quærere; cuius corpus nulla ex parte debilitatū fuerat, sed integrum, & robustum erat.

Præteriens igitur per Illyricam regionem, venit in vrbem Sardiniam, in qua neque ipse, neque Iudex ingressus est. Cùm verò eius ciuitatis optimates eū aduentare audiuissent, obuiam illi cum multo comitatu processerunt. Christiani etiam homines, qui illic erant, cùm audiuissent Tyberianum venire, martyrē quendam secum habentem, egressi ex vrbe Alexandrum seorsum in via stantē inuenerūt. Quem cùm vidissent, ad eius pedes se abiicientes dixerūt: Precare Deū pro nobis, serue Dei altissimi. At ille; Vos etiā, inquit, fratres, pro me Deū precemini, vt cursum meum in Christo perficiam, & coronam, quam promisit mihi Dominus, ab eo recipiam. Postea verò quàm vrbē transierunt, quæ Clisura nominatur, & ad castrum quoddam, Bonamasium nomine, aduenerunt, quod est supra Philippi vrbem ferè milliaribus quadraginta, illic constiterunt. Tunc Tyberianus Alexandri memor fuit, & illum ad tribunal duci iussit; quē sic interrogauit: Num, Alexander, adhuc permanes in temeritate tua, neque vis ab ea desistere, & ad magnos deos, ac misericordes accedere, Iouem, inquam, & Aesculapium, qui omnem terrarum orbem gubernant? Tum beatus Alexander; Excæcate, inquit, & stulte fili satanæ, adhuc'ne vis à me aliud audire, quàm quòd dæmonibus non sacrifico? Ego enim initio dixi, me Christianum esse, & Dei cœlestis cultum seruare, neque impuros dæmones vobis similes à me coli. Ad hæc Tyberianus; Auertat Deus, vt ego id faciam; non enim præcipio, vt dæmones, sed Iouem, & Aesculapium, summos illos deos colas. Obmutesce, satana, inquit Alexander; nihil enim sapis. Tum Tyberianus dixit: Si diis sacrificium vis offerre, quamprimùm dicas; sin minus, cur me, & deos ipsos, scelestе, conuiciaris? Vide, Alexāder, quid agas, & te misereat tui; rursus enim per deos omnes futurum tibi, prædico, vt per omnes terras de te sermo diuulgetur. Hoc, inquit, Alexander, valde cupio, & precibus à Christo meo exposco, vt omnes, qui terrarum orbem incolunt, ad Deum, & Christum Dominum per me humilem, & abiectum eius seruum gloriam referant. Tūc ait Tyberianus: Auferte hinc hominem istum, & à conspectu meo remouete; non enim eius contumelias ferre possum. Abducite ipsum in vrbem Philippi, & coniicite in carcerem; ego enim vos sequar. Itaque cùm beatum Alexandrum Tyberianus præmisisset, ipse quoque in Philippi vrbem profectus est.

Cùm verò eius vrbis incolæ audiuissent, Tyberianū cum suis cohortibus aduentare, optimates multo cum comitatu obuiam illi prodierunt; qui in vrbem illam ingressus est Ioui, & Aesculapio sacrificium oblaturus. Audierunt & Christiani, qui erant in vrbe illa, quemadmodum Tyberianus Martyrē quendam in carcerem misisset. Itaque omnes in eum carcerem conuenerunt, & custodem illius precati sunt, vt sineret illos ad Christi Martyrem introire, & eum videre. Id permisit custos, quippe qui & ipse Deum timebat. Cùm igitur omnes ingressi beatum Martyrem in ligno sedentem, & vinculis astrictum vidissent, ad eius pedes se deiecerunt, eumque, & ipsius vincula exosculabātur, ac dicebant; Verè faustus, & felix nobis fuit aduentus tuus, serue Dei; vrbem enim, & patriam nostram hoc ipso felicem futuram scimus. Patientiam igitur

serua,

serua, vt cursum tuum conficias. Nos autem Christiani multo metu, ac tremore hanc terram incolimus. Nam huius loci Præses singulis diebus nos Christianos inquirit, vt puniat; sed ille quidem nobis minatur, at potestatem tamen nullam habet, qua nos detinere possit, quominùs Christiani simus; multi enim, diuina ope adiuuante, in hac vrbe sumus, qui Christi fidem tenemus, ex quorum numero sunt & vrbis huius optimates. Iidem speramus Christi potētia Græcos ipsos malè de fide Christiana sentientes ita superatum iri, vt omnes fiant Christiani. Esto igitur patiens Christi martyr, & quicunq; ab impio Iudice cruciatus afferentur, eos forti animo perferas.

Interea Tyberianus recordatus fuit suo iussu Alexandrum fuisse missum in carcerem. Itaq; ciuitatis illius optimatibus dixit: Scire debetis vos, Christianum hominem ab Imperatore ex vrbe Roma fuisse mihi traditum, quem per totam viam admonerem, atq; hortarer, vt ad deorum religionem se conuerteret. Verùm nihil adhuc in eo profeci; dura enim quædam respondens, & me, & deos ipsos contemnit; cùm'q; multis cruciatibus eum subiecerim, nihil illis læsus est. Si placet igitur, vobis præsentibus, huc illum accersiri iubebo: fortasse multos reueritus ad deos ipsos beneficiorum auctores se conuertet. Alexandrum igitur eductum è carcere illuc accersiri, & ante tribunal sisti iussit. Cùm igitur eò ductus esset, Tyberianus cum ciuitatis Præside Alexandrum sic interrogauit: Agè, Alexander, an adhuc persuasum non habes, vt à priore sententia discedas? Cùmq; Christiani homines, qui in hac vrbe sunt, omnes diis sacrificent, tu'ne solus nobis repugnas, & deos contemnis? Agè saltem nunc mecum vnà, & cùm Præside templum ingredere, & diis sacrifica. Tum beatus Alexander; Excæcatæ mentis homo, fili satanæ tecum vnà sedentis, quid à me vis ampliùs audire? Sæpissimè tibi dixi, me Christianum esse, & dæmonibus impuris non sacrificare. Nunc igitur his omnibus audientibus profiteor, me cœlestis Dei cultorem esse, neq; Domini mei Iesu Christi nomen à me negari. Scito nihil præterea te à me auditurum. Hæc cùm Tyberianus vnà cum Præside audiuisset, iussit Alexandrum illinc amoueri dicens; Abducite istum, milites, & vinctum per plateam ducite; ego enim vos sequar. Cùm verò milites vnà cum illo ad fluuium quendam venissent, cui nomen est Sermius, beatus Alexander manus, & faciem lauit, & ad orientem solem conuersus, his verbis Deum precatus est: Domine Iesu Christe, laudo gloriosum, & sanctissimum nomen tuum, quòd mihi dedisti, vt & in vrbe Philippi nominis tui confessionem seruarem.

His dictis, milites eum abduxerunt; cùm'q; ad locum quendam venissent, vbi emporium erat, quod Castrametatio dicebatur, eos Tyberianus consecutus est; qui cùm Alexandrum vocasset, ei ita dixit: Scis, Alexander, crebrò te fuisse à meipso admonitum, neq; tamen diis sacrificium offerre voluisse? Rursus, inquit Alexander, fili satanæ, vis à me audire, quòd non sacrifico? Sepius dixi me Christianum esse. Tum Tyberianus ira percitus, iussit Alexandrum ad quatuor palos alligatum, & extensum à quatuor militibus ducentis verberibus pulsari. Hos cruciatus cùm sanctissimus ille Martyr fortiter sustineret, vocem nullam emittebat, sed oculos in cœlum ad suum Dominum Iesum Christum erectos tenebat. Tum vox hæc audita est è cœlo demissa: Esto bono animo, Alexander, neq; tormenta ista timeas, breuia enim sunt; ego'q; tecum sum. Hac voce audita, Tyberianus valde timuit, iussit'q; carnifices ab Alexandro abstinere. Abduxerunt igitur illum milites. Postea verò ad castrum quoddam, cui nomen est Carasura, quod quadraginta milliaribus ab vrbe Philippi, & decem & octo distabat à Berœa, Alexander, & Tyberianus peruenerunt. Cùmq; Tyberianus illuc ingressus esset, in castro

illo diuersatus est hora ferè sexta. Milites verò sanctum martyrem Alexandrum secum habentes, vnà cum ipso prope castrum aliud ad locum arboribus consitum diuerterunt.

Tum martyr Alexander dixit militibus: Eamus, fratres, ad arbores illas. Cùm enim eum locum vidisset, valde oblectatus est. Itaq; cum eò venissent; Verè, inquit, fratres, ego sitio. Illi verò: Et vnde'nam hîc aquam habebimus? Expectate paulisper, fratres, inquit Alexander; potest enim Deus meus etiam hoc in loco nobis aquam suppeditare. Cùm'q; hæc dixisset, flexis 3 genibus, ita Deum orauit: Domine Iesu Christe, qui lapidem in solitudine olim discidisti, & aquam ex illo eduxisti, ne populus tuus Israël siti deficeret, nunc tu misericors respice seruum tuum, & hoc in loco aquam præbe, vt ego seruus tuus bibam, & nomini tuo gloriam reddam. His dictis, statim tellus, quæ infra arbores illas erat, aperta est, & gelidissima, ac purissima quædam aqua erupit, vnde & Alexander, & milites, qui cum illo erant, biberunt. Id cùm vidissent milites, quod tam mirabiliter sanctus martyr fecerat, mirati sunt, & inter se dicebant: Verè magnus est Deus Christianorum, quoniam sic seruos suos exaudit. Tunc Tyberianus sedens pro tribunali, iussit beatum Alexandrum illuc duci; quem interrogans; Agè, inquit, dic Alexander: Facis'ne quod iubet Imperator, an non? Respondit ille: Ego cœlestis Imperatoris mei edicto parere volo, neq; te aliquid esse puto, neq; Imperatorem tuum mortalem, & caducum hominem. Hoc responsum cùm Præses ab eo accepisset, non amplius illic eum interrogare voluit; sed conuocatis militibus; Celeriter, inquit, istum comprehendite, & in vrbem Berœam abducite. Cœperunt igitur illum milites, & ad fluuium quendam venerunt, cui nomen erat Arzon. Cùm autem essent fessi de via, se ipsos apud flumen illud refrigerabant. Illic quoq; beatus Alexander manus, & faciē lauit. Cùm'q; arbores quasdā celsiores vidisset; Venite, inquit, fratres, & parumper sub arboribus illis quiescamus. Cùm igitur illic milites cum Alexandro sederent, venit Tyberianus, qui cùm eos ita sedentes vidisset; Cur, inquit, scelestissimi serui, hominem istum sedere permittitis?

3 Orat Sāctus, flexis genibus, & aquā à Deo impetrat.

Postea verò quàm in Berœam vrbem Tyberianus ingressus est, eius ciuitatis optimates illum acceperunt. Quamuis enim pleriq; ipsorum Christi fidem seruarent, Imperatoris tamen metu eam rem dissimulabant. Qui autem Christianam fidem profitebantur, audientes Christi martyrem Alexandrum illuc venire, magno gaudio affecti illum acceperunt, quem & ita salutarunt: Felix, & faustus est aduentus tuus in vrbem, & patriam nostram, serue Dei Alexander; tuo enim aduentu omnes res nostræ feliciores factæ sunt. Esto igitur fortis pro nomine Domini nostri Iesu Christi, neq; quicquam dubites. Cùm adhuc illi verba facerent, iussit Tyberianus Alexandrum ante tribunal sisti. Quem cum prope se haberet; Agè, inquit, Alexander, mihi obtempera, tanquam patri tuo, & mecum veniens diis sacrificium offeras; id enim si facies, audientibus his omnibus, tibi polliceor, te statim absoluendum esse; ac, si ex illa ipsa hora mecum esse volueris, eris vt vnus ex iis, qui principem locū in exercitu ipso tenent; at si mecum esse tibi non placuerit, liceat ire quocunq; libet. Hæc cùm beatus Alexander audiuisset, ridens dixit: O' acerbam, & tristem consolationem, qua in me vsus es. Verba ista tua acerbitatis plena sunt; ista enim admonitio maiorem cruciatum animæ meæ affert. Sed auertat hoc Deus, vt ego consiliū tuum sequar. Sæpissimè tibi dixi me Christianum esse, & impuris dæmonibus non sacrificare. Illud igitur scito, me nihil aliud, nisi quod audiuisti, posthac dicturū. Tunc Tyberianus egressus ab vrbe præcepit militibus, vt Alexandrum vinctum per viam publicam ducerent,

& ipsum Tribunum Martyr sequeretur.

Cùm igitur Tyberianus ad fluminis, quē supra diximus, vadū alterū venisset, qui locus quadraginta ferè milliaribus distabat à Beroea vrbe, vbi & hospitia multa erant, illic Martyrem expectabat. Postea verò quàm Alexander martyr eò venit, vbi erat Tyberianus, eum rogauit, vt tempus sibi concederet, quo Deum orare posset. Cùm'q; illic vidisset magnam arborem nucem, ad illam accessit, sub qua, flexis genibus, sic Deum orauit: Domine Iesu Christe, mitte Angelum tuum, & accipe animam meam, quoniam nihil ampliùs ferre possum. Cùm verò Tyberianus Alexandrum precantem vidisset; Rursus, inquit, magicas preces iste aggreditur. Miror ego valde, vnde'nam iste has prudentes orationes didicit; scio enim manibus meis illum educatum, & militem creatum fuisse; neq; vnquam noui, quòd ille hæc sciret. Hoc igitur est, quod valde miror, vnde'nam hæc didicerit. Illum igitur ad se vocauit, & his verbis affatus est: Agè iam, Alexander, diis sacrifica. Ad hæc ille: Verè mens tua tenebris perfusa est, qui cogis me denuo tibi dicere, quod sæpissimè dicentem me audiuisti. Hæc vbi audiuit Tyberianus, iussit oleum calidissimum fieri, & supra illius terga effundi. Angelus autem Domini venit, & vas, in quo oleum inerat, confregit, & oleum ipsum in ministros Tyberiani effudit. Id verò cùm ille vidisset, furore accensus, ac ministros increpans; Ita'ne, inquit, nihil potuistis isti facere? neq; quicquam Alexander passus est? Tunc vestibus eum cædi iubens aiebat: Sacrifica diis, Alexander. Ad hæc ille: Obmutesce, satana, qui veritatis es inimicus, & patris tui diaboli amicus. Hæc Præses audiens, iratus illi est, & dentibus frendens iussit, facie in terram versa, prosterni sub nuce illa, & à quatuor carnificibus verberari. Cùm ille autem verberaretur, vocem nullam emittebat. Tunc videns Tyberianus, quòd nihil proficeret, iussit milites desinere. Alexander verò cùm surrexisset, has preces ad Deum fudit: Domine Deus, benedicas, quæso, arbori huic, quoniam sub eius ramis nomen sanctum tuum confessus fui. Hæc vbi Alexander dixisset, Christianorum hominum multitudo, quæ vsq; ad arborem, quam diximus, comitata eum fuerat, salutato illo, in regiones suas reuersi sunt.

Milites autem cùm sanctum martyrem apprehendissent, abierunt per viam illam, per quam à Præside iussi fuerunt: Præses verò sequebatur, cateruā secum habens; cum'q; milites illos vnà cum beato martyre consecutus esset, simul in locum quendam venerunt, Bortiam nomine. Quæsiuit autem Præses ab eius loci hominibus, qua'nam via compendiosiùs ad Europolitarum prouinciam peruenire possent. Illi responderunt, compendiosius iter futurum, si transeuntes per montes in campum quendam descenderent, in eum locū, qui dicebatur Burtodexion. Cùm enim Tyberianus multos Christianos in vrbe Adrianopoli esse audiuisset, deflexit de via publica, ne in vrbem illā ingrederetur. Cùm igitur eam vrbem à dextera, & castrum à finistra reliquisset, transiit per mōtes illos, sicut ab eius loci hominibus didicerat, & venit in Burtodexion. Cùm verò beatus martyr Alexāder illuc venisset, matrē suā inuenit. Quæ, viso filio, ad eius pedes se deiecit, & flere cœpit. Postea verò surrexit, & filiū osculata est. Tū beatus Alexāder illi dixit: Noli, mater mea, flere; spero enim futurū, vt Domini mei Iesu Christi ope adiutus cra stino die cursū meū perficiā. Māsit autē Tyberianus apud castrum illud, & octaua noctis hora illinc discessit, & milites suos sequi iussit, Alexandrum vinctum ducentes.

Orto autē sole venit ad fluuiū quendā, apud quē erat hospitiū. Fluuiū autē illum eius loci homines Zioncellum vocari dixerunt. Illic beatum Alexandrum Tyberianus ad se accersiuit, eiq; dixit: Agè, Alexander, audi me, deos'q; ipsos confitere. Tum Alexander; Vanissime, inquit, homo, & pa-

tri tuo satanæ addicte, rursus me interrogas, & deos vocas, qui non sunt? Ad hæc Tyberianus; Multos cruciatus tibi adhibui, neq; quicquam adhuc profeci, & ab vrbe, & patria mea peregrinatus sum, neq; adhuc assequi potui, vt te ad deos conuerterem. Nunc igitur scito, hodierno die rerum tuarum finem futurum. Id'q; cùm dixisset, ad eum locum properabat, in quo Christi martyr certamen suum confecturus erat. Celeriter igitur ad locum peruenit, qui Drizipera vocabatur. Sedit verò in sublimi quodam loco vltra fluuium Erginam ad orientem solem conuersus. Cùm'q; Alexandrum accersiuisset; En, inquit, finis tuus hodierno die præsto est. Iubeo corpus tuum in fluuium proiici, vt feræ illæ,quæ sunt in aquis, carnes tuas consumant. Gratias, inquit Alexander, tibi agam, Tyranne, si verè facies quod dixisti, vt eripiat me Dominus de manibus tuis iniquis. His auditis, sententiam aduersus illum Tyberianus pronunciauit. Cùm'q; quatuor militibus eum securi feriendum tradidisset, illos dimisit, & illinc abiit.

Milites igitur illum apprehenderunt, & ad dexteram partem eius viæ ad Boream vergentem festinabant, vt facerent quod iussi fuerant. Beatus verò Alexander cùm huc, atq; illuc circunspexisset, & turbas, quæ ad eius spectaculum conuenerant, vidisset, petiit à carnifice, vt Dei orandi facultatem ei præberet; id'q; cum carnifex concessisset, aquam petiit. Tunc vnus ex iis, qui ad spectaculum venerant, vase quodam aquam è fluuio Ergina celeriter ad beatum Alexandrum attulit. Ille verò manus, & faciem lauit, ac totum 4 corpus Cruce ter signauit, & ad Orientem conuersus; Gloria, inquit, tibi sit, Deus patrum nostrorum, Abraham, Isaac, & Iacob, quem omnia contremiscunt, & adorant, cœli, & terræ opificem, & totius cœlestis potentiæ effectorem. Te quoq; vniuersarum rerum Deum corporeis oculis non spectabilem, incorruptum, & inuiolatum Seraphini magno cum timore adorant, qui non audentes erectis oculis te intueri clamant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, plena est omnis terra gloria tua. Sol ipse per ætherem quadrigam suam ducens, tibi benedicit. Terra, & homines, qui in terris sunt, iumenta, & omnis spiritus tibi gloriam canunt, qui solus es in omnia secula Pater, Filius,& Spiritus sanctus. Recordare, Domine, illorum, qui te metuentes tibi grati sunt, & sanctum nomen tuum decantant. Ne despicias me, Domine benignissime, seruum tuum peccatorem, & indignum. His dictis, se ad eam turbam, quæ illuc venerat, conuertit, ac dixit: Admoneo vos, fratres, & patres, Dei'q; mei nomine vos hortor, vt labores meos recordemini, quos pati non recusaui, neq; enim piger fui pro nomine Domini nostri Iesu Christi, vt propitius fiat peccatis meis, & genti nostræ, quoniam misericors est, & clementissimus ipse Dominus Iesus Christus. Scitis enim, fratres, quantum iter fecerim cum impio, & iniquo Tyberiano,qui per totã viam nunquam mihi parcens, multos cruciatus in me intulit. Sed hæc omnia sustinui propter nomen Domini nostri Iesu Christi, vt cursum meum perficerẽ, & Tyrannum contra me bellum gerentem, & diabolum concertantem superarem; ipse enim fuit adiutor Tyberiani.

4 Totũ corpus Cruce ter signauit.

Cùm'q; hæc turbis dixisset, ad carnificem conuersus; Mane, inquit, frater, parumper, vt adhuc Deum orem; ac, flexis genibus, ita Deum precatus est: Domine Iesu Christe exaudi seruum tuũ,qui nominis tui causa laborauit, & da gratiam corpori meo, vt quo loco illud repositum fuerit,illic signa, prodigia, & curationes ad tui nominis gloriam ædantur. Statim autem vox hæc è cœlis demissa est: Quæcunq; petiisti, dilecte, & perfecte martyr Alexander, omnia faciã, neq; quicquã denegabo. Iam verò veni, & cum patribus tuis requiesce; paratum enim est tibi Regnum cœlorum, teq; Michaël

Archangelus

Archangelus excipiet, coronam recepturum, quam concupiuisti. Hac voce audita, beatus Martyr, surrexit è terra, & milites hortatus; Citò, inquit, fratres, facite quod iussi estis. Cœlestinus autem quidam (sic enim appellabatur vnus ex iis, qui illic stabant) ei dixit: Ego sum, Martyr Christi, cui negocium hoc impositum est; sed precare Deum pro me, ne mihi peccato ea res sit. Tunc beatus Alexander; Agè, inquit, fili, fac quod iussus es; peccatum enim non est; facere, quod iussus fueris. Hoc cùm ille dixisset, gladium eduxit Cœlestinus; & linteo sumpto, oculos beati Alexandri contexit. Cùm verò illum percutere voluisset, Angelum assistentem vidit, neq; ampliùs ausus est manus in ipsum inferre. Tum beatus Alexander; Agè, frater, fac quod iussus es. At carnifex; Timeo, inquit, serue Dei; Video enim viros quosdam terribiles circa te stantes. Tum beatus Alexander Deum ita precatus est: Domine Iesu Christe da, vt hac hora martyrium complere possim. His precibus ad Deum missis, Angeli parumper ab ipso recesserunt. Itaq; Carnifex Alexandri caput gladio abscidit; eiusq; beati viri animam Angeli ad cœlum sustulerunt, Deum ipsum magna voce laudantes, turbis omnibus, quæ illic erant, audientibus. Itaq; beatus Alexander martyrium compleuit in Patris, Filij, & Spiritus sancti nomine,

Eius autem mater cùm properans ad eum locum venisset, qui Zorolus dicebatur, quærens à militibus Tyberianis; Vbinam, inquit, est filius meus? Tum illi vnus è militibus respondit: Sententia hodie filio tuo decreta est in loco quodam, qui appellatur Drizipera; distat autem hinc locus ille (vt opinor) ferè decem & octo milliaribus. Cùm igitur mater rem ita se habere didicisset, publicam viam ingressa venit in eum locum, qui Drizipera nominabatur. Dum verò iter faceret, ac lamentaretur, &, tanquam bos aliqua proprium vitulum quærens, ingemisceret, occurrit militibus. Illi enim cùm sancti Martyris caput abscidissent, eius corpus in fluuium proiecerant. Diuina verò prouidentia factum est, vt quatuor canes in fluuium illum venirent, & sancti martyris corpus inuentum è fluuio extraherent, suisq; linguis illud lambentes, ac prope sedentes custodirent. Vt autem beati Alexandri mater duobus milliaribus prope locum illum venisset, in quo Martyris corpus situm erat, duo illi canes accurrentes, ipsi obuiam venerunt, & vterq; vnus à dextera parte, alter à sinistra mulierem ipsam ad eius filium rectà deduxerunt. Illa verò sancti martyris corpus accepit, & vnguentis multis, ac pretiosis linteis inuolutum deposuit in monumento quodam insigni vltra fluuium Erginam, occidentem solem versus, quemadmodum Spiritui sancto visum fuit. Postea verò quàm Spiritum sanctum adiutorem habens omnia, quæ cupiebat, expleuit, Domini nostri Iesu Christi præstante gratia, Angeli multi vnà cùm ea psalmos canebant.

Magna verò quædam § miracula beatus martyr Alexander ædens, adiuuat eos, qui vexantur, & his, qui diuturnis morbis affliguntur, curationem affert, Christi ope auxiliante, cuius ipse particeps factus est. Martyrium autem compleuit sanctus Alexander xiij die mensis Maij, sub Tyberiano illo homine valde impio, imperante Maximiano iniquo, & impio Tyranno, in nobis autem regnante Domino nostro Iesu Christo Saluatore; Cui gloria, & imperium in secula seculorum. Amen.

§ Beatus Martyr, Christi ope miracula magna ædit, & curationes affert in suæ sactitatis testimonium.

Apparuit autem sanctus Alexander, completis rebus omnibus, matri suæ, eiq; dixit: Benè, mater, laborasti, & per totam viam defatigata es, vt proprium filium sequereris. Det tibi Dominus meus Iesus Christus in Regno suo, vt mecum vnà mercedem habeas. Ne igitur mœrore afficiaris; sed pueros

tuos tecum habens, cum pace redeas in locum tuum; spero enim à Domino meo Iesu Christo, me impetraturum esse, vt citò te quoque assumat in eum locum, in quo ego sum. Hæc cùm beata illa Pœmenia audiuisset, & Dei gloriam celebrans ipsi gratias egisset, vnà cum pueris suis læta reuersa est, persuasum illud habens, quòd beatum Alexandrum Domino nostro Iesu Christo magnum donum obtulisset. Magna igitur 6 gratia eo in loco inest, vbi repositæ sunt sancti, & gloriosi Martyris præciosæ reliquiæ, in gloriam, & laudem Christi Dei nostri, quoniam ipsi gloria est in secula seculorum. Amen.

6 Nota, Magna gratia in eo loco inest, vbi repositæ sunt sācti, & gloriosi martyris pretiosæ reliquiæ.

ALOYSIUS LIPOMANUS EPISCOPUS VERONENSIS CANDIDO LECTORI.

ARBITROR, te, optime lector, pro certo habiturum, aliam esse Pelagiam, cuius vita iã præmissa est, & aliam, quam deinceps duabus orationibus diuinus pater Ioannes Chrysostomus suaui suo eloquio ornaturus est. Prior enim Pelagia in iudicium coram Diocletiano Imperatore, matre infideli prodente, adducta est, ac boue æneo incenso combusta. Secunda verò hæc Antiochena virgo, Christiana matre orta, in iudicium non est adducta, nec igne absumpta, sed se ex alto præcipitem dedit, atq; ex eo consummata est. Ex quo etiam admoneris, tertiam illam pelagiam Antiochenam, cuius vitam in proximè præcedenti Tomo legisti, quæ prius meretrix, mox ad Dominum conuersa singulare cunctis peccatoribus pœnitentiæ præbuit exemplum, aliam omnino ab his duabus esse, quæ Virgines extitisse leguntur, licet vna ex eis etiam Antiochena fuerit. At est aliud, quòd hîc te admoneamus. Chrysostomus ipse hanc alteram Pelagiam, quæ se ex tecto præcipitauit, ne in illusorum manus incideret, martyrem vocat, eiusq; diem festum Antiochiæ celebrari asserit. Cui diuus Ambrosius Mediolanensis Antistes haud dissimilis, libro ij Epistolarum, Epistola v i j ad Simplicianum scripta, Virginem hanc summoperè commendat, sanctamq; nuncupat. Idemq; lib. i i j de Virginibus, quæstionem mouens, quid super eorum meritis existimandum sit, qui se præcipitauerunt ex alto, vel in fluuium demerserunt, ne in persecutorum inciderent manus, cùm scriptura diuina vim sibi Christianum prohibeat inferre, hoc tandem modo eam soluit. Et quidem de virginibus in necessitate custodiæ constitutis, enodem habemus assertionem, cùm martyrij extet exemplum. Præcipuè sanctam hanc Pelagiam virginem Antiochenam, quæ sese præcipitauit, sororesq; eius duas cum matre, quæ & ipsæ in vndas semetipsas dederunt, adducit in mediũ, easq; ad martyrium omnes properasse commemorat. Quòd si alterius fortè sententiæ esse tibi videatur diuus Augustinus Hypponensis Episcopus libro 1 de Ciuitate Dei, cap. x v i i j, hoc te non contristet. Idem enim pater libro eodem cap. x x v j te consolatur; De his, inquiens, nihil temere audeo iudicare. Vtrum enim Ecclesiæ aliquibus fidedignis testificationibus, vt earum memo-

riam sic honoret, diuina persuaserit authoritas, nescio; & fieri potest, vt ita sit. Quid si enim hoc fecerũt, nõ humanitus deceptæ, sed diuinitus iussæ, nec errãtes, sed obediẽtes, sicut de Sãpsone aliud nobis fas non est credere? Hæc ille. Cùm igitur Spiritus sancti instinctu Virgines seipsas aliquãdo interemerint, ne in persecutorum manus venirent, & idcircò dignis testibus Ecclesiæ sanctæ fuerit diuina authoritate reuelatum, earum memoriam esse celebrãdam, id quod omnino factum in sancta Pelagia credere debeamus, præsertim cùm duo hi sanctissimi, paritérque doctissimi viri, Chrysostomus, inquam, & Ambrosius, Virginem hanc inter Martyres collocent, eiúsque martyrium in catholica Ecclesia veneratione celeberrima frequentetur, vides, de sanctæ huius virginis innocentia, atque felici consummatione non esse nobis vltra relictum ambigendi locum. Lege ergo Chrysostomi duas has Pelagiæ laudem continentes elegantissimas orationes. Videbis in sancta Virgine præclarum fidei testimonium, egregiam animi fortitudinem, inuiolabiléque seruandæ virginitatis Christo semel promissæ propositum. Vtinam autem & nos, & Christianæ omnes Virgines tantæ fidei proficiamus exemplo. Vale.

SANCTI PATRIS NOSTRI IOANNIS EPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI COGNOMENTO CHRYSOSTOMI LAVDATIO IN SANCTAM VIRGINEM, ET MARTYREM PELAGIAM ANTIOCHENAM.

IX. IVNII.

LAVDETVR, & summis præconijs celebretur Deus, quòd mulieres etiam ipsæ, quinetiam puellæ mortem contemnant, ac derideant, Virginesq; admodùm adolescentes, & nuptiarum expertes, vltro inferorum stimulos inuadant, neq; ob id tamen aliquid graue patiantur. Omnia hæc bona per Christũ ipsum è Virgine genitum nobis allata sunt, quandoquidem post partum illum, & ortum maximè admirabilem mortis vires dissolutæ sunt, & diaboli potentia ita eneruata est, vt non à viris solùm, sed ab ipsis etiam mulieribus cõtemnatur, neq; mulieribus tantùm, sed vel ipsis puellis ludibrio sit. Quemadmodum enim optimus aliquis pastor, cùm leonem pecora ipsa, & gregem totum vastantem cœperit, & ipsius dentes euulserit, atq; vngues secuerit, iubamq; totonderit, talem reddit, quem vel pastorum pueri contemnant, ac derideant, puellisq; deinceps illudendum tradit; ita & Christus ipse, cùm mortem naturæ nostræ antea horribilem, & totum genus humanum perterrefacientem expugnauerit, & omnem eius timorem dissoluerit, eam Virginibus etiã ipsis illudendam tradidit.

Quamobrem & beata virgo Pelagia tanta cum voluptate ad mortem cucurrit, vt neq; carnificum manus expectarit, neq; in iudicium ingressa fuerit, sed proprij animi studio, & summa alacritate illorum sæuitiam anteuerterit. Parata erat ad cruciatus, tormentaq;, & omne suppliciorum genus perferendũ; sed metuebat tamen ne virginitatis coronam perderet. Hinc autem discas impiorum hominum intemperantiam Pelagiæ virgini timorem attulisse, quòd ab intemperata illorum hominũ iniuriæ virgo se submouit, ac præripuit. Id quoq;

è marium numero nemo antea facere aggressus fuit; omnes enim ad iudicia accesserant, & illic fortitudinem suam ostenderant. At mulieres ipsæ propter naturæ suæ conditionem ad iniuriam accipiendam paratiorem, talem mortis rationem sibi excogitarunt. Nam si licuisset, & virginitatem ad finem vsque seruare, & martyrij coronam percipere, ad iudicium ire non recusassent. Quoniam verò necesse erat omnino ab alterutro excidere, extremæ dementiæ hoc esse beata virgo cogitauit, dimidiatæ coronæ compotē factā abire, cùm vtriusq; victoriæ palmam assequi liceret; ob id'q; noluit in iudicium accedere, ac intemperantiū hominum aspectui spectaculū proponi, atq; procacibus oculis sui aspectus voluptatem præbere, & sanctum illud corpus iniuriæ subiicere; sed ex thalamo, & mulierum conclaui ad alterum thalamum, hoc est in cœlum ipsum ascendit.

Magnum quidem est carnifices ipsos circunstantes, & hominis alicuius latera fodientes videre, sed nihilo minus, quàm illud, hoc est. Quorum enim latera fodiuntur, eorum sensus præ tormentorum varietate consumitur, vt mors ipsa non ampliùs terribilis, sed liberatio quædam, & vrgentium malorum remissio videatur. Pelagia verò cùm nihil tale adhuc passa esset, & corpus integrum, atq; intactum haberet, neq; dolorem aliquem sentiret, forti quadam excelsi animi magnitudine certè illi opus fuit, vt ex hac vita morte violenta se ipsam eiiceret. Quamobrem cùm illorum tolerantiam admiraris, huius etiā, quam diximus, fortitudinem admirare; cùm illorum patientiam obstupescis, & huius generosam mentem obstupescas, quòd talem mortem subire ausa fuerit. Nolim rem hanc simpliciter prætereas, sed cogita, quomodo par est teneram illam virginem, quæ nihil aliud nouerat, nisi virginalem aulam, illo tempore affectam fuisse, cùm milites repente irruentes, & ad fores ipsas stantes vidit, qui ad iudicium illam vocabant, & per forum pro talibus, tantis'q; rebus pertrahere volebant. Non pater intus erat, non mater, non nutrix, non ancilla, non deniq; vicinus aliquis, aut amicus præsto erat; sed sola à carnificibus illis cōprehensa est. Quòd enim exire, & carnificibus illis, ac militibus respondere, quòd os erigere, & vocem emittere, quòd eos aspicere, quòd deniq; consistere, & respirare potuerit, hoc certe tale, ac tantum est, vt nemo possit non illud admirari, atq; obstupescere. Non erant hæc naturæ humanæ facta; sed Dei maiorem partem conferentis auxilio id fiebat. At ipsa tamen ociosa non erat, sed à se ipsa promptum, & generosum animum, voluntatem, propositum, studium, & alacritatem afferebat. Diuina igitur ope, ac beneuolentia factum est, vt hæc omnia ad euentum perlata sint. Itaq; ipsam & admirari, & beatam dicere meritò debemus, beatam, quòd Dei præsidium, atq; opem habuerit, admirabilem, quòd tantam animi alacritatem ostenderit.

Quis enim non iure obstupescat audiens illam temporis momēto tale propositum iniisse, confirmasse, & ad exitum contulisse? Scitis enim omnes vos, quemadmodum post multa sæpè, ac multo tempore cogitata, cùm occasio ipsa rei conatum à nobis exigit, si vel paululum timoris mentem nostram corripuerit, formidine repente perculsi cōsilia omnia effundimus. At verò illa momento temporis consilium ita horribile, ac formidolosum inire, decernere, & re ipsa perficere potuit. Non præsentium virorum terror, non temporis celeritas, non sua ipsius, cui tot insidiæ paratæ fuerant, solitudo, non quia intra domum sola comprehensa fuerat, non aliæ deniq; res beatā illam virginem perturbarunt; sed ita securo, & præsenti animo omnia faciebat, vt si amici, & noti aliqui homines illic præsto essent; id'q; iure optimo; non enim erat intus sola, sed consiliarium habebat Iesum ipsum. Ille Virgini præsto erat, ille ipsius mentem, & cor excitabat, ille animum confirmabat, solus, inquā, ille metum

omnem eiiciebat. Hæc autem non simpliciter Iesus faciebat, sed quoniã martyr ipsa illius auxilio se dignam antea [1] præbuerat.

E domo igitur egressa, petiit à militibus, vt sibi liceret redire intro, & vestẽ mutare. Ingressa verò intro vestem mutauit, incorruptam pro corrupta, & pro fragili, & caduca, stabilem, ac sempiternam. Ego verò præter ea, quæ dicta sunt, & illud miror, quomodo milites illi gratiam, quam Pelagia virgo petierat, concesserunt; quomodo mulier viros decepit; quomodo nihil eorũ, quæ futura erant, illi suspicati sunt; quomodo eius dolum non animaduerterunt. Neq; enim est, quòd aliquis dicat, neminem vnquam tale quippiam fecisse. Multæ enim fortasse se præcipitarunt, & in mare se ipsas iniecerunt, pectusq́; suum gladio traiecerunt, & laqueis colla inseruerunt; nam multa huiusmodi temporibus illis acciderant. Sed Deus ipse militũ illorum corda excæcauit, vt virginis Pelagiæ dolum non animaduerterent. Quamobrem è mediis retibus virgo auolauit; & sicut cerua, cùm euadit venatorũ manus, in quas inciderat, ad alicuius montis verticem venatorum pedibus, & telorum iactibus inaccessum statim confugit, ac deinde à cursu destitit, è loco illo sine timore aliquo eos despiciens, à quibus antea insidiæ parabantur; ita & virgo illa cùm in ipsas venatorum manus incidisset, & parietibus ipsis, velut quibusdam retibus, comprehensa esset, cucurrit non in montis verticem, sed in ipsum cœli fastigium, quò nulla erat ipsis accedendi facultas; deinde illinc vacuis manibus eos reuertentes aspiciens, gaudebat, cùm infideles homines redargutos, & multo rubore aspersos videret.

Cogita quale illud fuit, sedente iudice, astantibus carnificibus, paratis tormentis, vniuersa multitudine collecta, cùm milites ipsi expectarentur, qui Pelagiam adducerent, omnesq́; præ voluptate gestirent, & tanquã ebrij essent, prædam in manibus se habere sperantes, tunc illos ipsos, qui eius rei causa missi fuerant, vultu in terram demisso redeuntes videre, factumq́; illud narrantes audire. Quantum dedecus, quantum mœrorem, ac probrum omnibus impiis illis tunc fuisse par est? Qua tristitia, quo vultu, & rubore perfusos milites illos rediisse credimus, qui re ipsa didicerant, se non cum hominibus, sed cum Deo bellum gerere? Ioseph quo tempore à domina sua insidiis petebatur, vestem impuris, ac scelestis barbaræ mulieris manibus detentam reliquit, & nudus exiit. Pelagia verò neq; corpus suum ab intemperatis illis hominibus tangi passa est, sed cùm [2] anima ipsa corpore denudata in cœlum ascendisset, & sanctam suam carnem apud hostes reliquisset, ita dubios, & perplexos aduersarios reddidit, vt nescirent, quid facerent; neq; enim habebant quid reliquiis illis deinceps facerent. Talia sunt perfecta Dei opera rerum desperationem ad multam facilitatem, sibiq́; aduersantium res, quæ videntur facillimæ, ad extremam desperationem transferentis.

Quid difficultate illa maius, in quam puella tunc inciderat? Quid facilitate illarum rerum, quas milites tunc tractabant, planius videri poterat? Habebant puellam intus solam comprehensam, domo ipsa velut carcere quodam conclusam, & tamen redierunt prædam non assecuti. Contra puella ipsa cùm omnibus auxiliis, atq; adiutoribus deserta esset, neq; vllam euadendi viam haberet, sed prope illarum ferarum manus se positam videret, ex ipsis faucibus, vt aliquis diceret, abrepta, omnium insidias diffugit, & milites, ac iudices, principesq́; illos superauit, idq́; eo tempore, quo omnes se illius victores futuros sperabant.

Postea verò quàm puella ipsa mortua est, tunc in maiorem desperationem inciderunt, vt discerent Martyrum mortem, Martyrum esse victoriam. Hoc perinde fuit, ac si, vndarum impetu ad ipsum portus aditum irruente, nauigiũ

[1] Gratia Dei datur illis, q ea se dignos præstãt. Nec tamen ob id grã dari dicitur ex meritis, vel ex naturæ nr̃æ viribus acquiri.

[2] Cùm anima ipsa corpore denudata in cœlũ ascendisset.

merce copiosa, & margaritis pretiosis refertum, cùm iam iam ab illa ipsa fluctuatione submergendum esse videretur, periculum mox diffugiens, ab ipso aquarum impetu impulsum quamcelerrimè ad portum transmissum esset. Sic militum illorum inuasio, ac terror, cùm omnibus vndis formidolosior incidisset, fecit, vt multò celeriùs puella festinaret ad cœlum ascendere; quæq; nauim ipsam submersura videbatur, vnda illa saluam ad tranquillum portum transmisit; ac deinde corpus illud omni fulgore splendidius ex alto deferebatur diabolum id videntem feriens. Non enim ita fulgur è cœlis demissũ, nobis terribile videri solet, vt Martyris 3 corpus fulgure grauius dæmonum turmas tunc perterrefecit.

3 Nota Sãctæ mortuæ corpus dæmonum turmas perterrefacere.

Sed vt discas non sine diuina prouidentia id factum fuisse, hoc præcipuè licet apertè intelligere ex ipsius Virginis proposito, & prompto animo; quòd'q; milites illi Virginis dolum non considerarint, sed quòd illa petierat, libenter concesserint; quòd deniq; ad exitum res ipsa perducta sit. Licet etiam nihilominùs & ex ipsa mortis ratione hoc intelligere. Multi enim è sublimi tecto deiecti nihil mali passi sunt; alij verò, quibus corporis membra læsa, & mutilata fuerint, post casũ ipsum multo tempore superfuerunt. At in illa beata virgine nihil tale Deus ipse fieri permisit, sed statim iussit animam corpus relinquere, eam'q; ipse accepit, quippe quæ quantum satis fuit, certauerat, & rem omnem impleuerat; non enim mors illa eiusmodi casus naturam, sed Dei iussionem consecuta est.

Iacebat igitur corpus illud non in lecto aliquo, sed in solo. Nec propterea tamen honoris expers erat, quia in solo ipso iacebat, sed solum ipsum ex eo fuit honoratum, quòd corpus illud tam gloriosum excepit, quinimmò quia in terra iacebat, eo ipso corpus illud erat honoratius. Huiusmodi enim sunt iniuriæ, quæ propter Christum accipiuntur, vt honoris cumulum nobis afferant. Iacebat igitur in solo ipso, & angusto quodam loco; sed Angeli Pelagiæ corpus circundabant, & Archangeli omnes honorabant, Christus deniq; ipse præsẽs erat; nam si domini mortuos seruos aliquos nobiliores ad sepulturam deducunt, neq; id erubescunt, multò magis Christus ipse Virginem, quæ eius causa libenter animam emiserat, & tantum periculum susceperat, præsentia sua honorare non recusauit. Iacebat itaq; illa, & epitaphium habebat martyrium, quod susceperat, confessionis ornatu decorata, & veste omni regali purpura pretiosiore induta. Erat autem vestis illa duplex, vna virginitatis, altera martyrij. His funebribus donis ornata Virgo hæc ad tribunal Christi assistit.

Talem habitum & nos viuentes, ac mortui nobis ipsis parare studeamus, illud scientes, quòd qui auratis vestibus corpus suum exornauerit, nullam ex ea re mortuo homini vtilitatem attulerit, quinetiam multorum inuidiam, & reprehensionem excitauerit, quippe qui neq; in morte ambitiosus, & falsæ gloriæ appetens esse desierit. At si virtute se ornarit, multos etiam post mortem sui laudatores habebit. Etenim ipsis etiam regalibus aulis apud omnes homines splendidius erit sepulchrum illud, vbi corpus iacuerit, quod cum virtute, ac pietate vixerit. Huius rei vos ipsi testes estis, qui diuitum monumẽta, quamuis aureis vestibus contecta, tanquam speluncas quasdam, prætereuntes ad sanctam hanc virginem multo cum studio, & animi alacritate accurritis, quoniã cùm martyrio, confessione, & virginitate, multæ & aureæ vestis loco, funus suum ornarit, hinc postea discessit. Hanc igitur pro viribus & nos imitemur. Contempsit illa vitam hanc, contemnamus & nos delicias, irrideamus sumptuosos apparatus, abstineamus à crapula, & ebrietate, fugiamus voracitatē.

Non temere hæc nunc dico, sed quoniam multos video, postquam concio

hæc

hæc dimissa fuerit, ad ebrietatem, ad caupones, & mensas illas, quæ sunt in hospitiis publicis, & ad alia inhonesta opera statim reuersuros. Quamobrem precor vos, & hortor, vt semper sanctam hanc virginẽ in memoria,& mente habeatis, neq; concionem hanc celebrem dedecoretis, non deniq; fiduciã nostram ex hoc die 4 festo ad nos proficiscentem imminuatis. Etenim non temere cum Græcis differentes huius diei festi celebritate gloriamur,eamq́; obiicientes erubescere illos facimus, cùm dicimus, quemadmodum vrbem integram, ac totam, tantumq́; populum puella vna mortua singulis annis ad se attrahit, idq́; post tam multos annos, neq; tempus vllum honoris huius seriem interrupit. Verùm si senserint, quæ in hac celebritate committuntur, maiore laudationum parte priuati erimus. Hæc enim multitudo, quæ nunc præsens est, si benè ordinata ad nos accedere posthac studuerit,ea res maximo nobis erit ornamento; at si cum segnitie, & negligentia multa hîc aderit, probrũ, & accusationem nobis ea res afferet.

4 Dies festus sãctæ Pelagiæ.

Vt igitur vestra multitudine, charissimi auditores, nos exultare possimus, eodem recto ordine domum reuertamini, quo par est eos redire, qui cum talibus martyribus versati fuerint. Nam si quis non ita domum redierit, non solùm nihil profecerit, verùm etiam periculum maximum sibi attraxerit. Scio vos hoc morbo non laborare,sed non satis hoc vobis est ad excusationẽ,nisi & fratres ipsos inhonestè se gerentes ad modestiam maximam, & ad conuenientem, & compositum statum redigatis. Honorasti Martyrem præsentia tua, eandem illam & proximorum tuorum emendatione honora. Si enim videris inordinatum risum, atq; inhonestum cursum, & illiberalem incessum, indecentemq́; habitum, & figuram, accede,& illos ipsos, qui talia committunt, acerbo,& terribili vultu intuere. At contemnent illi,& irridebunt potiùs. Sume tecum duos, vel tres fratres, vel plures, vt qui hæc facit, multitudine ipsa præsente,correctus modestior fiat. Quòd si neq; sic illorum amentiam represseris, eos ipsos ad sacerdotes deferas. Sed vix fieri potest, vt ad eam impudentiam illi deuenerint, vt si reprehensi,ac rogati fuerint, non cedant, verecundentur, & ab inordinata, & ludicra chorea se retrahant. Quòd si decem, si tres, si duos,si vnum tantùm lucrifeceris,multam vtilitatem tibi comparaueris.

At multa est viæ longitudo. Longitudinem hanc ad eos, quos supra diximus, colligendos sponte subeamus. Multo thuris vapore viam implemus. Honestum quidem hoc est. Verùm non tantùm via ipsa honesta apparuerit, si, vaporis, atq; odorum instrumentis per illam totam dispositis, aërem ipsum odoris suauitate perfuderis, quantùm si omnes, qui hodie per illã ipsam viam incedunt,Martyris certamina inter se narrantes domum redeant, linguas ipsas singuli pro vaporis instrumento exercentes. An non videtis cùm Imperator in vrbem ingreditur, quàm compositè, atq; ordinatè milites ipsi ordine vtrinq; disposito armati incedunt, vicissim se hortãtes,vt quieto, & sedato, ac reuerenti gradu procedant, quò iis, qui eos spectant, compositi, & spectatu digni videantur? Illos igitur imitemur, nam & nos Imperatorem deducimus non corporeum aliquem, aut terrenum, sed Angelorum Dominum. Atq; ita ingrediamur, nos mutuò hortantes ad concinnè, atq; ordinatè progrediendũ, vt non multitudine solùm, verùm etiam ordine ipso spectatoribus stuporẽ afferamus. Maximè quidem. Quamuis enim nemo præsens esset,quamuis soli per viam incederemus, neque sic tamen immodestos nos esse oporteret, diuinos illos oculos metuentes, qui semper patent, & vbiq; præsentes sunt,omniaq́; intuentur.

Nunc verò etiam illud considerate, multos hæreticos hîc esse inter nos

commistos, qui si vos ita saltantes, ridentes, vociferantes, & ebrios viderint, summè nos condemnantes discedent. Quòd si aliquis vni alicui homini scandalum afferens, ineuitabiles pœnas dabit, nos, qui tam multis scandalū afferimus, quas pœnas daturos putas? Sed ꝓhibeat illud Deus, vt post hos sermones, & hāc admonitionē aliqs iis vitiis obnoxius inueniatur. Nā si antehac, qui huiusmodi facinora committere audebant, venia digni nō erant, post consilium, atq; increpationem hanc pœna ipsa multò grauior erit, & ineuitabilior tam iis, qui hæc faciunt, quàm qui fieri vident, & contemnunt. Vt igitur & illos pœna liberetis, & vobis copiosiorem mercedem cōparare possitis, fratrum nostrorum curam suscipite, ad ea, quæ dicta sunt, colligenda, atque enarranda eos impellite, vt per totam viam hæc meditantes, & iis, qui domi remanserunt, mensæ huius reliquias afferentes, illustre conuiuium etiā illic habeatis. Ita enim & huius diei 5 festi gustum maximum percipiemus, & sanctam martyrem ad maiorem beneuolentiam prouocabimus, vero honore illam prosequentes; quæ maiorem etiam voluptatem capiet, si fructum aliquem, & vtilitatem animas iuuantem adepti redierimus, quàm si huc venerimus, & postea tumultuati simus.

5 Ita hui' diei festi gustum maximū ꝑcipiemus.

Faxit Deus huius sanctæ Virginis, & eorum, qui similiter certauerunt, orationibus, ac 6 precibus, & vt hæc, & alia, quæ dicta sunt, diligenter memoria teneatis, & vt ad opus ipsum omnia conferentes, in omnibus ad finem vsque Deo ipsi grati simus; Cui gloria sit, & imperium, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

6 Ecce quomodo Sancti ꝓ nobis orant.

BEATI IOANNIS CHRYSOSTOMI POSTERIOR LAVDATIO IN EANDEM SANCTAM VIRGINEM, ET MARTYREM PELAGIAM ANTIOCHENAM.

MAIORE quidem theatro sancta virgo Pelagia digna esset; magna enim huius puellæ certamina extiterunt, ob idq; copiosiorem theatri frequentiam requirunt. At satis illi tamen est Christus, qui solus pro omni ornamento huius Virginis panegyrim, ac celebritatem præsens exornat. Quo enim loco Christus adest, illic omnium Angelorum chorus præsto est. Et omnes quidem martyres sua corpora cruciatibus fortiora præstiterunt, ob idq; magnum quoddam theatrum aduersus diabolum sibi parauerunt, cùm incorporeos spiritus corpore ipso superauerint,& carnem suam cum ferro contendentem fortiter exhibuerint. Cùm verò etiam puellas ipsas video pro Christo crucifixo mori gestientes,tunc diaboli temeritatem magis rideo, qui cùm permulta vaticinandi loca sibi excogitauerit, quasi res futuras in illis ipsis prænunciaturus esset, non illud præuiderit, ac vaticinatus sit, quantum dedecus quouis risu dignum hodierno die passurus esset.

Quid enim magis ridendum aliquis duceret, quàm quod hodie passus est diabolus? Qui licet Virginem irretitam haberet,à præda tamen ipsa excidit, & puellam, quam apprehendit, tenere non potuit, quasi vmbram, non virginem apprehendisset. Nam cùm illa simplicitatem columbæ cum serpentis prudentia coniunctam haberet, vt columba quidem simplex comprehensa est, sed vt prudens serpens diffugit; quamuis enim esset comprehensa, de victoria tamen non desperauit; neq; animo, aut consilio capta fuit, licet corpore detenta esset, sed artem quandam, atque consilium excogitauit, quo eorum, à quibus comprehensa fuerat, temeritatem eluderet, & eos,tanquam stupidos redderet.

Sed quid'nam hoc fuit? Se consilium mutasse puella simulauit; idq; vt credibile videretur,quamuis in tantæ fluctuationis,& naufragij periculo cōstituta esset,vultu tamen ipso hilaritatem præseferebat. Figmento igitur illo milites capti,& puellæ hilaritate decepti,humaniùs in illam se gerere cœperunt. Quæ cū ab ipsis petijsset,vt tandiu liceret abesse,quoad ornatū sponsæ conuenient

sibi indueret, eundi potestatē milites ei concesserūt, quippe qui ea re nō solùm illi virgini gratum facturi essent, sed futurum etiam cogitabant, vt à Iudice ipso magis laudarentur, si puellam veste ornatam duxissent. Illa verò consilij sui compos facta statim se veste induit, quæ verè decora est. Cùm enim animi fortitudine, & resurrectionis spe multa se induisset, atq; corroborasset, ad ipsius tecti fastigium cucurrit, & illinc se ipsam præcipitē dedit. Itaq; palæstræ genus illud exegit, quod, vt magnum quippiam, aliquando diabolus Domino ipsi proponere ausus fuerat, cùm dixit: Si filius Dei es, mitte te deorsum.

Huius puellæ fidem, & animi magnitudinem valde obstupesco. Quid enim tunc alia virgo secum ipsa non cogitasset? Dixisset quidem: Do me ipsam ex hoc loco præcipitem, cùm id facere eo ipso coacta sim, q̄ stuprum metuo. Laudabile est propositum, modò casum ipsum mors consequatur, quamuis enim in me mortuam hostes debacchati fuerint, id tamē ego non sentiam, me'q; insciente, hoc faciēt. At si in terram collisa, corporis membra perfracta fuerint, anima verò in membris permanserit, corporis turpitudinem molestè ferens, ac dolens, tunc nihilominus ad Iudicē ducta ea patiar, quæ semper timui; tradent enim stupro corpus ipsum membris læsum, ac me violatam dimittent; sic'q; duplicē ferā calamitatē, tum corporeis membris læsa, tum virginitate spoliata. Hæc satis quidem fuissent, vt aliam puellam perturbarent. At illa fide ipsa ita confisa est, quasi finis ipsius sponsorem aliquem haberet; ob id'q; prompto animo ad eum casum festinauit.

Itaq; puellæ, & Virginis fortitudine, atq; animo illo victus es, diabole. Quæ enim Domino ipsi olim proposuisti, ad ea puella quædam eius famula te prouocauit, & ad tecti fastigium accurrens, illinc se ipsam iaculata est; cùm'q; à Iudice vocata esset, tibi, qui hoc suggesisti, non obtemperauit, neq; subdolam pugnam subiit; nouit enim versutas cogitationes tuas, cùm sæpè virgines ipsas ad Iudices, tanquam ad flagella excipiēda, vocare soleas, postea verò sine pugna iis, qui pugnam subierunt, acerbiùs detentas eiicis. At si verè ad pugnam, vel ad stadia puellam prouocas, congredere nunc cum illa è tecto se deiiciēte, eam'q; illinc decidentem sustine. Audeas contra illā stare, & palæstram experiri. Excita quamcunq; velis astutiam. Habes terram pro pugnæ campo. Vrge nunc gladios ipsos, vt mortem inferas. Substerne interficiendis hominibus dura cædis instrumenta. Para decedenti puellæ confractionem. Omnes enim quantumuis abstrusas, atq; abditas artes tuas, velut infirmissimas illa superauit; quod'q; maius est, neq; illud à Deo exegit, quod scriptū est: Angelis tuis manda de me Domine, ne vnquā offendam ad lapidē corpus meum: sed id petiit, vt animæ praeciperet, post casum ipsum è corpore discedere.

O puellam genere quidem, & sexu fœminam, animo autem ipso marem. O Virginem duobus nominibus extollendam, quòd in virginum grege, & martyrum choro numerata sis. O puellam ita continentem, vt neq; aspectu quidem ipso fruēdi facultatē intemperato Iudici præbueris. Huius igitur puellæ temperantiam & nos imitemur, & contra voluptates ipsas victoriæ trophæa erigamus. Incontinentiæ, atq; intemperantiæ impetum frangamus, & animū ipsū ad pietatem seruandam corroboremus. Iudices ipsos à tentationibus submoueamus, & cùm opportunum est, non abiectos, sed audaces nos præstemus. Deniq; membra nostra, quæ sunt super terram, mortificemus, vt & Dominus ipse hoc humile corpus nostrum tale reddat, & in eam conditionem transferat, vt corporis sui formam cum eo communicet; Cui sit gloria, & imperium in secula. Amen.

Alexandri

ALEXANDRI MONACHI LAVDATIO IN APOSTOLVM BARNABAM, QVAM HABVIT ROGATVS A MAGNO SACERDOTE VENERANDI TEMPLI PRAEFECTO, QVOD BEATO BARNABAE CONSECRATVM FVERAT.

XI. IVNII.

MAXIMVM orationis argumentum nobis magnâ ſermonis paupertate laborantibus patrio certè ſtudio, & affectu commotus propoſuiſti, pater optime, & eorum, qui virtutis exercitatione præſtantes ſunt, probatiſsime. Nobis enim laudandum propoſuiſti diuinum, & beatiſſimum virum, inſignem Apoſtolum, conſolationis filium, orbis terrarum facem, Barnabam, inquam, multarum laudum præconiis celebratum. Ego verò inſcitiā meam cùm argumenti magnitudine cōferens, tractationem hanc exhorreſcens, iuſsis tuis parere diutius recuſaui. Quæ enim oratio tam perfecti Apoſtoli rebus narrandis par eſſe poterit, cùm huiuſmodi negociū tale ſit, vt non ſolùm meas vires omnino ſuperet, ſed omnibus etiam aliis difficultatē afferre poſsit? Omnes igitur inferiores eſſe arbitror, quàm vt Barnabæ res geſtas narrare valeāt. Quòd ſi qs de illo aliqd dicere aggreſſus fuerit, ſit quamuis ſapiens, peritus, & orationis facultate præſtantiſsimus, longo tamē interuallo à tergo, relinquetur, lōgè inferior exiſtēs quàm Apoſtoli dignitas poſtulat, & in eius laudū pelago omnino demergetur. Alius quidem ex iuſtorum hominum numero aliud quoddam à Spiritu ſancto donum aſſecutus eſt; Apoſtoli autē ipſi omnes diuinarū gratiarū theſauros acceperunt, & virtutes omnes ſe habere oſtenderunt. Quî potero igitur miſer ego infinitis perturbationibus oppreſſus, Apoſtolicæ virtutis pontum tranare? Nanque tenui, & tarda ſum

lingua (vt quod est in literis diuinis scriptũ, de me dicam) neq; ita eloquens sum, vt diuinas admirabilis Apostoli Barnabæ virtutes commodè narrare possim. Ita enim perfectè virtutem omnem vir hic exercuit, vt nemo alius in vna aliqua virtute profecit. Quamobrem prouinciam hanc mihi iniunctam suscipere hactenus recusaui, cùm meam imbecillitatem tãti viri gloriosis factis enarrandis imparem esse cognouerim.

At cùm memoria repeterem, quod in literis diuinis scriptum legi, hominem, qui obedientiam non seruat, interitum subire, qui verò est obediens, cum ab interitu liberum esse, vix ad id, quod præcepisti, multum certè metuens aggressus sum, satius esse ducẽs in eo ipso accusari, quòd oratio mea manca sit, quàm in contumaciæ crimen incurrere. Illud igitur vnum à vobis peto, vt mecum vnà sanctissimum Barnabam orationis 1 adiutorem mihi esse precemini. Ipsi autem viro, quem laudabimus, non dubito id gratum fore, quod à nobis, qui nihili sumus, dicetur; nam & eius Domino aliquando placuisse legimus duo illa minuta olim à vidua, & paupere muliercula oblata. Non enim Deo ipsi tam grata, & accepta est earũ rerũ, quæ offeruntur, magnitudo, quàm mens ipsa, & æquus animus, quem is ostendit, à quo aliquid offertur, siue paruum, siue magnum illud sit. Cùm verò Barnabam laudamus, tunc & omniũ Apostolorum sacrum collegium collaudamus; quorum enim vocatio vna fuit, eorum eadem est & gloria; & quorum ordo vnus, eorum eadem est & dignitas; quorum paria certamina, eorundem coronæ diuersæ non sunt; quorum denique institutionis ratio communis, eorum præmia æquè honorata sunt. Iam verò Barnabam ipsum oratione nostra in medium producamus, & quammaximè possumus, laudum præconia illi concinnemus; sum enim eius viri amator ardentissimus. Scio autẽ, & mihi persuadeo, huius Apostoli vel nomen ipsum auribus vestris iucundissimum accidere. Itaq; illum honoremus, quatenus pro viribus de illo dicentes æqui animi significationẽ demus; quod enim eius viri dignitas postulat, id tale est, vt omnem orationẽ ab eo superari fateamur.

1 Nota Sãctos orãdos, & scire eos quæ circa nos geruntur.

Laudetur igitur à nobis infimis magnus ille Apostolus Barnabas. Celebretur consolationis filius ab hominibus, qui Christo crediderunt. Extollatur à quouis homine ille, qui à Patre ipso honoratus, à Filio vocatus, & à Spiritu sancto perfectus est. Barnabas, inquam, magnus Ecclesiæ orator, illa Euangelicæ prædicationis tuba, magna Christi vox, Spiritus sancti cithara, diuinæ gratiæ plectrum. Barnabas in expediendis pro Christo bellis miles robustissimus; qui corpore incorporeum hostem, simul versans cum Apostolorũ exercitu, validissimè profligauit; qui bonarum disciplinarum religiosus præceptor extitit, & Christiani ouilis dux certus, & rationalis quidã summi Dei paradisus, omniũ virtutum germina florentia in se continens; qui egregiũ quoddam fidei germen fuit, charitatis rosa suauissimum odorem emittens, spei flos incorruptus, diuinæ gratiæ fructus iucundissimus, illius vitis, quæ vitam omnibus præbet, palmes feracissimus, immortalitatis racemus, mel distillans, patientiæ propugnaculum firmum, atq; immobile, continentiæ sectator ita validus, vt Crucem gestauerit, & aduersus Christi interfectores intrepidus militiæ dux fuerit, Christi Crucifixi germen ad cœlũ vsq; protensum. Barnabas consolationis filius, pietatis magister, fidei columna, ac fastigium, turris firma, & immobilis, fundamentum stabile, & crepida indissolubilis, saxum immotum, fluctuantium portus valde tranquillus, fidelis, & prudens dispensator, architectus nobilissimus; qui cœlestem in terris semitam tenuit, & parem Angelis vitam duxit; qui fuit Ecclesiarum patronus, adiutor pauperum, inopes abunde nutriens, viduarum consolatio, & orphanorum diligentissimus procurator, ac pater. Barnabas Christi mysteriorum thesaurus, orthodoxorũ sanctæ Dei

Ecclesiæ dogmatum minister, ægrotantium medicus liberalis, sanos,& valentes homines firma, certaq́; animi iucunditate afficiens, Christiani gregis custos vigilantissimus, in terris manens, & in cœlis vita,atq; institutione versans; qui in mundo pietatis dogmata clara, & alta voce prædicauit, & in cœlis sempiternam coronam recepit; qui fuit gentium dux, ad Deum eas perducens, & Ecclesiarum Dei beatissimus præco, campus quidam beneolentibus Christi floribus refertissimus, virtutum cœlestem odorem spirantium quoddam rosetum, Christi gratiarum ager fertilissimus; qui vitam valde syncæram, ac puram in terris transegit, tam rectè in terra viuens, quàm Angeli ipsi in cœlis viuunt. Idem virtutum exercitatione insignis, contemplationibus, & miraculis præstans, virginitatis margarita quædam pretiosa, & castitatis beryllus lectissimus, temperantiæ gemma purissima, Christum in se loquentem habens,electum Dei vas, qui mundum dereliquit, & omnia, quæ in illo sunt, quisquilias quasdam duxit, vt Christum tantùm lucrifaceret seculorum Regem. Ille suam Crucem sine dubitatione aliqua portauit,& vt verus Discipulus prompto animo Christum secutus est; qui dæmones profugauit, & diabolo vulnera inflixit; qui quatuor orbis terrarum fines firmo, & constanti gressu peragrauit, & vt sacer, ac bonus, suiq́; Domini minister amantissimus, omnes gentes Euangelij prædicatione ad Christi fidem conuertit. Ille se domicilium paratum præbuit, in quo eiusdem essentiæ particeps Trinitas habitaret, quiq́; summi Dei templum fieret. Barnabas, inquam, Cypriorum insigne ornamentum, & orbis terrarum propugnator inexpugnabilis, qui Christum ipsum mirum in modum dilexit, & pro ipso quotidie animam suam exposuit; qui nunc vnà cũ illo in 2 cœlis regnat, & omnibus seculis regnabit.

2 Vides Sanctorũ animas nunc esse in cœlo, & cũ Christo regnare?

Defessa est oratio nostra,dum admirabilem,diuinum,& optatissimum Apostolum Barnabam laudibus extollere cupit, atq; contendit; quodq́; mirum est, nondum ad exordium peruenit. Huius enim admirabilis viri laudes maiores sunt, quàm vt nostra oratio illas attingere possit. Earum igitur tractationem, vt orationibus nostris maiorem,omittentes,pauca quædam de eius vita,& martyrio ab auctore Stromatum Clemente, aliorumq́; veterum hominum scriptis, repetita vobis, venerandi auditores, exponam; & ita narrationi huic finem imponemus, diuinis literis concedentes, vt huius viri semper decantati, & celeberrimi caput magnifico illo præconio coronent: Erat Barnabas vir bonus, & plenus Spiritu sancto, & fide. Quid huic præconio par, aut vnquam fuit simile?

Ortũ duxit beatissimus hic vir de laudatissima illa tribu Leui, ex qua Moses, & Aaron magni illi Dei prophetæ, & populi optimates ortum duxere, cuius cognationis etiam Samuel propheta particeps fuit. Eius autem proaui bellorum causa cùm ad Cypriorum regionẽ migrauissent, æquo animo illic habitabant. Erant autem viri admodùm religiosi, Dei legem reuerentes,& valde diuites; quamobrem & Hierosolymis facultates multas possidebant, & agrum prope Vrbem illam pulcherrimum, non solùm omnium generum fructuosis arboribus elegantem, sed ædificiorum magnitudine valde illustrem. Ex quo enim tempore Esaias propheta ita reliquit scriptum: Beatus, qui habet semen in Syon, & domum in Hierusalem: hanc eius prophetiam Hebræorum filij corporeo sensu interpretabãtur,& ditissimus quisq; dabat operã,vt aliquid in vrbe Hierosolyma possideret. Cùm verò in Cypriorum regione natus esset hic, de quo scribimus, & parentes elegantem puerum vidissent, statim Ioseph eum nominarunt, puerum suum Patriarchæ illius appellatione honorantes. Factum verò est, vt cum nominis appellatione morum etiã nobilitas conueniret; si quis enim vocem hanc Ioseph interpretetur, inueniet idem va-

lere, quod Dei additamentum; additus enim fuit à Deo iustus hic vir Apostolorũ cœtui, & sacro Sanctorũ consortio. Ad hæc eandem vocem Dei gloriam interpretari possumus. Neq; quisquam putet verbum hoc exuperantiæ causa dictum, sed à diuinis literis sumptum sciat. Ait enim Paulus: Vir non debet caput tegere, cùm sit imago, & gloria Dei. Quòd si virum quemcunque imaginem Dei, & gloriam lectissimus ille Apostolus appellauit, quid dicemus de hoc viro in rebus diuinis perfectissimo?

Cùm verò Barnabas ipse adoleuisset, illum in vrbem Hierosolymam parentes perduxerunt, & Gamalieli legem, ac Prophetas diligenter edocendum tradiderunt, qui & Paulum, tunc Saulum appellatum, condiscipulum habebat. Quotidie verò Barnabas magis proficiebat, tum doctrina, tum omni virtute, nondum tamen ad Leuitarum ordinem aggregatus fuerat, eò quòd non erat ætate illa, quam ea res postulabat; adhuc enim cum ephebis numerabatur. Non tamen à templo discedebat, cùm in 3 ieiuniis, ac precibus die, ac nocte versaretur. Ita verò leges, & reliqua diuina scripta memoriter pronunciabat, vt literarum monimentis non indigeret, quietem'q; ipsam tam charam habebat, vt temperantiæ matrem illam esse duceret. Perniciosas verò hominum consuetudines execrabatur, ac vehementer fugiebat, purum, & à vitiis intactum se ipsum ita conseruans, vt virtutis esset specimen quoddam. Quamobrem apud omnes existimatione, & gloria florebat.

3 Cùm, in ieiuniis, ac precib' die, ac nocte versaretur.

Accidit autem, vt tempore illo Dominus Iesus Christus Hierosolymam veniret, & paralyticum in probatica piscina sanaret, alia'q; signa multa, & prodigia in templo æderet. Illa omnia cùm Barnabas vidisset, obstupuit, & statim ad Christi pedes se abiecit, eum'q; precatus est, vt illi benediceret. Christus autem, qui cor hominum, & animos inspicit, Barnabæ fidẽ gratã habẽs, beneuolè ipsum accepit, & diuini sui cõgressus eundem participẽ fecit; quare ad Christi charitatẽ magis accẽdebatur. Quamprimùm verò adiit domũ Mariæ matris Ioãnis, qui Marcus postea dictus est; quæ Maria eius matertera esse dicebatur, quamobrẽ & Marcũ Barnabæ consobrinũ appellabãt. Illã cùm adiisset; Agè, inquit, mulier, veni, & vide, quæ patres nostri videre cõcupiuerunt; ecce enim Iesus quidam propheta è Nazareth Galilææ in tẽplo est, magnifica quædam ædens miracula, qui multis videtur Messias esse, qui venturus erat.

Cùm hæc audisset admirabilis illa mulier, relictis omnibus his, quæ habebat in manibus, tẽplum Dei adiit, vbi cùm Iesũ tẽpli Dominũ vidisset, ad eius pedes se abiecit, eum'q; sic precata est: Si gratiã inueni, ò Domine, in conspectu tuo, veni ad domũ ancillæ tuæ, vt ingressione tua famulis tuis benedicas. Eius petitioni Christus Dominus assẽsus est; quẽ mulier illa valde læta in cœnaculũ suũ accepit. Ex illo igitur die, quoties Dominus Hierosolymã venisset, illic vnà cũ discipulis suis diuersabatur, qbuscũ & Pascha illic fecit, vbi & mysteriorũ sacramẽta eosdẽ Discipulos suos edocuit. Sermo enim quidã à Patribus traditus ad nos puenit, eũ, qui lagenã aquæ portabat, quẽ Dominus ipse Discipulis suis præcepit, vt sequerẽtur, Marcũ fuisse beatæ illius Mariæ filiũ. Quòd autẽ illũ Dominus nõ nominarit, sed dixerit: Ite ad quendã: prouidẽtia quadã factũ est, sicut Patres sãcti locũ hũc interpretãtes dixerũt; vt re obscurè dicta hoc nos doceret, Dominũ Iesũ apud eũ diuersari, quicũq; se paratũ præbet. In illo igitur ipso cœnaculo Dominus Pascha fecit; in illo apparuit Thomæ Apostolo, cùm à mortuis surrexisset; illuc, postquam Iesus in cœlum assumptus est, Discipuli cũ reliquis fratribus centũ viginti, in quibus erãt Barnabas, & Marcus, ex monte Oliuarum conuenerunt; illuc Spiritus sanctus in linguis igneis ad Discipulos descendit in die Pentecostes; illic collocata nunc est magna, & sanctissima Syon omnium Ecclesiarum maxima.

Tunc

Tunc verò Barnabas secutus est Dominum reuertentem à Hierosolymis in Galilæam. Cùm autem multi vndiq; ad Dominum conuenirent, & eius fidem sequerentur, dixit discipulis suis: Messis quidem multa, operarij autem pauci. Itaq; designauit septuaginta illos Discipulos, quorū primus Dux, & summus erat magnus Barnabas. Sed nemo audiens Apostolos hanc appellationē illi viro imposuisse, temere, & sine diuino consilio id factum fuisse opinetur; nā Petrus ipse illi nomē hoc imposuit, ille, inquam, Petrus, qui per sancti Spiritus reuelationem filij Dei theologiam edidicit. Et quemadmodum Iacobus, & Ioannes propter virtutem filij tonitrui vocati sunt, ita & Barnabas virtutis suæ causa filius consolationis appellatus est, quippe qui propter sanctitatis præstantiam omnibus consolationi fuit.

Idem cùm audisset Dominum docentem: Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam, & facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum nunquam deficientem in cœlis: nihil moratus, statim rem omnem pretiosam à parentibus mortuis sibi relictam vendidit, & egentibus distribuit, sibi verò solùm agrum vnū reseruauit, vnde ali posset. Postea verò quàm Dominus Crucē perpessus est, & à mortuis resurrexit, ac Spiritum sanctum ad discipulos suos misit, tunc diuinus Barnabas Christi charitate magis inflammatus, illū 4 etiā agrum vendidit; cùmq; multum pecuniæ ex eius pretio accepisset, omnē pecuniam illam ad Apostolorum pedes deposuit, neq; quicquam omnino sibi reseruauit, suo exemplo omnes Discipulos ad eandem virtutem alliciens. Ille & cum Saulo disputabat, quem ad Christi Domini fidē perducere cupiebat. Saulus autem cùm legis institutione diligenter, atq; accuratè niteretur, Barnabam ipsum vt deceptum irridebat, & in Christum maledicta iaciens, Fabri filiū, idiotam, & agrestem hominem appellabat, quem vt & morte violenta sublatum deridebat. Cùm verò miracula, quæ per Apostolos efficiebantur, & populi multitudinem in dies maiorem ad fidei prædicationem confluentē videret, animo cruciabatur; cùmq; vnà cum Libertinis, Cyrenensibus, atq; Alexandrinis magnum illum Ecclesiæ Oratorem Stephanum adortus esset, neq; sapientiæ, & Spiritui, qui per Stephanum loquebatur, resistere posset, insania, & furore multo correptus inordinatos populi homines contra Stephanum concitauit. Quo interfecto, persecutionem magnam commouit aduersus Ecclesiam, quæ erat Hierosolymis.

4 Hæc est vera illa Euangelica paupertas, omnia vēdere, & dare pauperibus, & nudū seq Chrm.

Verùm cùm ita inordinatè Damascum proficisceretur ad vexandos, atque affligendos fideles homines, Christus Dominus illum deiecit, & in terram supinum prostrauit; qui cùm prostratus esset, eum tandem cognouit, quem persequebatur, & visu corporeo excæcatus, mentis aciem ad cœli celsitatem omnino erexit. Cùm verò Hierosolymam reuersus esset, dabat operā, vt Christi Discipulis adhæreret; quem tamen omnes illi, multam eius sæuitiā formidantes, fugiebant. At magnus Barnabas illi occurrens ait: Quousq; tandem, Saule, pergis esse Saul? Quare ita petulanter beneficiorum auctorem Iesum persequeris? Desine horribile illud mysterium oppugnare, quod à Prophetis ipsis olim clara voce prænunciatū est, nostris autē tēporibus ꝓ nostra salute patefactum fuit. Hæc cùm audisset Saulus, ad pedes Barnabæ se deiecit, multisq; lachrymis, & clamoribus; Ignosce, inquit, mihi, dux luminis, & veritatis magister Barnaba; expertus enim sum, & re ipsa cognoui, vera esse, quæ tu dixisti. Quem enim ego maledictis persequens, Fabri filium appellabam, illum nunc confiteor Dei viui filium vnigenitum, eiusdem essentiæ, gloriæ, & solij participem, coæternum, & principium coæuum; qui cùm sit splēdor gloriæ, & character substātiæ inuisibilis Dei, in nouissimis his diebus propter nos, & nostram salutem se ipsum exinaniuit, formā serui accipiens, hoc est perfectū

hominem ex sancta Virgine,& Dei parente Maria se fecit,non confusionem,nō conuersionem,nec diuisionem, aut separationem passus; & figura inuentus vt homo,humiliauit semetipsū factus obediēs vsq; ad mortē,mortē autem Crucis; qui & resurrexit à mortuis tertia die,& apparuit vobis Apostolis suis,& assumptus est in cœlum, & sedet ad dexteram Patris, & rursus veniet cum gloria iudicare viuos,& mortuos, & Regni eius non erit finis.

Hæc cùm audiuisset diuinus Barnabas à blasphemo, & persecutore illo dicta,obstupuit,& præ gaudio eius vultus lachrymis, vt matutino rore flos aliqs, pfusus est;cùm'q; illū amplexus,& osculatus fuisset; Ecquis'nam, inquit, Saule,te docuit talia diuinitus inspirata verba pronunciare? Ecquis tibi persuasit, vt Iesum Nazarenum Dei filium confitereris? Vnde'nam cœlestium dogmatū tàm perfectam scientiam didicisti? Tum ille,demisso vultu,& lachrymas fundens, ac corde valde compunctus respōdit: Ille ipse Dominus Iesus,quem ego peccator maledictis lacessiui, & persecutus sum, hæc omnia me docuit. Nam tanquam abortiuo & mihi apparuit, cuius diuina, & iucunda voce aures ipsas adhuc personantes habeo;sua enim benignitate singulari,& omnium maxima prosecutus me fuit,quippe qui mihi prostrato,& miserabiliter iacenti,se ipsum defendens potiùs,quàm mihi succēsens; Saule,inquit,Saule, cur me persequeris? Ego verò horrens,& metuens respondi: Quis es, Domine? Tum ille multa mansuetudine, & miseratione me prosequens; Ego, inquit, sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris. Ob id ego singularem eius patientiā obstupescens, ipsum'q; orans dixi; Quid'nam ego faciam, Domine? Tunc ille statim omnia hæc, quæ dixi,& his plura me instruxit.

His auditis, magnus Barnabas Saulum manu apprehensum duxit ad Apostolos, eis'q; dixit: Quare pastorem fugitis,lupum existimantes? Quare gubernatorem, vt piratam,propulsatis? Cur bellatorē optimum, vt proditorē,execramini? Cur Christi sponsam deducentem, vt thalami direptorem,reiicitis? (Spiritalis enim est thalamus Ecclesia Dei) Hunc pro pastore, gubernatore, & propugnatore Dominus sibi delegit. Tunc narrauit eis Paulus, quæcunq; ipsi acciderant in via, quòd'q; vidisset Christum Dominum, & loquentem secum audiuisset, ac quemadmodū in vrbe Damasco Christi nomen libera oratione prædicasset. Itaq; vnà cum illis in vrbe Hierosolyma Christi prædicationem exercebat. Erat autem Iudæis ipsis valde molestus,atq; inuisus,quòd qui heri,& nudiustertius Iesum persecutus fuerat, ille ipse mutato consilio,tūc eundem illum Iesum Dei filium esse prædicaret. Consilium itaq; inierūt Iudæi de Paulo interficiendo. Quod cùm didicissent Apostoli, eum miserunt,vt in sua patria Euangelium prædicaret.

Cùm verò de his, qui propter Stephani cædem, atq; angustias dispersi Antiochiam venerant, & Christi Euangelium prædicauerant, auditum fuisset ab iis, qui erant Hierosolymis, Apostoli beatū Barnabā magnū, & potentē virum, ad sanctissimum Ecclesiæ, quæ illic erat, & Christi gregem pascendum miserunt. Qui cùm illuc venisset, multo adiumento fuit hominibus Christi fidē sequentibus; eius enim diuina prædicatione, ac doctrina factum est, vt multa populi accessio ad Christum fieret. Cùm verò diuino Spiritu ductus Barnabas ab vrbe Antiochia egressus esset,vrbes omnes, ac regiones peragrauit Christi Euangelium longè,latè'q; diffundens, neq; priùs destitit,quàm ad vrbē Romam omnium maximam venerit. Ex vniuersis enim discipulis Christi primus Euangelium in vrbe Roma prædicauit. Cùm'q; multi ad Christi fidem venissent, & Barnabam ipsum summè honorarent, humana gloria reiecta,clam fugiens, Roma exiit. Etenim beatus ille vir ita omnes homines, qui erāt temporibus illis, animi submissione, ac modestia superabat, vt ad huius virtutis

culmen perueniret. Id quod declarat eius historia. Cùm enim diuinæ literæ vbiq; virum hunc cum primis nominent, ac laudent, ipse primas aliis concedens, secundas partes amplexus est, diligenter imitatus Dominum suum, qui dixit: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.

Postea cùm idem Barnabas ad Aegypti vrbem Alexandriã venisset, & Dei sermonem ibi prædicasset, illinc exiit, peragrans deinceps vrbes omnes, quoad venit Hierosolymam. Vnde etiam egressus, reuersus est Antiochiam. In qua cùm Dei gratia Ecclesiam copiosiorem factam vidisset, valde gauisus est. Inde autem discedens, Tharsum venit, Paulum quærens; quem inuentum Antiochiam perduxit. Ibi cùm totum annum transegissent, & multum populũ ad Christi disciplinam transtulissent; cùmq; ibi primùm Christi discipulos Christianos vocassent, atq; illinc accepissent ab Ecclesia, quæ pauperibus distribuerẽt, ascenderũt rursus Hierosolymã quartodecimo ãno postquã Dñs Iesus Cruc ẽ ptulit, quemadmodũ scribit Paulus, cũ dicit: Quatuordecim ãnis postea Hierosolymã ascẽdi cũ Barnaba. Cùm verò ministeriũ cõpleuissent, & fidẽ, ac dexterã ab Apostolis datã accepissent, vt ipsi ad Gẽtes profecti, ij verò, qui cũ Petro erãt, circũcisis prædicarẽt, descenderũt Antiochiã habẽtes Marcũ ministrum. Missi autem à Spiritu sancto ex vrbe Antiochia venerunt in Cyprum, & totã insulam peragrarunt Salamina Paphum vsque Euangelium prædicantes, & miracula facientes; quo tempore Elymam excæcarunt, & Proconsulẽ Sergium Paulum fide illuminarunt.

Postea verò quàm multos ad Christi disciplinam conuerterunt, è Cypro discedentes venerunt Pamphiliam. Cùm verò Marcus ipse Apostolos vidisset pro Euangelij prædicatione pericula subeuntes, neq; honori studentes, sed breuem, & caducam hanc gloriam derelinquentes ad bellum contra infideles homines suscipiendum properare, ipse ad pericula subeũda claudicare cœpit, quippe qui adolescens erat formidolosus, & infirmior quàm vt mortẽ contemnere posset. Derelictis igitur Apostolis, reuersus est Hierosolymam ad matrẽ suã. Cùm verò Apostoli Barnabas, & Paulus opus cõpleuissent, ad quod missi fuerant, & infinita pro Christo certamina sustinuissent, venerunt Antiochiam, vnde à diuina gratia missi sunt ad Gentes. Necesse autem fuit rursus proficisci Hierosolymam ad Petrum Apostolũ propter falsos illos Apostolos, qui docebant discipulos, vt se circunciderent, & legem seruarent. Cùm autẽ Marcus illos ab omnibus honoratos videret, quòdq; post multa illa verbera, & pericula robustiores facti essent, & integris corporibus præditi, propriam imbecillitatem accusans doluit quod factum à se fuerat, & ad Paulum quidem ipsum erubuit se conferre, Barnabam verò adiit lachrymans; cùmq; ad eius pedes se abiecisset, eum rogabat, vt superioris errati veniam impetraret, & eius precibus firmior fieret in posterum, futurum promittens, vt omnia mortis genera pro Domini nostri Iesu Christi nomine prompto animo sufferret. Multis his lachrymis magnus ille virtutibus ornatus Barnabas flectitur, eumq; hortatus, vt à luctu desisteret; Fiat, inquit, quod Deus vult, modò tu paratus sis præstare, quod promiseris.

Cùm verò scripta accepissent, quæ ab Apostolis in vrbe Hierosolyma decreta fuerant, descenderunt Antiochiam, & vnà cum fratribus exultabant. Marcus autem ipsos animo parum fidenti secutus est. Post hæc visum est Barnabæ, & Paulo peragrare vrbes omnes, & fratres visere. Tunc Barnabas Paulum rogabat, vt Marcum secum vnà venire pateretur, quippe qui paratus esset vsq; ad mortem pro Christi fide certamen sustinere. Paulus verò contra rogabat Barnabam, vt secum vnà Marcum non haberent. Hinc occasio quædam nata est, vt Apostoli à se vicissim separarentur, diuina prouidentia id vtiliter

permittente. Deus enim ipse Marcum populorum, & gentium multarum pastorem, ac magistrum creaturus erat.

Sed nemo imprudenter proprio affectu metiatur quod est in sacra de Apostolorũ actis historia, quo loco de Paulo, & Barnaba narratur illud: Facta est dissensio, ita vt discederent abinuicem. Non enim ad hoc iracundiæ, aut furoris affectu impulsi sunt Christi Apostoli (minimè hoc nos cogitemus) nã qui carnem cũ affectibus, & cupiditatibus crucifixerunt, qui voce magna sic oẽs Christo credentes admonebant: Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia: quî fieri potest vt illi ipsi in huiusmodi affectum inciderint? Scimus autẽ, & ex diuinis literis dissensionum diuersitatem cognouimus, & vocẽ hanc παροξυσμὸς in bonam partem accipi solitã, vt cùm ait Apostolus: Consideremus nosmetipsos in prouocatione charitatis, & bonorum operum. Talis fuit & Apostolis dissidendi ratio, hoc est Dei zelus. Paulus enim accuratam censuram requirebat Apostolicæ professioni conuenientem. Barnabas verò ad humanitatẽ propensior erat; quamobrem & Marcum secum habens in Cyprum nauigauit.

Cùmq; eam insulam totam peragrasset, populos multos ad Christi fidẽ conuertit, & Salaminam venit, vbi paulisper moratus est ædens miracula, & prædicans regnum Dei, quo loco turbæ multæ ad Christifidem accesserunt. Disputabat autem cum Iudæis in Synagoga omnibus sabbatis, diuinarum literarum testimoniis Iesum Christum illum esse probans, quem Deus promiserat. Omnes autem Barnabam reuerebãtur propter diuinam quãdam honestatem, quæ in illius aspectu vigebat. Erat enim oris specie valde grauis, habitu, ac veste admodùm tenui, cuiusmodi illorum est, qui delicias abiicientes, in virtutis exercitatione versantur. Erat superciliis contractis, & oculis hilaritatẽ præseferentibus, non toruum aliquid, sed graue quiddam in se habentibus, & reuerenter admodùm deorsum spectantibus. Oris honestas, & labra decora mellis suauitatem distillantia in eodem illo inerant. Non enim aliquid vnquam pronunciabat, quod foret superuacaneum. Eius incessus compositus, & ab ostentatione alienus, totus deniq; omni ex parte Apostolus Barnabas erat tanquam recta quædam Dei columna, omnium, virtutum splendore illustris.

Hic cùm in vrbe Salamina Christi prædicationem doceret, venerunt è Syria Iudæi quidam, qui maledicta in eum coniicientes, quæq; ab illo dicebantur oppugnantes, turbam contra ipsum excitauerunt, criminantes nihil veri ab eo dici, sed quem ipse Iesum Christum fuisse diceret, eum fallacem quendam hominem, & Deo ipsi contrarium fuisse, legem, prophetas, & sabbati obseruantiam reprobantem. Iidem & Barnabæ interficiendi opportunitatem obseruabant. Sanctus verò Christi Apostolus Barnabas cùm omnes fratres congregasset; Vos, inquit, scitis, quomodo vnà vobiscum omni tempore versatus fuerim vnumquenq; admonens, & hortans, vt in gratia, & Domini nostri Iesu Christi fide constanter permaneatis, & eius præcepta obseruetis, & ab omni prauo opere mentem, & manus cohibeatis. Nãq; oportet omnes nos sisti ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisq; propria corporis sui, quæ fecerit, siue bona, siue mala; præterit enim figura mundi huius; & Dominus venturus est de cœlo iudicare viuos, & mortuos. Nolite igitur negligentes esse, scientes quòd qua hora non putatis Dominus noster veniet. Aerumnas, & labores libenter perferatis corda vestra spe confirmantes, quòd aduentus Domini prope sit. Recordemini quæ vobis sæpè dixi, præsentis vitæ res, siue prosperæ, siue aduersæ illæ sint, breues, & caducas esse, omniaq; hæc celeriter præterire; futuri verò illius seculi bona semper in eodem statu permanere, æterna, & finem nullum habentia. Neque enim Regnum cœlorum aliquãdo

præterire poterit; neq; iudicium illud finem habebit, sed semper erit, his, qui peccando vitam transegerunt, immortalem pœnam afferens, & finem nullum habituram. Date igitur operam, vt sine culpa, & labe in die illo extremo inueniamini, ne in gehennam sempiternam decidatis. Memoria repetite quot signa, & prodigia per me seruum suum Deus ipse apud vos effecerit, & pro me Deum orate. Ego enim iam iam immolandus sum, & tempus illud prope est, quo ab hoc corpore dissoluendus sum, sicut Dominus noster Iesus Christus mihi significauit. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui; nunc reposita mihi est corona iustitiæ; non solùm autem mihi, sed & omnibus, qui propter Christi confessionem certamen sustinuerint.

Hæc cùm dixisset, vnà cum omnibus Deum orauit; multusq; fletus hominum fuit, eò quòd Apostolus ille dixerat, tempus prope esse, quo à corpore dissoluendus foret. Barnabas verò cùm § panem, & calicem sumpsisset, & diuini ministerij ordinem totum compleuisset, vnà cum fratribus particeps factus est Eucharistiæ mysteriorum. Quo facto, Marcum secum habens secessit, & ipsi seorsum dixit: Hodie infidelium Iudæorum manibus me consummari oportet; tu verò extra ciuitatem Occidentem versus egredere, & corpus meum inuenies; quod cum sepelieris, exi è Cypro, & ad Paulum proficiscere, & esto cum illo, quoad Dominus res tuas dispofuerit; futurum enim est, vt nomen meum per totum orbem terrarum diuulgetur.

§ Vide Apostolum Barnabã Missã celebrasse, vt scias nr̃i temporis hæreticos perperã asserere, esse illã nouitiũ inuentum.

Post hæc ingressus est Barnabas in Synagogam, & Iudæos ipsos docebat, illis persuadere studens Dominum Iesum esse Christum viuentis Dei filium. Illi verò Iudæi, qui è Syria illuc venerant, furore perciti è Synagoga surrexerunt, & manibus in eum coniectis, in obscurám quandam Synagogæ illius cellam vsque ad multam noctem custodierunt. Cùmq; illum eduxissent, & multis cruciatibus affecissent, postremò nefarij homines eundem lapidauerunt; & accenso rogo quodam magno beatum Barnabæ corpus in eum coniecerunt, vt nullæ ipsius reliquiæ superessent. Diuina verò prouidentia factum est, vt Apostoli corpus integrum permaneret, neque ab igne ipso læderetur. Marcus igitur, vt Barnabas præceperat, extra vrbem egressus Occidentem versus cum quibusdam fratribus, reliquias sancti Barnabæ clam abstulit, & in spelunca quadam stadiis ferè quinque ab vrbe distante sepeliuit. Mox in vrbem reuersi planctu, & lachrymis eum prosecuti sunt.

Illo autem tempore contra Salaminæ vrbis Ecclesiam persecutio magna commota est, omnesq; alij aliò dispersi sunt. Itaque sancti Apostoli Barnabæ sepulchrum deinde ignotum erat. Proinde Marcus cùm è Cypro nauigasset, ad Paulum venit, qui erat Ephesi, eumq; de Barnabæ martyrio certiorem fecit. Id cùm ille audiuisset, lachrymauit, & Marcum secum tenuit. Postea verò cùm Petrus Apostolus diuina reuelatione iussus esset Romam proficisci, secum duxit & Marcum, quem quodammodo sibi filium genuerat. Illi cùm essent in vrbe Roma, Euangelium Marcus conscripsit; quod Petrus Apostolus legit, & diuino Spiritu scriptum cognouit, atq; approbauit. Itaq; Marcum ipsum per manuum impositionem ordinauit, & vt maximè idoneum in vrbem Aegypti Alexandriam, Lybiam, & Pentapolim misit. Quò cùm Marcus venisset, Domini Iesu Christi Euangelium illis regionibus prædicauit, ita vt multi ad Christi fidem conuersi fuerint. Cùm verò nouem annos Dei fidem Marcus in ea regione docuisset, martyrio in vrbe Alexandria functus est.

Multo autem tempore postea, cùm Christiana fides latiùs fusa esset, & Imperatores Christiani Romanorũ imperio potirentur, miracula quædam magna Deus ipse in eo loco ædebat, vbi reliquiæ sancti Apostoli, & generosi martyris Barnabæ repositæ fuerant. Nam cùm multi homines impuros spiritus habentes per locum illum transirent, spiritus ipsi voce magna clamantes egrediebantur. Multi etiam paralytici, & claudi, variisq; morbis, & cruciatibus vexati ad eum locum profecti pernoctabant; qui omnes curabãtur; ob idq; Salamina ciuitas gaudio magno perfundebatur. Quòd verò diuina quædam potentia in eo loco miracula efficeret, id quidem omnes cognoscebãt; quænã tamen esset causa gratiæ illius tam copiosæ, id nequaquam intelligere poterant. Regionem autem illam sanitatis locum indigenæ appellabant.

Cùm verò beatus Martianus obiisset, sanctæ memoriæ Leo Imperio successit. Huic erat gener Zeno Isaurus genere, qui post Leonem & ipse Imperator fuit. Tempore autẽ illo in religioso Accemetensiũ monasterio extitit monachus quidam, qui, vt Iudas inter Apostolos, diaboli mores imitabatur. Illi nomen erat Petrus, qui fullonis artem exercebat, sanctã verò Synodum in vrbe Chalcedone celebratam auersabatur, & dogmatis Eutychiani erat propugnator. Eiusmodi hominem, vt corruptorem, & pestilentem, atq; Apostolicorum dogmatum hostem acerrimum, eius loci homines è monasterio expulerũt. Qui cùm illinc expulsus fuisset, Constantinopolim profectus est, & assentatorũ vitã imitatus, modò hanc, modò illã domũ obibat, ventri, & gulæ seruiens; cùmq; execrabilis suæ hæresis participes homines quosdam honore præditos inuenisset, illis adhærere cœpit, p quos etiã in eius notitiã venit, qui erat gener Imperatoris, patritius, & excubitorum Comes; sic enim appellabatur, qui excubiis præsidebat. Itaq; Petrus ille cùm religionis specie quadam se induisset, erat quidem assiduè cum Zenone Imperatoris genero, non audebat tamen propriã impietatem aperire. Eundem autem Zenonem ad Orientis partes proficiscentem secutus est fullo ille vsq; ad vrbem Antiochiam; vbi cùm multos Apollinaris sectatores inuenisset, vnà cum illis contra Patriarcham temeritatẽ exercuit, aduersus eum seditiosissimum quenq; hominem concitans, & Chalcedonensem synodum conuicians, ac Patriarcham ipsum Nestorianum appellans.

Cùm igitur Antiochena ciuitas multa seditione, & tumultu perturbaretur, Petrus ille Comitem Zenonem dolo aggressus; Nisi, inquit, huius ciuitatis Episcopus permutetur, fieri non potest, vt populus quietè viuat. Quinetiam multã auri vim ei proposuit, si ab eo impetraret, quod petebat; patefecit enim illi cõsilium suum, quod antea occultauerat. Tunc infames quosdam, & improbos homines, qui eadẽ, quæ ipse, sentiebant, psuasionibus suis secũ duxit, & grauissima quædam scelera contra Patriarcham falsò conficta ad Imperatorẽ detulit. Sed eius malitia nihil profecit, cùm Imperator Apostolicorum dogmatũ esset propugnator. Postea verò quàm Leo ipse terrestre Imperium dereliquit, & ad immortale illud Regnum translatus est, Imperio successit Zeno. Antiocheni vero, quos supra diximus, Imperatori supplicationem obtulerunt, petentes fullonem illum Petrum sibi Episcopum creari. Id quod factum est, auro ipso omnibus, qui erant in aula regia, persuadente, vt Petri fullonis patrociniũ susciperent. Statim igitur vt Petrus ille ordinatus est Episcopus, sanctã Chalcedonensem synodum anathemate fuit detestatus. Cùmq; Apollinaris sectatoribus placere studeret, qui Theopaschiani appellabantur, eò quòd Deũ ipsum passum fuisse dicebant, nouitatem quandam pessimã excogitauit, vt hymno illi, qui Trisagion appellatur, hoc etiam in fine adderet: Qui crucifixus est propter nos. Hæc cùm sancti Episcopi, & patres nostri audiuissent, ad prauã illius opinionem refrenandã alacri, & prõpto animo aggressi sunt; & primùm

quidem literis eũ ab impietatis voragine reuocare conati sunt. Sed cùm eundem repugnantem maiore audacia, & temeritate cõtra fidem orthodoxã efferri vidissent, omnes, qui sunt in orbe terrarum, Episcopi, sententia pronunciatiata, sub anathemate illum expulerunt.

In hac orationis parte libenter eos, qui ex nostris hominibus non vitio, sed quadam mentis leuitate, nouitatẽ hanc temere amplexati sunt, his verbis compellarem: Quænam causa vos, fratres, adduxit, vt rectè sentientem patrum nostrorum doctrinam relinqueretis, & nouitatem ab 6 hæreticis nuper excogitatam sequeremini? Animaduertendum vobis erat, quemadmodum sancti Patres nostri non fictas fabulas secuti, nobis hunc hymnum canendum tradiderunt, sed diuina quadam reuelatione docti, quæ non vni, aut alteri, neq; in aliquo terræ angulo, sed meridie ipso in luce clarissima vniuerso Constantinopolitanæ vrbis populo Christi amantissimo facta est, quo tempore beatissimus pater Episcopus, & magister cum primis probatus Proclus Constantinopolitanæ sedi præsidebat. Quicquid autem diuina gratia suggerente diuinitus nobis reuelatum est, illud nulla ex parte mancum, sed omnino perfectum est, & ad salutem idoneum, non indigens humanarum argumentationum inuentis, neq; additamento, vel subtractione aliqua, vt diuinæ literæ docent, cùm dicunt: Verbũ, quod ego præcipio tibi hodie, vide vt illud valde obserues, neq; quicquã addas, neq; ab eo aliquid imminuas, cùm re vera diuinis eloquiis aliquid addere, vel detrahere, *periculosum sit*, & perniciem iis, qui hæc faciunt, magnam afferat; non *enim ij sumus*, qui Christum corrigere possimus, sed qui Christo subiici, & obedire debeamus. Hæc, & multa alia licet de hac re dicere nostris hominibus ita sentientibus; quos doceri cupimus, extremæ inscitiæ esse, hæretici hominis nouitatem admittere. Desinant igitur cum hæretico homine deinceps sentire.

6 Semper hæretici nouitates excogitant, quibus simplices fallunt.

Itaq; cùm Petrus ille ab omnibus Episcopis sub 7 anathemate (vt diximus) damnatus esset, & Zeno propter inuasionem Basilisci ab Imperio aufugisset, ipse quoq; fugiens ad ignota quædam loca se contulit. Postea verò quàm Zeno ad Imperium reuersus est, Petrum fullonem requisiuit, & Antiochenæ Ecclesiæ Episcopum restituit, cùm nondum anathemate liberatus esset; beatum verò Calendionem Patriarcham in Oazim exulem relegauit, fullone illo Antiochenæ sedis Episcopatum vi capiente. Qui vt impius, & nullam spem reliquam habens, tyrannidẽ ipsam impune, vel scelerate potiùs exercebat, interficiens, proscribens, & omnes eos fugans, qui nolebant cum eius impietate communicare. Sed hæc quidem missa faciam, cùm multa sint, & propriam historiam requirant. Conferet autem se oratio nostra ad id, quod magis vrget; vt sancti Apostoli Barnabæ gratiam omnibus notam faciamus, & quanta patriã suam cura, & benignitate prosequatur, declaremus.

7 Ecce quõ etiã antiquitus hæretici excommunicabantur.

Cùm nondum contentus esset Petrus fullo innumerabilibus illis malis, quibus Orientis partes affecit, in prouincias etiam illas, quæ nihil ad eum pertinebant, manus iniecit. Cùm enim Imperatoris, & eorum, qui erant apud Imperatorem gratiosi, lenitatem auro sibi comparasset, ipsius etiam Dei legẽ deinceps contempsit, & Cyprios homines Dei, & fidei amatores, ac recta sentientes omnibus modis vexare cogitauit, quoniam eius insulæ habitatores pietatẽ à patribus suis traditam seruantes, recusabant cum eius impietate communicare. Itaq; Cypri sedem sanctissimam, & à principio inde vsq; ab Apostolorũ tempore liberam, ipse arripere, & sibi subiicere aggressus est; idq; ad Imperatorem retulit, falsum deferens, ac dicens: Quoniam verbum Dei ab vrbe Antiochia ad Cypri insulã manauit, ob id Cypri Ecclesiã sub Antiochenæ sedis Patriarcha esse oportet, quandoquidẽ Apostolica, & Patriarchica sedes est.

Hæc ille rectæ fidei, & sententiæ desertor contendebat, cùm tamē nō ignoraret ea, quæ in vrbe Epheso sancta illa Synodus, Cyrillo præsidente, definierat, à se violari, atq; corrumpi. Sed pietatis præco, & sanctissimus Apostolus Barnabas patriæ suæ opportuno tempore subueniens, illius Petri stultitiam, vel malitiam potiùs redarguit. Cùm enim Episcopus Salaminæ iussus fuisset ad regiam vrbem se conferre, & aduersus Antiochenos coram Patriarcha causam dicere, præ timore torpescebat, fullonis illius insidias suspectas habēs. Erat tunc Salaminæ vrbis Episcopus Anthemius vir cum primis admirabilis, quòd ad rectam fidem, & vitæ innocentiam pertineret; sed ad disputationem cū aduersariis sustinendam parum valebat. Cùm igitur ancipiti cogitatione fluctuaret, neq; certum haberet, quid ageret, num videlicet Constantinopolim proficisci deberet, necne, nocte in somnis astitit illi quidā diuinā quandā speciem præseferens, & luminis splendore multo effulgens, lucidaq; veste indutus, ac sacro habitu decorus, qui & hæc dixit: Cur ita tristis es nūc, Episcope? Quomodo tātus iste torpor te corripuit? Cur vultus tuus ita concidit? Nihil mali ab aduesariis tuis patieris. Hæc cùm dixisset, ab Anthemio discessit; qui experrectus, & timore perterritus Episcopus in faciē se 8 prostrauit, & multis lachrymis Deum ita precatus est: Domine Iesu Christe, fili Dei viui, adiuua Ecclesiam hanc. Scio autem, quòd illam adiuuas. Si visio hæc à te profecta est, fac, quæso, vt eadem iterum, ac tertiò mihi ostendatur, vt te mecum esse certò scire possim.

8 Orat Deum Episcop⁹ in faciem prostratus.

Interea Episcopus ille diuinis precibus attentiùs vacabat, ab omnium hominum congressione remotus. Nocte autem, quæ deinceps consecuta est, cùm astitisset idem ille vir eadem forma, & habitu, quo antea visus fuerat; Iam, inquit, tibi dixi, nihil mali te passurum ex iis, quæ tibi aduersarij minantur. Nihil igitur suspicans prompto animo ad vrbem Constantinopolim venias. Hæc cùm dixisset, discessit. Episcopus verò rursus Domino gratias egit, neq; quicquam alicui dixit, sed expectabat tamen reuelationem tertiam. Nocte igitur consequente idem vir apparuit, qui grauiùs eum increpans; Quousq; inquit, non vis credere verbis meis, quæ diebus his complenda sunt? Proficiscere in vrbem Regiam prompto, & alacri animo; illinc enim cum gloria reuerteris, neq; quicquam mali ab aduersariis passus fueris, cùm Deum ipsum propter me seruum suum tui propugnatorem habeas. Tunc Episcopus; Quæso, inquit, Domine mi, dic: Quis es tu, qui hæc mecum loqueris? Tum ille ait: Ego sum Barnabas Discipulus Domini nostri Iesu Christi, segregatus à Spiritu sancto, vt vnà cum Paulo Apostolo electionis vase munus Apostolicum inter gentes exercerem. Huius rei signum hoc habeas. Egredere extra vrbē Occidentem versus stadiis quinq;, in eam regionē, quæ Sanitatis locus appellatur, (Per me 9 enim Deus ipse in loco illo miracula efficit) & sub arbore Siliqua effodias; speluncam enim, atq; arcam inuenies, quoniam illic totum corpus meum conditū est, & Euangeliū manu propria scriptum, quod à sancto Apostolo & Euangelista Matthæo excepi. Quoniam verò aduersarij tui sursum, & deorsum miscentes omnia, & iura quædam obiicientes, tecum disceptant, Antiochiæ sedem Apostolicam esse contendentes, & tu contra ius tuum illis opponas; Et mea, inquies, sedes Apostolica est; nam & Apostolum habeo in patria mea. His dictis, Barnabas discessit.

9 Nota Deum p sanctos aliquo in loco miracula efficere.

Episcopus verò experrectus Deum adorauit, totoq; clero, & populo Christi amantissimo congregato, exiit in eum locum, quem per reuelationem didicerat, multo apparatu, & 10 Cruce ipsa prælata. Cùmq; preces ad Deum misisset, iussit locum effodi, quem postquā paululum fodissent, inuenerunt speluncam lapidibus obstructam. Illis autem sublatis, apparuit arca illa; qua detecta,

10 Vides Clericos, quotiescunq; cū apparatu, & pcessione incedūt, signū viuificæ crucis præferre?

detecta, inuenerunt 11 venerandas sancti, & venerabilis Apostoli Barnabæ reliquias, suauem gratiæ spiritualis odorem spirantes, inuenerunt etiam Euangelium supra Barnabæ pectus impositum. Illam verò arcam plumbeo sigillo munierunt. Cùmq; Deum precati essent, & adorassent, discesserunt, viris religiosis in loco illo ab ipso Episcopo constitutis, qui vespertinis, & matutinis hymnis Deum collaudarent. Ille igitur insigniores Episcopos secum habens venit in vrbem Regiam Constantinopolim, & ad Patriarchæ domum deductus est. De cuius aduentu cùm Imperator audiuisset, Patriarchæ ipsi mandauit, vt cum Synodo, quæ illuc conuenerat, omnium partium controuersiam audiret, & quod illi videretur, decerneret. Coacto igitur Concilio, cùm causa ista tractaretur, aduersarij afferebant sua iura, vt sibi videbantur, quòd Antiochena sedes Apostolica, & Patriarchica sedes esset; ob idq; contendebant, & alias prouincias sibi subiectas esse debere.

11 Ecce venerādas sācti Apostoli Barnabæ reliquias.

Hæc cùm assererent, iis, qui præsentes erant, rationi consentanea dicere videbantur. Beatus verò Anthemius paulùm moratus, contra obiiciens; Et mea, inquit, sedes Apostolica fuit indeusq; à principio, & libertate honorata, qui & Apostolum habeo in patria mea integro corpore constantem, beatissimum, inquam, illum Barnabam sanctarum laudum præconiis celeberrimum. Hoc cùm Anthemius opposuisset, nihil loci aduersariis relictum est, cùm Episcopi, qui præsentes erant, silentio Anthemij orationem confirmassent. Aduersarij verò ipsi rubore perfusi, muti remanserunt, responso illo tam iusto perculsi. Hæc cùm Imperator audiuisset, Episcopum Cypri ad se accersiri iussit, & de reuelatione sancti Apostoli Barnabæ diligenter ab eo quæsiuit. Ille nihil ex his, quæ vera cognouerat, occultauit, sed ordine rem omnem Imperatori narrauit. Ille hæc audiens valde gauisus est, diuinæ gratiæ diuitias admirans, quòd Imperij sui temporibus tantum miraculum à Deo factum cognosceret.

Tunc Antiochenæ vrbis Episcopum illinc expulit, & iussit, vt in posterum Cypri Episcopo, quòd ad eam causam pertinebat, nihil omnino molestus esset. Beatum verò Anthemium Episcopum ita rogauit: Quoniam sancti Pontificatus tui temporibus Domino nostro Iesu Christo placuit, sanctum suum Apostolum Barnabam reuelare, iube, quæso, celeriter Euangelium illud, quod inuentum est, nobis afferri. Id si feceris, mihi filio tuo gratissimum erit; habebis enim & me ipsum posthac tibi, pater, in omnibus obtemperantem. Assensus est eius petitioni Episcopus, & quendam ex iis, quos secum habebat, vnà cum fidelissimo Imperatoris ministro Episcopum misit; qui Euangelium illud in vrbem Constantinopolim attulerunt. Erant autem libri tabellæ thyinis lignis compositæ. Euangelium illud Imperator in manus sumpsit, & deosculatus est, auroq; multo exornatum in palatio suo reposuit, vbi ad hodiernum vsque diem seruatur, & in magna quinta Paschæ feria quotannis in palatij oratorio Euangelium ex eo libro recitatur. Episcopum vero Anthemium magnis honoribus prosecutus, pecuniis multis donatum ad insulam Cyprum remisit, eiq; mandauit, vt sancto Apostolo Barnabæ templum in eo loco erigeret, vbi venerandæ ipsius reliquiæ inuentæ fuerant. Multi autem ex optimatium numero pro illius templi ædificatione pecuniam contulerunt.

Ille igitur in Cyprum reuersus multos artifices, atque operarios collegit, & ædificationi non mediocrem operam dedit, & Apostolo Barnabæ ita templum valde magnum tum ædificio, tum multo, & vario ornatu insigne construxit. Ad eam verò templi partem, quæ ad Lybiam spectat, aulam quandam composuit, quatuor porticus habentem, & cellas hinc, atq; illinc è regione sibi oppositas in aula construxit, vt qui diuina officia in templo illo

12 Vide hic magnificū, multoq;, ac vario ornatu insigne sancto Apostolo cōstrui templū.

Monachi celebrarent; in illis cellis habitare possent. Quinetiam è longinqua regione aquæductum deriuari fecit, & in medio atrio concham quandam pulcherrimam construxit, in quam aqua illa deflueret, vt tā qui eo in loco habitabant, quàm qui peregre venissent, abunde aquis illis frui possent. Multa etiā alia hospitia illic ædificauit, in quib⁹ peregrini, & hospites recreari possēt, ita vt q locū illū vidisset, paruæ alicuius, & iucūdæ vrbis figurā videre sibi visus esset. Dein arcā illā, in qua Barnabæ Apostoli reliquiæ conditæ erant, in dextera sacræ aræ parte collocauit, q loc⁹ multo argēto, & marmoreis colūnis ornatus erat. Diē 13 verò festū, quo beati Apostoli, & generosi martyris Barnabæ memoria celebraretur, Patres agi p singulos ānos cōstituerunt, tertio Id⁹ Iunij, vt Romani numerāt; vt verò Cyprij Cōstantienses, die vndecimo eius mensis, q ab illis dicitur Mesores, & decimus numeratur; vt autē Asiani homines, vel Paphij numerant, decimonono mensis, q Phthipatus dicitur, & nonus numeratur. Hoc igitur anni tēpore in eū locū, quē supra diximus, gētes plurimæ conueniunt, & diuina officia concelebrant in gloriam Patris, Filij, & Spiritus sancti, cui debetur gloria in secula seculorum. Amen.

13 Dies festus sancti Barnabæ Apostoli xi die mensis Iunij.

Reliqarū sācti Apostoli Barnabæ reuelatio ita se habuit, vt diximus. Quæ verò miracula quotidie à sāctissimo ipsius sepulchro abūde pficiscūtur, ea si qs conscribere velit, ne multis quidē voluminib⁹ (vt opinor) illa cōplecti poterit. Nos igitur ad eorū, quæ supra diximus, memoriā redeūtes, virū hunc pietatis causa omnibus certaminibus egregiè functū, ob idq; cœlesti corona donatū, hymnis diuinis psequamur, & eundē beatū prædicantes laudū præconijs celebremus. Hic enim, tanquā oliua quædā fructifera, in domo Dei plātatus, quotidie fructus suauē odorē spirantes Deo ipsi offert. Hic Imperatorū gloria, sacerdotū iucunditas, populorū exultatio, eorū, q angustijs premūtur, cōsolatio, afflictorū pfugiū, ac recreatio, desperatorū spes, atq; adiutor, peregrinorū reqes, ægrotantiū medicina, sanorū custos, spiritualiū gratiarū fons, Ecclesiæ murus, Orthodoxorū firmamentū, fideliū hominū ppugnatio, totius orbis terrarū decus. Cæterùm tot, & tātæ sunt, beatissime Apostole Iesu Christi Barnaba, laudes tuæ, vt omniū hominū mentē, atq; orationē superent. Nihilominus tamē nostri sermonis paupertatē exiguā illā qdē, sed pmptā certè, acceptam habens, pro nobis apud eū, quē dilexisti, Christū vnigenitū Dei filiū, & Verbū intercedere 14 nō graueris, vt ille à præsenti, & laborioso hoc seculo nos eripiat, nobisq; concedat, vt remissionem peccatorū, clementiā, & misericordiā multā assequamur in illo die terribili, cùm venerit iudicare viuos, & mortuos.

14 Ecce quō Sācti apud Dei filiū p nobis intercedunt, vt peccatorū remissionē, clementiam, & misericordiā multā cōsequamur.

Tuū verò successorē, q sanctā sedē tuā gubernat, firmā, atq; immobilē, cui⁹ & tu ppugnator fuisti, fidē eodē sensu tuentē, Orthodoxæ veritatis legitimū, & verū doctorē, Saluatoris nostri imitatorē, pastorē, & patrē nostrū, q præsēs est, & sanctā tui memoriā illustrē repræsentat, Deū 15 exora, vt multis annorū circulis in sanctissima tua sede cōseruet valentē, & populū ipsius in pace, & trāquillitate regentē, qui & veritatis doctrinā omni cū sanctitate, & iustitia dirigat. Te insuper oramus, vt qua cura patriā tuā semper prosecutus es, eadē & nunc illā prosequaris, eamq; tuis sanctis apud Deū precibus custodias, & à scandalis operantiū iniquitatē eripias, vt in pace, modestia, ac pietate vitam in hoc seculo ducamus, & misericordiā Domini nostri Iesu Christi expectantes ad æternam illam vitam peruenire possimus, cuius nos omnes participes fieri optamus gratia, misericordia, & benignitate Domini nostri Iesu Christi; Cui gloria sit, Patriq; & sancto Spiritui, nunc & semper, & in secula seculorum.

Amen.

15 Inuocat & hîc sanctum Apostolū cōtra neotericorum hæreticorum blasphemias.

MARTYRIVM SANCTORVM IVSTINI PHILOSOPHI, CHARITONIS, ET SOCIORVM, QVI ROMAE PASSI SVNT.

XII. IVNII.

QVO tempore nefarij superstitionis idolorum propugnatores impia contra pietatem, ac religionem seruantes Christianos, per singulas vrbes, ac regiones edicta proposuerunt, vt quicunq; Christiani deprehensi essent, idolis sacrificare cogerentur; comprehensi Iustinus, & qui cum illo erant, adducti sunt ad Romæ Præsidem, Rusticum nomine. Quibus ante tribunal constitutis, Rusticus Præses dixit Iustino: Agè, esto diis ipsis obediens, & Imperatoriis edictis. Illi autem Iustinus respondit: Nemo vnquam reprehendi, aut condemnari poterit, qui Saluatoris nostri Iesu Christi præceptis obedierit. Tum Rusticus Præfectus; In cuius'nam, inquit, eruditionis, ac disciplinarum genere versaris? Cui Iustinus: Omnium 1 disciplinarum genus discere conatus sum, omnem'q; eruditionem expertus, postremò veræ Christianorum disciplinæ adhæsi, quamuis illa non placeat his, qui falsæ opinionis errore ducuntur. Tum Rusticus dixit: Illa'ne, miserrime, eruditione delectaris? Maximè, inqt Iustinus, quoniã recto 2 cũ dogmate Christianos ipsos sequor. At Præfectus: Quale'nam est istud dogma? Respondit Iustinus: Rectum dogma, quod Christiani homines cum pietate seruamus, hoc est, vt Deum vnum existimemus factorem, atq; creatorem omnium, quæ videntur, quæ'q; corporeis oculis non cernuntur, & Dominum Iesum Christum Dei Filium confiteamur olim à Prophetis prænunciatum, qui & humani generis Iudex venturus est, salutis præco, & magister ijs, qui ab illo benè didicerint. Ego quidem, vt homo, imbecillis sum, & longè minor, quam vt de infinita illius Deitate aliquid magnum dicere possim: Prophetarum munus hoc esse fateor. Illi enim huius ipsius, quem Dei filium esse dixi, in orbem terrarum aduentum multis antea seculis diuinitus prædixerunt.

1 Vides disciplinarũ omniũ studium nõ esse Christianis inutile, nec à scholis explodendum, vt hæretici autumant?

2 Nota q̃ nõ sufficit Christianè viuere, nisi etiã recta fidei dogmata sequaris.

Quæsiuit Præfectus, quem in locum Christiani conuenirent. Cui respondit Iustinus, eò vnumquenq; conuenire, quò vellet, ac posset. An, inquit, existimas, omnes nos in eundem locum conuenire solitos? Minimè res ita se habet, quoniam Christianorum Deus loco non circunscribitur; sed cùm inuisibilis sit, cœlum, & terram implet, atq; vbiq; à fidelibus adoratur, & eius gloria collaudatur. Tunc Præfectus; Agè, inquit, dicas, quem in locum conueniatis, & discipulos tuos congreges. Respondit Iustinus: Ego prope domum Martini cuiusdam ad balneum, cognomento Timiotinũ, hactenus mansi. Veni autem in vrbem Romam secundò, neq; alium quempiam locum, nisi quem dixi, cognosco. Ac si quis ad me venire voluit, communicaui cum illo veritatis doctrinam. Ergo Christianus es tu? inquit Rusticus. At Iustinus: Maximè, Christianus ego sum. Tunc Præfectus dixit Charitoni: An & tu Christianus es? Cui Chariton: Christianus ego sum, Deo ipso adiuuante. Quæsiuit Rusticus à Charitina muliere, num & ipsa Christi fidem sequeretur. Cui respondit illa, se quoq;, Deo dante, Christianam esse. Tunc Rusticus dixit Euelpisto: Tu verò quis'nã es? Cui respondit: Seruus quidẽ Cæsaris sũ, sed Christianus, à Christo ipso libertate donatus, & illius beneficio, atq; gratia, eiusdẽ spei, cuius & isti sunt, quos vides, particeps factus. Posthæc Præfectus quæsiuit ab Hierace, num & ipse Christianus esset. Cui Hierax dixit: Certè Christianus & ego sum; eundem enim Deum colo, atq; adoro. An, inquit Præfectus, Christianos vos fecit Iustinus? Ego, inquit Hierax, & fui, & ero Christianus. Stans autẽ & Pæon dixit: Ego quoq; sum Christianus. Et quis'nam, inquit Præfectus, te docuit? Respondit ille: A` parentibus bonam hanc confessionẽ ego accepi. Post hunc Euelpistus dixit: Et ego Iustini quidẽ sermones magna cum voluptatẽ audiebam, sed à parentibus tamen & ipse Christianus esse didici. Tum Præfectus: Et vbi'nam parentes tui sunt? In Cappadocia, inquit Euelpistus. Quæsiuit Præfectus & ab Hierace, vbi'nam gentium essent eius parentes? Cui respondit Hierax: Verus pater noster Christus est, & mater fides, qua in ipsum credimus; terreni verò parentes mei mortui sunt. Cæterùm ego ab Iconio Phrygiæ abstractus huc veni. Quæsiuit Præfectus à Liberiano, quid'nam & ipse diceret; num Christianus esset, atq; in deos impius? Cui Liberianus; Et ego, inquit, Christianus sum; colo enim, & adoro solum verum Deum.

Tunc Præfectus conuersus ad Iustinum dixit: Audi tu, qui eloquens esse diceris, & putas te veram disciplinam tenere: Si à capite per totum corpus flagello cæsus fueris, persuasum'ne habes fore vt in cœlum ascendas? Cui Iustinus; Spero, inquit, me habiturum quod habent, qui Christi dogmata seruauerint, si hæc ipsa, quæ dicis, perpessus fuero. Scio enim omnibus, qui sic vixerint, diuinam gratiam conseruari, quoad totus mundus consummetur. Ad hæc Præfectus Rusticus: Ergo futurum opinaris, vt in cœlos ascendas, mercedem aliquam recepturus? Non opinor, inquit Iustinus, sed 3 scio, & hoc tam certum habeo, vt nihil dubitem. Rusticus dixit: Veniamus deinceps ad id, quod propositum est, & nos vrget. Conuenite simul, & vno, eodemq; animo diis sacrificate. Ad hæc Iustinus: Nemo, inquit, qui rectè sentiat, pietatem deserit, vt in errorem, atq; impietatem delabatur. Præfectus Rusticus dixit: Nisi iussis nostris parere volueritis, cruciatus sine vlla misericordia patiemini. Iustinus autem: Maximè nos in votis habemus propter Dominũ nostrum Iesum Christum cruciatus perpeti, ac saluari; hoc enim nobis salutem, & fiduciam conciliabit ante eiusdem Domini, & Saluatoris nostri terribile illud tribunal, cui totus mundus diuino iussu assistet. Idem & reliqui omnes Martyres dixerũt, hoc addẽtes: Fac citò, quod vis; nos enim Christiani

3 Sapiẽter hãc respõsionem intellige, nõ enim hæreticæ positioni fauet. Quoniam vel nõ de fide hîc loquitur, qua quis firmiter credit, & certò statuit cœlorũ Regnũ se cõsecuturum; sed de firma, & certa spe, qua illud expectare debet, si diuina mãdata seruauerit. Hanc enim spem qlibet habere debet, fidem illam nullus. Quinimmò ex scripturis ea improbatur. Vel si de fide loquitur, de ea intelligit, quæ ex diuina reuelatione habetur.

sumus,

stianis, & idolis non sacrificamus.

Hæc audiens Præfectus talem sententiam pronunciauit: Qui diis sacrificare, & Imperatoris edicto parere noluerunt, flagello cæsi ad capitalem pœnam abducantur, quemadmodum leges præcipiunt. Itaq; sancti martyres Deum collaudantes, ad consuetum locum producti, post verbera securi percussi sunt, & in Saluatoris confessione martyrium consummarunt.

Posthæc quidam fideles clam illorum corpora sustulerunt, & in loco idoneo illa condiderunt, cooperante gratia Domini nostri Iesu Christi; Cui gloria in secula seculorum. Amen.

AA

MARTYRIVM SANCTAE AQVILINAE VIRGINIS.

XIII. IVNII.

POSTEAQVAM Saluator noster Iesus Christus è cœlo descendit, & homo factus est, & pro peccantium hominũ salute in terris apparuit, eiusq; miraculis abunde mundus ipse illustratus fuit, atq; his, quæ vltro passus est, diaboli, qui hominem circumuenerat, imperium exinanitum fuit, diuinaq; gratia per gloriosam ipsius resurrectionem in mundum redundans, humanum genus ad fidem conuertit, deniq; posteaquàm è terra in cœlum ipse ascendit, & ad Patris dexteram sedit, Apostoli, acceptis ab eo mandatis, fidem ipsius per totum orbem terrarũ prædicarunt. Cùmq; multi per Apostolicam prædicationem instituerentur, & Dei ope adiuuante, omnes illi à sancto Spiritu illuminarentur, fides ipsa per totũ orbem terrarum vigebat. Apostoli verò, cùm suum munus compleuissent, ad cœlestem Dominum ascenderunt. Sed illorum tamen prædicatio faciebat, vt per vniuersam terram multi Deum timerent.

Itaq; in vrbe quadam Palæstinæ regionis, quæ Biblos dicebatur, erãt Christiani homines, qui ab Apostolis ipsis pietatis doctrina instructi fuerãt; è quib⁹ vnus, Eutolmius nomine, in vrbe illa vxorẽ duxit; qui cùm vnà sãctè viuerent, Deus ipse fructum, & progeniem illis dedit, quæ nefaria tyranni decreta exinaniuit. Cùm enim fœmina illa ex Eutolmio viro suo concepisset, puellam peperit, quam & Aquilinam parentes nominarunt. Hæc cùm paulò grandior facta esset, & ætatem adhuc tenellam ageret, iniquorum Imperatorũ de idolorum cultu seruando constitutiones euertit. Cùm enim puella ipsa quadrimestrem ætatem ageret, eius mater ad Euthalium Episcopum illam tulit, quam in nomine Domini nostri Iesu Christi Episcopus ille signauit, & cathecumenam fecit. Post duos verò menses cùm eãdem ad Euthalium ipsum mater portasset, puella Christi baptismo illuminata est. Quæ cùm annum ageret, eius pater Eutolmius ex humana vita ad Christum migrauit. Mater verò puellam educabat. Itaque cùm septẽ annos hæc ageret, à matre sua omnem institutionem mulieribus congruentem edocebatur, quæ quò ætate magis crescebat, eò magis Spiritu sancto implebatur, & Christi gratia decorabatur.

Cùm verò decimum annum ageret, nunquam desinebat Deum ipsum inuocare. Quo tempore, Diocletiani Imperatoris anno septimo instante, Volusianus quidam homo tam nefarius, vt diaboli progenies dici posset, prouinciæ

Palæstinæ administrationem accepit; qui cùm Deum ipsum non cognosceret, cœpit diuinæ pietatis cultores insectari. Cùm igitur Christi victoria multi coronarentur, & Domini Iesu athletæ certamina maxima rectè sustinerent, diabolus ipse videns consilia sua à victoribus Christi militibus destrui, omnē insaniam, ac furorem effundebat. Quæ cùm ita fierent, beata, & honesta virgo Aquilina multam Dei notitiam habens, æqualesq́; suas conueniens, & quotidie cum illis colloquens; Quæ'nam, inquit, vtilitas vobis est ab idolis istis, quæ vos colitis? An ignoratis, quòd qui fidem in istis collocarunt, vanam expectationem, inanem, nugacem, animarum corruptricem, & dæmoniacam spem habent? Istorum enim omnis inuocatio inutilissima est; quiq́; istis diis sacrificium offerunt, vt eos propitios sibi faciant, inanem operā consumunt. Nam qui mortui sunt, & loquendi facultatem sibi dare non possunt, quomodo illi poterunt aliis benefacere?

Hæc cùm Aquilina diceret, mulieres omnes, quæ cum ea loquebantur; Quoniā, inquiūt, deos ipsos negas, & eos euertere videris, agè dic: Quem'nam Deum tu colis? Respondit Aquilina: Ego Deum illum colo, qui cœlū terram, & mare creauit, quiq́; ab omnibus seculis iis omnibus benefecit, qui fidem, & spem in ipso habuerunt, & adhuc potest benefacere in perpetuum iis, à quibus inuocatur. Tum mulieres illæ; Et quomodo, inquiunt, nos audiuimus, à Iudæis interfectum fuisse istum, quem tu Deum dicis? At Aquilina: Omnes, qui à morte absorpti fuerant, Deus meus redemit, mors enim ipsi non dominatur. Hic igitur cùm opera manuum suarum, hoc est homines ipsos in multo errore vagantes vidisset, hominem se facere voluit, vt mundi errorem extingueret, & gratiam cum iustitia coniunctam nobis afferret. Dixerunt fœminæ illæ: Et quis'nam est, quem Crucifixum dicunt? Ille ipse, inquit Aquilina, est omnium Saluator, qui propter suam in homines charitatē, cùm vellet omnibus hominibus per aquam, & spiritum nouam generationem afferre, Crucem subire, & perpeti voluit, vt non solùm iis, qui in terris sunt, salutem conferret, sed eos etiam, qui apud inferos tenebantur, liberaret; omnibusq́; eò quòd ipse tertio die à mortuis resurrexit, futurum ostendit, vt & ipsi omnes suo tempore à mortuis resurgerent. Tunc illæ: Si hæc beneficia in orbem terrarum, vt tu dicis, iste contulit, quare Iudæi, ex quibus & ipse erat, non vt Deum colunt? Ad hæc Aquilina; Semper, inquit, Iudæorum natio veritatis viam auersata est; cùmq́; ceruice dura, & animo obstinato sint, quæ iusta, & vera sunt, reiiciunt, quamobrem & eum, qui multis modis in ipsos piè se gesserat, negauerunt, Pilato tradentes, & vt eum in Crucem tolleret, ab ipso flagitantes. Ipse tamen Iesus sponte Crucem illam subiit.

Dum Aquilina cum illis fœminis hæc loquebatur, Nicodemus quidā ex illorum numero, qui erant cum Proconsule, audiuit quæ Aquilina dicebat, & statim ad Volusianum Proconsulem cucurrit, & ait: En, Proconsul, Imperatores ipsi deorum beneficia profitentes, per omnes vrbes edicta miserunt, vt quicunq; diis ipsis non sacrificant, pessimis modis interficiātur. Est in vrbe hac puella, quæ diis aduersatur, & edictis religiosorum Imperatorum non obedit, sed totam spem suam in homine illo Crucifixo collocauit; quinetiam mulieres alias docet, & ipsas deorum stabilem, & compositam religionem denegare. Adde quòd & deos ipsos dæmones vocat. Hæc cùm audisset Proconsul, misit quosdam ex cohorte sua, qui eam comprehenderent. Quam cùm tenuissent, ad tribunal duxerunt. Tum in eam Proconsul intuens; Tu'ne, inquit, es quæ Imperatorum edictis repugnas, & fœminas alias falsis sermonibus instruis, ne ampliùs diis ipsis obediant, sed Crucifixū hominē colant? An ignoras, Imperatores ipsos isti Crucifixo iratos esse, quippe qui iusserunt,

poenis quibusdam ineuitabilibus, & summis cruciatibus illos interfici, qui Iesum colunt? Quamobrem & tu ab illius doctrina discedas, & inuictis diis nostris congruentes victimas afferre studeas, ne aliquo modo nos cogamur cruciatibus te subiicere, eò quòd diis ipsis obtrectes. Ad hæc Aquilina; Cùm inquit, cruciatibus à te Proconsule subiecta fuero, tunc immortalitatis coronam à Saluatore meo me accepturam expecto, eò quòd illum non negē. Quapropter sine mora quæuis tormenta in me ipsam excogites, vt cognoscas me fide armatam tibi assistere, neq; minas tuas extimescere.

Tunc dixit Volusianus: Video te ad tribunal meum assistere ætate admodùm iuuenili, specie verò, & pulchritudine valde honesta; itaq; tui rationem habeo; nam si tormentis te subiiciam, tenera membra tua quamprimùm gladiis destruentur. Quòd si carnificibus meis iussero te cruciare, nullam tui rationem habebunt; tu verò ætate valde tenera suppliciis malè consumpta, vitam finies, neque quicquam tibi prodesse poterit Christianorum Deus, quem colis. Erat beata Aquilina duodecimum ætatis annum tunc agens, cùm Proconsuli assistebat, quæ respondens; Nolo, inquit, ego, vt misericordia me prosequaris, putans enim te misericordem in me esse, maiori damno me afficis; sed à te peto, vt ferociorem te ostendas, quò ex patientia mea cognoscas, eos, qui spem suam in Christo Domino posuerunt, inuictos permanere.

Hæc cùm Volusianus puellam dicentem audiuisset, iussit carnifices ad eam accedere, & constanter colaphis illam percutere, & addidit: Vide, Aquilina, num istæ tormentorum primitiæ tibi suaues, & iucundæ videantur. Ad hæc Aquilina: Tu quidem, Tyranne, non veritus es iubere colaphis eam cædi, quæ ad imaginem Dei facta est; itaq; nec Deus meus tibi parcet in die Iudicij. Tum Volusianus; Ego, inquit, existimo, maximos nostros deos terrarum orbis salutem in manu sua tenere, & in illo altero seculo omnium salutem in sua potestate habituros. Id'q; cùm dixisset, iussit puellam exui, & subligaculo cinctam à duobus carnificibus distentam acriter verberari, hæc verba addens: Nonne tu, Aquilina, dixisti futurum, vt Deus tuus in die Iudicij mihi nō parcat? Et vbi'nam ille nunc est, qui mihi non parcit? Veniat, & liberet te de manibus meis. Sed admoneo te, vt vanam istam Christianorum hæresim fugias.

Tunc iussit carnifices verbera intermittere, & ad Aquilinam conuersus; Agè, inquit, dic mihi, misera: Et quem aliquando cognouisti, aut audiuisti spem habuisse in homine Crucifixo, qui manus meas effugere potuerit? Et quem'nam eorum, qui eius fidem secuti sunt, Imperatores viuum reliquerunt? Agè igitur, audi me, & ab insania ista te remoueas. Ad hæc Aquilina; Num, ò Tyranne ferocissime, tormenta hæc putas me sensisse? Illud velim scias, quotcunque machinas pater tuus diabolus tibi contra me ipsam suggerit, totidem, & longè iis plura subsidia mihi à Deo meo suppeditari. Tunc Volusianus, Nos, inquit, edocti sumus à sapientibus iis, qui ante nos fuerunt, diis ipsis immolare; itaque tibi dies aliquot præscribi iubeo, vt interea consilium ineas, num meliorem mentem capiens, diis cultum offerre, & vitam à nobis, maximos'q; honores ab Imperatoribus nostris assequi velis. Ad hæc Aquilina: Quot'nam dies mihi præscribis, quibus deliberem? Tot, inquit, Volusianus, quot ipsa voles, & à me petes. Aquilina autem dixit: Hoc à te peto, vt nullos mihi dies præscribas, quòd ad huius rei consultationem attinet. Ego enim ab ineunte ætate hoc semper cogitans, nullum alium Deum inueni, qui possit mihi benefacere, & ad quem confugere oporteat, nisi cœlestem illum Deum. Tunc Volusianus: Vana est, vt video, admonitio mea, & frustra laboraui, cùm te admonui. Nequaquā, inquit

inquit Aquilina, hac in te tibi obtempero; itaq; ne frustra labores, sed quicquid excogitari potest, aduersus me inutilem Dei seruam adhibeas, vt rursus te victum esse ostendam, quemadmodum & superioribus tormentis victus es.

Tunc Volusianus dixit: Accendantur subulæ, ita vt ignitæ sint, & per eius aures transmittantur. Cùm fecissent carnifices, quod iussi fuerant, & subulas ardentes in aures puellæ eò vsq; transmisissent, quoad vel solus ignis vapor eius cerebrum combureret, & per nares effunderet; cùmq; ipsius cerebrum incenderetur, puella Deum sic precata est: Tu, Domine Iesu Christe, qui aluisti me ab adolescentia mea, qui iustitiæ tuæ radiis occultissimas cogitationes meas illuminasti, qui generosa, & forti potentia tua me fortem reddidisti, vt contra hostem, & aduersarium diabolum pugnarem, qui veram, & summam sapientiam tuam omnibus fidelibus tuis impertiuisti, perfice cursum certaminis mei, & virginitatis meæ lampadem inextinctam serua, vt & ego vnà cum quinq; illis virginibus ad purissimum thalamum tuum introire, ac te ipsum celebrare possim, qui petitiones meas mihi concessisti.

Hæc cùm precata esset, & diutius ferreis, & ardentibus subulis combureretur, semimortua facta est, ita vt proconsul Volusianus illam mortuam esse crediderit. Itaq; iussit illinc eã asportari, & extra vrbẽ proiici, quippe quæ deos ipsos negauerat, & Imperatores contempserat; ob idq; dicebat sepulturæ mandari non debere, sed canibus ipsis escam proiici. Cùm verò Aquilina totum diem in via proiecta iacuisset, circa medium noctis tempus descendit Angelus Domini, & Aquilinam cùm tetigisset; Surge, inquit, & esto sana, Volusianumq; Proconsulem redarguas, quòd ipse nihil, & eius consilia vana sint. Statim Aquilina incolumis surrexit, & Deum laudans dicebat: Gratias ago tibi vitæ meæ auctori, qui sanitatem affers, & ab iniquitatibus homines liberas; tu enim es, Domine, qui ante secula fuisti, & in secula permansurus es, nec præter te alius est Deus. Illud verò à te supplex peto, vt cum patientiæ brauio consummata fuero, corona tua caput meum circundes, vt certissimis promissis tuis fruens, vnà cum choro sanctorum tuorum, qui propter te martyrium compleuerunt, hymnos tibi concinam. Tunc illi Dominus respondit: Vade, fiat tibi, sicut tu dixisti. Quo audito, Aquilina valde lætata est. Tunc ab Angelo ducta venit ad portam vrbis; qua statim patefacta, in vrbem ipsam est ingressa.

Fuit autem illi dux Angelus, donec ad Volusiani prætorium eam duxit. Qui cùm à somno excitatus illam ante oculos suos stantem vidisset, stupore perculsus est, & statim quosdam vocauit ex iis, qui in eius prætorio morabantur, dicens: Videte, quænam hæc sit, quæ ante oculos meos consistit. Cùmq; allatis luminibus, illam vidissent, dixerunt: Profectò hæc Aquilina est, quam tu canibus escam proiici iussisti. Hæc cùm audisset Proconsul, iussit illã seruari vsq; ad sequentis diei tempus. Quod cùm venisset, iussit illam duci ante tribunal. Eam verò affatus; Tu'ne, inquit, es Aquilina? Tum illa respondit: Scelestissime homo, & si cordis tui lumẽ excæcatum est à patre tuo diabolo, an & corporeis oculis non vides? Ego sum Aquilina, quæ tibi nunc assisto. Tum Proconsul manu sua oculos terens, & præ stupore cùm paulisper obmutuisset, secũ dicebat: Si ipsius cerebrũ cõbustum est, & morti subiecta nõ fuit, nullum igitur deinde aliud tormentum ipsam attingere poterit.

Hæc cùm dixisset, sententiã, vt securi percuteretur, talẽ pnũciauit: Aquilinã pessimæ Christianorũ sectæ ppugnatricẽ, natu quidẽ minorẽ, sed veneficiis tamẽ grandẽ, Imperatorũ edictis religiosissimis aduersantẽ deprehẽdimus, neq; diis obedientẽ, neq; Imperatoribus assentientẽ; quã cùm multis admonitionib⁹,

conati simus ab insania hominis Crucifixi ad inuictorū deorū verissimā cognitionē traducere, nō potuimus. Hæc multa tormenta experta quidē fuit, sed veneficiis tamen suis fecit, vt nullis tormentis perturbari posset. Reliquum igitur mihi visum est, ne deorum sacrificia irrideantur, vt hanc extra vrbem eductam capitali pœna plecti iubeamus. Cùm igitur Aquilina educeretur, & carnifex præiret, venit ad eum locum, in quo illam gladio percuti definitum fuerat. Ibi vnius horæ tempus petiit, vt Deum oraret. Erectis 1 igitur in cœlum oculis; Domine, inquit, Deus omnipotens, ago tibi gratias, quòd martyrij mei tempus mihi ostenderis. Laudo te, Deus meus, rerum omnium effectorem, quòd non fecisti, vt frustra stadij mei cursum conficerem. Benedico tibi, creator vniuersorum, quòd Tyrannum confudisti, & me ipsam coronasti. Hoc igitur à te supplex peto, vt accipias spiritum meum in pace, vt derelictis terrenis rebus, cœlestibus bonis frui possim, &, te auctore, immortalitatis coronam recipiam.

1 Erectis in cœlum oculis, Sancta orat.

Hæc cùm precata esset, vox è cœlo venit, quæ dixit: Agè, virgo electa, quæ Tyranni fremitum conculcasti, & diaboli stimulos certamine tuo comminuisti, ducemq; Volusianum omnino superasti, accipe brauium tibi propositum. In terris labores, & ærumnas pertulisti, in cœlis nunc iucunditate perfruaris. Cùm hæc vox ad eam delata esset, priusquam carnifex in eius ceruicem gladium iniecisset, beata Christi veri Dei nostri martyr perfectè mortem obiit. Carnifex verò, licet illa spiritum reddidisset, tamen, Proconsule iubente, eius caput abscidit, ex quo pro sanguine lac in terram defluxit. Christiani autem homines cùm præsto essent, eius 2 reliquias gemmis præstantiores sustulerunt, & pretiosis vnguentis, ac linteis nouis inuolutas in monumento apud vrbem Biblon sepelierunt.

2 Vide quanta cura sacræ Virginis reliquias sepelierūt Christiani.

Martyrio autem consummata est beata Aquilina, Imperatore Diocletiano, & Volusiano Proconsule, tertiodecimo die mensis Iunij. Est autem eius martyrij locus in vrbe Biblo, vbi vsq; ad hodiernum diem multæ curationes hominibus afferuntur, in Christo Iesu Domino nostro; Cui gloria in secula seculorū. Amē.

VITA, ET MARTYRIVM SANCTAE FEBRONIAE VIRGINIS PER THOMAIDEM SANCTIMONIALEM SCRIPTA.

XV. IVNII.

QVO tempore Diocletianus Romanis imperabat, accidit vt Anthimus Præses morbo laboraret, & in lecto iaceret: Selenum igitur fratrem ad se accersitũ his verbis affatus est: Ego, mi frater, ex rebus humanis excedo, itaq; Lysimachum filium meum in manus tuas trado; cui quoniam Prosfori Senatorij hominis filiam vxorem dandam constituimus, velim post meum obitũ nuptias quamprimum studeas perficere, & sis illi patris loco. Hæc cùm Præses fratri mandasset, post tres dies è viuis excessit. Imperator verò Diocletianus Lysimachum Anthimi filium, & Selenum eius patruum ad se accersiuit, & seorsum dixit Lysimacho: Ego, adolescens, patris tui amicitiam recordatus in animo habui post eius excessum te in eius locum Præsidem constituere; sed quoniam fama quædam aures meæ personant, te Christianorum religione delectari, interea id facere distuli. Volo igitur te ad Orientis partes mittere, vt Christianorum religionem persequaris, ac deleas; cùmq; ad nos reuersus fueris, tunc Præsidem ages.

Hæc cùm Lysimachus audiuisset, nihil Imperatori ausus est respondere; erat enim ætate admodùm iuuenili, annum agens ferè vigesimum. Selenus verò eius patruus cùm ad Imperatoris pedes procubuisset; Supplex, inquit, immortalem maiestatem tuam oro, vt paucos dies Lysimacho concedas, vt nuptias celebrare possit; postea & ego vnà cum illo abibo, & omnia fient, quæ diuina maiestas tua præcepit. Tunc Imperator: Priùs ad Orientem profecti Christianorum religionem extinguatis; cùmq; omnia rectè perfeceritis, huc reuersi me quoq; habebitis omne studium adhibentem ad conficiendas Lysimachi nuptias. Hæc cùm audiuissent, non ampliùs ausi sunt Imperatori respondere. Acceptis igitur mandatis, & militibus multis, ad Orientem iter fecerunt. Lysimachus verò secum duxit virum quendam, Primum nomine, ex eorũ numero, qui Comites vocãtur. Erat autẽ ille ex matris eius sorore genitus; quẽ & exercitui præesse voluit. Cùm igitur venissent ad Orientem, & ad Mesopotamiam accessissent, in ea regione, quæ Palmyra dicitur, Christianos

homines partim in ignem coniecerunt, partim gladio percusserunt. Erat enim Selenus ille admodum sæuus, atque inhumanus, qui non solum hæc, quæ diximus, faciebat, verumetiam illorum corpora canibus escam proiici iubebat. Multus igitur terror propter Seleni durioris viri sæuitiam, atque atrocitatem totum terrarum orbem continebat.

Nocte verò quadam Lysimachus Comitem Primum ad se accersitum his verbis affatus est: Honestissime vir Prime, tu nosti, quòd licet pater meus Græcorum superstitionem sequens mortuus fuerit, tamen mater mea Christiano cultui dedita vitam egerit, & diem obierit; quæ quidem multum studium, ac diligentiam adhibebat, vt Christianus fierem; sed ego propter Imperatoris, & patris mei timorē, id facere adhuc nō potui. Quin etiā matris meæ habeo mandata, ne quem Christianorum hominum interficerem, sed Christi amicus esse studerem. Nunc autē Christianos ipsos video sub hoc homine perditissimo Seleno patruo meo cruciatos impiè necari. Quamobrem animus meus illorum causa valde affligitur. Volo igitur vt Christianorū incolumitati clam deinceps consulamus, priusquàm à Seleno ipso pessimè omnes interficiantur: Hæc cùm audisset Primus ille, neminem Christianorum comprehēdi iubebat, sed illis, quos nouerat, & monasteriis etiam significabat, vt vastatoris Seleni manus aufugerent.

Cùm verò adhuc in illis locis versarentur, volebant Sibapolim peruenire, quæ sita erat in finibus Assyriorum, ac sub Romanorum ditione constituta. Erat autem in vrbe illa 1 monasterium mulierum quinquaginta, quæ monasticæ vitæ studio se ipsas exercebat. His præerat mulier quædā nomine Brienna, quæ magistram habuerat Platoniam, diaconatus officio ante se functam, cuius 2 traditionem, & canonem ad finem vsque optimè seruauit. Platoniæ autem canon talis fuerat. In die parasceues nulli ex sororum numero licere opus aliquod facere, sed in sacello omnes conuenire. Itaque modò psalmorū canendorum regulam exequebantur, modò Platonia librum tenens, literas diuino spiritu afflatas sororibus legebat vsque ad horam tertiam. Post tertiā autem horam dabat librum in manus Briennæ, iubens ex eodem libro aliquid sororibus legere vsque ad vesperam. Ita igitur & Brienna faciebat, tale ministerium obeundo. Cui duæ Virgines adolescentes aderant benè apud illam educatæ, & exercitationis monasticæ palæstram obeuntes, quarum vna Procla, altera Febronia nominabatur. Erat que Procla annos nata vigintiquinque; Febronia verò viginti, quæ Briennæ erat neptis. Eadem pulchritudine, & corporis statura erat valde insignis, & aspectu hilaris, ita vt venustas in ore ipsius efflorescens, humano artificio depingi non posset.

Porrò erat Briennæ multa solicitudo, quo pacto Febroniam intactam seruaret, illam forma tam egregia præditam videns. Cùm verò omnes sorores illæ ab vnius diei vespera vsque ad sequentis vespertinam horam ieiunarēt, iussit Febroniam post 3 duorum dierum spatium comedere. Illa igitur cùm se tali corporis habitu præditam videret, tunc etiam neque panem, neque aquam ad satietatem vsquam sumebat. Ad hæc iussit paruum quoddam scamnum sibi componi, tribus cubitis longum, & vno palmo, ac dimidio latum, in quo requiescebat, quotiens dormiendi tempus aduenerat. Interdum & in 4 solo nudo carnes suas reclinabat. Quotiens verò à diabolo nocturnis cogitationibus tentabatur, ennegebat, & multis cum lachrymis Deo supplicabat, vt diabolum tentantem à se fugaret, & statim librum aperiens, diuinas literas laboriosè legebat. Cùm enim adolescens esset discendi cupida, tam multa didicit, vt tantum Febroniæ scientiæ studium Brienna valde admiraretur. In die igitur parasceues omnibus sororibus illis ad ædem sacram cōuenientibus, iubebat

1 Vides multū ante Hieronymi tempora fuisse monasteria Virginum?

2 Ecce quomodo & Sāctimoniales fœminæ habebant traditiones, & canones, quib⁹ regebantur.

3 Vide ieiuniū lōgum duorum dierū.

4 Nota, Interdū & in solo nudo carnes suas reclinabat.

Brienna Febroniam diuina eloquia sororibus legere. Quoniam verò mulieres nobiles in die parasceues ad sacellũ veniebant, & spirituali doctrina fruebantur, iussit Brienna Febroniam velo contectam diuina eloquia recitare; hominis enim externi, vel mulieris aspectum, cuiusmodi esset, nunquam viderat.

Februniæ igitur doctrina vsquequaq; per totam vrbem, & pulcherrima ipsius forma, & mansuetudo, atq; animi modestia celebrabatur. Quod cùm audiuisset Hieria Senatorij generis mulier, miro quodam ardore inflãmata, quærebat cum Febronia colloqui. Erat autem Hieria illa superstitionis Græcæ cultrix, nec dum ad baptismum venerat, quæ cùm vnà cum viro suo menses septem vixisset, vidua postea facta, reuersa est in suam patriam ad proprios parentes, quietè viuens. Erant autem & ipsi Græcæ superstitionis cultores. Venit igitur in monasterium, & per ianuæ custodem, consilium suum Briennæ significauit. Exiit Brienna ad illam. Cùmq; Hieria ipsa ante Briennam se se prostrauisset, eam adorauit, & apprehendens eius pedes; Obtestor, inquit, te per eum, qui fecit cœlum, & terram, ne me abomineris, quæ Græcã superstitionẽ secuta sum, ob idq; impurè me gessi, & ad hanc vsq; diẽ idolorũ fui ludibrium. Ne me priues sororis meæ Febroniæ doctrina, atq; congressu. Per vos liceat mihi discere salutis viam, vt per eam incedam. Liceat inuenire quæ Christianis parata sunt. Liberate me ab huius seculi, & impuræ idolorum superstitionis vanitate, quoniam cogunt me parentes mei secundis nuptiis copulari; & sit mihi vita, Febroniæ consuetudo, & doctrina; satis enim mihi est præteriti temporis inscitia, tanquam pœna quadam, mulctatã fuisse.

Hæc cùm diceret Hieria, & lachrymis pedes Briennæ aspergeret, ipsam in multam misericordiam concitauit. Illi igitur Brienna; Quòd ad Febroniam, inquit, pertinet, nouit Deus, quemadmodum cùm duos annos ageret, ipsam in hoc monasterio in manus meas acceperim; & hodie decẽ & octo anni sunt, ex quo in monasterio viuit, neq; viri alicuius, neq; mulieris in mundo versantis formã aspexit, sed nec mundi figuram aliquam hucusq; vidit; quinetiã neq; eius nutrix hactenus ipsius aspectũ cernere potuit; quãuis enim lachrymãs sæpè mihi supplicauerit, vt liceret cum ea colloqui, non tamen id assecuta est, nam ei hoc ego non concessi. Cùm verò te eius videndi desiderio teneri intelligam, & Dei amantem esse cognoscam, ad eam deinceps te intromittam, modò veste monastica induta fueris. Duxit igitur Brienna Hieriam ipsam ad Febroniam. Quàm cum virgo Febronia ʃ monastica veste indutam vidisset, ad Hieriæ pedes se deiecit; existimabat enim peregrinam aliquam monacham à se videri. Vicissim igitur se amplexæ sunt, quas ambas iussit Brienna sedere, & Febroniam diuinæ scripturæ libros legere. Eius autem lectione, ac doctrina ita compuncta est Hieria, vt totam noctem insomnem simul transegerint; neq; enim Febronia dicendo, neq; Hieria audiendo defatigabatur. Tantum verò lachrymarum in terram effudit Hieria, vt totum solum eius lachrymis irrigatum fuerit. Diluculo autem vix Brienna potuit persuadere Hieriæ, vt illinc ad parentes suos rediret. Cùm igitur se vicissim iterum amplexæ, lachrymarum plenæ fuissent, descendit Hieria in domum suam, & persuasit parentibus, vt ab inanibus paternæ traditionis moribus, & idolorũ seruitute discederent, & Deum omnium Creatorem cognoscerent.

ʃ Ecce quomodo etiã Sanctimoniales fœminæ habitum monasticum gerebant.

Febronia verò interrogauit Thomaidem, quæ secundas partes diaconatus gerebat: Quæso, domina mea, & mater: Quænam est illa hospes, & soror, quæ ita lachrymis perfusa erat, quasi aliàs nunquam diuinas literas legi audierit? Tunc Thomais Febroniæ respondit: An ignoras quæ illa sit? Et vndenam, inquit illa, peregrinam mulierem cognoscere poteram? Tum Thomais: Hæc est Hieria Senatori generis fœmina. Et quare, inquit Febronia,

mihi non significastis, ne ego tanquam cum sorore loquerer? At illa: Ita fieri iussit Brienna Præses. Illis diebus ægrotauit Febronia vsq; ad mortem, & in scamno illo suo iacebat.

Interim fama quædam ad vrbẽ illam peruenit, Lysimachum & Selenum aduentare, vt Christianos cruciatibus multis affligerent. Omnes igitur Christiani, qui erant in ciuitate, clerici, laici, & monachi, relictis rebus suis, aufugerunt, ita vt eius etiam vrbis Episcopus propter imminentem terrorem se occultauerit. Cùm hoc audiuissent eius monasterij sorores, adierunt Briennam, & hæc ei dixerunt: Quidnã faciemus, cùm feræ vrbem hanc occupauerint, & omnes propter imminentes minas aufugerint? Quidnam, inquit Brienna, vobis placet? Tum illæ: Iubeas, mater, nos latere paulisper, vt animas nostras nos etiam seruemus. Ad hæc Brienna; Nondum, inquit, bellum vidistis, & de fuga cogitatis? Nondum palæstra præstò est, & statim vos victas ostenditis? Nolite, quæso, filiæ, ita facere; nolite, quæso; sed resistamus, & certemus, ac moriamur pro eo, qui pro nobis mortuus est, vt & cum illo viuamus. Hæc cùm sorores audiuissent, conticuerunt.

Die autem crastino vna quædam è sororibus, nomine Aeteria, dixit: Scio ego, quòd Febroniæ causa non permittit nos Brienna hinc secedere. Fortasse propter hanc Febroniam nos omnes perire vult. Sed ecce ego dico vobis, vt illam adeamus; ipsa enim pro omnibus dicam, quod decet. Cùm hæc audiuissent sorores, aliæ paruerunt Aeteriæ, aliæ contradixerunt eius consilium condemnantes. Cùmq; multa dissensio inter eas per aliquot horas fuisset, postremò omnes concordes adierunt Briennam, vt scirent, quod consilium illis daret. Postea verò quàm venerunt illæ, & Brienna consilium Aeteriæ cognouit, intuens in illam; Quidnam, inquit, vis, soror Aeteria? Quæ respondit: Vt iubeas nos occultari, & imminentem furorem aufugere; nõ enim meliores sumus clero, & Episcopo. Oportet te illud cogitare, inter nos 6 adolescentulas quasdam esse, quibus cauendum est, ne aliquo modo comprehendantur à militibus, & corrupta corporis virginitate, exercitationis monasticæ mercedẽ amittant. Illud etiam timendum, ne nos tormentorum angustias sustinere nõ valentes, dæmonum cultrices effectæ, animarum nostrarum iacturã faciamus. Si placet igitur, iubeas nos aufugere, & Febroniam nobiscum ducere.

6 Etiam adolescẽtulas Virgines patres antiq in monasterijs ponebant.

His auditis, dixit Febronia: Viuit Christus meus, cui desponsata sum, cui animam meam dedicaui, quòd non egrediar è loco isto, sed hîc moriar, & hîc sepeliar. Tũ Brienna ad Aeteriã conuersa; Tu, inquit, videto quid agas; ego innocens de hac re futura sum. Deinceps dixit & aliis sororibus: Vnaquæq; vestrũ nouit, quid sibi expediat; quicquid igitur vult, illud eligat. Tũc omnes sorores illæ metu impulsæ, salutẽ dixerunt Briennæ, & Febroniæ, multisq; lachrymis, & gemitibus sua pectora percutiẽtes, è monasterio egressæ sũt. Procla verò Febroniæ cõdiscipula eius collũ amplectens, ipsã deosculabatur, clamãs, & orãs, vt pro illa Deũ precaretur. At Febronia manu ipsã apprehendẽs, nõ permittebat è monasterio egredi dicens: Metuas Deũ, Procla soror. Saltẽ tu nos non derelinquas (An non vides me egrotare?) ne forte moriar, & Brienna non possit me in sepulchrum demittere. Maneas igitur hîc, vt funus meum cures. Tunc Procla respondit: Non derelinquam te, soror mea, vt iubes. En, inquit Febronia, coram Deo mihi pollicita es, quòd me nõ derelinquas. Vespere autem Procla illa, mutato consilio, discessit è monasterio.

Brienna igitur cùm monasteriũ illud propter imminẽtes angustias sororibus destitutũ vidisset, ingressa est in ædem sacram, & in solum se abiecit, vlulans, & lamẽtis Deum implorans. Thomais verò, quæ secundas partes post Briennã gerebat, asidens illi, eamq; rogans; Desine, inquit, mater mea, flere; potens

est enim Deus noster cum angustiis, & tentatione facere, vt felicem euentum habeamus, & tentationes ferre possimus. Quisnam credidit Domino,& vnquam cõfusus est? Quis vnquam permansit in timore illius,& ipse eũ cõtempsit? Ita profectò, inquit Brienna, res se habet; sed quid faciam Febroniæ? Vbi'nam ipsã occultem,aut seruẽ? Quibus oculis aspicere potero illã à barbaris captiuã duci? Ad hæc Thomais: Nũ oblita es eorũ,quæ tibi dixi? Qui potest homines mortuos exsuscitare, ille idem & Febroniã corroborabit, & seruare poterit. Itaq; mater mea, quæso, animum confirmes, & sententiã mutes. Desistens'q; à gemitibus, & lamentis, veni, vt Febroniam confirmemus, eò quòd ipsa morbo afflicta decumbit.

Cùm igitur ad scamnũ venissent, in quo Febronia decũbebat, statim Brienna grauem vlulatum emisit, & cùm faciem in sua genua deiecisset, lachrymis perfundebatur. Cùm verò in ipsam Febronia intueretur,ad Thomaidem orationẽ dirigens; Quæso, inquit,mater, quis'nã vlulatus fuit Briennæ? Audiui enim ipsã & paulò ante,cùm adhuc esset in æde sacra, clamores magnos emittere. Tui causa, inqt Thomais,gemitũ,& lamentationes emittit;ærumnas enim præuidet,quæ à Tyrãnis nobis inferendæ sunt, propterea q tu adolescẽs,& pulchritudine valde insignis es. Tũ Febronia: Rogo vos,vt pro me ancilla vestra Deum oretis; potens est enim ipse respicere humilitatem meam, & me infirmam corroborare, mihi'q; patientiam concedere, vt omnibus seruis suis, qui verè ipsum dilexerunt. Ad hæc Thomais; Filia, inquit, mea Febronia, en tempus certaminis præstò est. Igitur si à militibus comprehensæ fuerimus, nos quidem vt ætate prouectæ, breui tempore à Tyrannis interficiemur, te verò vt adolescentem, & pulchritudine insignem detinebunt. Ergo si te blanditiis allicient, nequaquam illis obtemperes. Quòd si auro, vel argento, veste, aut delicatis cibis te demulcere studebunt, vide, filia, ne illis credas, ne præteritorum laborum mercedem perdas, neue dæmonibus, & idolis ludibrio sis. Nihil 7 virginitate præstantius. Multa enim est ipsius merces; & præmium virginitatis sponsus immortalis est, qui & immortalitatem his præbet, qui eum exoptant. Da operam,Febronia, vt illum videas, cui & animã tuam dedicasti. Vide, filia mea, ne reprobes eius pignus, & conuenta frangas,quibus cum Christo ipso coniuncta es. Terribilis enim est dies ille, cùm sederit in solio gloriæ suæ Iudex ipse, à quo vnusquisq; recipiet secundùm opera sua.

7 Aduerte ad hæc verba. Nihil virginitate præstãtius. Multa eni3 est ipsius merces; et præmium virginitatis sponsus immortalis est, &c.

Hæc cùm audiuisset Febronia, confirmabatur, & fortiter, ac generosè contra diaboli spiritus se ipsam præparabat. Et respondens Thomaidi; Benè, inquit, fecisti, domina mea, quòd seruam tuam confirmans, animam meam alacriorem effecisti. At si fugiendi certaminis propositum habuissem, & ego cum sororibus ipsis exire, & me ipsam occultare poteram. Sed quoniam illum desidero, cui & animam meam dedicaui, studeo ad ipsum accedere, si quidem dignam me faciet, quæ pro nomine ipsius certem, & moriar. Hæc cùm audisset Brienna, cœpit & ipsa dicere: Filia mea Febronia, memoria repetas, quemadmodum doctrinam meam assecuta es. Recordare, quemadmodum & aliorum magistra fueris. Recordare, quòd te secundum iam annum agentem in manus meas à nutrice tua acceperim, & ad hanc diem nemo faciem tuam vidit. Feci vt cum mundi huius mulieribus non versareris. En vt hactenus te custodiui immaculatam. Nunc autem quid faciam tibi, filia mea? Oro, ne senectutem Briennæ dehonestes, ne laborem spiritalis matris tuæ inanem efficias. Memoria repetas, certatores illos, qui ante te fortiter, & gloriosè martyrium passi sunt, vi-

ctoriæ coronam ab illo cœlesti certaminum Præside percepisse. Non viros solùm, sed etiam mulieres recordare, Libiam, & Leonidem sorores illas duas, quæ martyriũ gloriosè pertulerunt, è quibus Libia ipsa gladio percussa, capite priuata est, Leonis verò in ignẽ coniecta fuit. Recordare, quemadmodum puella Eutropia duodecim annos nata martyrium sustinuerit. An non semper Eutropiæ obedientem animum, & eius tolerantiam, ac patientiam admirabaris, cùm eam Iudex ipse vinculis exolutã sagittis peti iussit, vt præ metu fugeret? Sed illa matrem ita sibi dicentem audiens: Filia mea Eutropia, vide ne fugias: manus sibi post terga deuinxit, & sagittis percussa, in solum cecidit, & statim spiritum emisit, & matris præceptum non violauit. Nonne puellæ huius patientiam tu semper admirata es? Et illa quidem puella erat omnium literarum rudis, atq; ignara, tu verò & aliarum magistra existis.

Cùm hæc & his plura dicerentur, nox præterijt, & dies illuxit. Post ortũ autem Solis, tumultus, & clamor ab his, qui vrbem illam incolebant, emittebatur, cùm Lysimachus, & Selenus eò venissent. Vt igitur Christiani multi à militibus capti, & in carcerem coniecti fuerunt, quidam ex Græcorum numero ad Selenum de monasterio illo significarunt. Ille autem statim misit in monasteriũ milites. Qui cùm illud circundedissent, & portas securibus perfregissent, facto impetu, in monasterium irruerunt, & statim Briennam comprehensam gladio interficere voluerunt. Sed Febronia, cùm periculum imminere vidisset, se ad militum pedes abijciens dixit: Obtestor vos per Deum cœlestem, me me priùs de medio tollite, ne dominam meam morientem videam. Dum hæc Febronia diceret, Comes ille, qui Primus vocabatur, superuenit, indignatusq; aduersus milites, eos è monasterio expulit, & Briennã alloquẽs; Vbinam, inquit, sunt aliæ, quæ in monasterio isto erant. Illa verò respondit: Præ metu omnes secesserunt. Vtinam, inquit Primus, & vos secessissetis. Et adiunxit: Liceat vobis saluas abire quocũq; volueritis. Mox secum milites abducens, è monasterio discessit. Cùmq; ad prætoriũ venisset, adiit Lysimachum. Cui Lysimachus dixit: Verane audiuimus de monasterio illo? Vera, inquit Primus. Cùmq; illum seorsum duxisset, hæc addidit: Omnes, quæ erant in monasterio illo, fugæ se dederunt neq; inuenimus nisi duas vetulas, & vnam adolescentem mulierem. Mirum autem quiddam, & peregrinum tibi significare possum, quod vidi in monasterio. Illam profectò adolescentem vidi eiusmodi formam habẽtem, qualem hactenus nullam inter mulieres aspexi. Scit Deus verum esse, quod dico. Vidi insuper adolescentem illam iacentem in quodam scamno, & mente perculsus fui. Quòd nisi paupercula, & inops foret, dignam certè iudicarem, quam dominus meus vxorẽ duceret. Ad hæc Lysimachus; Si mandata, inquit, habeo matris meæ, ne Christianorum sanguinem effundam, sed illorum amicus potiùs sim, quomodo potero Christi sponsis insidiari? Minimè certè id faciam. Sed, quæso, illas accipias, & è monasterio educas, earumq; sis conseruator, ne in patrui mea Seleni crudelis incidant manus.

Tunc vnus quidam è numero pessimorum militum, qui ex monasterio venerant, cũ nonnulla ex his verbis fortè audisset, cucurrit ad Selenũ, eiq; significauit, inuentam fuisse adolescentem quãdam in illius vrbis monasterio forma valde insignem, de cuius matrimonio Primum comitem cum Lysimacho agere. Audiuit hæc Selenus, & furore concitatus misit custodes in monasterium, qui eas mulieres seruarent, ne fugam arriperent; & statim iussit præcones per vrbem edicere, crastino die Febroniam productum iri. Cùm hæc audiuissent eius vrbis, & finitimæ regionis homines, magna virorum, & mulierum turba ad spectandum Februniæ certamen confluxit. Postea verò quàm dies illuxit,

illuxit, venerunt milites ad monasterium, & ingressi à scamno illo Febroniam abripuerunt, & ferreis vinculis collo adolescentis astricto, è monasterio pertraxerunt. At Brienna, & Thomais Febroniam complexæ, lamentabili voce clamantes, precabantur milites, vt paulisper concederent, eas cum Febronia loqui. Tum illi multa misericordia Febroniam prosequentes, permiserunt facere quod petitũ fuerat. Deniq; ambæ illæ mulieres eosdẽ milites rogabant, vt liceret & ipsis idem certamen subire, ne Febronia sola derelinqueretur, ne'ue destituta aliquo modo formidaret. Milites verò dixerunt, se non fuisse iussos vt illas, sed Febroniam tantùm ad iudicium adducerent.

Cœperunt igitur Thomais, & Brienna hortari Febroniam, & confirmare; quarum prior Brienna his verbis vsa; En, inquit, filia mea Febronia, ad certamen nunc egrederis. Considera cœlestem sponsum certaminis tui spectatorem esse, & victoriæ coronam ab Angelicis potentiis teneri tibi dandam, si constans fueris. Vide ne tormenta expauescens, diaboli fias ludibrium; ne corpus tuum plagis dilaniari videns, misericordia illud prosequaris. Hoc enim velimus, nolimus, paulò post sepulchrum excipiet, & in puluerem dissoluet. En ego in monasterio lamentans nuncium aliquod de te, siue bonum, siue malum expectabo. Sed da, quæso, operam, filia mea Febronia, vt faustum aliquid de te audiam. Vtinam mihi aliquis optatum nuncium afferat, Febroniã perfectè martyrio functam, & in Martyrum numero aggregatam fuisse. His auditis, Febronia respondit: Fidem, & spem habeo in Deo meo, mater Brienna, fore, vt quemadmodum mandata tua nunquam contempsi, sic neq; hoc tẽpore admonitiones istas, & præcepta tua neglectura sim; sed videbunt populi, & obstupescẽt, & Briennæ senectutẽ beatã prædicabũt, & dicent: Verè hoc est Briennæ illius magnæ fœminæ germen, & educatio. Ostendam enim in corpore muliebri virilem mentem. Sed benè mihi precemini, & me discedere patiamini. Ad hæc Thomais: Viuit, inquit, Deus, Febronia soror mea, & ego seculari habitu induta, veniam, & certamen tuum aspiciam.

Cùm verò milites ipsi Febroniam vrgerent, illa; Precor, inquit, vos, matres meæ, vt benedictionem pro viatico mihi impertiatis, & magis magisq; pro me Deum oretis, meq; ire permittatis. Tunc Brienna tendens in cœlum manus, & vocem magnã ædens, ita precata est: Domine Iesu Christe, qui seruæ tuæ beatæ illi Theclæ certanti sub Apostoli Pauli habitu apparuisti, quæso, & huic humili seruæ tuæ in hora certaminum appareas. Hæc cùm dixisset Brienna, & Febroniam vltimò amplexa esset, illam salutatam dimisit. Quam milites comprehensam ad Selenum duxerunt. Reuersa est autem Brienna in monasterium dolens, ac lamentans, & in solum eo in loco, vbi Deum orare consueuerant, prostrata, vociferabatur 8 Deum precans pro Febronia. Thomais verò, quæ secundas partes post Briennam in monasterio habebat, illam dereliquit, & seculari habitu induta, ad spectaculum Febroniæ se contulit. Omnes igitur seculares mulieres, quæ ad monasterium in die parasceues conuenire, & eius doctrina frui consueuerant, pectora sua verberantes cum lachrymis, ad eius rei spectaculum currebant, & adolescentis doctrina se priuatas dolebant.

8 Brienna prostrata Deum orat pro Febronia.

Cùm hæc audiuisset & Hieria senatorij generis mulier, Febroniã scilicet monachã publicè produci, surrexit, & vocem ita magnam ædidit, vt parẽtes ipsius, & qui in eius domo erant, obstupuerint, & ab Hieria ipsa quæsiuerint, quidnam ei accidisset. Quibus illa respondit: Soror mea Febronia producitur, magistra mea ad pœnas ducitur, vt Christiana mulier. Cùm igitur à parentibus admoneretur, vt à luctu desisteret, eò illa magis dolens, & vociferans, & parentes suos obsecrans; Sinite, inquit, me acerbè flere, & sororem, ac magistrã meam deplorare. Hæc cùm diceret, suis etiam parentibus luctum ita cõmouit,

vt ipsi quoq; Febroniam lamentarentur. Cùm igitur persuasisset parentibus suis, vt liceret etiam sibi spectaculum illud adire, pueros multos, & ancillas secum habens, ad locũ, in quẽ Febronia ducebatur, lugens properabat. Cùm'q; mulierum concurrentium, & lamentantium multitudinem consecuta esset, inuenit & Thomaidem. Quæ cùm mutuò se agnouissent, ambæ lugentes ad spectaculũ certaminis illius conuenerũt. Multitudine igitur in eum locũ congregata, vbi de Febronia quæstio habenda erat, venerunt & Iudices.

Præsidentes igitur Selenus, & Lysimachus iusserunt Febroniam coram sisti. Illa itaq; intromissa manibus vincta, cathenis etiam collo illigata, ibi constitit. Qua visa, turbæ omnes lachrymarunt, atq; ingemuerunt. Cùm'q; in medium producta esset, iussit Selenus præsentes à tumultu desistere. Quod cùm omnes fecissent, dixit Selenus Lysimacho: Interroga mulierem istam, & eam respondentem audias. Tunc Lysimachus: Agè, adolescens, dic: Libera'ne, an serua es? Tum Febronia respondit: Ego sum serua. Cuius'nam, inquit ille, serua es? At Febronia: Christi ancilla ego sum. Quod'nam, inquit Lysimachus, nomen tibi est? Cui respondit Febronia: Christiana ego vocor, humilis quidem, & abiecta. Tum Lysimachus: Nomen tuum cupio scire. Dixi, inquit, illa, me Christianam esse; quòd si nomen meum scire vis, mater Febroniam me vocauit. Tunc Selenus iussit Lysimachum à quæstione desistere, & ipse cœpit Febroniam sic alloqui: Norunt dij, me ita affectum fuisse, vt tecum loqui nollem; sed quoniam mansuetudo, & æquitas tua cũ pulchritudine, & forma egregia coniuncta, furoris mei, & indignationis, quam aduersus te conceperam, magnitudinem superarunt, non ampliùs te vt ream, sed vt filiã interrogabo. Audi ergo, filia; Testes habeo deos, quòd vera sunt, quæ dico. Multis pecuniis, & facultatibus locupletem mulierem Lysimacho & ego, & Anthimus frater copulauimus; sed tamen, si nobis eris obediens, hodie coniugium cum filia Prosfori dissoluemus, & tecum de matrimonio conueniemus, & eris Lysimacho coniũx, sedens ad eius dexteram, cui ego nunc assideo. Ille, vt vides, perpulcher est, quemadmodum & tu. Audi igitur consilium meum, vt patris tui, & te gloriosam reddam, neq; paupertas vnquam ampliùs te affliget. Cùm enim mihi neq; vxor, neq; filij supersint, omnia mea tibi elargiar, & omnium mearum rerum dominam te constituam. Hæc omnia pro dote addam Lysimacho meo; & ero vobis patris loco; & gloriosam, ac beatam dicent te omnes mulieres, cùm viderint quanto honore digna effecta sis. Largietur insuper multis victorijs ornatus Imperator noster tibi multa dona; qui etiam promisit se facturum, vt Lysimachus Præsidis magistratum gerat. En audisti omnia. Responde igitur mihi patri tuo ea, quibus significes te deos colere, & iis animum meum exhilara. Nam si non obedies admonitionibus meis, dij sciunt, ita futurum, vt in manibus meis ne tribus quidem horis viuas. Itaq; nunc aperi nobis quid sentias.

Ad hæc Febronia; Ego, inquit, ò Iudex, thalamum habeo in cœlis nõ manufactum, nuptias possidens indissolubiles; dotem habeo totũ cœleste Regnũ. Sponsum igitur immortalem cùm habeam, non patior cum mortali, & corrupto homine copulari; quinetiam ne audire quidem possum quod polliceris. Itaq; Iudex noli laborare, neq; enim adulando quicquam proficies, neq; minis me perterrefacies. Audiuit hæc Iudex, & magnoperè indignatus iussit milites illius vestes discindere, & lacero quodã panno eã cingi, vt omnibus spectantibus, ignominia, & turpitudine cõfunderetur, vtq; se ipsam admodùm turpem factam videret, & miseram iudicaret, quod à magna gloria excidisset, & ad extremam ignominiam deuenisset. Milites igitur quamprimùm eius vestes disciderunt, & vili fascia eam cinctam, in omnium conspectu reliquo corpore

nudam constituerũt. Tũ Selenus: Quid nam agis Febronia? Vides'ne à quantis bonis excideris, & qualem miseriam sortita sis? Audi, Iudex, inquit Febronia: Licet omnibus pãnis me exutam, & omnino nudam exhibeas, ego huiusmodi turpitudinem pro nihilo facio. Vnus enim creator est maris, & fœminæ Deus. Itaq; non hoc solum æquo animo patior, vt vestibus exuar, sed ense obtruncari, & igne incendi cupio. Atq; vtinam digna sim pati pro eo, qui pro me tot, & tanta passus est.

Tum Selenus: Impudentissima fœmina, & ignominia omni digna, scio te gloriantem de pulchritudine tua propterea non existimare tibi hoc turpitudini esse, sed laudi potiùs tibi esse putas, q̃ sic nuda consistis. Scit, inquit Febronia, Christus meus, ad hodiernam diem viri alicuius aspectum à me visum nõ fuisse.; Et vt in manus tuas inciderem, impudens videri vellem? Agè stulte, & stolide Iudex, velim dicas: Quis vnquam ex athletarũ numero Olympiacum certamen certans, indutus veste in palæstra cum aduersario congreditur? An non certamen ipsum nudus exercet, donec aduersarium superet? Ego igitur tormentorum, & ignis minas expectans, qui poteto vestibus induta cum his rebus congredi? An non corpus ipsum nudũ plagas excipiet, quoad expugnẽ patrẽ tuum satanã cruciatus tuos contemnens? Quoniam, inquit Selenus, mulier ista pœnarum, & cruciatuum conciliatrix, aduersus ignis minas audacem se præbet, per quatuor corporis partes illam extendite, & infra ipsam ignem accensum supponite, simulq; quatuor milites virgis eius terga verberent, ac dilanient. Id cùm fieret, & diutius virgo illa verberaretur, copiosus sanguis ex vtraq; humeri parte in terram defluebat, ignis verò infra eius corpus accensus viscera etiam ipsa comburebat; ad hæc oleo magis excitatus, ac vehementiorem flammam erigens, Februniã omnino consumebat. Cùm verò per multas horas virgo ipsa verberaretur, & combureretur, tota multitudo illa pro Febronia summis clamoribus Iudici supplicabat, his vtens vocibus: Parce, benigne Iudex, parce Virgini, & adolescenti. Cæterùm ille nihilominùs ob id desæuiens, vehementiùs illam percuti, ac torreri mandauit, quoad vidit eius carnes in terram defluere. Tunc iussit carnifices desistere; qui existimantes eã mortuam esse, extra rogum deiecerunt.

At Thomais cùm vidisset cruciatus illos tã vehementes Februniæ afferri, animo deficiens in solum cecidit ad Hieriæ pedes. Quæ voce magna emissa; Væ mihi, inquit, Febronia soror, væ mihi, magistra mea, quoniã posthac doctrina tua priuata maero. Non solùm autem te amisi, sed etiam Thomaidem. En & ipsa tui causã moritur. Cùm autem Hieriæ vocem Febronia iacens in solo audiuisset, rogauit milites, vt aquam in Thomaidis faciem aspergerent, quò animum colligere posset. Milites statim aquam attulerunt, quam cùm in eius faciem aspersissent, illa ad se rediit. Tunc Iudex dixit Februniæ: Qualis'nã tibi visus est, Febronia, primus palæstræ congressus? Tum illa; Ex primo, inquit, congressu didicisti, me inuictam esse, & tormenta tua contemnere. His auditis, Selenus dixit: In ligno illam suspendite, & ferreis pectinibus eius latera dilaniate, quinimmò ignem rursus admouete, vt etiam ossa comburantur. Statim igitur carnifices cœperunt pectines, & ita eam laniarunt, vt carnes ipsæ vnã cum sanguine in terram deciderent. Admouerunt etiam ignem, quo vel ipsa viscera comburebantur. At Febronia, oculis in cœlum 9 erectis; Veni, inquit, Domine, in auxilium meum, & ne derelinquas me in hac hora. His dictis, conticuit, quamuis igne valde vreretur. Multi vero spectatores non ferentes Seleni crudelitatem, à spectaculo aufugerunt. Alij summis clamoribus à Iudice cõtendebant, vt ignis ille tolleretur. Et iussit Selenus ignem amoueri.

9 Orat Sãcta, oculis in cœlum erectis.

Cùm verò adhuc in ligno Martyr penderet, rursus cœpit eam interrogare. Sed cùm ea respondere non posset, iussit illā è ligno deponi, & palo alligari, & carnificem illuc duci. Cui dixit: Cùm scelestissima hæc, & nefaria mulier nolit mihi respondere, abscindatur eius lingua, & in ignem deiiciatur. Exemit linguam Febronia, & nutu significabat carnifici, vt illam abscinderet. Cùm verò is linguam tetigisset, & eam abscindere aggrederetur, turbæ per deorū salutem Selenum obtestantes, illi persuaserunt, ne id faceret. Cæterùm scelestissimus iussit illius dentes eradicari. Statimq; carnifex ferrum cœpit, & sanctæ puellæ dentes illos, quos eradicabat, in terram deiiciebat. Cùm decem igitur & septem dentes euulsi essēt, & sanguinis riui in terram defluerēt, iussit Selenus nullum ampliùs euelli. At cùm Febronia tantam sanguinis copiam vidisset, eam vires defecerunt. Medico autem statim remedium afferente, sanguis fluere destitit.

Cœpit igitur Selenus rursus eam interrogare: Num, ò Febronia, saltem nunc iudicio parere, & deos ipsos confiteri vis? Cui illa: Pessime, & scelestissime senex, tu viam meam impedire studes, neq; sinis me ad sponsum meū accedere? Festina quammaximè potes ex huius mei corporis luto me eripere, quoniam amator meus Christus me expectat. Tum Selenus; Omnino, inquit, ense, & igne corpus tuum delebo; video enim te etiam nunc propter adolescentiæ tuæ temeritatem impudentem esse. Sed non id tam cito erit, vt te cupere præ te fers; nanq; ista tua arrogantia multò plura, & grauiora mala tibi afferet. Febronia cùm propter tormentorum magnitudinem non multa respondere posset, eò maiorem indignationē Iudici cōmouebat. Tunc Selenus iussit carnificem mammas eius secare. Accessit ille, & aggrediebatur id facere. Turbæ verò clamoribus magnis contendebant à Iudice, vt tormentum illud adolescenti Febroniæ condonaretur. Cùm verò diu clamarent, & Iudicem precarentur, indignatus Selenus aduersus carnificem; Quid cessas, inquit, scelestissime, & deorum inimicissime? Cur mammas illas non secas? Accepit ille nouaculam, & dexteram puellæ mammam secare cœpit. At illa 10 erectis in cœlum oculis, voce magna dixit: Domine Deus meus, aspice violentiā, quæ mihi affertur. Veniat anima mea in manus tuas. Neq; ampliùs locuta est. Abscissis igitur duabus mammis, & in solum deiectis, Iudex impius mandauit ignem afferri, & in mammarum, quæ abscissæ fuerant, locum admoueri. Cùm verò diutius combureretur, & ignis vsq; ad eius viscera penetraret, turbæ ipsæ tam crudele facinus spectantes, maxima ex parte, à spectaculo illo discesserunt, clara voce Diocletianum, & eius deos execrabiles esse testantes.

10 Et hîc orat Beata, erectis in cœlū oculis, & voce magna.

Thomais verò, & Hieria miserunt ancillam quandam in monasterium, vt Briennæ quæ facta fuerant nunciaret. Cùm venisset igitur ancilla ad Briennam, magna voce; Thomais, inquit, & Hieria tibi significant, ne ampliùs defatigentur manus 11 tuæ in cœlum ad Deum extensæ, neq; cor tuum solicitū sit assiduè precando; magna enim præmia Febronia iā assecuta est. Cùm hoc nuncium Brienna audiuisset, ad Deū vocē erigens dixit: Domine Iesu Christe veni, & auxiliare seruæ tuæ Febroniæ. Et in solum 12 prostrata, clamabat: Vbi nam es Febronia? Postea verò iterum manus in cœlū erigens, Domine, inquit, respice humilitatem ancillæ tuæ Febroniæ. Veni, & illi auxiliare. Fac vt videant oculi mei Febroniam martyrio functam, & in Martyrū numero collocatam.

11 Ne ampliùs defatigentur man⁹ tuæ in cœlū ad Deum extensæ.

12 Et in solum prostrata clamabat.

Rursus Selenus iussit Febroniam è palo dissolui. Quæ cùm dissoluta esset, in solum cecidit; non enim poterat consistere. Tunc Comes ille, qui Primus vocabatur, dixit Lysimacho: Quorsum adolescentis huius virginis tam ingentes, & crudeles cruciatus? Sine, inquit Lysimachus; ad multorum enim

salutem

salutem huius virginis tormenta spectant; fortasse autem & ad meam quoque. Nanq; talia multa olim à matre mea audiui. Nõne in mea potestate erat illam dissolui, & seruari facere? Sed sine illam certamen perficere. Tunc Hieria erecta aduersus Iudicem clamauit: O' immanis, & humanæ naturæ expers, nondũ contentus es malis præteritis, quæ huic Virgini attulisti? Immemor'ne es matris tuæ? Nõne & ipsa muliebri corpore induta erat? Nõne & tu mammas suxisti, quas nunc ab ista Virgine abscidisti? Mammis'ne ideo nutritus fuisti, vt tantam crudelitatem in fœminam exerceres? Miror plurimùm ego, quòd nihil eorum, quæ dico, immitem, & inhumanam mentem tuam deflexerit. Verùm id persuasum habeas, quòd quemadmodum tu non pepercisti huic puellæ, ita neq; cœlestis Rex tibi parcet. Cùm hæc dixisset Hieria, iussit Selenus illã è tecto, in quo erat, deduci, & pœnas publicè luere. Id audiẽs Hieria multo cũ studio, & gaudio descendit, atq; ait: Domine Deus Febroniæ, accipe & me humilem mulierẽ cum ipsa Febronia. Dum autem è tecto descenderet, Seleni Iudicis amici consilium illi dabant, ne publicè Hieriam produceret; futurum enim dicebant, vt tota multitudo cum ipsa martyrium subiret, & vniuersa ciuitas periclitaretur, ac periret. Placuit Seleno consilium. Itaq; non ampliùs Hieriam produci iussit, sed indignatus, & aduersus eam, tanquam furiosus, exclamãs voce magna; Audi tu, inquit, Hieria; per deos multa mala, & tormenta tui causa Febroniæ adiicientur. Et statim iussit duas manus Febroniæ, & dexterum pedem abscindi. Carnifex igitur ligno eius manibus supposito, securi feriens dexteram, pariter & sinistram abscidit; qui etiam in pedẽ dexterum, cùm ei lignum supposuisset, securim magna vi adhibita inuexit, sed pedem ex talo abscindere non potuit. Similiter & secundam plagam inflixit, neq; tamen potuit. Id cùm vidissent turbæ, summoperè acclamarunt. Tertiã deinceps plagam intulit, & vix pedem abscindere potuit.

Febronia igitur toto corpore contremiscens, licet iam iam defectura esset, dabat operam, vt alterum etiam pedem super lignum poneret, rogans vt & ille abscinderetur. Cùm id cerneret Iudex; Videtis'ne, inquit, impudentis mulieris pertinaciam? Et multo furore accensus, carnifici dixit: Seca & alterum. Abscisso igitur & altero pede, surrexit Lysimachus, & ad Selenũ conuersus: Quid'nam, inquit, reliquum est, quod facias huic puellæ? Eamus iã, quoniam prandij tempus est. Ad hæc iniquissimus Selenus: Per deorum vitã ego non dimittam mulierem hanc viuam, sed hìc ero quoad spiritum emiserit. Cùm igitur per multas horas animam ageret, Selenus ad satellites conuersus dixit: Viuit'ne adhuc mulier scelestissima? Maximè, inquiunt illi, eius anima adhuc in ipsa est. Tunc iussit Selenus caput Febroniæ abscindi. Cùm igitur miles gladium accepisset, & Febroniæ coma altera manu apprehensa, ita illam ense supposito iugulasset, vt siquis ouem aliquam immolaret, sanctũ abscidit caput. Statim'q; postea Iudices ad prandium accesserunt. Lysimachus verò lachrymans reuertebatur.

At turba concursu facto volebat Febroniæ corpus abripere, sed Lysimachus iussit milites permanere, & corpus illud custodire. Multis igitur angustiis, & mœroribus detentus Lysimachus, neque cibum, neq; potum sumebat, sed se ipsum in cubiculo conclusit, & Febroniæ mortem lugebat. Selenus verò eius patruus cùm Lysimachum tristem esse accepisset, neq; ipse cibum sumpsit; sed cùm surrexisset è loco, in quo erat, deambulare cœpit; cùm'q; multo mœrore, & tristitia detineretur, repente caput in cœlum erigens, atq; intuens, diutius sic mutus permansit; deinde verò tanquam taurus aliquis mugiens, in vnã ex iis columnis, quæ erant in prætorio, insiliens, caput suũ confregit, & in terram prostratus animam efflauit. Multo autem clamore, & tumultu excitato,

BB

accurrit Lysimachus, & viso patrui cadauere, quæsiuit, quæ'nam res illa esset. Cùm autem qui astabant id, quod factum fuerat, Lysimacho exposuissent, ille diu caput quassans; Magnus, inquit, est Deus Christianorũ; benedictus est Deus Febroniæ; vltus est Deus sanguinem iniuria effusum. His dictis, iussit Seleni cadauer efferri. Quo elato, Lysimachus, accersito Comite Primo, ita fari cœpit: Obtestor te per Deum Christianorum, ne mandatum meum violes, sed quamprimùm iubeas Febroniæ arcam componi ex lignis, quæ putrefieri non possint, & mittas præcones, qui vbiq; prædicent, vt quicunq; Christiani ad Febroniæ martyris exequias accedere voluerint, liberè, atq; impune accedere valeãt, præsertim cùm patruus meus iam mortuus sit. Nosti, Prime mihi optatissime, quod sit animi mei desiderium. Accipe igitur cohortẽ, ac Febroniæ corpus afferri iubeas ad monasteriũ Briennæ; neq; quisquam è turba aliquod eius corporis membrum abscindat, vel abscissum à corpore auferat; neq; permittatur canis, vel impuris aliis animalibus sanguinem ab ea effusum lingere; quinimmò terram illam, in quam Febroniæ sanguis effusus est, effodi, atq; in monasterium exportari præcipias.

Fecit Primus quicquid Lysimachus mandauerat, & Febroniæ corpus iussit milites baiulare; ipse verò, sumpto Febroniæ capite, pedibus, & manibus, & omnibus iis membris, quæ fuerãt ab eius corpore abscissa, chlamyde sua illa inuoluit, & in monasterium exportauit. Cùm autem magnus turbarum concursus factus esset, aggrediebantur illæ ipsæ turbæ aliquod membrum auferre, ita vt Comes Primus in magnum periculum venerit, ne à turbarum violentia aliquid pateretur. Porrò milites, strictis gladiis, vix turbas ipsas propulsare potuerunt. Postea verò quàm ad monasterium multo labore, & vi se contulerunt; reliquias sanctæ virginis Febroniæ in monasterium immiserunt; neq; quenquam, excepta Thomaide, & Hieria, ingredi patiebantur. Brienna cùm Febroniæ corpus ita obmutilatum vidisset, in terram cecidit animo destituta. Primus autem Comes, militibus in monasterii custodia constitutis, rediit in prætorium ad Lysimachum.

Dein Brienna post multas horas surrexit, & Febroniæ corpus amplexa, clamans dicebat: Heu filia mea Febronia, hodie ex oculis matris tuæ Briennæ ablata es. Quis'nam literas diuino spiritu afflatas sororibus post hac interpretabitur, quæ'nam manus tuos libros reuoluent? Hæc cùm Brienna clamaret, omnes sorores, quæ simul cum Aetheria discesserant, ad monasterium redierunt, & 13 procidentes cum lachrymis martyris, Febroniæ corpus veneratæ sunt. Similiter & Hieria clamabat: Venerabor sanctos illos pedes, quibus serpentis caput conculcatum est. Exosculabor vulnera sanctarum reliquiarum, quibus curata est anima mea. Coronabo floribus laudationum caput illud, quod certaminum pulchritudine genus nostrum coronauit. Hæc cùm dixisset Hieria, aderat nonæ 14 horæ tempus. Postea verò quàm orationẽ compleuerunt, iterum planxerunt omnes, & earum eiulatus valde confusus erat. Cùm autem vespera aduenisset, lauerunt 15 sanctum illud corpus, & in scamno suo deposuerunt, singula membra suis locis accommodantes. Dein iussit Brienna monasterij fores turbis patefieri. Cùm igitur turbæ introiuissent, Dei gloriam celebrabant; & seculares mulieres magistræ suæ Febroniæ orbitatem lamentabantur. Venerunt autem & quidam ex iis patribus, qui sanctitate præstantes erant, & monachorum plurimi, qui totam noctem in somnem transegerunt.

13 Et pcidentes cum lachrymis, martyris Febrõiæ corp᷒ veneratæ sunt.

14 Vide etiã horam nonam tẽpus orationis esse.

15 Lauerũt Sanctũ illud corpus.

Cæterùm Lysimachus cùm Primum Comitem ad se accersiri iussisset; Ego, inquit, omnibus patriis institutis, & vniuersa facultate derelicta, ad Christum me adiungo. Tum Primus: Et egò idem faciam. Valeat Dioclesianus, &

stus Imperium. Omnibus patriis rebus nuncium remitto, & ad Christum accedo. Itaq; derelicto Prætorio, venerunt & ipsi cum tota multitudine in monasterium. Cùm verò dies illuxisset, venerunt qui loculos portabant, & multis cum 16 precibus, ac lachrymis reliquias sanctæ Febroniæ collegerunt, & singula membra, quæ abscissa fuerant à martyre illa sancta, suo quæq; loco accommodarunt, caput, pedes, manus, & reliqua membra; dentes verò in pectore ipsius reposuerunt. Turbæ autem vnguento, & castoreo, atq; suauissimis odoribus ita loculos repleuerunt, vt sanctæ Febroniæ corpus, nequaquam appareret. Cùm verò seditio multa commota esset, turbis ipsis clamantibus, neque loculos claudi, atq; obturari permittentibus, contra verò Episcopo vrbis illius, monachis, & clericis valde precantibus, vt reliquiæ reponerẽtur, turbæ ipsæ minime assentiebant. Tunc ascendit Brienna in excelsum quendam locum, & hortabatur turbas his verbis: Precor vos, domini, & fratres mei, vt sinatis illam in suo loco reponi. Hæc dixit Brienna, & tota multitudo ei obtẽperauit; multisq; cũ precibus, ac lachrymis sanctas illas reliquias 17 exportarunt, & in insigni quodam monasterij loco reposuerunt; omnesq; Dei gloriam celebrabant. Græcorum verò multitudo credidit Domino, & eius baptismo tincta est. Item Lysimachus, & Primus baptismo purgati sunt, & rebus terrenis derelictis, abierunt cum Marcello Archimandrita, & exercitationis monasticæ palæstram ad finem vsq; cùm rectè transegissent, ex humana vita excesserunt, & Christo aggregati sunt. Pleriq; etiam ex militibus cùm Domino credidissent, & ipsi baptizati sunt. Eodem modo Hieria, & eius parentes baptizati crediderunt in Dominum Iesum Christum. Posthæc parentes suos Hieria dereliquit, & terrenis rebus renunciatis, in monasterium ingressa est, cui omnes facultates suas dedicauit, & Briennam precata est in hanc sententiam: Rogo te, mater mea Brienna, vt me in sanctæ Febroniæ locum seruam accipias. Seruiam ego tibi, vt & illa seruiebat. Cùm igitur omni ornatu suo Hieria se exuisset, aureis pannis, & margaritis loculos sanctæ Febroniæ vndiq; adornauit.

Quo autem tempore beatæ Febroniæ martyrium, eius scilicet certaminis memoria celebratur, conueniũt 18 cœtus mulierum, & ingens virorũ multitudo, præsertim propter quoddam signum, quod illic quotannis apparere solet. Nam memoriæ suæ die mediæ noctis 19 tempore, cùm preces ad Deum funduntur, apparet sancta Febronia vsq; ad tertiæ horæ preces in illo eodem loco, quo solita erat iacere, ita 20 consistens, vt magnus tremor in hora illa id spectantibus exoriatur. Nemo tamen audet illam attingere, vel eam interrogare. Cùm enim primo anno apparuisset, & omnes sorores timore magno perterrefactæ essent, Brienna voce magna; En, inquit, adest filia mea Febronia. Cùmq; ad illam amplexandam cucurrisset, statim euanuit. Non igitur ampliùs ad illam accedere, vel ipsam tangere audent; sed quo tempore apparet, lachrymarum copia effunditur, simulq; gaudium magnum in omnes ex huiusmodi visione proficiscitur.

Eius verò vrbis Episcopus, cùm templũ 21 valde insigne, & pulchrũ Febroniæ martyri erigere cœpisset, per totos sex annos opus cõpleuit. Quo perfecto, conuocatis finitimarum regionum Episcopis, celebritate magna adhibita, per 22 totam noctem officium celebrauit mensis Iunij die xv. Quo tempore multitudo ingens concurrit, ita vt neq; templum, neq; monasterium eam capere possẽt. Vbiq; verò & psalmorũ cantus frequentabatur. Manè autem, precibus matutinis completis, Episcopi conuenerunt in monasterium, vt eius diei, quo Febroniæ corpus depositum fuit, memoriã celebrarent. Sequebantur Episcopos 23 turbæ cum facibus, & thure, ac vapore multo. Ingressi igitur

16 Vide sanctæ martyris gloriosam, & honorificam sepulturã, cum multitudine populorum, cum sacerdotibus, & monachis, cum orationibus, & precibus, multorumq; vnguento & odoramẽtis.

17 Sanctas illas reliquias exportauerũt.

18 Ecce ãtiquũ morẽ conueniendi ad memorias Martyrum in die passionis, vel translationis eorum.

19 Vide hîc mediæ noctis tẽpus, ita & horã tertiã, pro horis canonicis.

20 Ex hoc loco cõiectare potes, nũ sancti verè possint appellari emortui, an potiùs viuentes.

21 Nota templũ valde insigne in honorẽ sanctæ Febroniæ cõstructum.

22 Per totã noctẽ officium celebrat Episcop⁹. Vbiq; verò Psalmorũ cantus frequentabatur.

Episcopi in monasterium, ac Deum precari, consederunt, & Brienna ad se accersita, hæc illi dixerunt. Institutionis, & vitæ, multorumq; laborum, quos virtutis causa sustinuisti, laudem assecuta es, neq; quisquam pro dignitate te laudare poterit. Tales decet esse monasteriorum Præsides, & tales fructus Deo ipsi offerre. Quoniam verò fieri nõ potest, vt Martyris, quæ tot, & tanta certamina perpessa est, laudes p nos explicentur, decet illas silẽtio præterire. Neq; enim lingua nostra, quantum satis est, Martyrem hanc laudare potest. Itaq; cùm neq; sermonibus, neq; operibus aliquid assecuti simus, quod Martyre dignum sit, te ad hoc idoneam rogamus, vt de re proposita disseras. Honora deniq; & ipsa nobiscum vnà martyrem Febroniã; & concede nobis, vt in templo, quod sub eius nomine conditum est, Martyris corpus habitare possit.

23 Vide ãtiquũ morẽ procedẽdi in diebus solennibus. Nam Episcopos sequuntur turbæ cum facibus, thure, & vnguento multo.

Cùm hæc audissent sorores, omnes clamarunt vna voce, & ad pedes Episcoporum prostratæ dixerunt: Precamur vos per sanctos istos vestros pedes, vt nostri vos misereat, quæ humiles, & abiectæ sumus, neq; pretiosa hac margarita nos priuetis. Cùmq; diu omnes lamentarentur, & Episcopos obsecrarẽt, eius vrbis Episcopus Briennam alloquens; Audi, inquit, soror: Nosti quantum studium adhibuerim ad martyris Febroniæ templum pro eius honore, & gloria erigendum. En sex anni sunt, quos in eo templo construendo insumpsi. Ne igitur labores meos inutiles, & sine fructu esse patiaris. Hæc cùm audisset Brienna, respondit: Si ita vobis placet, & si placet Martyri, quod petitis, accipiatis. Quis sum ego, vt hoc impediam? Ingressi ergo illam accipite, & abite. Ingressi sunt Episcopi, & preces ad Deum fuderunt. At Hieria clamabat: Væ nobis, quòd hodierno die monasterium magna benedictione priuatur. Væ nobis, quòd hodie angustiæ, & orbitas in monasterium allata sunt. Væ nobis, quòd hodie margaritam nostram tradimus. Et ad Briennam conuersa clamabat: Quid facis, mater? Cur me priuas domina mea, cuius causa omnia dereliqui, & ad vestras manus confugi? Brienna cùm vidisset Hieriam ita lamentantem, ad eam conuersa; Cur, inquit, lamentaris, filia mea Hieria? Si gratum est illi abire, abeat; sin minus, non abeat.

24 Vide hic mira, quæ Deus in sanctis suis opatur.

Cùm Episcopi preces compleuissent, omnes dixerunt, Amen. Cùm primùm autem loculos martyris tetigerunt, tonitru in aëre tam magnum erupit, vt vniuersa multitudo præ timore ceciderit. Rursus paulò post cùm fuissent aggressi idem facere, terræmotus 24 tã magnus factus est, vt tota vrbs ruere videretur. Ex ea re cognouerunt Episcopi, & vniuersa multitudo, Martyri nõ placere, monasterium egredi. Itaq; tristes facti dixerunt Briennæ: Si Martyri non placet, monasterium relinquere, vnum aliquod ex membris abscisis nobis largiare, & discedemus. Brienna clauem sumpsit, & loculos aperuit, & vidit corpus Martyris, instar solis effulgens. Multo igitur cum terrore extendit manum suam, & alteram Sanctæ ipsius manum apprehensam Episcopo illi præbere voluit. Sed manus Briennæ detenta est, & velut mortua torpuit. Tunc Brienna lachrymans; Precor, inquit, te, filia mea Febronia, ne irascaris matri tuæ. Recordare laborum meorum, neq; senectutem meam contemnas. Remissa autem sana manu illa, rursus eam Brienna extendit, & lachrymans rogauit; Præbe, inquit, nobis benedictionem, ne me tristem efficias. Cùmq; accepisset vnum ex dentibus, qui erant in eius pectore, Episcopo dedit, & statim loculos clausit.

25 Ecce & hîc processionis mod⁹, & quo honore Sanctorũ reliq; transferãtur.

Episcopi verò omnes acceperũt reliquias illas sanctas, & in vase aureo portantes læti abierunt; quibus præibat 25 multitudo psalmos canens cum cereis, facibus, & thure multo.

Cùm verò ad tẽplum peruenissent, ascenderũt Episcopi in sublimẽ quẽdam locum,

locum, & populo reliquias illas ostenderunt. Quicunq; verò erant cæci, vel claudi, aut dæmone capti, sanati 26 sunt; idq; omnibus manifestum factum fuit. Currebant adolescentes vndiq;, & ægrotos homines, alios in grabatis positos, alios iumentis vectos ferebant, & omnes sanabantur; & quocunq; aliquis morbo detinebatur, sanus fiebat. Quandiu verò ægroti ferebantur, turbæ non permiserunt reliquias sanctæ Febroniæ reponi. Cæterùm cùm omnes, qui malè se habebant, sani facti essent, & Deo hymnos cecinissent, repositæ sunt Febroniæ martyris sãctæ reliquiæ quintodecimo die mẽsis Iunij. Cùmq; omnes magna dona assecuti essent, in domos suas redierunt læti, & Dei gloriam, ac Dominum Iesum Christum, & sanctum Spiritum celebrantes. Cui gloria, & imperium in secula seculorum. Amen.

26 Curationes, quæ ad Sanctæ reliquias factæ sũt, sanctitati vitæ testimonium ferunt.

Brienna verò cùm duos annos vixisset post consecratum sanctæ Febroniæ templum, & omnia benè dispostuisset, in pace diem obiit. Ego verò Thomais, quæ post Briennæ obitum eius ministerio successi, cùm Febroniæ vitã, & certamina indeusq; à principio cognouissem, quæq; præcesserant, à Lysimacho didicissem, in commentarios omnia collegi, ad laudem, & gloriam Dei, eiusdemq; martyris Febroniæ, & vt eos, qui hæc audierint, excitarem, & alacres redderem ad Domini Iesu Christi cultum, in gloriam Patris, & Filij, & sancti Spiritus, nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

MARTYRIVM SANCTI DVLAE.

EODEM XV. IVNII DIE.

QVO tempore satanas ab iis colebatur, quæ eo digni erant, & idolorum superstitio, atque error vigebat, cùm Maximus Ciliciæ præsideret, delatus est Tatianus, cognomento Dulas, vir iustus, & timens Deũ, qui totius gentis testimonio pietatẽ, & in omni re iustitiã seruare probabatur. Hic, inquã, delatus fuit apud Præsidem, quòd Christi fidem profiteretur. Quamobrem in carcere detinebatur, scriba ipso ita Præsidi referente: Quemadmodum tu iussisti, satellitum principes regionem omnem vsque ad Zephyritarum vrbem peruestigantes, deprehenderunt quendam impiæ Christianorum religionis sectatorem, quem obtuli syncero, & illustri tribunali tuo. Hæc ille dixit. Cui Præses Maximus; Quo tempore, inquit, vrbes ipsas circumiero, omnes, qui sunt in carcere, ad me duci iubebo.

Cùm igitur in vrbem Prætoriadem ingressus esset, & sederet in tribunali, iussit primùm adduci ad se Dulam, quem supra diximus. Qui cùm ad Præsidẽ ingrederetur, ita Deum orauit: Christe fili Dei, qui misericors es, tu dixisti per os Dauid: Dilata os tuum, & implebo illud. Tu & in Euangelijs dixisti: Ne soliciti sitis, quomodo, aut quid loquamini. Nunc igitur, Domine Iesu Christe, mitte Angelum tuum, & da mihi orationem os meum aperienti, vt ad scelestissimum Maximum ingrediens, eius impietatem redarguam. Quòd verò ad plagas pertinet, cùm te præ oculis habeam, huius tormenta nõ timeo; meumque corpus Præsidi libenter proponam. Nisi enim corpus meum tradidero ita vt ardeam, qualium bonorum coronas accipere potero? quales Domino meo Iesu Christo cicatrices ostendam, quas ille videns, benignitate in me vtatur, & peccata mea remittat? Hæc cùm ille dixisset, milites pallio eum exuerunt, & vinctum Præsidi obtulerunt.

Tum Maximus Præses; Agè, inquit, dic paucis verbis, quo nomine appelleris. Tum Dulas: Seruus Christi ego sum. Ad hæc Maximus; Cùm nihil, inquit, vtilitatis nomen istud tibi afferre possit, dicas naturale nomen tuum. Respondit Dulas: An non manifestum tibi nomen meum effeci? Vero quidem, & certo nomine Christianus appellor, eo autem, quod mihi ab hominibus impositum fuit, Dulas; itaque sic appellatus, re vera seruus Christi sũ. Nondum, inquit Maximus, iudicij terrorem expertus es. Nunc igitur dicas, cuius nationis homo tu sis, cuius loci, aut generis. Ad hæc Dulas ait: Ego sum natione Cilix ex vrbe Prætoriade, genere claro, & à puero Christianus. Tũ Maximus Præses dixit: Cùm claro genere ortus sis, inuictis Imperatoribus

cedere velis, & deos adiens, æquo animo illis sacrifices, vt & à nobis honoreris, & apud Augustos Imperatores magnus, atq; illustris habearis. Respõdit Dulas: Honores tui, & Augustorum gradus vobis sint, & omnibus iis, qui Deum ignorant. A' me verò Deus hoc auertat, vt alia in re proficiam, quàm in fide Domini nostri Iesu Christi.

Cùm ita eum sentientem Maximus Præses vidisset; Extensum, inquit, istũ virgis percutite, & admonete hominem, vt desinat insanire. At Dulas, cùm verberibus pulsaretur, dicebat: Gratias ago tibi, Christe, quòd dignus habitus sim, qui propter nominis tui confessionem hæc paterer. Audiebat ista Maximus, & illi hæc exprobrabat: Quid'nam tibi prodest nunc Christus tuus, cùm totus sis vulneratus? An non adhuc sentis, stulte homo? Cui Dulas: Quid? Nonne beatus Apostolus Paulus dicit: Nemo coronatur, nisi legitimè certauerit? Tum Maximus; Ergo, inquit, verberatus tu coronam assequeris? Respondit Dulas: Ego hodie contra patrem tuum diabolum certamen sustineo. Si ergo satanæ prælium deuicero, te, inquam, satanæ ministrum, in cœlis coronam accipiam. Cur, inquit Maximus, sic erras, homini in Cruce suffixo fidem habens? Ad hæc Dulas: Velim dicas, præstet'ne homini Crucifixo, hoc est, Deo viuenti, & vero, an lapidibus, & lignis, operibus manuum hominũ credere. Scelestissime, inquit Maximus, num tibi humanum opus videtur magnus deus Apollo? Dulas ait: Verè Apollinem * isto nomine appellasti, nam illi mentem adhibens, animam tuã perdidisti, non solùm autem tuã, sed illorum etiam, quibus persuades, vt eum adorent. Illud autem scito, quod Deus ipse requiret è manibus tuis animas, quas cogens perdidisti. Cæterùm Apollo impius dicam tibi qualis fuit.

* Α'πόλλω, vel ἀπόλλυμι, idem quod perdo.

Erat ille, vt tu nunc es, incontinens, cùmq; Daphnes amore captus esset, & pecunias multas ei dedisset, promissa, quæ ab ipsa acceperat, assecutus non est. Quæso, qualis'nam deus iste est, qui amore vulneratus, eam, quam adamabat, assequi non potuit? Quî potes igitur sperare, te aliquid per eũ assecuturum? Verè quæ à vobis de illo canuntur, risu digna sunt, vel potiùs luctu. Quem enim mulier meretrix execrabilis, atq; omnis impuritatis plena pro nihilo habuit, Apollinem, inquam, tuum, in cuius faciẽ ipsa expuit, tu'ne illum, vt Deum, adoras? Vides vt luctu digna sint impia vestra facinora? Hæc audiens Maximus; Versate, inquit, istum in alteram partem, & ventrẽ percutite. Tunc Athanasius Cornicularius dixit: Obtẽpera Præsidi; Nonne vides viscera tua exilire? Agè, inquit Dulas, tu, qui diaboli consiliarius es, & minister, tibi, & Præsidi tuo da consilium istud, quemadmodum Daphnæ persuadere possitis, vt cũ deo vestro Apolline coire velit, ne amore consumptus pereat. Ego enim habeo consiliarium meum dominum Iesum Christum. Tum Maximus: Afferte craticulam, & illam vehementer accendite, atq; istũ, vt diis maledicentem, in eam imponite. At Dulas; Gratias, inquit, tibi agit Apollo tuus in gehenna, quòd ignem nunquam extinguendum ei prouides; atque tibi gratiam referet, hanc scilicet, vt vnà cum ipso ad tenebras exteriores detrudaris. Tunc & ego te ridere potero, impie Apollinis patrone.

Cùm autem totum ferè Martyris corpus carnifices combusissent, nihil profecerunt, neq; enim Dei seruo persuaserunt, vt à fide Christi deficeret. Tunc iussit Maximus Præses, vt milites ita combustum in carcere interiore hominẽ custodirent, neq; cura aliqua illum prosequerentur, hæc addens: Ne quis, ex impiis hominibus eum ob id beatum prædicet, quòd impiè in deos nostros se gerens, tormenta perpessus fuerit. Erat igitur sanctus ille in vinculis, & sine intermissione Dei gloriam celebrabat, eumq; precabatur, vt martyrij cursũ perficeret. Post quinq; dies Maximus in tribunali sedens quæsiuit, an scelestus

ille, & impiæ Christianorum religionis sectator adhuc viueret; quem & ad Tribunal duci iussit. Athanasius Cornicularius respondit Præfecto: Ita constans, & ad defensionem paratus, & incolumis est homo ille, vt ne cicatricem quidem aliquam in corpore suo habeat. Iussitq; illum introduci. Quem cùm Præses totum sanum vidisset, & vultu admodùm hilari: O' scelestissima, inquit, cohors, non'ne vobis præcepi, vt nulla cura istum prosequeremini? Ad hæc Pegasius Commentariorum præfectus: Per tuam amplitudinem in carcere interiore custoditus est, habēs in collo Herculis effigiem trecētarum librarū pondere grauem. Quomodo verò sanus factus sit, nemo nostrū cognouit.

Tum Dulas: O' insipiens Præses, en Christus meus sanū me fecit, & ad plagas tuas excipiendas corpus meum idoneum reddidit, vt cognoscas Deum esse nostrum medicum, qui homines in eo spem suā collocantes admirabili quodam modo curare solet, simul etiam vt ego duplicem martyrij coronam accipiam, & tu sempiternas pœnas duplices patiare. Atsi tu tales plagas pro nomine Apollinis tui sustinuisses, scilicet potuisset tibi sanitatem afferre Apollo iste, quem deum tuum dicis, quèmadmodum mihi Christus meus sanitatē attulit. Tum Maximus: Quoniam homo iste non desinit maledicta in deos nostros iniicere, vngite oleo eius caput, & carbones ardentes imponite. Cui Dulas; Licet, inquit, cerebrum meum combusseris, quid tum, impie Præses? Excogita alia tormenta. At Præses dixit: Multa sinapis grana in eius nares immittite. Derideo, inquit Dulas, omnes cruciatus tuos. Præses autē: Lacerate constanter acuto ferro eius terga, & acerbissimo aceto plagas perfundite, tum acutis testis terga conterite.

Hæc cùm fierent, sanctus martyr dicebat: Iesu Christe, adesto seruo tuo, ecce enim supra dorsum meum fabricant peccatores prolongantes iniquitatē suā. Tunc dixit Maximus: Saltem nunc persuasus sis, & deos esse confitearis. Ad hæc Dulas: Scilicet dij tui adiuuant te, & malitiam tuam, præsertim Venus, & Diana. Dicam, si placet, & alias deas tuas, & earum scelera. Confringite, inquit Maximus, eius maxillas, ne diis maledicat; ipsius etiam crura infringite, & talem reddite, qui ne verbum quidem vllum proferre possit. Tū Dulas: Me'ne, iniquissime Præses, verberas, qui vera dico, quòd Venus ipsa, & reliquæ deæ tuæ mēbra sua in libidinibus, & stupris exercuerunt, & Paridem pastorem illum Iudicem sibi constituerunt, cùm periculum facere vellent, quæ'nam ipsarum magis peccaret? Cur irasceris cùm de execrabilium dearum tuarum facinoribus redargueris? Meus Deus verus est, qui & homo fieri voluit, qui etiam cùm in Cruce fixus fuisset, & postea sepultus, tertio die resurrexit, & sedet ad dexteram Patris, venturus'q; est cum igne ad deos tuos perdendos. Hæc audiens Maximus dixit: Vides'ne, scelestè, vt & tu duos deas habes? Ad hæc Dulas; Ne pecces, inquit, & erres dicens duos Deos; Trinitas enim est, quam colimus. Ergo, inquit Maximus, tres Deos habes. Trinitatem, inquit Dulas, confiteor, & adoro. Credo in Patrem confiteor Filium, adoro Spiritum sanctum. Tum Præses Maximus; Persuadeas, inquit, mihi, quomodo in vnum Deum credens, tres prædices.

Ad hæc respondit Dulas: Animalis homo non percipit ea, quæ Spiritus Dei sunt. Eorum tamen causa, qui adsunt, dicam. Quemadmodum tu, qui homo es, habes sermonem, ita & Deus pater omnipotens habet Verbum eiusdem substantiæ, & Spiritum suum sanctissimum. Qui Deus noster cùm primum hominem formauit, & imagine sua illum honorauit, insufflauit ipsi spiritum vitæ, quem & in Paradiso constituit. Postea verò quàm satanas, qui nunc per te voluntatem suam exercet, studuit hominem ad diuini

præcepti violationem impellere, quemadmodum nunc etiā per te facit, homi-
nē ipsum à diuinis præceptis exterminauit. Quáobrem Deus cùm opus, quod formauerat, & lapsum fuerat, erigere, idq́; quod aberrauerat, in viam reducere vellet, misit filium suum, hoc est Verbum. Itaq; Verbum Dei in sancta illa Virgine habitauit, & ex ea genitum fuit, per quod Pater ipse mundo salutem dedit. Tum Maximus dixit: Verbum igitur aliquod virum gignit? Minimè, inquit Dulas, Dei mysterium intelligis; verùm si omnipotentis Dei virtutem cognosceres, scire posses, quòd qui è puluere hominem fecit, qui firmauit terram super aquas, qui cœlum consolidauit, qui vniuersam naturam effecit, ille ipse Christus est. Cùm enim hominis conditio diuinitatem videre non posset, ille humani generis amator, propter suam in homines charitatem, homo factus est, & humanam humilitatem suscepit, vt sicut per vnum hominem primò formatum mors ipsa in mundum ingressa est, ita & per vnum hominem Dominum nostrum Iesum Christum resurrectio mortuorum induceretur.

Tum Præses: Quid ais? Est'ne etiam resurrectio mortuorum? Maximè, inquit Dulas. Quomodo enim Deus mundum iudicabit, nisi mortui resurrexerint? At ille: Nolim artificiosos istos sermones mihi afferas; sed sinas, si mortui fuerimus, nos mortuos iacere. Vera, inquit Dulas, dixisti, vos mortuos esse; cùm enim mortuis idolis fidem habeatis, nunquam ad resurrectionem vitæ peruenietis, sed ad dedecus, & supplicium sempiternum. Oportet autem omnes homines assistere ante tribunal Christi, & eorum, quæ fecerint, rationem reddere. Tunc dixit Maximus: Ligate hominem istum ferreis vinculis, & in carcere custodite. Postridie verò manè Præses iussit, Dei seruum Dulam introduci. Cui iam intromisso; Quæ'nam, inquit, miserrime homo, tibi vtilitas fuit in deos nostros impietatem exercenti? Respondit Dulas: Maximam vtilitatem percipio apud Deum, cùm eos, qui dij non sunt, reprobo. Te verò adhuc viuentem Christus puniet. Tunc ait Maximus: Iniicite in eius os carnes victimarum, & vinum libaminum. Licet, inquit Dulas, totam execrabilem aram tuam abluas, & in os meum infundas, nihil tamen ea re lædes Christi seruum. En, inquit Maximus, vt è nostris altaribus carnes gustasti, scelestissime homo. At Dulas: Nihil mihi hæc obsunt, execrabilis, & stolide Præses. Quid enim mihi profuisset superiores cruciatus perferre, si res ita se haberet, vt tu dicis? Sed, Deo iuuante, ipse videris, quid facias. Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Tunc Maximus iussit in ligno eum virum suspendi, & eius carnes vsque ad intestina lacerari, maxillas etiam cum mento diuelli. Cui Dulas; An, inquit, stolide, ignoras te à satana patre tuo iussum esse hæc facere?

Cùm eius viscera denudata essent, & maxillæ ab ossibus dissolutæ, Præses iussit Dulam in carcere seruari. Cùmq́; ad Tharsum vrbem Ciliciæ reuerteretur, iussit homines illos vinctos sequi. Cùm verò ad vigesimum lapidem processissent, beatus Dulas Christi 1 signo se muniens, animam Deo tradidit. Itaq; cùm essent satellites quatuordecim milliaribus longè à Tharso, Commentariorum magister nunciauit Præsidi, Dulam in deos impiè se gerentem mortuum fuisse, & eius cadauer illucusq; perlatum; quærebat autem quid fieri vellet. Tunc Præses; Proiicite, inquit, illum in vallem aliquam, vt sepultura careat. Satellites igitur cadauer martyris in torrentem deiecerunt, qui ad Zephyrum vergebat.

Pastorum verò canes cùm sancti martyris reliquias odorati essent, vnus ex illis canibus 2 venerandum illud corpus custodiebat, neq; volucrē aliquam

1 Beatus Dulas Christi signo se muniens.

2 Nota, Venerādum illud corpus, sanctasq; reliquias; quas etiam canes, irrationabilia animalia, honore affecerūt, custodientes ne ab auibus tāgerentur.

[illegible]nebat reliquias martyris attingere; alius verò canis pastoris pallium ore ap-prehensum ad sanctum martyrem Dulam tegendum attulit. Hoc autem Ca-stello, quod illic erat, notum factũ fuit. Venerũt igitur eius castelli habitatores & sanctas reliquias collegerunt, Deum laudantes, quòd reliquijs illis vene-randis priuati non essent, sed vnde corpus illud viuum exierat, illuc & martyrio functum rediisset. Illud ergo acceptum mul-ta cum veneratione reposuerunt, Domini no-stri Iesu Christi gloriam collaudan-tes in æterna secula.

Amen.

MARTYRIVM SANCTI LEONTII, ET SOCIORVM PER CYRVM SCRIBAM.

XVIII. IVNII.

QVO tempore Vespasianus Romanorum Imperium tenebat, vir quidam ordinis Senatorij, Adrianus nomine, crudelis, & animo valde immanis, omniumq; pessimarum artium inuentor, cùm audiuisset quosdam Christianos esse ab omnibus illis abhorrentes, qui diis ipsis sacrificia offerrent, deosq; ipsos despicientes, & alios homines magicis artibus, ac disciplinis, & adulationibus à deorum familiaritate remouentes, quippe qui dicerent, non esse deos, sed vnum tantùm Deum, furore percitus Imperatorem adiit, & ab eo petiit, vt sibi contra homines Christianos potestatem daret. Imperator verò statim omnem potestatem Adriano contulit, eiq; mandauit, vt quicunque eius edicto parere, & diis sacra facere vellent, honore magno donati ad eum mitterentur; qui verò nollent, cruciatibus grauissimis subiecti morti addicerentur.

Cùm igitur Adrianus ex magna Roma discessisset, significatum ei fuit à quibusdam, in vrbe Tripoli esse militem quendam, Leontium nomine, qui deos ipsos reprobaret, & eos, qui sacra illis facerent, ab eorum cultu auerteret, & patrias leges dissolueret. Cùm hæc Adrianus de Leontio audiuisset, hilaritate non mediocri affectus est, & militum cohortes præmisit, vt Leontius, qui talia faceret, comprehenderetur. Cùm verò prope vrbem venissent, eorum Tribunus, qui & ipse dæmonum superstitioni, & idolis addictus erat, repente febre totus correptus est, & militibus suis dicebat: Ita mihi dij propitij sint, vt ego scio, vndenam hoc malum in me profectum sit. Dij aduersus me indignati sunt; cùm enim huc profecturus essem, congruentem victimam illis non obtuli. Milites igitur cùm Tribunum suum ita febri æstuantem per tres dies, neque cibum aliquem sumentem, sed magis magisq; febri laborantem viderent, multis angustiis premebantur. Nocte autem illa Angelus Domini apparuit ei, dicens: Tribune, si vis sanus fieri, vnà cum militibus, qui tecum sunt, ter clames: Tu, qui sancti Leontij Deus es, mihi, quæso, auxilium feras. Si hoc dices, statim sanus fies.

Cùm Tribunus in talem mentis excessum venisset, & sobrius esset, vidit Angelum, vt adolescentem aliquem, candida veste indutum, & aspectus speciem

quendam terribilem præseferentem? Tum ille; Ego, inquit, emissus fueram cum his militibus, vt Leontium comprehendam, & vinctum illum ad exitum Adriani Ducis, & tu mihi dicis, vt clamem: Deus sancti Leontij, auxilium mihi afferas, vt saluus sim? Cùm hæc Angelo diceret, ille ab ipso euanuit, & stupor Tribunum corripuit; qui cùm adhuc iaceret in lectulo, & febre vehementi teneretur, militibus ad se accersitis sic ait: Audite, fratres. Cùm primùm somnum cœpissem, vir quidam illustris ad me venit, & dixit: Si vis sanus fieri, ter clames: Deus sancti Leontij, opem mihi afferas. Et his dictis, euanuit. Cùm hæc Tribunus dixisset, Theodulus quidam miles plus cæteris obstupuit, & quæsiuit à Tribuno, an eius, quem dicebat, vestis alba, & aspectus terribilis fuisset; idq; ita se habere didicit. Postridie verò manè Theodulus ipse assidebat Tribuno, quæ audiuerat in mente habens. Cùm autem & compotationis tempus venisset, Theodulum milites vocarunt, vt vnà cum ipsis, quemadmodum semper consueuerat, se oblectaret; erat enim Theodulus ipse inter Græcos homines maximè illustris. Ille ad compotationem inuitatus, omnes cibos reiecit, neque quicquam gustare voluit, sed humi iacens diutius ieiunus permansit, ac tandem somnum cœpit. Experrectus autē commilitonibus suis; Adrianus, inquit, Præses crastino die veniet, & Leontius captus non est? Sed si placet omnibus vobis, mecum habens Tribunum ad vrbem proficiscar, & quæram, quis nam sit iste Leontius; quem postquam comprehenderimus, cautè seruari iubebimus, quoad Adrianus Præses venerit. Erat autem Tribunus sanus iam factus, & à febre liberatus, cùm visioni illi obediuisset.

Postquam igitur illi ad summum vrbis verticem venerunt; ecce Leontius ipse illis occurrit, quibus ait: Saluete in Domino, fratres. Id cùm audissent duo illi milites Tribunus, & Theodulus; Salue, inquiunt, & tu amice. Tum Leontius dixit: Quid nam, fratres, quærentes huc venistis? Tunc milites; Virum, inquiunt, quendam, Leontium nomine, doctum, & probatum, Imperatori Vespasiano hoc loco habitare significatum fuit. Hunc igitur nos conuenire cupimus, vt iussi sumus. His enim diebus Adrianus præses huc venturus est, vt & ipse Leontiū videat, eūq; vt deorū amantem, honore maximo prosequatur, atq; ad Imperatorem ducat; totus enim Romanorum Senatus illum videre cupit, cùm eius præclara facta, & in deos obseruantiā audiuerit, præsertim cùm sit vnus è principibus viris, qui sunt in vrbe Tripoli. Cùm hæc audisset Leontius; Vt video, inquit, peregrini estis, & huius regionis ignari; venite igitur, & mecum vnà requiescite; ego vobis Leontium illum monstrabo, quem vos deorum amicum esse dicitis; ille verò non est iis diis amicus, quos vos colitis, sed scio ego Christianum illum esse, & Domini Iesu Christi fidem tenere. His auditis, illi secum dicebant: Quis nam iste est, qui dicit, Leontiū Christianum esse? Num aliquis ex eius cognatione est? Itaque Theodulus; Quod nam, inquit, est nomen tuum? Tum Leontius: De nominis mei significatione in literis diuinis scriptum est his verbis: Super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem. Oportet igitur à me conculcari leonem, & draconem, leonem, inquam, hostem illum, qui corporeis oculis nō cernitur, & draconem, hoc est Præsidem ipsum, & eius consiliarium. Tum Tribunus ad Theodulum conuersus; Et quis nam, inquit, iste est, qui dicit: Oportet à me conculcari leonem, & draconem, & Præsidis cōsiliarios: Dubitatione igitur detenti ambigebant quid nam facturi essent. Eò enim quòd tam benignè inuitati erant, remorabantur ne prauum consiliū suū viro illi aperirent; veruntamen cùm Adriani sæuitiam perspectam haberent, & eam formidarent, neq; vellent re infecta reuerti, iter ad Leontij domū, amicitias

Nota q Leontius idē valet, ac si quis dicat, leonē puniens, vel conculcans.

simulantes

simulantes vnà fecerunt. Deinde, En, inquiunt, vir optime, domum tuã peruenimus, & rebus tuis omnibus fruimur. Festina igitur nobis Leontium ostendere, vt cùm venerit Adrianus Præses, honore maximo dignus habearis, & Imperatorum amicissimus in eorum palatio verseris.

Hæc cùm illi dixissent, tum Christi martyr; Ego, inquit, sum Leontius ille, quem vos quæritis; ego sum ille Christi miles; ego sum, quem Adrianus per vos insequitur. Illi cùm audiuissent quòd dixit, Ego sum, in faciem prostrati clamare cœperunt: Serue Dei altissimi, remitte nobis hoc peccatum, festina Deum tuum placare, vt nos ab idolorum fœditate, & ab illa immani fera Adriano eripiat; & nos enim Christiani sumus. Hæc cùm illi dixissent, sanctus Dei seruus Leontius in terram 1 se deiecit flens, & dicens: Domine Deus, qui vis omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire, qui dedisti nobis salutis pignora, respice nos, quæso, in hac hora; qui fecisti, vt qui contra me venerant, pro me essent, me ouem illam perditam, serues oro, & istos mecum vnà illumines misericordiæ tuæ luminibus, quibus & sancti Spiritus tui gratiam effundas, & cor purum crees, tuóq; signo notatos, inuictos milites contra hostem diabolum efficias, potentiam, & arma illis præbens propter viscera misericordiæ tuæ. Pro scuto, & hasta sit illis sapientia tua. Tu, qui tribus diebus in sepulchro esse voluisti, qui malefici draconis caput conculcasti, da, quæso, vt Tribunus hic, & Theodulus conterant caput malitiosi draconis Præsidis Adriani, tuíq; roboris gratia illos confirmes. Tu enim desperatos ad cognitionem, & spem inuitas; tu errantes misericordia tua in viam reuocas; quippe qui cordis arcana cognoscis, & vniuersæ humanæ naturæ creator es. Accipe, quæso, preces peccatoris Leontij. Ostende & his, præter te non alium Deum esse. Fac, vt qui diis inanimatis, & mutis fidẽ habent, illos vanos, & inanes esse cognoscant; & tuæ cognitionis lumine illustra eos, qui veritatem non cognoscunt. Ita, quæso, facias, Deus Saluator noster, quoniam tuum est regnum, potentia, & gloria Patris, & Filij, & Spiritus sancti, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

1 Orat Sãctus cum prostratione, & fletu.

Cùm dixisset, Amen, descendit nubes aquæ in Theodulum, & Tribunum, eosq; illuminauit. Quod cùm sanctus Leontius factum vidisset, voce magna clamãs; Gloria, inquit, tibi sit, Deus meus, qui voluntatem quærentium te non aspernaris. Tum illos albis vestibus induit, & cereos accensos ante ipsos ferri iussit. Cùm verò quidam ex Græcorum numero tantum miraculum per Leontium factum vidissent, cœperunt per vrbem tumultuari, & ita clamare: Pernicioso igne comburantur illi, qui deos nostros reprobant. Itaq; nõ mediocri tumultu ciuitas illa perturbata erat. Biduo autem postea venit Adrianus Præses, & omnes, qui cum illo erant; cùmq; ante vrbis portas constitisset, quæsiuit, quænam voces, & tumultuatio illa, quinam populorũ clamores essent. Tum eius ciuitatis optimates; Vir, inquiunt, quidam, Leontius nomine, qui Christianus appellatur, omnes à deorum nostrorum cultu dehortatur, ac remouet, magicis quibusdam artibus homines ipsos circumueniens, dum prædicat, & nugaci oratione celebrat, extollitq; virum quendam ab hominibus in Cruce suffixum, quem Pilatus ipse inquisitum flagellis, & Iudæi alapis verberarunt. Quinetiam Imperatoris nostri milites veneficiis suis decepit, & ad Galilæi hominis illius religionem attraxit, eosq; albis vestibus indutos tertium iam diem apud se habet, & maximos deos nostros reprobat.

Tunc Adrianus Præses furore accensus iussit militibus, quos secum habebat, vt tres illos comprehensos cautè in carcere custodirent, quoad ante tribunal sisterentur. Fecerunt milites quod iussi fuerant, & homines cõprehensos

in carcerem coniecerunt. Leontius verò per totum diem non desistens magni Dei fidem, & doctrinam illis tradere; Agitè, inquit, fratres, estote fortes, & cogitate, præsentes cruciatus paruos esse, & ad breue tempus, gaudium verò illud, & iucunditatem sempiternam futuram. Itaque si nos hîc nefariorũ hominum iniurias sustinemus, illic requiem perpetuam inueniemus. Nocte verò cœpit psalmi versus illos canere: Deus noster in cœlo, & in terra, omnia quæcunq; voluit, fecit. Deus, qui præcinxit me virtute, & posuit immaculatam viam meam. Cùm verò dies illuxisset, Adrianus præses in tribunali sedens iussit ad se duci Leontium, Tribunum'q;, & Theodulum. Qui cùm præstò essent; Tu'ne, inquit Præses, Leontius es? Ego, inquit ille, ipse sum. Tum Præses: Cuius fortunæ, & conditionis homo es? Quomodo prauis, & maleficis veneficiis tuis milites ab Imperatore nostro subripuisti? Eos, inquã, qui semper cum Imperatore nostro erant, subripiens fecisti, vt ei, quem tu Deum dicis, crederent. Respondit Leontius: Ego Christi mei sum miles; ego sum illius veræ lucis filius, quæ illuminat omnem hominẽ venientem in hũc mundum. Omnis, qui venit ad hãc lucẽ, nõ offendit. Scit Tribunus, & Theodulus, quæ sit huius luminis origo, & pfectio, Christus videlicet; itaq; dereliquerũt deos tuos è lignis, lapidibus, & animaliũ ossibus cõfectos, quippe qui fragiles sunt, & comminui facilè possunt. Cùm Præses audisset Leontium tam libera oratione vtentem, furore inflammatus præcepit seruis, vt verberibus Leontiũ ipsũ contunderẽt. At ille cùm verberaretur, erectis in cœlum oculis; Tu'ne, inquit, Adriane, putas cruciatum mihi afferre, qui te ipsum crucias?

Cùm verò illum Adrianus vidisset cruciari quidem, sed in Christi confessione constanter permanere, illum iussit in carcerem duci, & ad Tribunum, ac Theodulũ conuersus; Quare, inquit, vos patrios vestros mores abiecistis, in quibus educati estis, & derelicto militari stipendio, Imperatori nostro mœrorem parastis? Tum illi responderunt: Nobis datus est panis, qui cõsumi non potest, qui'q; è cœlo descendit, & vini poculũ è latere altissimi Dei acceptum, pro illis autem carnibus, quæ corruptioni subiectæ sunt, corpus puri, & omni macula carentis agni nobis datum est. Tum Adrianus; Ista, inquit, vobis suggessit improbus Leontius. Facite igitur, quæ Imperatori grata sunt. An ignoratis, ita Imperatorem iussisse, vt qui diis sacra fecerint, maximis honoribus, & militiæ gradibus honestentur, qui verò iussis parere noluerint, illi pessimis modis vita priuentur? Ad hæc Tribunus, & Theodulus responderunt: Nostra militia in cœlis est; fac quicquid vis. Tu quidẽ, cũ turpissimorum idolorum vltor sis, cõtra nos ipsos te armas; sed tota vita tua deserta erit, & tempus dierum tuorum minuetur. Hæc cùm Adrianus audiuisset, iussit Tribunum in ligno suspendi, atq; constanter vnco lacerari, Theodulum verò in terram prostratum verberibus cædi. Qui cùm acerbè cruciarentur, nullam aliam vocẽ emittebant, nisi hanc: Salua nos, Domine, quoniam defecit sanctus. Adrianus verò cùm illorum sententiam stabilem, atq; immobilem vidisset, iussit eos securi percuti. Qui dum ad supplicium ducerentur, canebant versus illos: Tu es protector noster, Domine; in manus tuas commendamus spiritus nostros. Cùm orationem compleuissent, à carnifice percussi sunt, & animas suas in confessione illa sancta Deo tradiderunt.

Posthæc iussit Adrianus duci sanctum Leontium. Qui cùm præsto esset, Agè, inquit Leonti, misereat te fortunæ tuæ, ne graues cruciatus experiare, quales experti sunt Tribunus, & Theodulus, homines à te circumuenti; iam'q; audi me, & diis sacrifica, sic enim honores maximos à me, & Imperatore, toto'q; Senatu consequeris; nam Imperator ipse valde cupit aspectum tuum videre. Auertat Deus, inquit Leontius, vt ego eius Imperatoris aspectum videam.

qui execrabilis hostis Dei est; sed si placet, tu, Adriane, Christi amicus sis; id enim si feceris, ostendam tibi, quantam salutem, quantam opem, & quàm perennes diuitias ab ipso percipies. Tum Adrianus præ bili subridens; Tantã, inquit, & me salutem consequi vis, quantam Tribunus, & Theodulus consecuti sunt? An nescis, scelestissimum caput, quali supplicio illi consũpti sunt? Ad hæc Leontius: Minimè supplicium appelles, quod ipsis intulisti, sed vitam potiùs, pacem, & gaudium; nunc enim gaudent, & exultant, & vnà cum Angelorum choris versantur. Tum Adrianus; Adhibe, inquit, Leonti, mentem iis, quæ à me dicentur. Quisnam mentis compos hanc Solis lucem, & maximos illos deos, Iouem, Apollinem, Neptunum, Venerem, & reliquos vnquam relinquere voluit, vt morte pessima vitam finiret? Nemo certè, nisi qui à te circumuenti sunt. Ad hæc Leontius: Minimè tu audisti, quod scriptum est: Dij gentium dæmonia: &, Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes, qui confidũt in eis. Quis igitur est, modò sanæ mentis ille sit, qui mutis lapidibus, & talibus rebus anima, & sensu carẽtibus, cuiusmodi sunt isti vestri dij, similem se esse velit, ne dum ipsis sacra facere?

Cùm hæc Iudex audiret, Martyris sententiam firmam esse videns, iussit in terram prostratum à quatuor carnificibus verberari, & præconem ipsum clamare: Qui deos nostros pro nihilo faciunt, & Imperatoris edictum non obseruant, ita peribunt. Cùm diutius Leontius verberaretur, & carnifices defessi essent, ad Præsidem loquens; Quamuis, inquit, corpus meum, pessime homo, dilaniaueris, nunquam tamen animæ meæ dominus fueris. Iussit deinde Adrianus illum in ligno suspendi, & eius latera, atq; crura lacerari. Qui cũ diutius laceraretur, neq; quicquam aliud diceret, nisi hoc tantùm: Deus in te speraui, salua me, Domine: cùmq; cœlum Martyr suspiceret, tunc ad ministros suos Adrianus conuersus; Deponite, inquit, illum de ligno; scio enim quòd cùm in cœlum intueatur, deos ipsos orat, vt requiem illi afferant. Ad hæc sanctus Leontius dixit: Pereas tu cum diis tuis, Adriane infelicissime, & execrande, ego enim Deum meum precor, vt robur, ac vires mihi suggerat, quò tormenta tua sustinere possim. Cùm igitur Adrianus Leontij mentẽ constantem, & firmam vidisset, rursus iussit in ligno eum suspendi, capite in terram deuoluto, & magnum saxum ex eius collo pendere, vt ita cruciaretur. At sanctus martyr generoso, & forti animo cruciatus illos perferens, ac cœlum intuens sic Deum orauit: Domine Iesu Christe, qui corroborasti seruos tuos Tribunum, & Theodulum ad præstandam tui nominis confessionem, & me seruum tuum supplicem, & peccatorem confirmes, vt tormenta hæc sustinere possim, neq; expectationi meæ deesse velis.

Tum Adrianus; Scio, inquit, Leonti, diis nostris te amicum futurum. At ille: Ego seruus sum Dei altissimi; tu verò deorum tuorũ seruus es. Cùm illis igitur & tu, & exercitus tuus peribit. Porrò Adrianus cùm Leõtij mentẽ stabilem vidisset, illum iussit in carcere seruari vsq; ad diem posterum. Ille verò in carcerem ingressus, per totam noctem psalmũ canebat: Dominus illuminatio mea, & salus mea; quem timebo? Cùm verò psalmum caneret, Angelus illi apparuit, & dixit: Esto fortis, Leonti, ego enim tecum sum. Me Dominus Deus tuus misit, quem tu quæris. Cùm verò dies illuxisset, iussit Adrianus ad se Leontium educi, quem sic affatus est: Nunquid, Leonti, cogitasti quid tibi expediat? Tum sanctus martyr; Cùm semper, inquit, cognouerim quid mihi expediat, vanis tuis sermonibus restiti; quare semel, bis, & ter tibi affirmo, me nunquam commissurum, vt derelinquam eum, qui fecit cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt, Dominum Iesum Christum Dei filiũ, qui propter nos homines Crucem pati voluit; illum, inquã, minimè deserã,

in eo enim solo, & in eius nomine spem collocans, misericordiā consequar. Tū iussit Adrianus in aëre à quatuor carnificibus suspendi, & vehementer verberari. Cùm verò ille verberaretur, clamauit Adrianus: Fac, Leonti, quod dico, & diis sacrifica; id enim si feceris, per deorum nostrorum salutem, ac be dignitatem faciam, vt dignitatis gradum, & longè plura consequaris. Ad hæc sanctus martyr Leontius; Et quæ nam, inquit, dignitas tanti erit, vt ego Deum meum negem, & tibi obediā? Me ne hortaris, vt dæmonibus tuis sacrificem, cùm ne totus quidē mundus tanti sit, vt cum Christi mei charitate conferri possit? Cùm igitur Adrianus eius mentem ita firmam vidisset, vt mutari non posset, hanc sententiam contra illum tulit: Leontium, qui diis libare, & Imperatoris edicto parere noluit, nostros'q; nobis propitios deos contempsit, iubemus è quatuor vectibus suspensum tam diu verberari, donec animam emittat.

Cùm igitur sanctus martyr Leontius diutius verberaretur, & vulneribus, ac plagis laceraretur, spiritum suum Domino tradidit, & in ipsius Tripolis portu sepultus est decimooctauo die mensis Iunij, cùm mundo ipsi bonum virtutis monumentum dereliquerit; martyr, inquam, Leontius, per quem Deus sui Regni partem nobis concedat.

Hæc commentaria beati martyris Leontij Cyrus quidam scriba in tabulis plumbeis conscripsit, & apud sancti martyris monumentum ea deposuit, vt iis, qui postea futuri sunt, optimum exemplum relinqueret in Christo Iesu Domino nostro. Quisquis igitur ea legit, & bonam; ac sanctam Martyris confessionem audit, manus in cœlum erigat, & Deo ipsi gloriam reddat, qui Martyri patiētiam suggessit. Martyrium autem compleuit Christi martyr Leontius decimooctauo die mensis Iunij, vt iam diximus, sub Imperatore Vespasiano, in nobis autem regnante Domino nostro Iesu Christo; Cui sit gloria in secula seculorum. Amen.

Martyrium

MARTYRIVM SANCTI ZOSIMI.

XIX. IVNII.

QVIBVS temporibus Traianus Imperator Romanorũ Imperium tenebat, multa idolorum insania, & error, multaq; cæcitas Græcos homines detinebat; quamobrẽ magna persecutio contra Ecclesiã Dei cõmouebatur. Erat autẽ Domitianus quidã Antiochiæ Pysidiæ Præses, qui cùm Imperatorem Traianum adiisset, petiit sibi dari potestatem aduersus Christianos homines, vt quicunq; diis ipsis immolare noluisset, graui supplicio afficeretur. Hic cùm huiusmodi potestatem accepisset, & armatura diaboli indutus esset, tanquam leo quidam, fremebat aduersus eos, qui ad mortem vsq; Dei confessionem seruabant. Venit autem in vrbẽ Apolloniam per Soropolitarum regionem. Cùmq; persecutio immineret, Zosimus quidam miles fidẽ Christi cupiens sequi, arma bellica tunc abiecit, & ad sanctissimam Ecclesiam confugit, & Christi fide instructus, immortalitatis lauachrum accepit, in fidei operibus, & [1] castitate, multisq; ieiunijs, & orationibus se ipsum diligenter exercens.

[1] Hæc sũt sancta Christianorum exercitia, nõ crapulæ, ebrietates, scortationes, luxus, & alia huiusmodi.

Cùm dies multi præteriissent, & Domitianus esset in ea vrbe, quam supra diximus, vir quidam illum adiit, & Zosimum deferens; Est, inquit, quidam Zosimus miles, qui & Imperatorem, & vestram potestatem contemnit; cùmq; arma deiecerit, & militiam abnegauerit, in quam ab Imperatore Traiano adscriptus fuerat, dicit se Christianorum religionem sectari, pro nihilo faciens deos nostros; quinetiam Imperatoris constitutiones execratur, & eius potestatem despicit. Tum Præses dixit: Ducatur huc Zosimus ad tribunal. Abiit igitur cohors, vt iussa fuerat, & Zosimum comprehensum ad tribunal duxit. Quẽ Præses interrogans: Tune, inquit, es, qui Zosimus appellaris? Respondit: Ego ipse sum Zosimus seruus Domini mei Iesu Christi. Ad hæc Præses: Fatere prius cuius conditionis homo sis, & postea dices cuius seruus sis. Tum ille: Miles ego sum, quòd ad humanam conditionem pertinet, qui vestros illos deos perditissimos dereliqui, & Christianus factus sum. At Domitianus; Sceleratissime, inquit, Zosime, nihil tibi proderit nomen istud. I nunc, & diis sacrifica, vt peccatum istud tibi condonetur, quòd Imperatorem & dominum nostrum Traianum despexisti, qui militarẽ ornatũ tibi concessit. Ad hæc Zosimus: Minimè diis vestris ego sacrifico. Adducatur, inquit Domitianus, in carcerem.

Crastino autem die iussit illum duci ad tribunal, quem, manibus post terga colligatis, ante Præsidem statuerunt. Tum Præses iussit eum in ligno suspẽdi;

cui suspenso dicebat: Sacrifica, scelestè Zosime, priusquàm membra tua destruantur: Ad hæc Zosimus; Non solùm, inquit, nō verbis, sed neq; factis poteris mihi persuadere, vt sacrificem. Tum Domitianus: Verberetur vehementer à robustis militibus. Cùmq; diutius beatus Zosimus verberaretur, dixit Præsidi: Frustra ministri tui laborát, Dei enim me corroborátis voluntate verbera tua non sentio. Cùm igitur tádiu verberatus fuisset, quoad solum ipsum sanguine repletum esset, voce magna clamans dixit: Domine Deus omnipotens, qui sedes in throno firmissimo, qui extendisti cœlum, & fundasti terrá, qui aquas omnes in vnum locum congregasti, tu, nostra seruorum tuorū spes, exaudi me, qui te precor, neq; permittas huius Domitiani minis me superari, vt omnes, qui nomen tuum non cognoscunt, per me discant, te solum esse Deū. Has preces cùm habuisset, venit vox è cœlo dicens: Zosime, esto fortis, & robustus, ego enim tecum sum, neq; quisquam tibi obesse poterit. Cùm hác vocem Domitianus, & quidá alij, qui cum illo erant, audiuissent; Certè, inquiūt, magus hic est. Alij dicebant: Minimè magus est, sed magnus est Deus Christianorum, & ab illo vox ista ad hominem hunc missa est.

2 Orat Sáctus oculis in cœlum erectis.

Iussit rursus eum Præses colligatum à quatuor militibus extendi. Qui cùm valde distenderetur, oculos in cœlum 2 erexit, ac dixit: Domine Deus, qui hominum mentes cognouisti, tu Christianorum spes, refugiū, & requies illorū, qui sunt in angustiis, libera me à fraude pestilētis, & diaboli Domitiani, vt cognoscant omnes, qui præsentes sunt, te Deum viuentem esse, qui sēper fuisti, & eris in secula. Cùm multi ex iis, qui præsentes erant, egregiam Martyris patientiam cognouissent, ad Christi fidem conuersi sunt. Præses verò cùm id factum vidisset, & metueret, ne omnes ad eandem fidem conuerterentur, erubescens, ac dentibus frendens, cogitabat, quo mortis genere hominem interficeret. Iussit igitur grabatum æreum ferri, & ignē multum subiici. Cùmq; multæ flammæ in grabatum ascenderent, iussit beatum Zosimū nudum illuc coniici.

3 Cùm Sáctus martyr Crucis figura se muniuisset.

Cùm verò sanctus martyr 3 Crucis figura se muniuisset, & in grabatum coniectus esset, statim Dominus ignē in rorē cōuertit; etenim per Angelos suos Deus Martyri opem attulit. Omnes verò, qui præsentes erant, opinabátur ob nimium illum ignem Zosimum animam efflauisse. At Angeli à Deo missi sanctū martyrē è grabato sublatum, omnibus spectantibus, extra grabatū constituerunt. Turba verò cùm admirabilia Dei facta vidisset, eius gloriá collaudauit, qui misit Angelos suos, & à tali flamma virum illum eripuit. Itaq; plurimi ad Christi fidem conuersi sunt.

Tum Præses cùm sanctum martyrē ad se vocasset; Obtempera, inquit, mihi Zosime, & diis sacrifica. Ad hæc Zosimus: Fœdissime omnium hominum, quibus diis iubes me sacrificare? Ioui, inquit ille, & Iunoni. Tūc Zosimus: Ego multos istos deos nō colo; vnū enim cognosco viuentē Deum, huicq; soli piè seruio. Hæc cùm audisset Præses; Zosime, inquit, tibi dixi, vt ad deorū ará accedas, & ipsis sacrifices; sin minus, te igne consumam. Ad hæc Zosimus: Stolide, semel dixi tibi, q Deo meo seruio, qui in cœlis est. Cùm verò Præses à tribunali surrexisset, & ad Cononensium vrbē iter facturus esset, iussit Martyrem ligatū illuc sequi, vt ibi ad ignē coniiceretur. Cùmq; ad eá vrbē Domitianus venisset, & sederet p tribunali, iussit in crepidis quibusdá clauos aptari, & Martyris pedes crepidis illis configi, cathenisq; cōstrictū ad equos ligari, & cogi celeriter ambulare. Ille ad equos ferocissimos alligatus, nō letus erat ad iter faciendū, sed equos ipsos anteuertens præcurrebat. Deus enim erat cum illo, qui se ipsi adiutorem præbebat. Itaq; has voces ptulit: Domine Deus, qui perfecisti pedes meos, tanquam ceruorum, perfectam patientiá mihi suggeras. At Præses cùm martyris patientiam vidisset, iussit ipsum in carcere

clausum custodiri, neq; cibum aliquem omnino illi dari.

Cùm verò tres dies præteriisset, & Zosimus cibũ nõ gustasset, duo pueri venerunt in carcerẽ, quorũ vnus panẽ, alter vas aquæ portabat, & Martyri dixerũt: Accipe pretiosum munus à Domino Deo tuo ad te missũ. Hæc cùm ille accepisset, cibũ gustauit, ac dixit: Benedico tibi, Domine, quoniã misertus es mei, & nõ neglexisti me, sed satiasti cœlesti tuo cibo. Laudo, & celebr o gloriã, & magnificentiam tuã in secula. Amen. Cùm verò dies illuxisset, Præses in tribunali sedens iussit sanctũ martyrẽ ad se duci. Præsto autẽ fuit sanctus Zosimus hilari vultu, & mẽte ad Deũ erecta. Præses verò stupore magno affectus erat, ꝙ tantos pedum cruciatus sustinuisset, neq; vultum mutasset. Tum ille; Zosime, inquit, sacrifica tandem diis ipsis, ne vulneribus multis laniatus pessimè moriaris. Ad hæc Zosimus: Si tu vis sacrificare tui similibus, sacrifica; ego, vt supra dixi, Deo meo seruio. Tũc furore accẽsus Domitianus; Suspendatur, inquit, in ligno. Cùm verò suspensus fuisset, ei Præses dixit: Vides'ne, miser, quàm multa tormentorũ genera tibi proposita sint? An nõ obediẽs mihi diis immolabis? Ad hæc Zosimus: Qui viuentẽ Deũ amãt, ista vestra tormẽta nihil curant. Tum Præses; Ferreo, inquit, pectine nefarius iste homo dilanietur. Cùm verò Martyr laniaretur, alta voce Deum orans dixit: Equidem magis nunc agnosco misericordiæ tuæ viscera, Christe author luminis, quoniã tu es, qui docuisti me, non blasphemiam aliquã pronunciare, vt per hæc tormenta diuinitatem tuam magis cognoscerem.

Hæc cùm dixisset, neq; Præses tormentorũ satietate affectus esset, iussit hominẽ ante tribunal duci, cui *hæc* dixit: Multis cruciatibus ꝓpter nomẽ Christi afflictus nullam vtilitatem assecutus es; saltem nunc accede, & diis sacrifica. Tum Zosimus; Domitiane, inquit, sæuissime, atq; inhumane, & impietate omni refertissime, Deum illum cœlestem metuas, & erroris, quo detẽtus es, obliuiscaris, neq; simulachra ista deos nomines, sunt enim dæmones, nõ dij. Tũ Præses: Tu'ne, ò scelestissime, audes deos nostros dæmones appellare, per quos mundus ipse dies festos celebrat? Tunc Zosimus; Qualem, inquit, diẽ festum agunt isti dij, quos dicis, talem Imperator tuus, & qui eis credunt, agant. Præses verò: Vides'ne, Zosime, quemadmodum diis ipsis repugnas, & illos in iram prouocas? Desine ista dicere, ne propter blasphemiam tuam & ipsi pessimè pereamus. Pietatis, inquit ille, & diuinæ confessionis causa tibi repugno, & aduersor. Tum Præses dixit: Afferte faces accensas, & ventrem ipsius incendite. Non solùm, inquit ille, faces ventri admoueri iubeas, sed etiam, si placet, totum corpus meum comburas; nunquam enim me vinces; præsto est Christus, qui me corroborat. En ego à te interfici valde cupio; hæc enim est mea iactatio in Christo Iesu.

Præses cùm non ampliùs sciret quid ageret, & à verbis illis sancti Zosimi, se nihil profecturum esse intelligeret, iussit securi hominẽ percuti. Cùm verò Martyr ad obeundũ martyriũ duceretur, cœpit dicere: Domine Deus meus, respice me peccatorem, & accipe animam meam cum his, qui ab omnibus seculis tibi placuerunt, quoniam tu es gloria mea ex hoc tempore, & in æterna secula. Amen. Martyrium compleuit sanctus Zosimus decimo nono die mensis Iunij in vrbe Cononensium, Imperatore Traiano, in nobis autem regnante Domino nostro Iesu Christo; Cui gloria, & imperium in secula seculorum. Amen.

✠

ALOYSIVS LIPO-MANVS EPISCOPVS VERONENSIS CANDIDO LECTORI.

SI integram hanc vitam, migrationem scilicet ad Dominum sancti Iuliani, & reliquorum continentem, exhibere tibi non potuimus, Lector optime, parcas, obsecro, nobis. Vlterius enim in libro, ex quo excipiebatur, Græcè non est repertum. Sed ne felicem sanctæ Basilissæ transitum, sanctorumq́ amborum mirabilem conuersationem, quæ, vt credo, hucusq́ ignorata sunt, in posterum etiam ignorares, hæc, quæ habere potuimus, libenti animo tibi obtulimus. Quòd si reliqua, quæ desiderantur, dante Domino, quandoq́ ad manus nostras deuenerint, ea ipsa quoque tibi syncera charitate nota fient.

Vale in Domino.

Vita

VITA SANCTORVM IVLIANI MARTYRIS CVM RELIQVIS, AC BASILISSAE VIRGINIS.

XX. IVNII.

HAEC sunt sanctorum martyrum Iuliani, Basilissæ, & reliquorum certamina, quæ pro religione perpessi, sempiternum post suum hinc excessum, nobis hoc beneficium reliquerunt; sua enim facta, & quæ ipsi pro Christo perpessi sunt, ad eos, qui postea certare vellent, certissimum exemplum transmiserunt. Itaq; errantibus viam monstrarunt, & cæcorum oculi, infirmorum fides, omnium deniq; hortatores fuerunt, qui suarum virtutum specimen ad alios transmiserunt, & splendore sancti Spiritus homines illustrarunt. Ex hoc iustitiæ thesauro nemo est, qui haurire non possit, vel errare queat, nisi qui velit perfidiam retinere. Vos autem, qui hæc auditis, & legitis, nobiscum vnà credite, omnia possibilia esse credenti, ob idq; sine aliqua hæsitatione bonam hanc hæreditatem, quam nobis Martyres imitandam reliquerunt, accuratè, & diligenter persequamur. Peto igitur à vobis, qui hæc lecturi estis, vt attentis animis audiatis, quàm gloriosũ sit terrena hæc derelinquere, quò per angustã sanctorũ hominũ viam contendentes illorum institutionẽ assequi possimus. Illud igitur, vt dixi, vos rogatos velim, vt cùm eorũ facta legitis, vera esse credatis. Nã beati quidẽ sũt qui viderunt, & crediderunt; sed longè beatiores, qui non viderunt, & crediderunt. Nos, qui nostris oculis vidimus, Martyrum facta conscribimus, quamobrem exiguam beatitudinis partem nobis fore credimus. Vobis verò necessariò maior quædam gloria futura est, qui auditis, & creditis, Deum in sanctis suis perfectissima quæq; opera implere posse. Huius igitur sanctissimi martyris Iuliani certamen, quod ille perpessus est, in mediũ afferam, neq; silentio præteribo, quemadmodum ab ipsa pueritia vitam Deo gratam exercuerit. Velim fidem nostris verbis habeatis, vt id facientes discatis, qualis merces fidelibus hominibus parata sit.

Beatus hic Iulianus claris fuit parentibus, quòd ad mundi huius splendorem pertinet. Illum parentes vnicum habebant suorum viscerum, ac generis pignus, quem omni eruditione, & sapientum virorum disciplina instituendum

curauerunt. Nulla enim Dialecticæ, aut Rhetoricæ artis pars eum fugiebat; ita ingenij acrimonia præstans erat. Ille verò nõ aliter mũdi sapientiam, quàm vt bonum Christi athletam decet, exercebat; mundo autem ipso sic vtebatur, tanquam non vsurus esset; legerat enim apud omnium Christianorum magistrum Paulum: Præterit figura mundi huius. Ita denique se ipsum Deo charum præbebat, vt mundi huius sapientiam stultitiam duceret; semper enim in votis habebat, mundi huius memoriam nullam habere, sed cum Christo esse. Fidei verò, quam sancta 1 mater Ecclesia tenet, & obseruat, amator erat ardentissimus, quotidie sanctorum virorum ianuas frequentans; neq; diem vllũ intermittebat, quin ad eos iret; & tanquam bonus aliquis operarius thesaurũ in corde suo reponebat, omniumq; Sanctorum, & electorum Dei virorum facta imitans, & ad vniuscuiusq; virtutes properans, Christi gratia florebat.

1 Vides ꝙ Sancti eam fidẽ amãt, & obseruant, quã sancta mater Ecclesia tenet, non quã Synagogæ satanæ diuersæ adinuenerunt?

Inerat in eius visceribus perfectus quidam amor timorem eiiciens, ita enim se ipsum ab huius carnis, & mundi affectibus, atq; infirmitatibus remouit, vt rectè illud Domino Deo confiteretur: Quamdiu in hoc mundo sum, peregrinor à Domino. Ille & homines latere cupiebat, quoniam Christo ipsi placere studebat; quamobrem suum propositum, & sanctissimum desideriũ occultabat. Hunc cùm parentes viderent tanta attentione animi Christianæ fidei exercitationem sequi, iuuenem ad se vocarunt, & his verbis hortati sunt: Suauissime noster fili, audi parentum tuorum sanas admonitiones. Quoniam in sanctissima Christi lege à beato Apostolo omnium Christianorũ magistro spirituali doctrina instructi sumus, filios gignere, familiam regere, nullam occasionem inimico relinquere, propterea te hortamur, vt non tantùm nobis placeas, quantùm Domini Iesu Christi legibus fidelem te præbeas. Ad hæc beatus Iulianus dixit: Neq; propositi mei ratio, neq; ætatis tempus postulat, vt ea faciam, quæ adhortamini. Tum parentes: Annos decem, & octo natus es, quî potes igitur recusare, quin coniugem ducas? Nolumus ætatem excuses, sed facere studemus, vt vxorem habeas, quò liberos gignere possis, & puerum aliquem Deo ipsi offeras. Verùm quo tempore corporis libidines deferbuerint, tu, & vxor concordi animo, & voluntate in castitate viuentes salutarem Christi doctrinam attendere poteritis.

Hæc parentes agebant, vt semen propagare possent, quod finem habiturum credebant, nisi generis successione renouaretur. Ille verò cùm parentum verba molestè ferret, neq; illis acquiesceret, cùmq; tam consanguineorum, quàm eorum, qui patris amicitia vtebantur, consilia execraretur, illis responsum hoc dedit: Neq; vxorem ducere in animo habeo, neq; licet recusare, quod vos cupitis; quocirca septem dierum tempus à vobis peto, & quale consilium Deus ipse per Spiritum sanctum menti meæ suggesserit, tale vos à me responsum referetis. Hæc cùm parentes audiuissent, multis cogitationibus solicitabantur, quoad definitus ille dies præteriret, quo audire possent, quid filius responderet. Adolescens autem ille honestissimus septem dierum spatio, quod à parentibus impetrauerat, diurna, & nocturna tempora in precibus transigebat, à Deo petens, ne pateretur virginitatem, quam illi seruandam promiserat, quauis causa violari. Cùm igitur septimi diei nox aduenisset, & eius corpus ieiunio extenuatum esset, cùmq; somnum cœpisset, præsto fuit illi Dominus, & fidelem seruum consolatus est, ac eius mentem confirmauit, iubensq; facere, quod parentes admonebant; Surge inquit, ne timeas, neq; parentum tuorum consilia, vel propositum metuas; duces enim coniugem, quæ te non maculabit, neq; à me ipso segregabit, sed tua causa virginitatem etiam ipsa seruabit; itaq; & te, & illam virgines in cœlum recipiam; multa enim castitas per vos

propagabitur, multiq; iuuenes, & puellæ per vestram doctrinam cœlestis vitæ ciues fient. Ego tibi præsto[a] ero in te habitans, vt omnes corporis libidines, & carnis bellum expugnem; quinetiam illam ipsam virginem, quæ tecũ copulata fuerit, talem efficiam, qualem ipse volo. Faciam igitur, vt ipsa institutum tuum sequatur, & illic quidem in thalamo vobis præparato me cum Angelorum choro videbitis, & cum innumerabilibus vtriusq; sexus virginibus, quos natura quidem ipsa dissimiles fecit, at fides, quæ in me habetur, similes facit; quorum & tu imitator esse agnosceris.

Hæc cùm dixisset Dominus, & illum tetigisset; Viriliter, inquit, age, & confortetur cor tuum. Hac Dei virtute confirmatus admirabilis ille adolescens, surrexit, & ait: Gratias ago tibi, Domine Deus, qui es cordis, & renũ scrutator, quiq; mũdi huius delicias, ac voluptates procul à me remouisti, ita vt corde firmo castitatis meæ te adiutorem mihi futurum sperem, eaq; te daturũ confidam, quæ neq; oculus vidit, neq; auris audiuit, ea scilicet, quæ præparasti his, qui ex toto animo te secuti fuerint. Tu dignum me fecisti, qui possem in via tua ambulare. Vel potiùs tu, quæso, mihi sis bona illa via, & his, qui castitatem amant, & animæ integritatẽ, corporisq; mũditiam amplectũtur. Nouisti tu, Domine, quemadmodum ex eo die, quo genitus sum, vsq; ad hanc horã, qua me vocare dignatus es, nihil mihi optandum, nisi te ipsum proposui; idq; solum in votis habeo, vt quod ab ore meo exiit, tu confirmes. Tunc enim me ipsum credam cœpisse id exequi, cùm ea, quæ dixero, re ipsa præstabo.

Exiit igitur è cubiculo ita hilaris, vt sui aspectus hilaritate omnẽ parentum tristitiã ademerit, quibus ait: En ego, vt optabatis, nuptias ipsas, rectã quandã viã non peccati, sed gaudij mihi futurã esse cognoui; itaq; iam faciam quod vos adhortamini. Ea re parẽtes valde lætati sunt, futurũ sperãtes, vt ab eo prolem susciperẽt. Quid multa? Dabant parentes operã, vt fœmina inueniretur, quæ similis ei foret tũ moribus, tũ generis nobilitate, quæq; ad filios procreãdos fœcũda iudicaretur. Diuina igitur prouidẽtia factũ est, illius, inquã, Dei, qui ex eo cõiugio tantũ boni futurũ prouiderat, vt virgo quædã inueniretur, quæ multarum possessionũ facultatibus abũdaret generis splendore par, cui nomen erat Basilissa, parentibus suis etiã ipsa vnica. Cùmq;, vt hominibus mos est, nuptiarum tempore aduentante, parentes consensum puellæ habuissent, nuptiarũ tempus definitur, omniaq; illa confecta sunt, quæ consueuerunt in eorum, qui nuptiis copulantur, sponsionibus contineri. Beatus verò Iulianus ita nuptiarum diem expectabat, tanquam bonus aliquis athleta, qui, superata corporis libidine, cœlesti Deo gratus esse studeret.

Cùm igitur dies cõstitutus aduenisset, finitimarũ vrbiũ ciues cõuenerũt, multa, & varia oblectationũ genera secum afferentes, quibus delicatæ, & elegãtioris ætatis mentes ad amoris illecebras excitarẽtur. Itaq; plateæ musicis omniũ generũ vocibus resonabant, virginum multitudo illic aderat aureis vittis crines contextos habentiũ, quæ suauissimis canticis vel constantes, & fortes viros ad intẽperantiæ illecebras prouocare poterãt. Inter eiusmodi barbaricas nationes Christi athleta Iulianus constanti, & forti animo versabatur, nulli occulta cordis sui consilia patefaciens, nisi Domino ipsi, à quo victoriæ spem certam expectabat. Prolatam igitur è thalamo sponsam hilari vultu accepit, cum qua & exultauit in Domino; & iis quidem, quorum multitudo illic aderat, hilarem vultum ostendebat; in animo autem Deo ipsi illud cum timore canebat: Domine, vre renes, & cor meum, ne vetus ille draco contra me bellum exsuscitet. Cùm verò hora illa prope esset, qua sibi, & virgini secum copulatæ thalamus nuptialis adeundus erat, religiosus ille adolescens à Domino communitus, thalamum securo animo ingressus fuit; quo loco cùm primùm

[a] Ecce quomodo amat Deus Virginitatem; & quomodo eã seruare, præuia Christi gratia, quæ tamen volẽtib. sẽper adest, non est impossibile.

preces ad Deum misisset, tantus liliorum, & rosarum odor emissus est, vt Virgo ipsa eo in loco sibi esse videretur, qui verno tempore varijs, & suauè redolentibus floribus abundaret. Nocte verò intempesta Virgo iuuenem, cui fuerat copulata, sic allocuta est: Mirum est, quod sentio, valde certè mirandũ, quod velim mihi dicas, an & tu sentias. Ad hæc beatus Iulianus; Narra, inquit, fideliter, quæ sentis. Tum Virgo: Cùm sit hyemis tempus, & terra ipsa nullos habeat flores, ita in hoc meo thalamo omnes flores odorum suauitatem emittunt, vt iucunditate hac suauissima vndiq; perfusa, tota certè obstupescã, neq; omnino cubilis copulationem appetam. Tum illi beatus Iulianus dixit: Suauissimus odor iste, quem sentis, non temporis, sed ipsius Christi castitatem amantis opus est, qui corporis castitatem intactam seruantibus æternam vitam largitur. Si Christi ipsius præcepta mecum vnà seruare volueris, vt eum tota animi attentione diligamus, vt virginitatem ingenti præmio remunerandã conseruemus, vt deniq; in hoc seculo vasa ipsius electa efficiamur, in his ipsis in futuro illo æuo habitabimus, cum Christo ipso regnabimus, & nunquã disiungemur. Ad hæc beata virgo Basilissa; Et quænam, inquit, alia tam necessaria salus est, quàm vt virginitatem seruemus, & vitam æternam consequamur? Idq; ita esse credo, vt dicis. Itaque cupio tecum vnà concordem animum habere, vt sempiternam mercedem Christum Dominum meum possidere valeam.

Orat Sãctus in solo ꝓstratus.

Hæc cùm virgo illa dixisset, beatus Iulianus in solo 3 prostratus Dei adorandi causa iacebat, ita clamans: Confirma hoc, Domine, quod operatus es in nobis. Id cùm Virgo ab adolescente sponso factum vidisset, ipsa etiam idẽ fecit; & ecce subitò fundamenta cubiculi, in quo erant, commota sunt, & lumen, quod verbis exprimi non potest, ita effulsit, vt lumen, quod in eo thalamo erat, illius lucis magnitudine obscuratum sit; impletumq; tunc illud est: Spectaculum facti sumus & Angelis, & hominibus. Maximum profectò, & diuinum spectaculum in cubiculo illo tunc erat. Ex vna parte æternus ille Rex Christus sedebat cum innumerabili quorundam candidas vestes habentiũ multitudine. Ex altera parte innumerabiliũ Virginum coetus, quarum primas tenebat gloriosa Mater, & Virgo illa Maria. Ex æterni Regis parte summis vocibus illud canebatur: Vicisti, Iuliane, vicisti. Quæ verò cùm Virgine illa Regina Maria erant, clamabant: Beata es, Basilissa virgo, quæ salutaribus admonitionibus obtemperasti, & mundi fallacias respuens ad sempiternã gloriam percipiendã te ipsam præparasti. Rursum ex æterni Regis parte clamabatur: Milites mei, qui veteris serpentis voluptatem expugnarunt, surgãt è terra, & attento corde librum æternæ vitæ recitent. Liber autem ipse propositus erat in cubiculo ipsis præparato.

Hac voce audita, qui erant ex vtraq; parte sedẽtes, responderũt, Amẽ. Venerunt autem duo quidã viri candidis vestibus induti, quorũ pectora zonis aureis cincta erant; & singuli singulas coronas in manibus gẽstantes, illosq; erigẽtes; Surgite, inquiunt, quoniam vicistis, & nostro numero ascripti estis. Videte quod in præparato vobis cubiculo propositũ est. Legite, & cognoscite, quoniam fidelis est Dominus in verbis suis. Cùmq; illorum manus tenerent, eas coniunxerunt. Erat autem illic positus quidam liber argento septies purgato splendidior, aureis literis conscriptus. Circa cubile verò quatuor senes erant, qui habebant in manibus phialas aureas plenas aromatibus varijs multi odoris suauitatem emittentibus, è quibus senibus vnus dixit: Ecce in his quatuor phialis continetur perfectio vestra; ex his enim quotidie ante faciẽ Dei odoris suauitas ascẽdit. Quãobrem beati estis, qui plurimas huius seculi voluptates deuicistis, ad illas properantes, quas neq; oculus vidit, neq; auris audiuit, quæ

in cor hominis non ascenderunt. Abi nunc, Iuliane, & lege, quod vna sancta Trinitas iubet.

Accessit multa cum fide Iulianus, & cœpit legere, quæ in hanc sententiam scripta erant. Quisquis mei desiderio detentus, mundum hunc contempserit, in eorum numero erit, qui mulieribus nõ sunt coinquinati. Basilissa vero, quæ animo syncero, atq; intacto est, in ordine virginum numerabitur, quarum vera mater Domini Iesu Christi Maria primas partes obtinet. Hæc cùm dixisset, librum complicuit, & rursus multa ista millia dixerũt, Amen; & multa illa alia millia eandẽ dictionem vna voce repetẽtes, hilaritatẽ simul præsetulerũt. Rursus ad illos senex dixit: In hoc libro, vt videtis, scripti sunt casti homines, sobrij, veraces, misericordes, humiles, mites, qui non fictam charitatẽ habuerũt, qui res aduersas, atq; acerbas sustinuerũt, qui calamitates, & ærumnas perpessi sunt, qui deniq; suæ in Christũ charitati nihil prætulerũt, nõ patrem, nõ matrẽ, nõ vxorẽ, nõ filios, nõ agros, nõ diuitias, nõ reliqua omnia, quæ in hoc seculo humanos animos impediũt. Illi deniq; in hoc libro sũt scripti, qui ne suas quidẽ animas Christi causa in mortem tradere cunctati sunt, è quorum numero & vos esse digni habiti estis. His dictis statim visio ab illorum oculis ablata est. Tunc beati virgines Christi visione gaudẽtes, reliquum noctis spatium vigilantes, in hymnis, & canticis transegerunt.

Quid plura? Cùm dies illuxisset, frequẽs hominũ multitudo lætabatur, & eiusmodi copulationẽ se visuros existimabãt, quali homines ipsi solẽt inter se copulari, cùm nõ intelligerent, neq; sentirẽt, totam illã diuinã fuisse copulationẽ. Illi enim beati homines cœperunt spiritu, nõ carne, diuinæ gratiæ mysterium copulare; quod in se occultantes, dabant operã, vt quod faciebant, tantùm à Christo Domino, & eius Angelis cognosceretur. Quoniam verò Deus ipse nõ destituit eos, qui cordis, & animi synceritate vitã agũt, ita diuinæ gratiæ dona progressum habuerunt, vt breui tempore vtriusq; parentes ex hac vita decesserint, & idoneos hæredes eos reliquerint, per quos cœlorũ Regno non priuarentur. Erant autem & ipsi Christiani fidelissimi. Tunc beatus Iulianus, & Basilissa hilares, libertatis occasionem sibi datam arripuerunt, præmiũ se accepturos sperantes, quo possent per fragiles mũdi huius facultates, sedes illas cœlestes habitare. Quoniã verò laboriosum est, religiosæ illorum vitæ facta sigillatim narrare, ex tot, tantisq; pauca quædam percurremus.

Beatus Iulianus, & Basilissa concordẽ sententiã in ea quoq; re habuerũt, vt nõ solùm essent soliciti de salute sua, sed etiam multarum animarũ curã haberent. Diuiserũt igitur sibi domicilia; & super duo illã candelabra duæ lucernæ altæ effulgebant; æternusq; ille Rex immensam gratiæ suæ misericordiam ignotis etiam hominibus impartiens, per ardentem illorum hominum orationem tribulos, & peccatorum spinas comburebat. Potens quoq; Christi Domini vox per ora sanctorum Iuliani, & Basilissæ in omnes partes trãscurrens hæc dicebat: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiã vos. Constituerunt igitur monasteria, in quibus animarum messem ex huius mundi spinis, atq; ærumnis abreptam colligerent; neq; erat quisquã, qui audiẽs sancti Iuliani sermonẽ aliqua re detineretur, quominùs ad Dominũ cõuerteretur. Relinquebant igitur viri mulieres, filij parẽtes, sponsi suas sponsas, & paternas facultates, & propter sempiternã illã vitã ingentes diuitias pauperibus largientes, angustã viã arripiebant; neq; quisquã illorũ imponens manũ aratro respiciebat retro. Erat autẽ beatus Iulianus sacri illius gregis ferè decẽ milliũ monachorũ pater, nam quicũq; ad cœlestẽ vitam animos suos cõuertebant, apud Iulianũ ipsum ad Deũ se transferebant, adeò vt nemo posset enumerare animarum multitudinem, quæ per sanctũ Iulianũ conuersa, & ad cœlũ traducta

est. Eodem modo & beata mulier Basilissa virginum, & mulierum animas ab huius mundi sordibus liberatas ad cœlū dirigebat. Itaq; à beato Iuliano sancta illa virorum mercatura tractabatur; per sanctam verò Basilissam inter virgines, & mulieres castitatis victoria effulgebat.

Quoniam verò planum omnibus factum est, qualis fuerit sancta illorum institutio, atq; vita, cùm, inquam, Deo adiuuante, id per nos planum factū sit, nunc ad illud tempus oratione nostra progrediemur, quo martyrium assecuti sunt, eorumq; gloriosa facta, & victoriæ præmia declarabimus. Temporibus Diocletiani, & Maximiani, persecutionis furor, & impetus vndiq; feruescebat. Eius autem rei fama per omnem Orientis regionem peruagata erat. Tunc sanctus Iulianus cum sancta Basilissa in 4 ieiunio, & precibus perseuerantes, tales orationes in conspectu Dei effundebant: Domine, qui es occultarum rerū cognitor, humanarum mentium testis, cordis, & renum perscrutator, te obsecramus, vt tranquillo vultu tuo nos illumines, & aures verbis tuis obedientes nobis præbeas; non enim dormis, neq; dormitas tu, qui vtriusq; nostrum castitatis propositum, ac studium custodis. Hoc studio tu, Domine Iesu Christe, vides nos lætari; ne permittas igitur gregis tui simplicitatem corrumpi; neq; insatiabilis lupus, qui semper nobis aduersatur, potestatem habeat, vt aliqua in re fidei tuæ murum, ac signum dissoluat, quod signum in seruos tuos, & seruas per nos abiectos contulisti. Et illos igitur, & nos, Christe, protegas; plus enim potest dextera tua nos erigere, quàm persecutoris potentia opprimere. Cognosce, & perscrutare singulorum vires, & pro tuæ prouidentiæ, & prænotionis gratia omnes ad illos viuentium choros perducas, vbi nulla amplius mortis suspicio reliqua est, sed in secula omnia regnandum erit, vt die illo, quo venies magnus, & terribilis, concedas nobis, Domine, vt serui tui, & seruæ, te auctore, per nos in militia tua versantes, integri, atq; intacti in conspectu tuo stare possint, nosq; hilares dicamus: Ecce nos, & filij, quos dedisti nobis; nemo ex illis perijt.

4 In ieiunio, & precibus pseuerantes.

Cùm orationi finem imposuissent, in domos suas reuersi sunt; eodemq; illo tempore nocte intempesta Dominus ipse in somnis ita beatā mulierē Basilissam allocutus est: Basilissa nomine tuo digna, scito, quæcunq; optasti, ea me firmare decreuisse, vt vasa illa vniuersa, quæ per tuam ipsius operam mihi purgaui, tu viuens ad cœlestia regna præmittas, & habeas dimidium annum, quo possis ex omni loco, vbi tritici sementem fecisti, colligere, & laboris tui messem tutò reponere. Itaq; & ipsa postea sequeris, vt horrei bonarū animarū pleni claues accipias; ex hoc enim quotidie odor suauitatis in conspectū Angelorū ascendit. Iulianus verò pugnabit, & vincet, neq; enim vnquā vinci poterit is, in quo regnat 5 castitas; multa verò mihi per ipsum animarum copia conciliabitur. Itaq; oportet illum pro nomine meo multa pati. Verùm ego multa prodigia, ac signa in conspectu inimicorum ipsius ostendam, & priusquam me ille inuocauerit, dicam: Ecce ad sum.

5 Nota, Nunquā vinci poterit is, in quo regnat castitas. O' si attenderēt hæretici nostri temporis quæ hîc dicta sunt Virginitatis priuilegia, quàm essēt illi' amātissimi & obseruantissimi.

Hæc cùm audisset sācta Basilissa, experrecta gaudebat valde, q̄ Domini Iesu Christi vultum, & characterem splendidū, & instar Solis exorientis effulgentem vidisset. Ordine igitur Iuliano rem omnem narrauit. Cùmq; sāctam virginum multitudinem conuocasset; Agitè, inquit, sanctæ virgines gaudiū meū, & corona capitis mei, agitè ad Deum preces mittamus, & sacrificiū laudis corde contrito, & humili offeramus Deo ipsi, quandoquidē dignatus est nobis reuelare mysteria occulta, viamq;, & tempus definiuit, quo animas nostras purgatas habētes, illius sigillo imprimamur, vt singulæ proprij cordis occulta considerantes, in hoc mundo benè peregrinemur, & ad æternā illā vitam transmigremus; vt nihil proprium in nobis inueniant potentiæ illæ, quæ animas in

coelum proficiscentes impediunt; vtque dæmones ipsi nihil in nobis inuenientes, timeant, cùm sanctum illud præsidium nobiscum vnà venire, & castitatis spiritum nobiscum esse viderint. Considerate, & mentium vestrarum occultissima quæque inquirite, vt quoad tempus nobis suppetit, animas nostras ab omnibus vitijs, ac peccatis purgemus pura illa aqua; & actionibus bonis insistentes Deo ipsi tales nos offeramus (hoc autem si cum fide petierimus, à Domino impetrabimus) vt peccatorum maculis purgatæ ad cœlestia illa Regna peruenire possimus, vbi est sponsus noster Dominus Iesus Christus. Quamobrem vos hortor, sanctæ meæ sorores, ne aliquod fermentum malitiæ in corde vestro resideat, sed omnes vicissim vobis veniam detis; & si quid mutuò contra vos habetis, vicissim vobis remittatis, vt à Domino mercedem reportetis; si quid, inquam, aliæ aduersus alias commiserunt, læto animo vobis condonetis, vt perfectam animæ & synceri corporis coronam accipiatis, & me matrem vestrā Deus ipse victricem vnà cum vestro grege incorrupto efficiat. Illudq́ue scitote, nihil valere corporis virginitatem, vbi cordis ira, & simultas habitauerit.

Hæc cùm narrasset beata Basilissa, locus ille, in quo erant, commotus est, & illis aspicientibus, columna ignea visa est auream habens inscriptionem, ex qua columna vox quædam emissa est multo cum splendore, & odoris suauitate; illincq́ue & Crucis signum effulsit. Vox illa hæc dixit: Basilissa, quæ nomine tuo digna es, lege, quod scriptum vides. Inscriptionis autem sententia talis erat. Hæc dicit primus, & nouissimus: Omnes virgines, quarum tu dux es, vasa pura sunt, & oculis meis gratissima, neque enim aliquid reprobatum in illis inueni, quas tu iustitiæ purgatione, & igne probationis, tanquam aurum purum effecisti. Venite igitur ad Regna vobis præparata. Hæc cùm legisset Basilissa, visio ab oculis earum ablata est. Tunc omnes illæ virgines gratias egerunt Deo, qui diuinitatis suæ testimonio animas illas sanctas esse comprobauerat. Beata verò Basilissa animo, & vultu hilari; Gratias, inquit, ago tibi, Domine Iesu Christe, qui corporeas pugnas deuicisti. Addidit autem & illud: Nihili facio te, diabole, quinetiam contemno, quippe qui fraudum tuarum fructum perdidisti. Despicio te, serpentis voluptas, quæ vasa Deo segregata, & electa nullis artibus subripere potuisti. Nihil te curo, mendacij magister, quoniam de grege mihi commisso nulla est, quæ tecum vnà perierit. Nihili facio te, & ebrietatem tuam, quòd sobrias pectorum nostrorum cogitationes vincere non potuisti, neque tu amator mundi huius animas nostras Dei seruitio intentas ad tuam libidinem reuocare valuisti, non artibus, non machinis, non tuis laqueis nos irretire, aut detinere potuisti. Tu igitur tua confusione contentus sis, tu solus tuo supplicio læteris; vides enim prædam è manibus tuis abreptam, & Regna cœlestia, è quibus tu excidisti, hominibus patefacta. Gaudete mecum, sorores, quoniam regnant in vobis virtutum signa; & mundi contemptio cœleste regnum percepit; parentum abnegatio, Angelorum cohæredes vos fecit; abiectio, & frugalitas, tanquam cedrus in Libano, & cupressus in monte Ebron, erecta est; deuicta voluptate, temperantia cumulata est. Nulla ab hostibus nostris vis ampliùs metuenda est, neque dubitatio aliqua superest, quòd animæ nostræ detineri possint, quominùs ad Genitorem suum ascendant. Omnes inimici nostri erubescant, quòd nihil de suo in nobis inueniant. Hæc cùm læto animo Virgo diceret, cœpit vitis illa Domino consecrata iustitiæ florem producere; & ita diuina prouidentia completa fuit, vt intra promissum tempus omnes illæ virgines ad Deum commigrauerint.

Cùm igitur sancta Basilissa de illarum animarum, quæ illius fidei, vt depo-

ſitum quoddam, commiſſæ fuerant, oblatione, & fructu non eſſet amplius ſollicita, hora diei ſexta orationi, & precibus incumbens, ſopore correpta vidit omnem chorum ſanctarum virginum, quæ erant ferè mille, ſplendidis ſtolis indutas, & regalibus zonis cinctas, quæ regiam Crucem baiulantes vna voce beatæ virgini Baſiliſſæ dicebant: Hoc reſponſum accepimus, vt tecum vnà Dominum, & Regem adoremus. En te ipſam expectamus, vt tu nos offeras Chriſto illi, cui nos conciliaſti. Experrecta verò beata Baſiliſſa gauiſa eſt gloria illa, quam futuram audiuit, & ſancto Iuliano rem omnẽ ſignificauit. Dei verò prouidentia ita factum fuit, vt dum precibus, & orationibus vacarent, ſancta Baſiliſſa ad Deum migraret. Quam beatus Iulianus meritò 6 ſepulchri honore proſecutus eſt, dies, & noctes ſpiritales vigilias ad eius memoriam adhibens.

6 Iulianus meritò ſepulchri honore Baſiliſsã proſecutus eſt, dies, & noctes ſpiritales vigilias ad eius memoriam adhibens.

Ipſe verò cum choro ſanctorum hominũ verſabatur, quibus talis gratia data eſt, vt alius alio non eſſet inferior, ſed virtutibus inter ſe certarent. Multa enim curationum ſigna per ipſum, & eius diſcipulos Deus efficiebat. Neminem ſol ipſe iratum vel inuenit, vel dereliquit. Si quis verò aliquo modo in aliquem ſe arrogantem, & ſuperbum oſtendiſſet, cibum non ſumebat, in humilitate, & fletibus perſeuerans, quoad charitatem fratri reſtituiſſet. Eiuſmodi ſtudio ita laborabant, vt ſanctarum orationum fructus ſacrificium laudis Deo ipſi offerrent. Gaudebat pater ipſe filiorum ſtudio. Tunc ſinguli dicebant: In hac ſancta congregatione nunquam diabolus aliquem ſuis laqueis irretire poterit. Hæc in vrbe Antiochia efficiebantur.

Deeſt ſancti Iuliani, & ſociorum martyrium.

Martyrium

MARTYRIVM SANCTISSIMI STEPHANI ROMANI PONTIFICIS, ET EORVM, QVI VNA' CVM ILLO ROMAE PASSI SVNT.

II. AVGVSTI.

QVO tempore Valerianus, & Gallienus impietatis sectatores imperabant, Christianorum quamplurimi acerbissimos Tyrannos declinantes latitabant. Non deerant tamen, qui fidei certamen subeuntes, martyrij palmam assequerentur. Erat enim lex proposita, vt quicunq; Christianum hominẽ latitantem detulisset, omnes eius facultates ipse haberet, & quoscunq; honores in exercitu petiisset, obtinere posset. Illo igitur tempore beatus Romanæ vrbis Episcopus Stephanus cùm totum clerum congregasset, sic eum affatus est: Audistis, fratres, & commilitones mei, crudelissimum edictum diaboli, vt si quis Christianum deprehenderit, omnes eius facultates ipse possideat. Moneo igitur vos, fratres, vt terrenas diuitias contemnatis, quò cœlestis regni hæreditatem percipere possitis. Nolite huius mundi principes extimescere; sed Deum cœli, & terræ Dominum, eiusq; vnigenitum filium Iesum Christum adorate, illum colite, ad illum confugite, qui potest nos omnes eripere de manibus inimicorum nostrorum, & de diaboli malitia liberatos sua gratia corroborare.

Tunc presbyter quidam, nomine Bonus; Nos, inquit, terrenas nostras facultates relinquere in animo habemus, quinimmò sanguinem ipsum propter Dominum nostrum Iesum Christum, & eius nominis confessionem effundere parati sumus, vt illum assequi digni efficiamur. His dictis, omnes clerici ad beatissimi Pontificis pedes prostrati significarunt, quot quisque gentiles domi suæ haberet, qui baptizari optarent. Itaq; à Pontifice quærebant, num aliò, an ad eum illos ducturi essent, quò baptizari possent. Iussit igitur beatissimus Episcopus, vt postero die ad cryptam, quæ appellatur Nepotiana, omnes conuenirent. Cùm igitur ad eam cryptam conuenissent, inuenti sunt illic tã mares, quàm fœminæ, centum & octo; quos illo ipso die Pontifex in nomine Domini nostri Iesu Christi sanctissimo baptismate, & aliis diuinis mysteriis

consecrauit, & vt illis placatum, ac propitium Deũ redderet, sacrificiũ 1 obtulit, sicq; omnes sacramentorum participes facti sunt.

Eo autem die, qui deinceps secutus est, beatus Stephanus 2 ordinauit tres Presbyteros, & septem Diaconos, ac sexdecim Clericos, & sedens omnes illos docebat de Regno Dei, ac de sempiterna illa vita, quæ futura est. Mox cœperunt populi ex Græcis, & reliquis gentibus ad eũ venire, qui diuinos sermones audientes à Stephano Pontifice baptizabantur. Interea venit quidam Tribunus militum, Nemesius nomine, cui erat filia vnica, quæ ab incunabulis apertos quidem oculos habuerat, sed nihil omnino aspiciebat. Ille se ad beati Pontificis pedes prostrauit, ac dixit: Oro te, Pontifex, vt me, & filiam meã baptizes, quò & ipsa illuminetur, & animas nostras ab æternis tenebris eripias, quoniam ad hanc vsq; diem semper in ærumnis, & doloribus ꝓpter huius filiæ meæ cæcitatem versatus fui. Tunc beatus Episcopus; Si credis, inquit, ex toto corde, omnia tibi credenti concessa fuerint. Ad hæc Nemesius Tribunus; Ego ad hanc vsq; diem toto animo credidi, & nunc credo Dominum Iesum Christum Deum esse, qui aperuit oculos cæci nati; neq; enim humanis consiliis impulsus, sed eius ipsius vocatione ad sanctitatem tuam veni.

His auditis, statim beatus Pontifex hominem illum adduxit ad locũ quendam, qui vocatur Titulus pastoris, cùmq; & ipsum, & eius filiã cathechismo instruxisset, quemadmodum Christianæ fidei 3 Canones, & ordo postulat, iussit eos ieiunare vsq; ad vesperam. Cùm autem venisset hora vespertina, benedixit 4 aquæ in eo loco, quem Pastoris titulum vocatum fuisse diximus; itaq; Nemesium in aquam demisit, & baptizauit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Cùm verò ex piscina exiisset, cœpit ipsius filia clamare: En hominem video, qui tetigit oculos meos, in cuius circuitu magnæ lucis splendor apparet. Tunc Stephanus & ipsam Nemesij filiam baptizauit, quæ Lucilla vocata est. Ex hoc tempore multi cœperunt ad pedes beati Pontificis Stephani se prosternere, & cum lachrymis baptismum ab eo petere. Illo itaq; die, quo Lucilla baptizata est, mares, & fœminæ, sexaginta duo baptizati sunt. Sic igitur, diuina gratia, & ope adiuuante, multi viri Deũ metuentes ex gentibus beatum Pontificem Stephanum adierunt, vt ab illo Christi baptismũ acciperent. Mox ille sanctissimus Pontifex Spiritus sancti gratia refertus cœpit Christianorum multitudinem in vnum locum conuocare, diuinaq; officia celebrabat in martyrum latibulis, quæ cryptæ appellantur; quo tempore Nemesium patrem Lucillæ 5 ordinauit Diaconum.

Impietatis verò sectatores qdã cùm hæc audiuissent, insup & Nemesiũ Tribunũ cũ tota familia Christi fidẽ sectari, baptismoq;, & fidei lumine adiutũ cæcitatẽ pristinã abiecisse, rẽ detulerũt ad Gabrionẽ, & Maximũ Consules, homines scilicet impietatis valde studiosos. Tunc illi de ea re cõsultantes præceperunt, vt quocũq; in loco Nemesius Diaconus inueniri posset, omnino grauissimis suppliciis affligeretur. Cùm autẽ Nemesius ipse quodã die per viam Appiã iter faceret, & esset prope Martis tẽplum, & Valerianũ, ac Maximũ impios homines videret, qui vt antea consueuerãt, fœdissima dæmonibus sacrificia offerebant, ita Deũ ipsum 6 flexis genibus orauit: Domine Deus Creator cœli, & terræ, dissipa consilia, & machinas, quibus diabolus humanas mentes peruertit, dissipa eas, quæso, per nomẽ Domini nostri Iesu Christi filij tui, quem misisti in hunc mundum. Contere satanam, vt miseri, & infelices isti ab eius laqueis, quibus irretiti sunt, eripiantur, ac humanis manibus fabricata simulachra derelinquentes, agnoscant te omnium rerum Creatorem Deum, & Patrem omnipotentem, & vnicum Flium tuum Dominum Iesum Christum. Illa ipsa hora impius Maximus à dæmone correpť, voce magna cœpit clamare:

1 Nota, cùm nullũ hodie verũ sacrificiũ Christiãi habeãt, præter Missæ oblationẽ, sacrificiũ ꝑ beatũ Põtificẽ oblatũ Missam esse. Vnde nõ est nouitiũ inuẽtum, vt garriunt hæretici.

2 Vides hîc ꝙ sanctus Põtifex Presbyteros, Diaconos, & reliquos Clericos ordinat, nõ aũt Magistratus de consensu plebis?

3 Ecce quomodo Christiãi Canones dictãt, vt baptizandi cathechismo instruantur, & ieiunio præparentur.

4 Benedictio aquæ ãte baptismũ, est ex ritu, q ex consuetudine Ecclesiæ in baptismo adhiberi solet.

5 Et hîc sãctus Põtifex Nemesiũ Diaconũ ordinat.

Nemesius nunc factus Christianus me incendit. Ecce illius oratio me cruciat. Ex illa igitur hora egressi è templo iusserunt Nemesium detineri. Cùm verò qui eum tenuerant, verberibus pulsarent, repente Maximus Consul efflauit animam.

6 Orat Sixtus, flexis genibus, & orationem eius Dominus exaudiuit.

Itaq; Nemesius statim ductus est ad Valerianum in palatium, quod Claudij nomine appellatur. Quem sic affatus est Valerianus: Et vbi'nam est, ò Nemesi prudentia illa tua, quam semper in te cognouimus, tum in consiliis ineundis, tum in rebus gerendis firmissimā? An ignoramus nos, quid optimum, quid'ue pessimum sit, quippe qui non aliud te adhortamur, vt facias, nisi quod vtilitatem tibi afferre possit, vt scilicet quæ vera sunt, amplectens, deos ipsos nō deseras, quos omni tēpore à pueritia coluisti, & veneratus es? Ad hæc Nemesius Diaconus; Ego, inquit, scelestissimus veritatem ipsam dereliqueram & sanguinem innocentem effuderam, & ad hoc vsq; tempus peccatis oneratus fueram; sed Christi Domini, & Dei misericordia modo adiutus, tandē Creatorem meum cognoui, cuius baptismo illuminatus sum, qui & cordis mei oculos aperuit, & corporeis filiæ meæ pupillis lumen restituit. Hunc adoro, hunc timeo, huic cultum, & preces supplex offero, cuius auxilium semper implorabo; & simulachra omnia, quæ dæmones esse cognoui, & ipsa, & eorum cultores auersor, & execror. Tunc ait Valerianus: Nota mihi sunt veneficia tua, quibus humanas cædes patrare ausus es, quippe qui & Maximum Consulem tuis præstigiis de medio sustulisti; quinetiam adhuc contra nostram, & Reipublicæ salutem temere Christianorum causa talia veneficia exercere nō desistis.

His dictis, Valerianus ira percitus iussit illum in priuato carcere detineri, quem, cùm opus fuisset, sistendum præcepit. Iussit etiam Sempronium Nemesij famulum domino suo fidelissimum illic præsto esse, à quo eiusdem Nemesij tum facta, tum bona omnia inquirerentur; cuius etiam filiam Lucillam custodiri præcepit apud sceleratam quandam mulierem, nomine Maximam. Postero autem die iussit iniquissimus Valerianus Sēpronium tradi cuidā Tribuno, qui vocabatur Olympius, vt torqueretur, & de domino ipsius per eum inquireretur. Illum igitur Olympius his verbis aggressus est: Nouisti'ne, qua de causa hîc ante nos constitutus es? Hæc ille ait. Ad quæ Sempronius nihil respondit. Sed nihilominùs Olympius; Ausculta, inquit, Semproni, & fac quod iubent Imperatores nostri; sin minùs multis, & variis tormentis cruciaberis. Ostendas igitur nobis Nemesij domini tui facultates, deinde verò propitiis deorum nostrorum numinibus sacrifices. Ad hæc Sempronius: Si facultates domini mei Nemesij requiris, scito illas à me Christo fuisse oblatas; non enim nostra, sed illius erant bona. Quòd verò dicis, & me hortaris, vt diis tuis sacrificem, nullo modo faciam; Christo enim sacrifico Dei viuentis filio sacrificium laudis, & confessionis, cui & dominus meus Nemesius se ipsum obtulit. Cùm hæc dixisset Sempronius, furore accensus est Olympius, & satellitibus dixit: Prosternite hominem istum, & virgis percutite. Afferte ante illum deum Martem, ac tripodem, vt vel diis ipsis thura offerat, vel sine intermissione aliqua virgis percutiatur. Allatum igitur aureum Martis idolum vnà cum tripode in conspectu Sempronij locatum fuit. Quòd cùm Sēpronius vidisset; Conterat, inquit, te Dominus Iesus Christus Filius Dei viui. Hoc dixit Sempronius, ac repente idolum illud sic liquefactum est, quasi cera igne admoto. Quòd cùm vidisset Olympius, stupore perculsus obmutuit; mox verò domi suæ illum custodiri iussit dicens: Hac nocte omnia tormenta tibi afferam, & miseris modis te consumam. Hæc dixit, & Sempronium custodiendum tradidit Tertullo cuidā domus suæ gubernatori. Exuperiæ autē coniugi Olympius ipse narrauit, quemadmodum Sempronius, Iesu Christi

Dei sui nomine inuocato, Martis idolum comminuerat.

Tunc Exuperia vxor; Si tanta inquit, est Christi potentia, quantam dicis, satius nobis est, dehinc illos ipsos deos relinquere, qui neq; sibi, neq; nobis opem ferre possunt. Quæramus igitur virum illum, qui Nemesij Tribuni filiæ lumen restituit. Tunc Olympius Tertullo præcepit, vt mitius se gereret cum Sempronio, siquidem Nemesij pecuniis inquirendis ipse operã dare vellet. Hoc mandatũ executus est Tertullus. Olympius verò cũ coniuge Exuperia, & vnico filio Theodulo, illa ipsa nocte venerunt, & ad pedes Sempronij prostrati dixerunt: Nos paulò ante Christi potentiam cognouimus, verũ scilicet Deum illum esse, qui Nemesij Tribuni filiæ oculorum lumen dedit; quãobrẽ te precamur, vt cures nobis dari salutare baptisma in nomine Iesu Christi, quem tu prædicas. Respondit Sempronius: Si pœnitentiam agitis ex toto corde vestro, benignus est Deus meus, & accipiet vos pœnitentiam agentes. Tunc Olympius; Iam iam, inquit, faciã, vt credas me toto corde Christi Dei fidem sequi. Hæc dixit, & statim cubiculum patefecit, in quo habebat multa, & varia idola. Quibus ostensis; En, inquit, Sempronj, hæc omnia simulachra in potestate tua sunt; fac illis quicquid lubet. Cui Sempronius: Agè, simulachra ista omnia manibus propriis contere, auroq;, & argento, ex quibus cõfecta sunt, igne conflatis, pauperes congrega, & illis hæc distribue. Fecit omnia, quæ Sẽpronius dixerat, Olympius nihil prorsus dubitans. Repente verò audita est vox è cœlo dicens: In te, Semproni, requieuit Spiritus meus. Audierunt vocem illam Olympius, & eius vxor, & in fide ipsa facti sunt firmiores, ob idq; ad salutare baptisma promptiores. Itaq; Sempronium precabantur petentes, vt sigillum Christi acciperent, & per aquam, ac Spiritum denuo nascerentur.

Omnia hæc Sempronius Nemesio domino suo retulit. Quæ cùm Nemesius accepisset, celeriter adiit ad beatissimum Pontificem Stephanum, eiq; rẽ omnem exposuit. Ille verò Christo Deo nostro gloriam dedit, & proxima nocte Olympij domum adiit. Quo viso, statim Olympius prostrauit se ad Pontificis pedes vnà cum vxore Exuperia, & filio Theodulo. Erexit autem illos sanctissimus Pontifex, atq; interrogauit, an crederent in Dominum nostrũ Iesum Christũ. Cui omnes concordi animo responderunt: Credimus, pater sanctissime, in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctũ. Tunc Pontifex eos baptizauit in nomine sãctæ, cõsubstantialis, & indiuiduæ, atq; viuificãtis Trinitatis. Ostenderunt autem illi & idola, quæ propriis manibus cõminuerant. Qua de re Sanctissimus Pontifex gratias egit Deo, & pro illis 7 sacrificium obtulit benigno, et salutis nostræ authori Domino Iesu Christo, eosq; sanctæ oblationis participes fecit. Itaq; tota illa domus gaudio magno, & hilaritate repleta est.

7 Sacrificium oblatũ à Põtifice, Missã intellige. Et vide quomodo qui baptizabãtur, etiã sacrosanctũ Christi corpus accipiebant.

Tertius dies præterierat, cùm Valerianus, & Gallienus Imperatores valde impij hæc audierunt qui furore accensi iusserunt, Nemesium, & eius filiã Lucillam indicta causa torqueri. Sed cùm nullis tormentis de sententia moueri possent, illos obtruncari iusserunt. Et quia cupiebãt Lucillæ patri persuadere, vt sententiã mutaret, præceperunt Lucillam priùs obtruncari. Cùm verò & Nemesij propositum stabile, atq; immobile cognouissent, illũ etiam securi percuti iusserunt in loco illo, qui est inter duas vias Appiam, & Latinam, nõ longè ab vrbe Roma. Postera die nefarius Valerianus iussit Sempronium publicè audiendum sisti. Cui dixit: Quare non consulis tibi ipsi, & diis te subiicis, per quos vniuersa natura regitur, & gubernatur? Christus me regit, & gubernat, inquit Sempronius, qui & hanc sententiam mihi confirmauit. Tunc iussit Valerianus, Sempronium in ignem coniici. Milites igitur cùm ignem multum accendissent, sanctum illum virũ Sempronium, vinctis post terga manibus, in mediam

in mediam flammam coniecerunt. Itaq; beatissimus martyr Sempronius in media flamma positus spiritum Iesu Christo Domino commendauit. Pretiosæ 8 autem ipsius reliquiæ intactæ permanserunt. Venit autem beatus Pontifex Stephanus cũ clericis, & viris religiosis, sanctiq; Sempronij reliquias collegit, & illas cum Olympij, & sociorum, qui priùs propter Christum interfecti fuerant, sanctissimis reliquiis collocauit.

8 Nota, Pretiosæ eius reliquiæ intactæ permanserunt.

Post multos dies Valerianus, & Gallienus cœperũt beatum Episcopũ Stephanum, & eius clerũ inquirere, quinetiam edicto proposito iusserunt, vt vbicunq; inuenti fuissent, post multa, & varia tormenta morte acerbissima necarentur. Itaq; detenti sunt clerici duodecim, quorũ nomina hæc sunt, Faustus, Maurus, Primitiuus, Columnius, Ioannes, Exuperantius, Cyrillus, Honoratus, Theodosius, Basilius, Castulus, Donatus, qui cùm multis cruciatibus torquerentur, neq; adduci possent, vt facerent, quod iussi erant, postremò Imperatores iusserunt illos obtruncari in via, quæ appellatur Aquæ ductus. Quorum 9 veneranda corpora curauit Tertullinus, qui fuerat Olympij seruus, quãuis adhuc esset gentilis, & eorum reliquias reposuit prope corpora sanctorum Iouini, & Basilei, in via Latina Calendis Augusti.

9 Quorum veneranda corpora curauit Tertullinus.

Hæc cùm audiuisset beatus Stephanus Pontifex, iussit ad se accersiri Tertullinum, quem multis hortationibus ad Christianam fidem cõuersum docuit de Regno Dei, & sempiternæ vitæ mysteriis initiauit, sanctissimoq; baptismate purgauit, atq; illum adhuc 10 alba veste indutum ordinauit presbyterum. Quẽ cùm docuisset de salute, ac cœlesti Regno sanctus Pontifex; Esto, inquit, tibi, frater, hoc onus impositum, vt multorum Martyrum reliquias diligenter inquiras. Cùm hoc mandatum accepisset Tertullinus, post duos dies quàm presbyter ordinatus est, à Marco Tribuno comprehẽsus ad Valerianum ducitur. Cui Valerianus; Agè, inquit, domini tui Olympij pecunias huc affer, secus interficeris. Ad hæc Tertullinus respõdit: Si pecunias domini mei & tu habere cupis, æternam vitam assequi poteris; nam ille pro Christo moriens Deo ipsi facultates suas obtulit, in futuro illo æuo eas recepturus. Si ergò & tu verè in Deum credideris, mutaq;, ac sensus expertia idola execratus fueris, misericors, & clemens Deus te pœnitentiam agentẽ amplectetur. Tunc dixit Valerianus; Ergo domini tui pecuniæ æternam vitam illi afferunt? Maximè, inquit Tertullinus, & non solùm æternam vitam, sed perpetuum etiam Regnum conciliant.

10 Vide quomodo qui baptizabantur, alba veste induebantur.

His auditis, Valerianus ad eos sermonem dirigens, qui aderant; Delirat, inquit, Tertullinus iste. Prosternatur igitur in terram, & multis virgis percutiatur. Itaq; cùm beatus Tertullinus sine misericordia verberaretur, voce magna dicebat: Gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, q; non disiunxisti me à domino meo, & seruo tuo Olympio, qui & me antecessit martyrio functus. Cùm itaq; inter verbera, & plagas hoc diceret, iussit Imperator eius lateribus ignem subiici. Cui nefarij, atque impij homines hoc sæpè inculcabant: Tertulline sacrilege, redde pecunias domini tui. Beatus verò Tertullinus constanti animo, atq; hilari vultu dicebat Valeriano: Agè, miser, fac celerrimè quicquid vis, vt per incendium, & flammas istas me sacrificium Deo gratum offerre possim. Tunc iussit Valerianus Tertullinum non ampliùs verberari, sed tradi Sapritio Vrbis Præsidi, cui dixit: Agè require ab isto pecunias Olympij domini sui, deinde coge illum diis libare; quod nisi fecerit, variis tormentis crucietur.

Cùm hoc mandatum accepisset Sapritius, statim tribunal sibi parari iussit in eo loco, qui Mamertini domus appellatur; præcepitq; adduci ad se Martyrem, præcone sic indicente: Adducatur huc sacrilegus Tertullinus. Adductus

itaq; fuit Tertullinus, quem Præses interrogauit, quo nomine vocaretur. Cui Tertullinus; Peccator, inquit, sum ego seruus seruorum Iesu Christi. Tunc Sapritius Præses sic eum affatus est: Considera quæ nunc tibi præcipiuntur, & sine mora facias, quod dico, vt viuas. Eia igitur diis sacrifica, & redde, quæ iubemus, bona Olympij domini tui; sin minus tormentorum suppliciis consumptus fueris. Ad hæc respondit Tertullinus: Si nosses æternæ vitæ felicitatem, non esses de præsenti seculo anxius, ac solicitus, ea curans, quæ à dæmonibus, quos vos colitis, suggeruntur, & tibi, ac tui similibus æternos cruciatus afferent. His auditis, Sapritius Præses iussit Tertullini faciem lapidibus collidi. Sanctus verò Tertullinus Deo gratias agens dixit Præsidi: Tu meum os confringi iussisti, & Dominus meus Iesus Christus, quem ego colo, te, ac diabolũ idololatriæ auctorem conteret. Tunc Præses dixit his, qui præsentes erant: Cur'nam iste moratur Olympij pecunias reddere? Et ad eum conuersus; Agè, inquit, affer pecunias, quas debes, & diis sacrifica, ne capite obtruncatus vitam amittas. Respondit Tertullinus: Ego in Domino meo Iesu Christo, cui credidi, confirmatus ita sum, & ita illum habere cupio, vt præsentem hanc vitam pro nihilo ducam, cuius nullos certos fines constitutos video.

Hæc audiens Sapritius, furore accensus iussit Tertullinum in ligno extendi, & neruis diu verberari. Cùm igitur neruis cæderetur Tertullinus, clamabat: Domine Iesu Christe, ne deseras seruum tuum, qui fidem, & spem suam in te collocauit, sed da vires, vt in sancta, & recta confessione tua perseuerem, quoniam tu es spes mea, Fili Dei viui. Mox iussit Sapritius Tertullinum in rota suspendi. Dum igitur in rota penderet beatus ille, Spiritus sancti auxilium inuocabat. Cùm autẽ ipsius animũ, ac propositum ita firmum, & stabile vidisset Sapritius, vt moueri non posset, retulit Valeriano Tyranno, Tertullinũ nullis minis, nullis adhortationibus, nullis deniq; cruciatibus, aut machinis adduci posse, vt vel diis immolet, vel domini sui facultates, ac pecunias in medium afferat. Tunc Valerianus sententiam ferens iussit Tertullinum obtruncari. E' rota igitur depositus, ductus est per viam Latinam ad secundum Vrbis lapidem, quo in loco fuit capite obtruncatus. Eius autem reliquias beatus Stephanus collegit, & sepeliuit in Crypta, quæ arenosa dicitur, pridie Calendas Augusti.

Postero autem die Valerianus misit cohortem, quæ beatum Pontificem Stephanum cum multis clericis, presbyteris, ac diaconis comprehenderet. Cùm igitur Pontifex, & eius clerici cum eo comprehensi essent, plurimi Christiani lugentes à longè illos sequebantur. Postea verò quàm beatus Stephanus iussu Valeriani ante ipsius tribunal stetit; Tu'ne, inquit scelestissimus Imperator, es ille Stephanus, qui Rempublicã nostram perturbare, ac dissoluere aggressus es, quiq; consiliis, & præstigiis tuis suades populo, vt à deorũ cultu desciscat? Ad hæc sanctus Episcopus Stephanus respondit: Ego Rempublicã nõ perturbo, sed admoneo, & hortor omnes homines, vt derelictis dæmonibus, qui adorantur in istis vestris idolis, ad verum Deum se conuertant. Ergo, inquit Valerianus, tu statim interficiendus es, vt alij exemplo tuo perterrefacti resipiscãt, & viuant. His dictis, iussit in templum Martis Stephanum Pontificẽ duci, atq; illic sententiam de illo pronunciari. Ductus est igitur beatissimus Pontifex à satellitibus extra mœnia, & portam Appiam ad templum Martis. Quo in loco Episcopus ipse, omnibus spectantibus, oculos in cœlum 11 erexit, ac dixit: Domine Deus Pater Domini nostri Iesu Christi, qui euertisti turrim cõfusionis apud Babylonem, destrue, quæso, nunc & locũ hunc, in quo diaboli superstitio per idolorum cultum exercetur. Cùm hæc dixisset Pontifex, repente

11 Orat Sanctus, eleuatis in cœlũ oculis.

facto tonitru, & fulgure maximo, templum Martis magna ex parte corruit. Quod videntes milites, perterrefacti aufugerunt, ac reliquerunt beatissimum Stephanum cum omnibus Christianis, qui eum secuti fuerant. Itaque illa ipsa hora beatus Stephanus abiit cum omnibus Christianis, quos secum habebat, ad cœmeterium beatæ Lucillæ, vbi multis adhortationibus Christianos consolabatur, ipsos hortans, & corroborans, ne Tyrannorum minas, & tormenta formidarent, cùm Dominus ipse dicat: Nolite timere eos, qui possunt occidere corpus, animam verò non possunt occidere; timete illum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennā. His adhortationibus bonus ille pastor proprias oues confirmans, obtulit Christo Deo omnipotenti oblationem.

At impius Valerianus cùm & Martis templum euersum fuisse, & Christianorum multitudinem cum Pontifice Stephano esse audiuisset, misit milites longè plures his, quos antea miserat. Qui cùm venissent, inuenerunt beatum Pontificem Stephanum Deo sacrificium offerentem. Illorum autem aduentu sanctus Episcopus nihil perturbatus est, sed tranquillo, & quieto animo Christo Deo 12 sacrificium obtulit, atque ibidem capite obtrūcatus est, quarto Nonas Augusti. Christiani verò, qui erant illic, cùm se tali pastore orbatos vidissent, multas lachrymas effūderunt, eius autem venerandum corpus in illa eadem crypta deposuerunt, vbi & eius sanguis effusus fuerat, in via Appia, in qua Martyr ille multa cum pace requieuit.

Eodem die milites idolorum cultores Diaconū quendā inuenerunt, Tharsitium nomine, qui 13 purissimum Christi corpus ferebat. Comprehenderunt igitur illum milites, cùmque curiosius ab eo inquirerent, quid'nam secum ferret, & ipse indignum iudicaret, ante porcos margaritas proijcere, nulla ratione adduci potuit, vt sanctissimum, ac purissimum Sacramentum impuris hominibus reuelaret. Virgis igitur, & lapidibus eò vsque Tharsitium cōtuderunt, quoad spiritum efflauit. Cùm verò eius corpus exanime per terram volutaretur, curiosi, & sacrilegi milites neque sub vlnis intra manicas, neque sub vestibus aliquid inuenire potuerunt. Relicto igitur sic, vt erat, venerādo 14 illo Tharsitij corpore, multo cum stupore aufugerunt, & ad Appiæ viæ portā venientes, Christianos multos inuenerunt. Mox Valeriano rem omnē exposuere. Illo autem ipso die Christiani venerandum gloriosi martyris Tharsitii corpus in cœmeterio Calisti in via Appia deposuerunt.

Post hæc Christianorum Ecclesia in vnum collecta, in sanctissimi Stephani Pontificis, & martyris locum Xistum Romanæ vrbis Episcopum constituerunt nono Calendas Septembris, tertio anno Valeriani, & Gallieni secundo; in nobis autem regnante Domino nostro Iesu Christo; Cui sit gloria, & imperium, nunc & semper, & in secula seculorum.

Amen.

12 Vbicunque audis, Obtulit oblationem, vel sacrificium, de Missæ celebratione intellige.

13 Nota, Qui purissimum Christi corpus ferebat. Ergo in hostia ritè consecrata verū Christi corpus continetur.

14 Vides sāctorū martyrū corpora veneranda appellari?

COMMENTARII SEPTEM ADOLESCENTIVM, QVI EPHESI DORMIERVNT.

IIII. AVGVSTI.

TENENTE Decio Romani Imperij principatum, accidit, vt ipse ex Cartagenna ciuitate in Ephesũ multo furore percitus descenderet. Tunc omnis finitima regio in eã vrbem conuenit, vt vanis, & falsis diis immolaret. Eorum verò, qui Christi fidem sequebantur, Ecclesiæ dispersæ sunt. Christiani enim tam sacerdotes, quàm laici metuebant Tyranni aspectum. Qui cùm ingressus esset Ephesum, animo elato in media vrbe cœpit idola erigere; cùmq; illis totus esset addictus, præcepit vrbis Optimatibus, vt vanis illis diis secum vnà victimas offerrent. Itaq; victimarum sanguine loca illa replebantur, & omnes turbæ vndiq; ad idolorum, quæ erant Ephesi, celebritatem confluebant; fama enim per fines illius regionis diuulgabatur, quòd scilicet victimarum nidor ex vrbe media in altum prosiliret.

Cùm igitur diem festum suorum deorũ Decius ageret, atq; ipsius iussu vniuersa multitudo ob eam celebritatem ad templa idolorum, quæ erant Ephesi, ex omnibus locis impigrè confluerct, ac diis libaret, cùmq; tota illa vrbs sacrificia redoleret, fideles homines tristes erant, iidem & ab idolorum cultoribus opprimabantur. Itaq; partim persequentium ora fugiebant, ne comprehendi possent, partim sese occultabant. Tribus autem diebus postea Imperator edictum proposuit, vt Christiani omnes caperentur; quo tempore Gentiles, ac Iudæi vrgebant milites. Passim igitur Christiani homines trahebantur ad turbas, quæ in vnum locum conuenerant, vt vnà cum Imperatore idolis sacrificarent. Tunc nonnulli tormenta formidantes, excidebant à fide, & corã turba illa miseri ad idolorum sacrificia decidebant. At qui ex animo Christi fidem sequebantur, cùm audirent aliquos lapsos fuisse, illorũ casum magnoperè dolentes, miserorum hominum animas lugebant, qui propter metum ad idolorum sacrificia delapsi fuerant. Quicunq; verò ex eorum numero in Christi fide stabiliores inuenti sunt, mentem, atq; cogitationem firmam conseruantes, neq; Tyranni minas extimescentes, sed nequissimi diaboli tela suis corporibus libenter excipientes, cruciatus omnes forti animo perferebant.

Itaq; sanctorum martyrum carnes multis, variisq; tormentis lacerabantur, ita vt ex illorum vulneribus multus sanguis deflueret. Quorũ corpora in vrbis

mœnibus,

mœnibus, ac turribus suspendebantur, capita verò palis affixa erigebantur ante portas. Itaq; corui, vultures, & eiusmodi aues mœnia illa circundantes sanctorum martyrũ carnes dilaniabant. Quæ res Christianis hominibus mœrorem afferebat. Tale, tantumq; certamen propositum erat his, qui Christi fidem confitebantur. Tales erant minæ terroris plenæ, omnibus planè formidolosæ; tales ærumnæ lapides ferè ipsos commouentes. Sanctorum martyrum cadaueribus vrbis plateæ coarctabantur. Flebant autem fideles, quòd sancta illa corpora in terris deiecta viderent à volucribus lacerari. Quæso, quod'nam facinus tantoperè dolendum? Quæ cædes sic immanis, & acerba? Tunc Christiani homines, manibus in cœlum 1 erectis, precabantur Deum, vt eriperentur è manibus Tyranni. Patres filios, filij patres abnegabant. Calamitates ipsæ amicissimos viros à se vicissim disiungebant. At Maximillianus, Iamblicus, Martinus, Ioannes, Dionysius, Exacustadius, & Antoninus, simul versãtes, omnesq; pariter in Christi fide stabiles, & Christi passiones in corporibus suis gestantes, cùm viderent quæ quotidie cõtra Christianos efficerentur, fletu, gemitu, ieiuniis, ac precibus assiduè se communiebant. Erãt autem illustrium virorum, & optimatium vrbis filij.

1 Orabãt Christiani homines, manibus in cœlũ erectis.

Cùm verò Imperator turbas Gentilium ad inaniũ idolorum sacrificia congregasset, tunc sancti viri, quos paulò ante nominauimus, in vnum locũ conuenerunt, simulq; ad Christianorum Ecclesiam ingressi, prostrauerunt 2 se in terram, & puluere capita sua conspergentes, ante Deum gemitus, & lachrymas effundebant. Quod cùm facerent, obseruati sunt à speculatoribus quibusdam, quòd scilicet tempore illo, quo sacrificia diis offerebantur, ipsi ad Christianorum Ecclesiam secederent. Cumq; singuli diligenter exquirerentur, vt diis sacrificarent, accesserunt qui homines illos obseruauerant, & Imperatori dixerunt: Viuas, Imperator, æterno tempore. Tu eos, qui longè absunt, cogis sacrificiis præsto esse, & qui prope sunt, contemnunt Imperium tuum, & iussa tua pro nihilo faciunt, Christianorum obseruantes religionem. Erat autem Maximillianus ipse Præsidis filius, item alii cum primis illustres in exercitu. Tunc Decius Imperator ira percitus illos ad se vinctos duci iussit. Quibus ductis; Quare, inquit, non permansistis nobiscum, vt diis sacrificaretis, qui totum orbem terrarum ad sibi obediendum conuocarunt? Accedite igitur, & debitum diis sacrificium offerte, quemadmodum omnes facere consueuerunt. Tunc Maximillianus respondit: Habemus, Imperator, Deum in cœlis habitantem, cuius gloria cœlum, & terra plena est, cui sacrificium confessionis nostræ offerre soliti sumus, atq; nostrarum orationũ libamine coram Deo exultamus omni tempore. Nos enim nidorem, ac fumũ vestrorum sacrificiorum istis idolis non offerimus, quandoquidem nostras animas labefactare nolumus.

2 Ecce quomodo orabãt Sãcti in tribulationibus constituti, videlicet prostrati, gementes, & lachrymantes, ac puluere aspersi capita.

His auditis, Decius non ampliùs loqui voluit, sed iussit militares zonas ab eis auferri. Cuius rei causam esse dixit, quòd deorũ potentiæ aduersarios ipsos deprehenderat. Præterea illos à deorum munificentia repellendos, atque ab Imperij militia procul arcendos esse decreuit, quoad opportunè de illorum religione inquirere posset. Non enim æquum videri sibi, aiebat, illorum iuuentutem tormentis consumi; itaq; misericordia motum temporis spatium se illis concedere, vt interea resipiscerent, ad deos reuerterentur, & viuerent. Hæc dixit Imperator, & præcepit ferreis vinculis illorum colla exui, atq; à suo conspectu remoueri. Tunc Decius in alias vrbes profectus est, vt faceret quæ in animo habebat, eo tamen consilio, vt Ephesum repeteret. Itaq; sanctis viris, quos diximus, concessum fuerat ab Imperatore, vt per aliquot dies liberè versari possent.

Cùm igitur opportunum tempus inuenissent, & in Christi fide perseuerare constituissent, iustitiæ operibus incumbebant; cúmq; aurum, & argentum ex paternis facultatibus collegissent, pauperibus multam pecuniam distribuerūt; & inter se consilium ineuntes, vicissim se his verbis adhortabantur: Secedamus parumper ab hac vrbe, & subeamus speluncam illam magnam, quæ vergit ad Orientem. Illic quietè viuentes Deum nostrum attentis, & assiduis precibus oremus, vt tales effici possimus, qui ante Tyranni aspectum cōstanter stare valeamus; neq; desinamus Dei gloriam collaudare, vt Deus ipse ope sua nos adiuuet, quò rectam eius confessionem seruemus, coronamq; illam incorruptam his paratam, qui eius fidem custodiunt, & Christum agnouerunt, accipere possimus. Itaq; cùm tantum argenti sumpsissent, quantum illis ad sumptum satis esse posset, ascenderunt in speluncam in monte sitam (Mons Ochlon appellatur) quo in loco multos dies transegerunt, Deū ipsum orantes, & salutem animarum suarum semper ab eo postulantes. Iamblico autem, qui omnibus aliis erat natu minor, & obeundis ministeriis aptior, atque expeditior, impositum fuit negocium, vt in vrbem descenderet, & siquid fieri opus esset, ipse faceret. Erat autem iuuenis ille valde prudens. Itaque cùm ad vrbem descendebat, ne agnosci posset, vestem mutabat, & vnus aliquis è numero mendicorum videbatur; cùmq; pecuniam secum haberet, partē aliquam pauperibus distribuebat; dabat etiam operā, vt subauscultaret, quidnam de Imperatore diceretur.

Post aliquot dies rediit Imperator Decius in vrbem Ephesum; & statim iussit Optimates cum his, qui Achillidem sequebantur, & aliis, qui erant illic, sacrificia vanis idolis offerre; de falsis enim diis suis erat valde solicitus, cùm eorum vanitatem non cognosceret. Quamobrem Christianæ fidei sectatores timore magno afficiebantur. Hæc cùm Iamblicus audiuisset, egressus est ex vrbe paucos panes secum ferens, & ad montis speluncam, vbi erant socij, reuersus est. Narrauit Iamblicus, quæ in Tyranni palatio ad eius ingressum audiuerat, & quemadmodum quæsiti fuerant & ipsi, vt vnà cum aliis ciuibus, præsente Imperatore, sacrificarent. His auditis, timuerunt illi, & multo cum gemitu, ac lachrymis Deum precati sunt. Apposita est igitur illis mensa, & panes, quos Iamblicus emerat, vt cibum sumerent, & ad Tyranni certamen sustinendum promptiores fierent. Consedere igitur in media spelunca, & sole Occidente cibum sumpserunt. Cùm verò tristes sederent, & inter se colloquerentur, dormire cœperunt; erant enim eorum oculi propter mœrorem grauati.

At clemens, & benignus Deus, qui seruis suis semper prouidet, fecit illos mortis genus quoddam obire, vt per eos miracula quædam opportuna fierent. Itaq; cum sopore omnes correpti essent, in terra iacentes obierunt, animas suas Deo reddentes, & diuinam gloriam concelebrantes. Argentum autem, quod habebant in suis marsupiis, apud illos eo in loco, in quo iacebant, remansit. Postridie mane Imperator inter Optimates iussit iterum septem illos adolescentes requiri. Qui cùm non inuenirentur, ad Optimates conuersus; Magnoperè, inquit, doleo propter adolescentum illorum calamitates, eò quòd illustribus, & claris parentibus orti sunt. Opinor enim illos arbitratos imperij nostri maiestatem sibi valde iratam esse propter pietatis nostræ religionem ab eis violatam, aufugisse. Sed Imperij nostri benignitas non succenset his, qui resipiscunt, & ad deorum nostrorum clementiam animos reducunt. Hæc dixit Imperator. Cui Optimates responderunt: Quòd ad illos adolescentes pertinet religionis desertores, Imperij tui maiestas nequaquam doleat, neque resipuisse illos arbitretur, adhuc enim in pristina sua ignorantia perseuerāt, &

ut audiuimus, eo ipso tempore, quod ipsis præscriptum fuit ad mutandum consilium, pertinaciores facti, obstinatam voluntatem retinent. Itaq; argentum, & aurum pauperibus per vrbis plateas dispositis distribuerunt, neque ampliùs quisquam eos vidit. Si placet igitur maiestati tuæ, parentes illorum capiantur, & tormentis cogantur dicere, vbinam eorum filij latitant.

Hæc audiens Imperator ira percitus iussit, adolescentum parentes accersiri. Quos cùm præsentes vidisset; Et vbinam, inquit, sunt filij vestri, Imperij, & iussorum nostrorũ contemptores? Propterea vos etiam insolentiæ ipsorum causa interfici iubeo. Tunc illi dixerunt: Precamur te, benignissimè Imperator, vt nostram causam audias. Nos Imperij, & maiestatis tuæ iussa non violauimus, neq; propitia deorum numina deseruimus. Quare igitur nos illorum, qui desertores sunt, causa moriemur? Quòd verò ad argentum, & aurum pertinet, illi à nobis pecuniam subripuerunt, quam cum pauperibus distribuissent, aufugerunt in montem, & ibi delitescunt in spelunca. Siue igitur viuant, siue mortui sint, nos ignoramus. Hæc audiens Imperator, viros illos dimisit, & multum secum cogitabat, quidnam faceret adolescentibus. Benignus autem Deus in eius mentem iniecit, vt speluncæ illius aditum lapidibus obstrueret, quò sanctorum martyrum corpora sepulta illic iacerent, neq; sanctæ reliquiæ amouerentur, sed vsq; ad resurrectionem ipsam seruari possent.

Nota, Neq; sanctæ reliquiæ amouerentur.

Decius ergo Imperator sententiã contra illos adolescẽtes talem pronunciauit: Quoniam nostris edictis parere noluerunt desertores adolescentes, & nostrorum deorum numen contempserunt, propterea & ipsi benignitate nostri imperij priuentur, neque ampliùs in conspectũ hominum appareant. Quamobrem speluncæ aditus saxis magnis obstruatur, & sigillorũ munimine imprimatur, vt viui obruantur, & in eiusmodi carcere moriantur. Existimabat enim tam Imperator, quàm tota ciuitas, adolescentes illos adhuc viuere. Theodorus verò, & Barbus, qui fuerant à cubiculo Imperatoris, & ministri admodùm fideles, cùm essent & ipsi Christiani, propter persecutionem sese occultauerant. Tum inter se ita dicebant: Scribamus martyrium septem adolescentium in plumbeis tabulis, quoniam propter Christi fidem mortui sunt, & martyres facti sunt. Quæ autem scripserimus, in æreis loculis reponamus & loculos ipsos sigillo munitos inter lapides, qui sunt in eo loco, ponamus (fortassis enim Dominus ante nouissimi aduentus diem Martyres visitabit) vt si quo tempore spelunca hæc patefacta, & sanctorum martyrum corpora in apertum prolata fuerint, ex literarum monumentis illorum facta disci possint. Fecerunt igitur Theodorus, & Barbus, quod inter se communicauerant.

Temporis interuallo mortuus est Decius Imperator, & tota ætas illa interiit. Successerunt autem Imperatores suo quisque tempore, quoad Theodosius Imperator sceptrum tenere cœpit. Qui cùm religiosè, & Christianè imperaret, surrexerunt quidam hæretici, qui negabant mortuorum resurrectionem, quam Christus ipse in sua sancta Ecclesia firmiter credi voluit. Milites enim quidam idolorum cultores, cùm in palatio Imperatoris versarentur, apertam persecutionem aduersus aliquos apud Imperatorem commouerunt. Quinetiam Episcopi quidam rectas Dei semitas peruertere cupientes, in Ecclesiis multarum præuaricationum erant auctores. Quorum princeps, & malorum omnium caput habebatur Theodorus Aeginensium Episcopus simul cum iis, quos secum habebat; qui ne nominari quidem debent, cùm Dei Ecclesiam persecuti

fuerint. At Imperator Theodosius indies magis perturbabatur, ac dolebat, cùm sanctarum Ecclesiarum fidem fluctuantem videret: Itaque à Deo ipso eius mali curationem poscebat. Erant enim qui dicerent mortuis hominibus consolationem nullam futuram. Alij affirmabant corpus vetustate consumptum ipsum quidem cõsolationem nullam habiturum, sed solam animam immortalis vitæ participem futuram. Eiusmodi homines vanis opinionibus decepti sic errabant, neq; animaduertebant infantem puerum nunquam in vétre matris fuisse sine carne, neq; carnẽ è vulua exiisse sine anima vitali. Itẽ claudentes mentis oculos sacras literas nõ cõsiderabant, in quibus scriptũ est: Audient qui sunt in monumentis, vocem filij hominis, & viuent: & alio loco: Et multi de iis, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt, alij in vitam æternam, & alij in opprobrium: cùm illud etiam in eis scriptum inueniatur: Ecce ego aperiam sepulchra vestra, & educam vos de sepulchris vestris, popule meus. Hæc sunt diuinarum literarum testimonia. Sed hæretici homines à recta vitæ semita deuiantes aberrabant, & fidei synceritatem obliquis suarum animarum cogitationibus peruertebant.

Imperator igitur Theodosius eam rem molestè ferebat, ob id'q; mœrore afficiebatur. Verùm cùm clementissimus Deus neminem velit à fidei via errantem perire, fecit, vt resurrectionis mysteriũ omnibus pateficeret. Immisit enim in mentem cuiusdam hominis, qui dicebatur Adolius, eius montis, & speluncæ dominus, vbi sancti martyres dormierant, vt ouile quoddã suis pecudibus construeret. Eius igitur serui vnà cum his, qui operi faciendo vacabant, lapides pro ædificio ex eius speluncæ ostio reuoluebant. Tunc Domini nostri Iesu Christi iussu sanctis illis viris, qui in spelũca dormierant, vita restituta est, & vox illa, quæ Lazarũ è monumento excitauit, eadem & sanctis martyribus vitæ spiritum restituit. Surrexerunt igitur, & Deum laudantes consederunt, &, quemadmodum quotidie consueuerant, se vicissim salutabant, quoniã nullum in eis signum existebat, ex quo mortuos se fuisse iudicare possent; nam & vestes tales erant, quales & antea, quàm obiissent; corpora etiam ipsa florebãt hilaritatem præseferentia; deniq; tales erant, vt si pridie vesperi somnum cœpissent, & postridie manè experrecti fuissent. Adhuc & de idolorum superstitione soliciti, à Decio Imperatore se inquiri existimabant: ob id'q; multa cura affecti vertebant oculos ad Iamblicum procuratorem, & ab eo denuo quærebant, quæ'nam pridie vesperi audiuisset de ipsis in ciuitate. Quibus Iamblicus respondit: Quemadmodum vobis dixi heri vesperi, & nos vnà cũ reliquis ciuibus quæsiti fuimus, vt diis immolaremus coram Imperatore, qui, nisi eius iussui obtemperauerimus, tormenta se nobis allaturum constituit. Quid autẽ facturus sit, nescio.

Tunc respondit Maximillianus: Agitè, fratres, parati simus prodire in conspectum Imperatoris illius terribilis, & veri Dei Iesu Christi, neq; timeamus mortalem istum Imperatorem. Tu verò, Iamblice, da operam, vt paretur nobis cibus ad horam constitutam. Accipe argentum, ingredere in vrbẽ, eme panes multos; pauci enim fuerunt, quos heri vesperi attulisti, ob id'q; esurimus. Eadem opera discas, quid Decius Imperator de nobis decernat. Cogitabant enim se nocte superiore cubuisse, & postridie manè experrectos fuisse. Tunc igitur benè manè surrexit Iamblicus, & argentum sumpsit ex loculis, quemadmodum consueuerat. Erat autẽ moneta illa vetere nota impressa, quæ partim quadraginta, partim sexaginta nummorum pretio pendebatur, veterum Imperatorum temporibus, cùm sancti viri, de quibus verba facimus, priùs viuebant. Præterierant autem trecenti, & septuaginta duo anni, ex quo dormierant vsq; ad eum diem, quo resurrexerunt.

Cùm igitur illuxisset, exiit Iamblicus ex spelunca, & vidit lapides ante speluncam positos, atq; obstupuit; nihil enim de lapidibus illis cognouerat. Descendens autem de monte timebat deãbulare; itaq; in via totus trepidabat metuens in vrbem ingredi, ne quo modo agnosceretur, & ad Imperatorẽ Deciũ vinctus duceretur; quippe ignorabat eius Tyranni ossa in sepulchro putrefacta esse. Cùm verò in vrbem ingrederetur, & 4 venerandæ Crucis signũ ante vrbis portas erectum vidisset, sic obstupuit, vt à mente ferè exciderit; atque in quancunq; partem oculos vertisset, rerum nouitate perculsus magis obstupescebat. Accessit ad aliam vrbis portam, & illic etiã Crucem ipsam supra muros erectam vidit. Cùmq; omnes portas obiisset, venerandæ Crucis figuram locatam aspiciens, præ stupore mutus factus est.

4 Et venerãdæ Crucis signũ ãte vrbis portas erectũ vidisset.

Itaq; cùm ad primã illã portam se cõtulisset, ita secũ loquebatur: Quidnam hoc est? Heri vesperi huius Crucis signum in latibulis seruabatur, & nunc apertè in ipsius vrbis foribus erectum videmus. Verène hoc video, an spectri alicuius illusione decipior? Cùm hæc diceret, & Crucis figuram vbiq; fixam videret, animo magis confirmato, in vrbem aperto capite ingressus est. Cùmq; longiùs progrederetur, audiuit multos Iesu Christi nomẽ iurare. Quare magis perculsus; Quid hæc sint, inquit, ignoro. Heri vesperi nemo liberè Christum nominabat, & nunc tam multis linguis Christi nomen celebratur. Rursus secum ambigens dicebat: Fortasse vrbem Ephesum non video, quoniã eius ædificia omnino mutata sunt, & ipsius lingua alia quædam est Christum edocta, quod in nulla alia vrbe fieri vidi, nisi in hac sola. Progressus igitur quæsiuit à quodam ciue, quo nomine vrbs illa vocaretur. Ephesus, inquit ille, hæc vocatur. Non credidit Iamblicus, sed secum cogitans; Deceptus, inquit, certè sum locorum oblitus, totaq; mente aberrans. Exeundum igitur mihi est ex hac vrbe, ne magis errem.

Cùm ergo solicitudine magna teneretur, & illinc exire vellet, priùs voluit panes emere, & argentum sumpsit, vt pretium daret. Qui verò panem vendiderant, cùm monetam illam magnam, & diuersam vidissent, mirati sunt, & vicissim eam sibi ostendebant. Per manus igitur tradita moneta illa per omnes, qui panem vendebant, transijt. Qui vicissim in aurem insusurrantes, & Iamblicum intuentes dicebant: Verè homo iste thesaurum inuenit, veterem illum quidem, & multis ab hinc annis reconditum. Iamblicus cùm illos susurrantes videret, cœpit timere; existimabat enim se ab illis agnosci, & Decij imperio tradendum esse. Cùm verò multi accessissent, & eius formam nequaquam cognoscere possent, in medio foro illum detinebant. Itaq; turbæ multæ confluxerunt, & sermo hic per totam ciuitatem vulgatus est; adolescentẽ quendam comprehensum fuisse, qui thesaurum inuenerat. Turbæ autem ad eum congregatæ dicebant: Homo iste peregrinus est, neq; vnquam illum vidimus. Hæc dicebant, & intentis oculis magis, magisq; ipsum intuebantur. Volebat Iamblicus causam suam agere, quòd falsum esset quod de thesauro inuento dicerent, sed stupore detentus id facere non poterat. Cùmq; omnes turbas circunspiceret, neminem agnoscebat, & nemini notus erat, licet claro, & illustri genere apud vrbem Ephesum natus esset. Quapropter admiratione maxima detinebatur, quòd pridie vesperi omnibus notus fuisset, & postridie mane neminem agnosceret omnino & ipse ignotus. Dabat operam, vt inter turbam illam patrem, vel aliquem ex fratribus inueniret, neq; quenquã videbat.

Tunc ea res per totã vrbẽ vulgata vsq; ad Episcopi aures peruenit. Diuina quoq; prouidentia factum est, vt eius vrbis Proconsul illa ipsa hora veniret ad Episcopum. Qui dum diceret de thesauro, quem ab adolescente illo inuentum cogitabat, ea res fecit, vt mortuorum resurrectio pateret omnibus. Iusserunt

enim tam Proconsul, quàm Episcopus adolescentem illum benignè tractatum custodiri, & ad se duci cum argento, quod secum habebat. Cùm igitur Iamblicus ad Ecclesiam traheretur, putabat ad Deciū Imperatorem se trahi; itaq; huc, & illuc circunspiciebat, vt aliquem suorum videret, vel consanguineorum, vel eorū, quibus notus fuerat. Adolescentē ita circunspicientē turba, vt insanum aliquem irridebat; itaq; violentiùs ad Ecclesiam impellebatur. Iam verò Proconsul, & Stephanus Episcopus monetam illam in manus sumptam inspicientes admirabantur. Tunc Proconsul Iamblicum interrogans; Vbinam, inquit, est thesaurus, quē inuenisti? Moneta enim hæc è thesauro subrepta est. Minimè, inquit Iamblicus, thesaurum inueni, quemadmodum me vos insimulatis. Illud vnum certò scio, ex paternis meis pecuniis argentū hoc esse eius monetæ nota impressum, quæ huic vrbi consueta est. Sed certè miror, neq; cogitare possum, vndenam tentatio hæc mihi acciderit. Ad hæc Præses; Vndenam, inquit, es tu? Illi autem respondit Iamblicus: Ex hac vrbe, vt opinor, ego sum. Quo patre natus? inquit Præses. Est'ne aliquis, qui te agnoscat? Veniat, & testimonium dicat pro te, & credemus tibi. Protulit Iamblicus patris, & fratrum suorum nomina; neq; quisquam nouerat, quos diceret. Tum Præses; Vera, inquit, non sunt, quæ dicis. Hæc audiens Iamblicus perplexo erat animo, nec habens quid responderet, silebat. Quem cùm ita perplexum, ac tristem vidisset; Fortasse, inquit, insanus est. Alij dicebant: Nequaquam insanus est, sed insaniam simulat, vt pericula effugiat. Acerbioribus verbis Præses eum increpans; Qua ratione, inquit, te ferre possumus, aut tibi credere, argentum hoc ex paternis pecuniis ad te peruenisse, cùm moneta hæc ex inscriptione, & nota significet, quòd trecentis, & octoginta annis ante nos fuerit, ac priusquam Decius imperaret, neq; vlla ex parte similis sit illi, quæ nunc in vrbe impenditur? Num parentes ita veteres, & ante trecentos annos genitos habere potes tu, qui adolescens es? An putas te sic astutum esse, vt senes, & Ephesiuæ vrbis sapientes decipias? His de causis iubeo te in vincula coniici, & flagellis verberari, donec confitearis, vbinam sit thesaurus iste.

Hæc audiens Iamblicus, & timens, faciem in terram prostrauit, & his verbis illos affatus est: Precor vos, vt mihi non grauemini dicere, quod quæsiero; omnia enim liberè vobis confessus fuero. Decius Imperator, qui erat in hac vrbe, viuit'ne, an non? Ad hæc Stephanus Episcopus; Non est, inquit, fili, qui hodie in hac regione Decius Imperator nominetur. Tūc Iamblicus: Venite, quæso, mecum, & ostendā vobis in spelunca montis Ochlon socios meos, vt ab illis discatis verum esse quod dico. Certè scio ab Imperatore Decio nos illuc fugisse; quē Decium & ego heri vesperi in vrbem Ephesum ingredientē vidi. Sit autem nec'ne vrbs ista Ephesus nescio. Tunc Episcopus Stephanus in eam cogitationem veniens, quòd Deus per iuuenem illum aliquid eis reuelare vellet; Eamus inquit, & videamus. Statimq; Episcopus, & Proconsul cum Optimatibus, & turbis multis ascenderunt in montem ad speluncam; quā Iamblicus antecedens demonstrauit. Dū autē Episcopus, & qui cū eo erant, ingrederentur in speluncam, in eius ostio arculam quandā æreā inuenit Episcopus inter duos lapides positam, & duobus argenteis sigillis impressam; quā coram Præside, & Optimatibus aperiens, duas plumbeas tabulas in ea inuenit, in quibus scriptum erat, à Decio Tyranno fugisse Maximillianum Eparchi filium, Iamblicum, & reliquos adolescentes, & ipsius Decij Tyranni iussu speluncæ illius aditum obstructum fuisse. Erat & eorum martyrium in earūdem tabellarum latitudine conscriptū. Quo lecto, admiratione affecti sunt, & Deū ipsum, qui tanto miraculo adolescentes illos prosecutus fuerat, summis vocibus

collaudarunt.

Ingressi verò in speluncam sanctos illos sedentes inuenerunt; quorum facies instar luminis effulgebat. Ad eorum igitur pedes se abiicientes, eos venerati sunt, & Deo gratias egerunt, qui tanti miraculi spectaculum ipsis concesserat. Cæterùm sancti martyres de omnibus, quæ sub Decio facta fuerant, eos docuerunt. Statim verò Episcopus, & Proconsul miserunt literas ad Imperatorem in hanc sententiam: Celerrimè iubeat maiestas tua huc aliquos venire, & videre miracula, quæ Deus ostendit in Imperij tui tempore; quandoquidem futuræ in extremis temporibus resurrectionis signũ nostra ætate mundo ipsi præmonstratum est in sanctorum virorum corporibus, quæ nunc resurrexerunt. Ea re gauisus est Imperator, & Dei gloriã laudauit. Quinetiam ad eum locum ex vrbe Constantinopoli cum multis hominibus profectus est; ei'que tota ciuitas Ephesina obuiam processit. Illico autem ab Episcopo, Proconsule, & Optimatibus deductus, in speluncam ingressus est; cùm'que adolescentes salutasset, & amplexus esset, flere cœpit; & Dei gloriam celebrans toto animo exultauit. Cui Maximillianus vir sanctissimus; Ex hoc, inquit, tẽpore Imperium tuum propter fidei tuæ stabilitatem firmum erit, & Iesus Christus filius Dei viui custodiet ipsum in nomine suo ab omni tentatione. Mihi credas, cui causa fuisse nos à Deo ipso exsuscitatos.

Imperator, & Episcopus, & tota turba hunc sermonem audientes mirum in modum lætabantur. Sancti verò martyres, cùm sua capita in terram s declinassent, & Deum precarentur, dormierunt, & ita diuino nutu suos spiritus Domino tradiderũt. Imperator igitur iussit septẽ aureas arcas cõponi; quibus septem illorũ iuuenũ corpora conderentur. Nocte verò illa iuuenes in somnis apparuerunt Imperatori, ei'que dixerunt, vt in spelunca, in qua fuerãt supra terram, eos requiescere sineret. Quamobrem Imperator vsque ad hodiernum diem illic eos esse voluit. Deinde magnus Episcoporum cœtus illuc conuenit, & diem festum celebrauit, viros'que beatissimos, vt ipsorum dignitas postulabat, debitis honoribus omnes prosecuti sunt. Ad hæc Imperator illius regionis pauperibus multa dedit; & qui erant in carcere eos dimitti iussit. Quo facto, Theodosius lætus rediit in vrbem Constantinopolim multo comitatu. Omnes autem exultantes Christum Deum nostrum collaudabant, sanctos suos mirè gloriosos efficientem; Cui conuenit gloria, honor, & adoratio, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

Ecce Oratio cum prostratione.

MARTYRIVM SANCTORVM XISTI PONTIFICIS ROMANI, LAVRENTII ARCHI-DIACONI, HIPPO-LYTI, ET ALIO-RVM.

X. AVGVSTI.

CVM egregias, atq; illustres Martyrum virtutes elaborata oratio extenuare magis soleat, quàm augere, nihil enim afferre potest, quod illorũ facta exaggeret, nõ est quòd ipsorũ martyrum opera per se decora, atq; illustria orationis artificio amplificare studeamus. Relicto igitur Rhetoricæ facultatis ornatu, ad eorum certamina simpliciter narranda veniamus. Xistus Romanæ vrbis Episcopus Athenis genitus, & eruditus, olim philosophus, postea Christi discipulus perfectissimus, cùm Decium Cæsarem Romam aduentare cognouisset, hæc secum dicebat: Omnes, qui ante nos Christi fidem secuti sunt, multa, & varia tormenta pertulerunt, vt Ecclesiarum status integer, atq; incolumis ad nos vsq; perueniret. Quinetiam Dominus noster Iesus Christus propterea Crucem sustinuit, vt æternam nobis salutem conciliaret. Eodem modo & sancti Apostoli patientiam in certaminibus perferendis seruantes, salutem illam, quã Dominus nobis conciliauit, tam ad suam, quàm ad nostram vtilitatem cõseruarunt. Nihil igitur cogitandum, neq; quicquam aliud agendum est, nisi vt piè, & iustè viuamus, vel, quod gloriosius est, pro pietate ipsa mortem oppetamus.

Cùm hæc, & his similia prudenter, sanctè'q; secum dixisset, vocauit ad se Laurentium Archidiaconum ciuem Romanum, tum moribus, tum habitu, & vitæ forma apud omnes celebrem, & Deo ipso dignũ; cui cùm Ecclesiæ vasa omnia commisisset; Sint hæc, inquit, apud te, & diligentissimè custodiantur, ita vt Imperatoris auarissimi cupiditas ea inuenire non possit. Tũc beatus Laurentius vasa illa omnia, quæ accepit, Christianis quibusdam aurificibus vendidit, & pretium, quod ex illis percepit, egentibus distribuit. Cùm igitur nefarius ille Imperator, & valde impius Decius in vrbem Romã ingressus fuisset, Abdiam, & Xenium ciues Romanos Christianæ fidei obseruantissimos, propter Christi nomen vinctos, diuersis'q; cruciatibus affectos, ab Oriẽtis

partibus

partibus in Vrbem secum duxit, ac statim venatores ad se accersiri iussit, quibus præcepit, vt eos viros, quos diximus, feris deuorandos proiicerent. Cùm verò ad palos alligati essent, statim omnia vincula, quibus ligati fuerant, ex pedibus, & manibus soluta sunt, agrestesq; illæ feræ, quibus viri sanctissimi laniandi expositi fuerant, cùm prope illos accessissent, tanquam oues mitissimæ, non feræ agrestes, sic ad illorum pedes se volutabant, vt omnes eam rem admirarentur, & gloriam Deo redderent. His rebus exarsit impius Cæsar, & gladiatoribus iussit viros illos interficere. Qui à gladiatoribus interfecti ex hac vita decesserunt. Illorum autem corpora Imperator longè ab amphitheatro proiici iussit, & insepulta exponi, vt possent à canibus dilaniari. At Christiani homines nocte accedentes corpora illa sustulerunt, eaq; in cœmeterio Pontiani condiderunt.

Posthæc impietatis fautor Decius Cæsar iussit, sanctissimum virum Xistum Romanæ vrbis Episcopum ad se duci; quem præsentem his verbis affatus est. Imperator: Habeas, Xiste, senilis ætatis tuæ rationem, & diis sacrifices. Cui beatus Xistus leni, & sedata voce respondit: Isti, quos tu dicis deos esse, non sunt dij, sed effigies hominum sine voce, sine auditu, sine visu, & incessu; non, inquã, sunt dij, sed lapides ad humanũ vsum à Deo concessi, vt marmore ipso parietes ornentur, viæ, & plateæ sternantur, quid vis deniq; ex lapidibus ipsis fiat potiùs quàm dij creentur. His verbis in iram concitatus Imperator iussit, Xistum Episcopum securi percuti. Abscissum itaq; fuit eius caput extra vrbis moenia in loco illo, quem forum Martis appellant. Eius autem corpus Christiani sustulerunt, & pridie Idus Augusti in cœmeterio condiderunt.

Deinceps Decius, & Valerianus Christianæ religionis hostes atrocissimi pecunias Ecclesiæ diligenter inquirebant; quas sanctissimus vir Laurentius in pauperum vitam sustentandam consecrauerat. Illi verò cùm cognouissent, Laurentium Archidiaconum thesauros Ecclesiæ custodire, iusserunt illum comprehensum duci ad locum quendam, qui vocatur Burtina. Qui verò ad capiendum Laurentium ab Imperatore missi fuerant, cùm eum virum non cognoscerent, ab illo ipso quærebant, vbi nam Laurentium inuenire possent. Quibus ipse; Ego, inquit, vobis Laurentium monstrabo. His dictis, cùm esset illic lauachrum quoddam, in eum locum vir sanctissimus ingressus est; & flexis [1] genibus supplex, ac plorans, Deum precabatur, vt sibi opem ferret. Ad cuius rei significationem apertissimam sacellum quoddam in eo loco erectum est, quod vsq; ad hodiernum diem extat. Completis igitur precibus, illinc egressus; En, inquit, ego ipse sum Laurentius. Quid est, quòd me quæritis? Tunc illi comprehensum Laurentium ad Decium, & Valerianum adduxerunt. Cui statim illi dixerunt: Vbi nam sunt thesauri, & vasa Ecclesiæ, quæ apud te seruari cognouimus? Ad hæc sanctissimus Laurentius respondit: Ecclesiæ thesauri multi sunt; quos vt ferre valeam, date mihi vehicula, & camelos, quibus tam multæ pecuniæ vehi possint. Ea re Decius, & Valerianus multùm gaudentes confestim iusserũt vehicula, & iumenta parari, quibus thesauri portarentur. Laurentius igitur in plaustra, camelos, & reliqua iumenta pauperes, & mutilatos homines imposuit, illos nimirum, quibus cibaria suppeditare solitus fuerat. Quos cùm obtulisset; En, inquit, hi sunt Ecclesiæ thesauri à me custoditi.

[1] Flexis genibus, supplex, ac plorans, Deum precabatur, vt sibi opem ferret.

Tunc Decius, & Valerianus furore accensi pro tribunali sedentes Laurentium nudum virgis cædi iusserunt, & post plagas in carcerem detrudi. Hippolyto autem Tribuno præceperunt, vt ab illo Ecclesiæ thesauros exigeret. Cùm verò in carcere conclusus esset Laurentius, multi ægrotantes, & varijs

morbis vexati ad ipsum veniebant; multiq; ab eo curabantur. Quo loco templum constructum fuit, & sacerdotes Deo consecrati sanctum Laurentiū pauperum, & ægrotantium nutritorem appellabant. Hæc omnia Hippolytus admirans ad Imperatores suos referebat. Qui ob id iracūdia pleni iusserunt, ipsum etiam Hippolytum vnà cum sancto Laurentio in carcerem coniici. Cùm igitur ambo essent in carcere, rogabat beatum Laurentium Hippolytus, vt eum faceret Christianum. Cui sanctus Laurentius; Qua'nam, inquit, fide adductus Deo meo vis credere? Respondit Hippolytus: Vidi ego virtutes quasdā, & miraculorum potentiam à te proficisci, quamobrem Deo tuo seruire volo. Fac igitur, vt sim Christianus. Tunc illum baptizauit sanctus Laurentius in veram Christianorum fidem. Quod cùm Decius, & Valerianus audiuissent, statim iusserunt beatum Laurētium ad se duci; & ab eo quæsiuerunt, cuius'nam hominis patrocinio confisus neq; deos, neq; Cæsares sibi propitios habere vellet. Tunc sanctus Laurentius; Quisquis, inquit, idolis sacrificat, cū illis ipsis erit sempiterno igni obnoxius. Tunc iussit Valerianus ferream craticulā eius corpori parem componi, vt igne super eam strato combureretur. Composita igitur craticula, & igne vehementer inflammata, in eam Laurentium imposuerunt. Ille verò Deum laudabat, ita vt eius patientiam omnes admirarentur. Tunc Valerianus; Vbi'nam, inquit, est thesaurus, quem te ostensurum promisisti?

Cùm hæc fierent, Laurentij mater prope illum stabat, & ad Apostolicæ palæstræ gloriam filium adhortabatur. Beatus verò Laurentius ad eos orationē dirigens, à quibus comburebatur; Vna, inquit, corporis mei pars, vt opinor, iā combusta est, si vultis me comedere, en ego paratus sum. Discite, miseri, quanta sit Domini Iesu Christi virtus, & potētia; præsentes enim carbones nō afferunt mihi dolorem, sed recreationem. Lætor autem valde, quòd dignus effectus sim, qui Christi victima fieri possim. Delatus, fidem non negaui, interrogatus, Christum confessus sum, combustus, gratias ago. Hæc cùm dixisset fide munitus, præsenti animo iussit, ignem, & ligna milites addere. Multo igitur igne accenso, & ipsius corpori subiecto, beatus martyr Laurentius emisit spiritū. Cuius corpus surripuit Hippolytus egressus è carcere illo ipso die; cùmq; multis aromaticis vnguentis Martyris reliquias perfudisset, in occulto quodam loco illas reposuit.

Cùm verò Decius, & Valerianus cognouissent beatū Laurentium ab Hippolyto viro sanctissimo diligenter honoratum, ac repositum, iracundia perciti iusserunt illum in carcerem coniici, vbi duos dies in ieiuniis, & precibus cōsumpsit. Tertiò autem die post martyrium beati Laurentij, Hippolytus aufugit à carcere, & in cuiusdam mulieris domum clam se coniecit; cui dixit: Quæso, mulier, domi tuæ me occultes, neq; cuiquam dicas, me apud te delitescere. Iurauit mulier, illum se nemini prodituram. Cùm verò milites ipsi ad inquirendum Hippolytum venissent; Num, inquit mulier illa, Hippolytum vos quæritis? En apud me latet. Eumq; statim illis tradidit. Ducto igitur Hippolyto, Decius, & Valerianus in tribunali sedentes sic eum affati sunt: Num & tu magus factus es, qui Laurentij corpus surripuisti? Maximè, inquit Hippolytus, feci, quod dicitis, non vt magus, sed vt Christianus. His auditis, iusserunt ferreis virgis hominem verberari; cui dicebant: Quid'nam tibi aliquando per nos defuit, vt te ipsum Laurentij traderes religioni? Vbi'nam ille est, cui salutem tuam credidisti? Veniat nunc, & liberet te ab istis cruciatibus. Quod'nā malū, inquit Hippolytus, à vobis patior, vt sicut dicitis, debeā à beato Laurentio liberari? Tunc Valerianus respōdit: Virgis ferreis verberaris, & nihil mali te pati dicis? Ad hæc Hippolytus; Vobis, inqt, ita videtur, me graui supplicio

subiectum esse, mortisq; periculo expositum; at ego credo daturum mihi Deum, vt beati Laurentij martyris intercessionibus, qui me Christi seruum effecit, perpetua fruar vita.

His verbis statim exarserunt Imperatores, & veste exui (Christiano enim habitu indutus erat) atq; in terra prostratum multis ferreis virgis cædi iusserũt, deinde extra vrbem ad mortis supplicium duci, duosq; ferocissimos equos parari, & eius viri pedes in equorum pedibus ligari, equosq; ipsos dimitti per aspera, & spinosa loca. Cùm igitur sanctum illum martyrem ferocissimi equi multo impetu abreptum distraxissent, acutissimis quibusq; lapidibus eius viri carnes lacerabantur, & terrã sanguine multo aspergebant. Sanctus verò martyr, erectis 2 in cœlum oculis, ait: Domine Deus meus, suscipe spiritum meum. His dictis, statim Domino Deo animam tradidit. Sequebantur Christiani quidam homines, qui dilaniatas illas carnes, & à sancti martyris corpore decidentes in vasis quibusdam diligenter collegerunt, easq;, vt 3 mos erat, exequiis honorantes, in agro, qui vocatur Prætorianus, deposuerunt; cùmq; Deo ipsi gratias egissent, in sua quiq; loca reuersi sunt. Ita die tertio post obitum sancti martyris Laurentij sanctus etiam Hippolytus dignus effectus est, qui beatorum martyrum corona donaretur, in Christo Iesu Domino nostro; Cui gloria sit, & imperium simul cum Patre, & sanctissimo, ac vitam largiente Spiritu, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

2 Orat Sãctus, erectis in cœlum oculis.

3 Nota, Easq;, vt mos erat, exequijs honorãtes, &c.

MARTYRIVM SANCTI EVPLII.

XI. AVGVSTI.

DIOCLETIANO, & Maximiano imperantibus, idolorum superstitio ita per omnes regiones,& insulas celebrabatur, vt idola omnia erigerentur, & Christiani vniuersi gladio interficerentur. Miserunt igitur Imperatores ipsi hominem quendam, Pentagurum nomine,in fines prouinciæ Siciliæ, vt quencunque inuenisset, qui Christum confiteretur, cum pessimis modis interficeret. Itaque venit Pentagurus in vrbem Catinam. Caluisianus autem cùm in ea Præsidem ageret,iussit turbas ipsas, quæ in vrbe erant, obuiam prodire, prout consueuerant, his, qui ab Imperatoribus mittebantur. Ingressus igitur Pentagurus in eam vrbẽ, iussit Caluisianum constituere tribunal in loco illo, qui dicitur Achillius, & præcones mittere per plateas, & vicos vrbis, qui iuberent omnes ad eius nefarium tribunal conuenire.

Itaque cùm Pentagurus in illa nefaria sede vnà cum Caluisiano præsideret, vniuersus populus stetit ante tribunal. Tunc Pentagurus dixit Caluisiano: Num omnes isti deorum nostrorum religionem obseruant? Maximè, inquit Caluisianus, omnes isti, quos vides, religiosissime Præses,deorum nostrorum religionem obseruant. His auditis, valde gauisus est, & iussit turbas dimitti. Tunc Pentagurus Imperatorum edicta Caluisiano illi ostendit, eumque vrbis Præsidem confirmauit, & edicta ipsa ei tradidit,vt Christianos homines inquireret. Tunc ipse in alias vrbes iter suũ dirigebat, quas omnes peragrans studium omne ad Christianos inquirendos adhibebat. Cùm hæc ille ageret, interea Caluisianus à patre suo diabolo elatus,& impiis edictis Imperatorũ confisus, magnoperè intumescebat, ingentes spiritus, & superbiam præseferens. Vocatis igitur ministris; Agitè, inquit, vos exite ad vrbis plateas, & finitimas regiones, ac si quem inueneritis, qui Christum confiteatur, vinctũ ad me ducite. Si enim hoc feceritis, vobis annona, & victus publicè suppeditabitur. Ad hæc honores multos à me percipietis.

Cùm hæc ille diceret, vnus ex eorum numero, qui illic stabant; Est,inquit, in hac vrbe homo quidam, Euplius nomine, librum secum habens, quo populos, & multitudinem ipsam circumuenit affirmans, magnũ esse Deũ Christianorum. His auditis, valde perturbatus est Caluisianus, & ait: Adducite vinctum ad me hominem istum, adducite. Statim satellites per vrbis plateas

Euplium

Eupliū perquirentes inuenerunt eū in cellula quadā morantem, & Dei Euangelium docentem. Quem subitò comprehensum, manibus post terga colligatis, ad Caluisiani Præsidis tribunal adduxerunt. Tunc impius, & nefarius Caluisianus, cùm ambas eius manus, & pedem alterum ad ipsius genu colligari fecisset; Tu'ne, inquit, es deorum nostrorū desertor, & Imperatorum cōtemptor, qui neq; ipsorum edictis obtemperas, neq; præpotentes deos adoras? Respondit Euplius: Qui'nam sunt isti vestri dij, vt eos adorem? Iuppiter, inquit Caluisianus, Aesculapius, & Diana. Ad hæc Euplius ait: Cæcus es tu Dominum Iesum Christum non cognoscens, qui cœlum, & terram effecit, & hominē è terra formauit, qui'q; nos Christianos induit veste immortalitatis, pretioso videlicet, insigni, sanctissimo, terribili, & illustri suo Baptismate. Tunc ait Caluisianus: Propterea tam superbè loqueris, quòd nondum tormenta expertus es. Ad hæc sanctus Euplius respondit: Tormenta ista tua mihi quidē coronæ, tibi verò sunt tenebræ.

His verbis valde perturbatus Caluisianus, & à patre suo diabolo concitatus, iussit lignum in terra defigi, & in eo virum illum sanctū suspendi, ferreis'q; pectinibus dilaniari. Quo facto, ille, erectis 1 in cœlū oculis, sic Deū orauit: Domine Iesu Christe, indue me veste immortalitatis; fac, quæso, ne istorum tormentis superari valeam. Tunc vox audita est è cœlo, quæ dixit: Esto, Eupli, bono, & forti animo; *vera enim vestis tibi parata est*. Hæc ait vox illa. At impius Caluisianus; Etiam'ne, inquit, ab istis tuis nugis adhuc non destitisti? Quin potius in templa ingredere, & diis sacrifica, vt peccatorum veniā consequaris, & ab inuictis Imperatoribus bona multa percipias. Insuper amicitiā nostram habebis, atq; argenti, & auri copiam multā. Ad hæc Euplius respondit: Ex hoc ipso, perditissime homo, minister diaboli, & eius consors, intelligere potes, omnes istos auro adduci, vt idola venerentur; cuius rei iudiciū, ac ratio in illo terribili die à te ipso exigetur. Caluisianus his verbis accensus iussit ferreis malleis eius maxillas, & crura verberari. At ille cùm verberaretur; Insane, inquit, insipiens, & mentis lumine obcæcate, cur mihi tormenta ista tua inferri iubes, quæ Dei mei auxilio munitus, tanquam aranearū telas, contemno? Si potes igitur alia tormenta his grauiora excogites; hæc enim tanquàm ludibria quædam corpori meo sunt.

1 Ille, erectis in cœlū oculis, sic Deum orauit.

His auditis, impius Caluisianus iussit beatum Euplium deuinciri, & sanctū Euangelium in eius collo alligari, & tanquam in pompa aliqua sic duci, & in carcerem coniici. In quem cùm beatus Euplius ingressus fuisset, præcepit iniquus Caluisianus, carceris fores eius annulo signari, & milites constitui, qui carcerem ipsum diligenter custodirent, ne quis ad eum introire permitteretur, ne'ue panem, aut aquā illi daret. At beatus Euplius cùm in carcere dies septem, & totidem noctes transegisset, ac siti laboraret, erectis in cœlum 2 manibus, sic Deum orauit: Domine Iesu Christe, qui es verus Deus noster, qui das escam omni carni, qui per Mosem seruum tuum aquis filios Israëlis satiasti, qui ex maxilla quadam olim aquam eduxisti, & Sampsonem refrigerasti, qui nos lætos, atq; hilares effecisti, pretioso, & incorrupto Baptismate tuo nos induens, tu, inquam, Domine, fac, quæso, vt aquæ fons scaturiat, & sitis mea leuetur, vt cognoscant omnes, non esse Deum alium, præter te. Cōpleuit preces Euplius, & repente aquarum copia in carcere scaturiuit. Itaq; martyr ipse Deo gratias agens bibit, & sanctam, eiusdem'q; substantiæ consortem, & vitæ omnium effectricem Trinitatem collaudauit, immensam Dei charitatem psalmis, & hymnis concelebrans.

2 Erectis in cœlum manib⁹, sic Deū orauit.

Cùm verò dies septem præteriissent, iussit Caluisianus duci beatum Eupliū ad secretam eius domum, Caluisiani autem satellites cùm, patefacto carcere,

illam aquarum copiam repente affluentem vidissent, perterrefacti sunt. Euplius verò, manu extensa, quasi aquam ipsam increpauit, & statim illa euanuit. Viderunt satellites quod factũ fuerat in carcere, & inter se dicebãt: Certè magnus est Deus ille, quem colit homo iste. Beatum verò Euplium eductum è carcere ad secretam Caluisiani Tyranni domum adduxerunt. Qui oculos in beatum Euplium conuertens; Saltem nunc, inquit, diis sacrifica, priusquam gladio caput tuum abscindatur. Tunc illi Euplius; Peruerse, & excæcate minister, atq; collega diaboli, quis'nam est, qui velit lucem relinquere, & in tenebris ambulare? Turbatus est his verbis Caluisianus, & iussit Eupliũ ligari, eius'q; aures ferreis vncis auelli, & ad tribunal duci. Cùm igitur illuc ageretur, vniuersus populus tã eorũ, qui Christi fidem sequebãtur, quàm qui erant infideles, ad eius rei mirabile spectaculum conuenit. Tunc nefarius ille Præses Caluisianus iussit sedem suam locari prope carcerem ante lauachrum, quod erat vicinum carceri ad meridiem vergens. Illic igitur sedens iussit beatum Euplium gladio percuti. At ille rogabat Præsidem, vt tantum temporis sibi concederet, quoad Deũ orare posset. Aperto igitur sancto illo Dei Euangelio, cœpit Domini nostri Iesu Christi miracula recitare. Ex qua ré factum est, vt multi ex ea turba veritatis lumine sint illustrati. Cùm'q; beatissimus martyr Deum precaretur, audiuit vocem è cœlo demissam, ac dicentẽ: Esto bono animo, Eupli; beatus es tu; agè veni, & cum iis requiesce, qui ex omnibus seculis mihi grati extiterunt. Deinceps ex Caluisiani sententia Euplius gladio percussus martyrium compleuit.

Nota, Pretiosas illius reliquias collectas, in loco quodam insigni reposuerunt, vbi morborum curationes ad hodiernum vsq; diem efficiuntur.

Quidam verò homines religiosi, & Christi amatores, pretiosas illius reliquias collectas, in loco quodam insigni reposuerunt, vbi morborum curationes ad hodiernum vsq; diem efficiuntur. Eius autem martyrium, & sancta confessio completa est vndecimo die mensis Augusti, Imperatoribus Diocletiano, & Maximiano, impiis, & nefariis hominibus; in nobis autem regnante Domino nostro Iesu Christo; Cui sit gloria in secula seculorum.

Amen.

VITA, ET INSTITVTIO SANCTAE MATRIS NOSTRAE ATHANASIAE, EIVS'QVE MIRACVLA A QVODAM VIRO PIO NARRATA, QVI PARTIM EA VIDIT, PARTIM A MVLIERIBVS IPSIVS MATRIS FAMILIARIBVS AVDIVIT.

XIIII. AVGVSTI.

APOSTOLI Pauli præceptum est, vt Sanctorum memorijs communicemus. Eorum verò vitam, atque institutionem conscribere, & ea legentibus, communẽ vtilitatem, proponere, illud certè laudabile est, ac salutare. Beatæ igitur fœminæ Athanasiæ vitam conscribere conabimur, pauca quædam eorum, quæ ad illam pertinent, oratione percurrentes, ne temporis diuturnitate res ipsæ obliuioni traditæ, plurimis hominibus damnum afferant.

Hæc fœmina laude digna, & immortalitatis nomine prædita, quæ vitam ipsam benè transegit, Deiq; vniuersorum Domini optimam ancillam se præbuit, patre Niceta, matre verò Irene orta est, parentibus sanè genere præstantibus,& Deum valde timentibus,qui domum in insula Aegina posſidebãt; è quibus genita, & ad vitam humanam promota, vtiliſsimum quoddam sanctiſsimi Spiritus vas extitit. Illa cùm esset annos septem nata, breui tempore psalterium edidicit, & diuinis literis prompto animo operam nauabat.

Cùm igitur quodam die sederet, & sola telam texeret, vidit stellam quandam valde splendidam ad suum vsq; pectus descendere, seq; ab illa multum illustrari, ac stellã ipsam postea ex oculis suis euanescere. Ex ea igitur re cùm eius anima multo lumine illustrata esset, omnino vitæ huius vanitatem odisse cœpit. Cùmq; sibi proposuisset ad monasticam institutionem se conferre, eius parentes inuitam, & nimium recusantem, multam ei violentiã adhibentes, cum viro collocarunt, quo cum sexdecim solos dies habitauit, ac repente vidua remansit. Cùm enim Maurisij barbari homines in illas regiones irrupissent, atq; Athanasiæ vir ad prælium egressus esset, iudiciis illis, quæ Deus nouit, factum est, vt gladio interficeretur.

Cùm igitur multum temporis præteriisset, & Athanasia secum ipsa certaret, & ad monasticam vitam mentem dirigeret, regale quoddam edictum repente prolatum est, vt mulieres, quæ nuptæ non erant, seu viduæ, iis viris, qui essent ex natione, collocarentur. Ex eo igitur factum est, vt Athanasia non antea monasticam vitam aggredi posset, quàm eius parentes eam ad alterum virum ducendum impulerint. Quæ res quamuis facta sit, illa tamen, vt consueuerat, propriam salutem curabat, psalmorum 1 cantibus, & diuinis lectionibus diligenter vacans, neq; vllarum bonarum rerum, aut studiorum mutationem accipiens; sed mansuetudine ornata, cordis humilitate sanctissimè fulgebat, ita vt ab omnibus, qui bonos ipsius mores audiuissent, laudatissima illa fœmina dilecta valde fuerit. Eleemosynæ verò tantoperè studebat, vt quæ domi habebat, quamuis plurima illa essent, ad copiosam tamen manus ipsius distributionem minimè sufficerent. Omnes enim monachos, qui vndiq; peregre veniebant, benignè accipiens, viduis, pupillis, & omnibus indigentibus abunde suppeditabat quæ vitæ sunt necessaria.

1 Ecce psalmorum cantus, diuinæ lectiones, & alia bonorum virorum exercitia.

Cùm verò aliquando fames esset, omnesq; inopia premerentur, illa non solùm iis, qui eiusdem fidei homines erant, nutrimenta copiosè largiebatur, sed alienis etiam, qui Atthingani appellabantur, fame tunc oppressis, & ad eã accedentibus, misericordia commota victum impartiebat. Illud enim Domini præceptum obseruabat: Estote misericordes, vt Pater vester cœlestis, qui facit solem suum oriri super malos, & bonos, & pluit super iustos, & iniustos. Neq; solum nutrimenta illis tribuebat, verùm etiam vestibus eos fouebat, & aliis donis consolabatur. Dominicis verò, & festis diebus vicinas omnes amanter ad se congregans, diuina scripta illis legebat, eorum mentem aperiens, & ad Domini timorem, ac desiderium diuino quodam modo illas erigens.

Cùm igitur in his, quæ Dei sunt, ita proficeret, & virtutibus ipsis, vt campus multis floribus, abundaret, coniugi suo persuasit post aliquot annos cõuictus, quem cum illo habuerat, vt admonitionibus suis cedens, mundo, & his omnibus, quæ in eo sunt, renunciaret, & ad sacram monachorum institutionẽ se cõferret. In qua cùm sanctè versatus esset, & in ea excelluisset, postea dormiuit in Domino. Beata igitur illa fœmina libertatis tempus nacta, se totam per omne tempus Deo ipsi dedicauit. Nam cùm & alias mulieres valde religiosas inuenisset, quæ & idem propositum habebant, & spiritu ipso ardentes erant, illis concordi animo adhærens, quamprimùm ex huius mundi cõfusione se remouit. Cùmq; omnia, quæ possidebat, pauperibus distribuisset, vnà cum moribus & mundi habitum mutauit cum illis ipsis honestis mulieribus, quas supra diximus. Itaq; cùm quodã in loco quietam vitam ducere cœpissent, cuiusdam viri sancti, & virtute præditi adhortatione, qui & eas totondit, post tres, aut quatuor annos Athanasia earum mulierum, quæ cum illa erant, principatum etiam inuita suscepit, prima quidem ab illis nominata, sed omnium nouissimã, quod ad mentis sensum pertinet, seipsam existimans, vt illud Domini

præceptum

præceptum seruaret: Qui vult in vobis esse primus; sit omnium nouissimus, & vltimus.

Sed quænã oratio, aut quæ linguà humilitatis, & summissionis, qua fœmina illa excellebat, celsitatẽ explicare posset? Neq; enim vnquã passa est ab aliqua earum mulierum, quæ cum ipsa erãt, ministerium sibi præberi, vel aquam in manus dari per totum vitæ suæ tempus; quemadmodum quæ cum ea vixerãt, post sanctum eius obitum omnes illius regionis homines de ea re certiores fecerunt. Illa enim se indignam putabat, quæ vnà cum ipsis versaretur, tantum abest, vt sibi, tanquam præsidenti, ab illis ministrari vellet. Cùm etiam abstinẽtia multùm valeret, paulum 2 panis, & aquæ post nonæ horæ tempus gustabat, caseo, & pisce omnino abstinens; quæ in solo die festo Paschæ Deo gratias agens, gustare solita erat. Sanctæ verò Quadragesimæ diebus post biduũ sumẽs cibum, crudis tantùm oleribus contenta erat, in illis sanctis diebus omnino potum nõ gustans. Cùmq; dormiret, nõ in latus, sed in vnum quendã lapidem ad id ipsum accõmodatum sese inclinãs, parum somni capiebat. Neq; solùm in sãcta, & magna Quadragesima, sed etiam in sanctorum Apostolorũ, & sacratissimi diei natalis Christi Saluatoris nostri temporibus, eandem exercitationis, & vitæ regulam seruabat. Eius verò stratum ex magnis lapidibus in solo ipso compositum parua quadam, & aspera veste desuper tegebatur; quo loco in ipso quietis tempore cubans, lachrymis per singulas noctes, vt Propheta dixit, stratum suum rigabat. Cùm enim diuinus amor intus abunde ipsam accenderet, atq; inflammaret, lachrymæ ipsæ tum in psalmis canendis, tum in precibus ad Deum mittendis ita copiosè profundebantur, vt fontem potiùs vidisses aquis destitutum, quàm sanctos, & assiduè Christum spectantes eius oculos lachrymarum expertes esse.

2 Vide miram sanctæ mulieris abstinẽtiam, ciborũ delectum, & comedẽdi tẽpus post horam nonam.

3 Aduerte ad sanctæ Quadragesimæ austerã obseruantiam.

Indumentum illi erat interius quidem 4 asperũ, ipsius carnẽ asperitate affligẽs, exterius verò tegumẽtum pannis cõstabat ex ouium lana cõtextis. At interior illa vestis ignota erat, exterior autẽ corpus cõtegens ab hominibus cernebatur. Ad hæc ✠ vigilabat se colligens, & Dauidis psalmos meditãs, singulisq; sessionibus orationem animo valde sobrio, atq; attento ad Deum fundens. Die autem modò secum, modò cum aliis, quæ cum illa erãt, psalmorũ versus recitans, dabat operam, ne vllo tempore, aut hora eius os, aut mens à Dei gloria celebranda vacaret, vt sacrorum carminum auctor Dauid cecinit: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.

4 Nota asperũ sãctæ mulieris indumentum.

✠ Vide vigilias, & psalmodiam.

Ex quo autẽ die monasticã vitã fœmina illa ingressa est, ad illud vsq; tẽpus, quo ad Deũ migrauit, nullos omnino fructus degustauit. Cùmq; multas ærũnas pateretur, & sororibus præesset, earumq; curã haberet, ob animi sũmissionẽ, qua excellebat, nulli vnquam increpationẽ adhibuit, neq; contumeliosũ aliquid ex eius ore honestissimo ne aduersus minimũ quidẽ aliquẽ, aut magnũ; seruum, aut liberum hominem profectum est, præsertum cùm sæpius audiret, diabolica tẽtatione illa omnia se facere. Omnes igitur mansueto animo, & recto corde perferebat, ad futuram illam mercedem semper animum attentum habens. Cùm verò quatuor anni præteriissent, iis, quæ cum illa erant, persuasit, vt è loco, in quo manebant, exurgerent, & ad priuatũ, & omnino remotum montem secederent, in quo possent solitariam vitam degentes Deo ipsi operam dare, & ab omni humana consuetudine separari.

Cùm igitur quæcumq; ad proprios vsus possidebant, ea omnia pauperibus distribuissent, ardenti animo ad id, quod sibi proposuerant, se præparabant. Adierunt igitur virum quendam virtute præditum, & Dei amantissimũ, Matthiam nomine, presbyterij honore decoratũ, & eorum, qui se in vita monastica exercebant, ouili præsidentem. Ille cùm vitæ honestæ esset studiosus, & carũ

mentis ardentem affectum vidisset, beatæ Athanasiæ dixit: Tuum quidem, & earum, quæ tecum sunt, bonũ est, & valde laudabile propositum, sed quoniam vos video ita exercitatione afflictas, vt infirmissimæ sitis, moneo ne durissimis vitæ legibus vos ipsas tradatis. Itaq; si meum consiliũ suscipitis, vos in quẽdam locũ perducã, in quo poteritis ita, vt decet, versantes, benè vobis ipsis consulere. Habebitis etiam me infirmitati vestræ opitulantem, vobisq; toto animo, & omnibus viribus ea, quibus indigetis, ministrantem. Hæc cùm dixisset, sanctæ mulieri, & iis, quæ cum illa erant, persuasit, vt eum promptissimo animo sequerentur. Cùm verò prope locum accessissent, eum beata illa mulier contemplata, valde hilaris cœpit dicere: Hunc ego locum iampridem mentis lumine contemplabar, &, vt opinor, hìc in posterum viuemus, vitæq; finem excipiemus.

Erat in loco illo sanctum protomartyris Stephani templum, tum gloria, tum vetustate clarissimum. Beatus igitur ille Matthias nutu eius Episcopi, qui regioni præsidebat, illic mulieres illas collocauit, omnemq; curam eis adhibuit. Insuper virtutis exercitationi valde studebat, continentiæ, inquam, & vigiliis 5 multis, cùm per totam noctem & psalterium recitaret, & preces quamplurimas ad Deum funderet, dormiensq; non supra latus, sed sedens somnum, quantum satis esset, caperet. Tanta etiam erat illius viri compunctio tum in psalmis canendis, tum in offerendo diuino, & incruento sacrificio, vt qui eum videbant, multam ex ea re vtilitatem perciperent. Veste autem aspera contentus erat, quam cùm vnicam ferret, carnem ipsam horribiliter domabat. Cùm verò Ioannis Apostoli, qui recubuit super pectus Domini, esset valde studiosus, & eius die 6 festo, ac memoria instante, incruenti sacrificij ministerium celebraturus esset, maxima compunctione affectus, vni ex iis, qui præsentes erant; Num, inquit, aliquis est dignus hodierno die, qui Ephesum proficiscatur, & sanctũ Apostolũ Ioannẽ contempletur? Cùmq; hæc dixisset, fontes lachrymarum ex oculis emittens, gemitumq; è corde proferebat. Res igitur oblata est eius fide, & in discipulũ Domini charitate digna. Nã ab initio sacræ illius mysteriorũ celebrationis, quoad res diuina cõpleta est, sanctissimũ Apostolum Ioannem in ara illa sancta secum vnà stantẽ videbat; neq; solus ipse eũ cernebat, sed duo etiam alij, qui vnà præsentes erãt, cùm incruentum sacrificiũ celebrabatur. Ad tertiũ igitur vsq; diem permãsit ita cõpunctione illa se oblectans, vt humani cibi particeps fieri non posset.

5 Ecce veri monachi insignia, & virtutes. Ecce Missam vocari diuinũ, & incruentũ sacrificium.

6 Dies fest' sãcti Ioãnis Apostoli, & Euãgelistæ instabat.

Ad hũc beatũ Matthiam accessit homo quidam totius corporis cõpages remissas, & dissolutas habens; cuius misericordia commotus vir ille chlamyde, qua indutus erat, se ipsũ exuit, & in eius humeros eã imposuit. Quo facto, eius compages cùm stridorem magnum emisissent, statim homo ille sanus factus est. Cuidã verò alij faciẽ habenti, diabolo auctore, peruersã, honoratæ manus suæ signaculo curationem attulit. Quinetiã vetulæ mulieri impuro spiritu detentæ, & ad beatũ illũ virum Matthiã accedenti, illius precantis perseuerãtia factum est, vt Deus ipse paucis diebus sanitatem conferret. Alia quædã mulier habitu monastico induta, impuro spiritu vexabatur, & ad monasteriũ accessit. Cùm igitur ille ingressus eã solã vidisset in Ecclesia prauo spiritu laborantem, misericordia cõmotus, in cœlũ manus erexit; cùmq; quãtum satis esset, orauisset, & ad eam conuersus esset, ter Crucis signaculum ipsi adhibuit. Quo facto, prauus ille dæmon aufugit, & fœmina illa sana deinceps permansit. Hæc nos perstrinximus, vt vitæ, quam vir ille tenebat, præstantiam declararemus, & signorum gratiam à Deo illi concessam, omnibus manifestam faceremus.

Sed nescio quomodo factũ sit, vt cùm sanctus ille homo, & Deo ipsi dicatus, nauẽ cõscendisset, & ad regiam, ac magnam vrbem nauigaret, iudiciis illis,

quæ solus Deus nouit, acciderit, vt vnà cum sociis nauigationis fluctibus marinis suffocaretur. Quamobrem & illius sancti corporis expertes facti sumus, neq; 7 sacras illas, & beatas reliquias repositas habemus, quæ nos maximè iuuare possent. Omnino enim Sãctus quẽadmodũ, cùm in corpore erat, curationes abunde conferebat, multò magis, postquam excessit, his, qui eius reliquias attigissent, easdem afferre posset. Huius ministerio alius quidã presbyter successit Eunuchus natura, qui vocabatur Ignatius. Ille cum iisdẽ moribus, quibus & is, quẽ supra diximus, excelleret, sanctè admodum, & Domino Deo gratus migrauit; cuius sepulchrum fulgoribus quibusdam dæmonũ turmas prosternit, & curationes affert. Sed ad narrationis ordinem reuertamur, sanctæ matris nostræ Athanasiæ facta perstringentes.

7 Nota, Sacras illas, & beatas reliquias; & Sanct. his, qui eas post mortem attigissent, multò magis curationes afferre posset, quàm cũ in corpore erat.

Hæc igitur beata fœmina cùm multam, vt diximus, humilitatẽ, magnamq; & singularem mansuetudinem in se haberet, sæpè Deum precans, atq; in cœlum intuens, stupore, atq; excessu quodam implebatur; nubem autem lucidã Solis radios emittẽtem videbat, & in eius medio virum speciosum, formaq; ita effulgentem, vt eius species singularis existeret. Cùmq; hoc sæpè vidisset, & eius viri aspectum obstupesceret, secum ipsa dicebat: Ecquisnam virum hunc tã multo decore, atq; ornatu repleuit? Et quænã virtus ita splendidum, ac speciosum effecit? Cùm hæc cogitaret, ac diceret, sibi visa est vocẽ hãc audire: Virum hũc, cuius speciem tu admiraris, humilitas, & mãsuetudo ita splendidũ reddiderunt; quas cùm & ipsa mirum in modũ imiteris, te quoq; illustrẽ futurãm manifestò scias. Quotidie igitur hæc contemplans, ita duabus virtutibus se ornauit, vt in illa iræ, aut superbiæ ne vestigiũ quidẽ vllum appareret. Quæ verò ad earũ virtutũ celsitatẽ ascenderat, quæq; cœlestẽ visionem puro cordis lumine inspexerat, mirum non est, si admirabilibus signis Deus eam ornauit.

Etenim cùm quodã die ipsa sederet, & Deo operã daret, ad eam venit homo quidã oculos multùm dolens, eamq; rogans, vt pro ipso Deũ precaretur. Illa verò humilitatem suam ostendens, quasi eũ consolaretur; Et mihi, inquit, huiusmodi morbus molestiam attulit; feras igitur, & Dominus te curare poterit. Ille verò cũ nequaquã discederet, sed curationis se cõpotem fieri cũ fide multa postularet, beata illa mulier manum suam super ipsius oculos imponens; Ille, inquit, Christus, qui cæcum natum curauit, det tibi, frater, perfectã istius morbi curationem. Hæc cùm ille audisset, & firma fide accepisset, statim illo ipso tempore optatam sanitatem assecutus est.

Postea verò quàm Athanasia prope tẽplum illud protomartyris Stephani supradictũ alia tria tẽpla ædificauit, celeberrimæ Dominæ nostræ, & Dei genitricis Mariæ, Ioãnis præcursoris, & Nicolai illius diuini præconis, necessitate postulante ad regiã Vrbẽ profecta fuit, ibiq; in monasterio sex, vel septem annos morata est. Quòd molestè ferens, Exul, inquit, facta sũ è tẽplo illius, quæ Deũ peperit, quo derelicto, en hìc moror. Cùm igitur diuina quædã visio illi oblata esset, ausa est iis, quæ cum illa versabantur, dicere: Tempus iam instat, vt ad eum locum abeamus, vbi olim nos sedebamus; vidi enim in mentis excessu templi Dominæ, & sanctissimæ Mariæ, quæ Deum genuit, fores patefactas, nosq; illuc introire iussas. Cùmq; hæc dixisset, ex Vrbe illa regia migrauit, & Dei verè pretiosum illud vas ad desideratum locũ venit, qui vocatur Timia, nomine ipso ab honore deducto; decebat enim honestum locum illum eius præsentia honorari, & appellationem veram, ac factis ipsis comprobatam habere, vt à quodam perspicacissimo viro, ac patre multis annis antea præuisum fuerat. Hic, quem dixi, Ioannitius fuit ille laudatus, & insignis vir, cuius gloria per totũ orbem terrarũ celebratur. Hic, inquam, diuinus vir, cùm per eũ locum transiret, prophetico spiritu pronũciauit, decere locũ illum honorari

quorundam sanctorum corporum collocatione. Id quod postea factum fuit.

Cùm igitur beata mulier eò peruenisset, & paucos quosdã dies illic vixisset, grauissimo quodã morbo correpta est,& duodecim diebus antequam è vita discederet,de ea re mysterio quodam edocta fuit. Vidit enim viros duos albis vestibus indutos ad se venientes,& paginã quandã ei tradentes, in qua hæc scripta erant: En libertas tua hæc est; sume hanc, & lætare. Beata verò mulier cùm ad se rediisset, & vnã è sororibus ad se vocasset,singillatim ei omnia narrauit. Totis igitur illis duodecim diebus mansit assiduæ cõtemplationi dans operam, neq; cibi, neq; potus particeps fiebat, nihilq; aliud, nisi hoc dicebat: Psallite, sorores meæ, psallite, & Deũ assiduè laudate,vt propitius sit peccatis nostris. Cùm igitur duodecimus dies venisset, sancta mulier alias, quæ cum illa erant, affata; Succurrite, inquit, quæso, infirmitati meæ,& in ædem sacrã ingressæ, versus, qui mihi dicendi essent, vos,Deo reddite; non enim possum ampliùs psalteriũ cõplere, cùm omnino vis mea deficiat. Illæ verò cũ clamore, & lachrymis respondentes; Ad quem'nã, inquiunt, psalmũ ipsa peruenisti, & vnde'nam quod reliquum est, nos incipiemus; illa sensim respondens; Nonagesimum, inquit, psalmum in ore habeo, sed infirmior facta, vlterius pgredi nõ possum. Illæ cùm hæc audiuissent, ad ædẽ sacrã ingressæ reliquos psalmos compleuerunt. Cùmq; exiissent, in faciem ceciderunt, & vlulatũ magnũ emittentes, sibi preces à sancta muliere impartiri postularunt. Illa verò omnibus quidem pariter benè precata est, Marinam autẽ, & Euphrasiam vlnis suis honoratis amplexa; En, inquit,sorores meæ dilectæ, ex hoc ipso die à nobis separamur; sed in futuro illo seculo rursus nos Deus coniunget; det autẽ vobis pacem, charitatem,& concordiã, & impleat vos omnibus bonis suis. Hæc, & alia cùm dixisset, eius facies instar luminis effulsit, ita vt qui ad eam videndam eò venerant, admiratione, & stupore afficerentur.

8 Dies festus Assũptionis beatæ Virginis.

Quoniam verò dies 8 festus aderat, quo sanctissimæ Dei genitricis assumptio celebratur, omnes sic admonens; Videte, inquit, ne quid eorũ,quæ ad diẽ festum pertinẽt, infectum prætermittatis; itaq; & psalmorum ordinem, & ministerium in ipsos egentes pro viribus diligenter exequamini; deinde post diuinum rei sacræ ministerium humile hoc corpus meũ terræ mandetis. Hæc cùm præcepisset, & duas sorores, quas supradiximus, amplexata esset, in pace dormiuit, ac requieuit, ita vt qui eã viderunt, cõmuni somno requieuisse crederẽt; nam ore, atq; oculis clausis, minimè illi opus fuit, qui hæc honestè componeret. At sorores ad sanctas eius reliquias se abiicientes, & suam orbitatem deplorantes; Quò'nam, inquiunt, nunc abiisti, mater nostra sancta, & immortalitatis cognomen habens? Quomodo nos ita orbas dereliquisti è nostro conspectu euanescens? Vbi'nam posthac angelicam faciem tuã aspiciemus? Vbi vocem illam tuam audiemus, qua nostra corda exhilarentur, & ad bonarum operũ studia excitẽtur? Extinctũ est nostræ spei fomentũ. Tu nunc dormis,& nos in segnitia, velut mortuæ, iacemus. Non ampliùs te nobiscũ vnà versantẽ habebimus; elegit enim te Dominus, & ad mansiones illas æternas vocauit.

Cùm hæc, & his similia lamentatæ fuissent, & consuetum officij canonem in ea compleuissent, post mysteriorum tempus, sacrum illud corpus in loculis repositum in terra congruenter condiderunt. Quæ verò mulier in eius locum successit, prope sepulchrum permanens, neq; nocte, neq; die illinc discedebat, lachrymans, & beata illa fœmina se orbatã lugens. Cui Athanasia in somnis apparens; Esto, inquit, bono animo, & certò fore scito, vt, completis 9 quadraginta diebus post meum obitum, recipiã q̃ à Deo ipso receptura sum. Hæc igitur cùm in somnis vidisset, experrecta dubitabat, quid'nã hoc visum,& sanctæ mulieris verbum significaret. Cùm'q; quadragesimus dies venisset, quæ'q;

9 Nota locum pro Purgatorio.

ſorores monaſteriū habitabant,id oblitæ (vt ſæpè vſu euenire ſolet)poſt duos dies illum quadrageſimum diem futurum exiſtimarent, eius diei veſpere ſorori, quæ ſupradicta eſt, Athanaſia beata illa fœmina ſe offerens; Cur, inquit, ita quadrageſimos 10 dies meos neglexiſti,neq; quæ ad pauperum diſtributionē, neq; ea,quæ ad amicos benignè accipiendos pertinent,præparaſti? Hoc viſo illa perculſa, & ad ſe rediens,ac diligenter dies numerans,cognouit tēpus illud veſperam eſſe quadrageſimi diei, quo ſacra pſalmorū cantio celebrari deberet.

10 Vide hîc quadrageſimum diē poſt mortē obſeruatum; & viuorū ſuffragia mortuis prodeſſe.

Cùm igitur dies illuxiſſet, & diuinum officium celebrari cœpiſſet,duæ,quæ illius ſacri, & monaſtici chori principem locū tenebant, quarumq; cordis oculos Deus aperuerat, vt horribile illud viſum animaduerterent, duos quoſdam viros contemplatæ ſunt ſpecie terribiles, habitu effulgentes,& beatā Athanaſiā mediam habentes; quam cùm duxiſſent, & antè ſacram aram conſtituiſſent, purpuramq; pretioſis lapidibus, ac margaritis ornatam protuliſſent,regali habitu eam induerunt, & corona Crucē & ante, & retro habente caput eius cinxerunt; cùmq; virgam gemmis ornatam in manus ei dediſſent,eam ad diuinā aram perduxerunt. Hæc igitur viſio cùm quadrageſimo die contigiſſet,loculus, in quo ſanctæ mulieris reliquiæ infra terram iacebant, ſtridorem emittere cœpit, idq; aſsiduè per totum anni tempus faciebat.

Cùm verò anniuerſarius dies, quo ſancta illa mulier obierat,iā veniſſet,ecce viri duo aſtiterunt, & cum ipſis miſera quædā mulier prauis ſpiritibus vexata; qui ſpiritus ſupra ſanctæ illius mulieris reliquias debacchantes redarguti ſunt. Manibus igitur tegumentū illud, quod ſupra ſanctæ Athanaſiæ reliquias impoſitum fuerat, amouentes, arcam è monumento extraxerunt. Quo facto,mulier illa ſpiritu malo agitata, curationis ſtatim compos facta eſt. Sacri verò illi viri arcam illam inſpicientes, eam viderunt vndiq; ſuauiſsimi odoris vnguēto diffluentem. Cùm igitur diligenter eam pateſeciſſent, Athanaſiam inuenerūt ita decorè poſitam, vt recens mortua fuiſſe videretur;nam & eius oculi luminis ſpeciem præſeferebant, & labra, & totum illud beatū corpus ſanum, integrū, & intactum videbatur, teneris adhuc carnibus, & manibus in rectum proteſis, neq; aliqua ex parte impeditis. Cùm illud igitur venerati eſſent, & lachrymas effudiſſent, arcam munierunt, & in omnium conſpectu ponendā eſſe ſanctè iudicarunt.

Poſtea verò quàm in aliam arcam tranſlata fuit,in qua & nunc beata illa repoſita eſt, monachæ ipſæ veſte priore illam exuentes, alia quadam ſericis filis contexta, & colore cœruleo eam induere cupiebant; ſed minimè Athanaſia ſancta eis obtemperabat, manus ipſas tenens pectori adhærentes,& veſtē illam renuens. Vna igitur è choro illo, quæ omnibus virtutibus effulgebat, & ſancti Spiritus vas quoddam erat valde pretioſum, flexis genibus ſic eam precata eſt: Quemadmodum quo tempore nobiſcum verſabaris, obedientiam ſine aliquo diſcrimine præſtitiſti, ita & nunc libenter nobis obedire velis, & humilē tunicam tibi oblatā te indui patiaris. Hæc illa cùm perinde ac ſi 11 viueret, audiuiſſet, manus ſtatim relaxauit, & tunicam, quam diximus,accepit,ac deinde ad ſanctam illam arcam ſe reclinauit.

11 Videant hi, qui Sanctos vocant emortuos, nū Athanaſia verè mortua dici poſsit.

Operæpretium verò eſt pauca quædam,quæ poſtea facta ſunt, miracula cōmemorare, & ita orationi finem imponere. Cùm non multi dies præteriiſſent, puella quædam annos ferè duodecim nata, impuro ſpiritu detenta, cadens, & ſpumam emittens,ad ſacræ mulieris ſepulchrum adducta eſt; cùmq; illic quadraginta dies permanſiſſet, diuina ope adiuta, ſana rediit. Alius quidā puer annos ferè octo natus, in manu ipſa dæmonem habebat. Hunc vt paſſerē quendam nigrum ad manum ſuam venientem, & illic ſedentem videbat, à quo & manus ipſa commouebatur. Quare miſerabiliter afflictus puer ille,cùm totos

septem dies apud diuinas sanctæ mulieris reliquias permansisset, sanctissimi Spiritus ope curatus est.

Alius quidam conditione seruus, fide verò liber, occulto dæmone vexatus, & insuper aqua intercute totum corpus, instar vtris, tumefactũ habens, ad monasterium illud venit, & sanitatis compos fieri supplex postulabat. Illi ergo beata Athanasia in somnis apparens; Expecta, inquit, frater, paululũ, & ego tibi, diuina ope adiuuante, curationem afferam; partem enim quandam mei corporis ad te mittam, qua morbo isto liberaberis. Audiuit hæc vir ille, & fuit bono animo, & post mensem vnum nocte quadam in mentis stuporẽ incidens, se ipsum vidit vndiq; à templi tecto aqua defluente madefieri, & omnibus candelis extinctis, ad sanctas beatæ mulieris reliquias confugere; stridoreq; magno ex arcula emisso, vocem ad se venientem audire sibi videbatur, quæ ita diceret: Aperi citò os tuum, aperi. Quod cùm ille fecisset, hilaris quod missum fuit, excepit, simulq; sanitatem recuperauit. Cùm verò dies illuxisset, omnibus, quæ in monasterio erant, curationẽ suã clara voce prædicabat. Cùmq; omnes concursu magno illuc venissent, & causã eius rei ediscere cupiuissent, tũ ille donum, quod acceperat, è sinu protulit, vnguem videlicet magni digiti è sanctæ mulieris pede missum, ac paruo quodam panno inuolutũ. Abiit igitur vir ille sanus diuinam gratiam, & sanctæ mulieris gloriam celebrans.

Aliquando cùm eius sancta memoria celebraretur, & multus populi cõcursus factus esset, mulier quædam, nomine Theodota, manum arefactam habẽs, curationem assequi supplex poscebat. Vna igitur è sororibus cùm eam apprehendisset, & maxillæ sanctæ mulieris, quæ in arca erat, admouisset, sanam, atq; integram Dei ope illinc extulit. Alia verò quædam mulier cùm occulto spiritu vexaretur, & multos dies illic permansisset, re infecta, ac tristis domũ suam reuersa est. Vidit autem sanctam fœminã talia sibi dicentem: Tu fraudem viro tuo fecisti, & animam tuam in grauem mortem iniecisti. Vade igitur, & erratum tuum proferas, & ego mali dæmonis vexatione te liberabo. Hæc cùm mulier audiuisset, & ea, quæ audiuerat, fecisset, diuina ope adiuta, sanata est. Alia quædam mulier infantem puerum mammam sugentem ferens, cui tum dexter oculus extinctus, tum manus, & pes torpens, & motionis expers erat, ad sanctæ illius sanitatis datricem arcam eum adduxit. Post paucos verò dies illum sanum receptum in propriam domum gaudens retulit.

Alia quædam tam malè oculorum morbo laborans, vt ei tanquã poma aliqua oculi penderent, ad eius arcam accessit, &, capite supra sanctas reliquias imposito, sanitatem assequi precibus postulabat. Cùm igitur duobus, aut tribus diebus permansisset, Dei ope adiuuante, sana facta est, eius oculis ad priorem statum restitutis. Puer verò duodecim ferè annos natus, cùm manus, & pedes torpentes haberet, ad eius sepulchrum accessit. Cùmq; nondum pauci dies præteriissent, diuina visione puer ille dignus factus, & propriis pedibus inambulans, domum suam reuersus est. Quod miraculum per beatã mulierẽ æditum omnes obstupescebant. Collum puellæ cuiusdam, quæ Maria vocabatur, & in monasterio habitabat, graui morbo laborabat. Cui beata Athanasia in somnis apparens; Asperam, inquit, tunicam meam accipias, & morbo admoueas. Id cùm illa è somno excitata fecisset, statim curationem ipsã admirabiliter assecuta est.

Marina verò, cuius supra mentio facta est, multo tempore graui morbo ex ventre laborauerat. Cùm igitur lauri folium sumpsisset ex iis, quæ tunc super arcam illam posita erant, & supra morbi locum tribus diebus reliquisset, perfectam sanitatem accepit. Hæc, quantùm vobis religiosis monumentum esse possint, mediocriter à nobis dicta sunt. Singillatim enim omnia persequi, non

solùm supra vires meas est, sed neq; iis facile erit, qui & vita meliore sunt, quàm ego, & orationem vitæ parem habent. Ego verò cum ingenio sim valde tenui, & sublimioris orationis omnino expers, prouinciam hanc suscepi, non vana secutus figmenta, sed quæ tum ipse propriis oculis vidi, tũ à sanctis mulieribus, cùm hæc dicerent, audiui, è quibus fuit & felicissima mater nostra. Quæ omnes cùm per totam vitam rebus gestis excelluerint, & Athanasiæ beatæ mulieris facta cuncta benè nouerint, illis ego credidi. Earũ autẽ vitã, & optimam, maximæq; vtilitatis conciliatricem institutionem aliis suo tempore describendam prætermittamus.

Tu verò beata, & immortalitatis appellatione prædita, diuinorumq; Angelorum contubernalis Athanasia, quæ propter Christum benè paupertatem exercuisti, & diuinis muneribus diues facta es; quæ assiduè lugens, consolationem istam tibi comparasti, & mansuetudine oblectata, mansuetorum terram recepisti, & in fame, & siti vitam ducens, perennes delitias inuenisti, misericordemq; animam habens, à Deo ipso misericordiam magnoperè consecuta es; tu, quæ corde puro splendorem sancti Spiritus excipiens, & in animo pacem habens, eiusdem sancti Spiritus diuersoriũ, &, vt summatim dicã, omnium bonorum thesaurus, ob idq; maximo lumine digna facta es, cum sanctorũ turmis simul versans, & cum iustorum choreis hilaris vnà chorum ducens, sis 12 nostri memor, qui factis tuis lætamur; cura sororum gregem, quem propriis laboribus congregasti; respice vitam nostrã multis huius mundi fluctuationibus agitatam; vt per tuas preces sanctè viuentes, & laqueis diaboli fortiores redditi, tecum vnà sempiternis bonis digni efficiamur, gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi; Cum quo Patri simul cum sancto Spiritu sit gloria, honor, & adoratio, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

12 Sanctã Athanasiam inuocat, vt sit nostri memor, et sororum gregem curet.

MARTYRIVM SANCTORVM PAVLI, ET IVLIANAE, QVI APVD VRBEM PTOLEMAIDEM ILLVD SVSCEPERVNT.

XVII. AVGVSTI.

AVRELIANVS Imperator per totum orbem terrarum contra Christianos edictum proposuit, vt omnes idolis sacrificarent, qui verò id facere noluissent, vita pessimè priuarentur. Ille igitur cùm in Isauriam venisset, in vrbem Ptolemaidem se contulit, vt omnes Christianos cogeret idolis sacra facere. Cùm verò beatissimus Paulus vnà cum sorore sua Iuliana Imperatorem in vrbem ingredientem vidisset, Christi 1 signo frontem notauit, & ad sororem conuersus; Esto, inquit, bono animo, soror mea, neq; timeas; dico enim tibi magnam quandam tentationem Christianis imminere.

1 Nota, Christi signo frontem notauit, hoc est, impresione sanctissimæ Crucis.

Vidit Aurelianus cùm Paulus Christi signo frontem notauit, & misit qui illum corriperent. Quem cùm in media turba stare iussisset; Miserrime, inquit, homo, quidnam tibi proposuisti, vt, me in vrbem ingrediente, frontem signare audéres? An ignoras edictum contra Christianos propositũ? Respondit Paulus: Audiui equidem edictum tuum, sed nemo vnquam poterit tantum timorem nobis iniicere, vt Christum verum Deum abnegemus; tua enim tormenta breuia sunt, neq; eos lædere possunt, qui Deum metuunt. At Dei tormenta sempiterna illa sunt. Eodem modo voluptas, & gloria, quam Deus Christianorum generi largitur, æterna est. Quis igitur tam amens est, vt viuentem Deum derelinquat, & surda, atq; muta ista vestra idola colere velit, cùm ipse author nostræ salutis Iesus Christus dixerit: Quicunq; negauerit me corã hominibus, negabo & ego eum corãm patre meo, qui in cœlis est.

Cernis, inquit, Aurelianus, quandiu te nugantem passus sum, ac sustinui? Accede iam, & diis sacrifica, ne pessimo mortis genere consumaris. At Paulus: Ego nullum alium Deum cognoui, nisi Dominum Iesum Christum, quẽ colui semper inde vsq; à patribus meis puro corde, atq; animo. Tũ Aurelianus dixit: Suspendite hominem istum, & acriter torquete, donec venerit Dominus ipsius, & eum liberet. Suspenderunt igitur illum carnifices, & cruciatibus

cruciatibus affligere cœperunt. Cùmq; affligeretur, voce magna Deum inuocans dicebat: Domine Iesu Christe vera Dei veri & Patris progenies, cuius ortum nemo comprehendere potest, non Angeli, non Archangeli, non Throni, non Dominationes, non Principatus, non Potestates, non Virtutes, non Cherubini, aut Seraphini, nisi Pater solus, tu, inquam, afferas opem mihi humili, & abiecto seruo tuo, & ex manibus Aureliani me liberes. Deus autē protinus ita cruciatus illos leues effecit, vt beatus Paulus nihil sentiret.

Sancta verò Christi sponsa Iuliana cùm fratrem suum ita cruciari vidisset, cucurrit ad tribunal, & voce magna clamans; Aureliane, inquit, tyranne, cur ita crudeliter fratrem meum innocentem crucias? Tum Aurelianus: Detegite mox istius mulieris caput, & eius genas vehementer percutite, ne sic temere loquatur; istum verò nefarium hominem constanter cruciate, eò q Christi, quem dicit, patrocinium, & adiumentum se habere ait. Risit Iuliana, & Miror, inquit, quomodo Imperator cùm sis, deliras, neq; potentiam Christi cognoscis, quēadmodū scilicet tormēta his hominibus, qui eū inuocant, leuiora efficit. Aurelianus ad suos conuersus dixit: Muliercula ista ex mea clementia maiorem in modum elata est. Itaq; illam toruè intuens; Accede, inquit, & diis immola, non enim manus meas te euasuram confidere debes. Ad hæc Iuliana: Ego neq; tua tormenta extimesco, neq; minas tuas ad me pertinere arbitror; est enim Deus in cœlis, qui poterit eripere nos de iniquis manibus tuis. Quæcunq; igitur habes torquendi instrumenta mihi admoueas, vt ex his ipsis Dei, & Saluatoris Iesu Christi opem mihi præsentem esse cognoscas.

Hæc dixit Iuliana. Cui Aurelianus; Video, inquit, pulchritudinem tuam talem esse, vt illius rationem habens, te perdere nolim. Te igitur adhortor, vt diis sacrifices, quò legitimam mihi vxorem te deligere possim, & mecū vnà regnes, Imperio meo omni tempore fruens. Quinetiam fratri tuo iniuriam compensabo, & faciam, vt amplissimum dignitatis gradum apud me habeat: Erexit Iuliana oculos suos in cœlum & [2] Crucis signo cùm frontem notasset, risit. Cui Aurelianus; Cur, inquit, Iuliana, multam benignitatem meā contemnens risisti? Non, inquit illa, contempsi benignitatem tuam, sed rideo gaudens, quòd sponsus meus cœlestis, qui vult omnes homines saluos fieri, sedet in solio sancto suo, eiusq; diuinitatis pulchritudinē contemplor; qui etiam me hortatur, vt certamina ipsa libenter sustineam, te verò vt nugacem, & futilem hominem contemnam, quippe qui, cùm te Imperatorē appellari facias, & ligna, & lapides adoras. Audiens hæc Aurelianus [illegible]bili percitus; Suspendite, inquit, mulierem istam, eamq; constanter c[illegible] vt intelligat se ante Imperatoris tribunal consistere. Cœperant iam [illegible] illam cruciare, cùm Paulus eius frater eam intuens; Ne timeas, inquit, soror, Tyranni cruciatus, neq; ipsius minas formides. Sustineamus paulisper, vt perpetuò requiescere possimus. Infligite huic, inqt Aurelianus, cruciatus assiduos, eiq; inculcate, ne superba, & stulta verba effutiat. Audiens hæc Iuliana iterum risit, & ait: Aureliane Tyranne, atq; inique, Dominus Iesus Christus facit, vt neq; labores, neq; tormenta hæc sentiam; Tunc Aurelianus; Quamuis, inquit, multas nugas effundas, & simules te cruciatus non sentire, faciam tamen vt diutius crucieris, & doloribus succumbas. Non finet, inquit illa, Christus ipse, me vnquam à te superari. Ille est, qui mihi opem affert, & nunc & semper ad finem vsq; opitulabitur, quò ipsius potentiam, & nostram Christianorum patientiam cognoscere possis. Te verò ipse Deus meus æterno igni puniet; exiget enim à te animas, quas perdidisti.

His verbis magis exarsit Aurelianus, & iussit lebetem afferri, ac picem in eū coniici, atq; ignem multum infra lebetē accendi, ita vt nemo propius accedere

[2] Et Crucis signo cùm frōtem notasset.

possit. Iussit autem in illum coniici Paulum, & Iulianam. Qui cùm fuissent coniecti, oculos in coelum erigentes, ac tanquam vno, eodemq; ore precantes hæc dicebant: Domine Deus patrum nostrorum Abraham, Isaac, & Iacob, qui descendisti in fornacem ignis ad Sidrach, Misach, & Abdenago in Babylonis regione, neq; illos igne lædi permisisti, tu, Domine Iesu Christe, lux illa immensa, Patris mysterium, & gloria, Dei'q; altissimi dextera, qui homo factus propter peccata nostra inter homines versatus es, da salutẽ animabus, quas inimicus diabolus miserrimè deceptas, & corruptas vsq; ad infimam tartareæ sedis voraginem detrudere conatur, quemadmodum Aurelianus iste ipsius diaboli discipulus nunc facit. Hæc cùm illi precantes dixissent, pix efferuescens in gelidam aquam conuersa est, ita vt qui præsentes erãt, Dei potentiam admirarentur.

Vide orationem cum eleuatione oculorum in coelum.

Nihilominus tamen Aurelianus proprio furore oppressus, Deo gloriam nõ reddebat, sed magicis artib' ea fieri existimabat. Iussit postea è lebete illos extrahi, in quibus nec picis odor aliqs inerat; quin etiã neq; in lebete ipso picis aliquid inuentum est, sed tantùm frigida aqua. Tunc Aurelianus; Existimatisne, inquit, eos, qui præsentes sunt, à vobis circumueniri, & adduci, vt putent auxilium à Deo vestro vobis allatum, & non magicis potiùs artibus hæc facta esse? Non ita per deos ipsos res se habebit; faciam enim, vt cruciatibus affecti, igné consumamini, nisi diis ipsis victimas obtuleritis. Ad hæc Paulus respondit: Minimè nos possumus viuentem Dominum Deum relinquere, coeli, & terræ creatorem, qui nos è tenebris eripuit, & à manibus tuis eosdem liberauit. Nunquam igitur, Aureliane Imperator, nobis persuadere poteris, vt lapidibus, & statuis vestris voce, auditu, & anima carentibus cultum præbeamus. Itaque de cætero tormenta, quæcunq; vis, nobis admoueas, vt Dei nostri vim cognoscas.

Iussit Aurelianus duas ferreas sedes illuc afferri, & è balneis publicis carbones congeri, & sedes illas vehementer succendi, suum verò abdomine illitos Martyres ipsos supra candentes sedes imponi. Quod cùm mox factũ esset; Iam, inquit Aurelianus, artibus vestris omnibus superatis, potestis discere quisnam sit Aurelianus Imperator. Veniat nunc Christus vester, si potest, & vobis laborantibus opem afferat. Respondit statim Aureliano Iuliana: Nobiscum hoc in loco Christus est, nobis opem affert, neq; sinit ab igne nos tangi. Tu verò illum non vides, cùm eius visione indignus sis. Moneo te, Aureliane, vt insaniam istam omittas, & ad Christum accedas, nã si ei credere volueris, te resipiscentem amplectetur, cùm benignus sit, ac misericors, & humana peccata condonet. Quòd si non credideris, æterno igne punieris.

Magis iratus est Aurelianus, & iussit carnifices capite truncari, quasi pecunias à Christianis accepissent, vt illis parcerent. Cùm verò ad mortem ducerentur carnifices, hortabatur eos Paulus his verbis: Nolite timere, neq; enim in æternum moriemini, sed Sanctorũ participes futuri estis, & coelestis Regni hæredes. Hæc cùm audissent carnifices, constiterunt, ita Deum orantes: *Domine Iesu Christe, quem Paulus, & Iuliana prædicant, adesto nobis, & in confessione tua fac nos perfectos esse, quoniam nihil mali fecimus, & morimur.* Hæc cùm dixissent, obtruncati sunt. Eorum alter Quadratus, alter Acatius dicebatur.

His igitur martyrio consummatis, iussit Aurelianus alios carnifices ignẽ afferre, & supra carbones sal aspergere, vt ignis ipse vehementer accenderetur. Tum Iuliana; Aureliane inquit, Tyranne, & nefarie, cur te ipsũ affligis? Video enim te cruciari, & omnibus modis furore detentum affligi, deniq; vt serpentem aliquem exsibilantem, venenum contra nos effundere; sed nihil tamẽ

proficies, cùm Deus ipse nos corroboret, vt prauas tuas cogitationes sustinere possimus. Itaq; cùm aduersus nos nihil efficere potueris, magis erubesces, & à nobis ipsis abstinebis. Aurelianus iussit illos exolui, & in carcerem detrudi, atq; ligna quædam maximi ponderis in eorum ceruices imponi, pedes etiã compedibus ligari, cathenis manus deuinciri, & ferreos clauos sterni, vt illis configerentur, neq; Christianorum aliquem permitti ad eos ingredi, ne cibus afferretur. Illos igitur carnifices in carcerem duxerunt, quæq; ab Aureliano iussi fuerant, eis fecerunt. Cùm verò media nocte martyres Deum precarentur, lux quædam magna effulsit in carcere, & Angelus coram illis stetit, eisq; dixit: Paule, & Iuliana serui Dei altissimi, surgite, & Deum orate. Hæc dixit Angelus, & ad eos accessit, ac statim instrumenta, quibus eorum colla constricta erant, tetigit, statimq; tam illa, quàm reliqua ferrea, & lignea vincula confracta de iustorum martyrum corporibus exciderunt; duæ autẽ sedes pannis stratæ, & mensa corã ipsis illico apposita est omnigenis ferculis plena; eisq; Angelus dixit: Venite, requiescite, & cibũ sumite, quẽ misit vobis Iesus Christus. Paulus, & Iuliana ea re lætati discubuerunt. Cùmq; panem ipsum in manus sumpsissent, & oculos in cœlum erexissent, Deo ipsi gratias egerunt, & cibi participes facti sunt. Viderunt carceris custodes lucem illam magnam, cùmq; ad eos repente introiuissent, quod factum fuerat didicerunt; ipsos insuper comedentes, & hilares factos viderunt. Itaq; cum illis recumbentes & ipsi comederunt, Deoq; laudem, & gloriam dederunt, qui talem gratiam filiis hominum contulisset, ita vt plerique ex ipsis Deo crediderint, & Christiani euaserint.

Tertio post die Aurelianus cùm in tribunali sedisset, iussit sanctos martyres Paulum, & Iulianam illuc duci; quibus ait: An nondum tormenta ipsa vos docuerunt, vt ab ista insania vestra discedatis, & deos adeuntes, illis victimas offeratis? Hæc, inquit Paulus, stultitia mihi sit, & omnibus, qui Deum ipsũ diligunt. Quod enim stultum est Dei, sapientius est hominibus, & sapientia hominum stultitia est apud Deum. Desipiens profectò, & insanus essem, si à Deo ipso deficiens, dæmones vestros colerẽ. Denuo Aurelianus bili percitus iussit illos in ligno suspendi, & cruciari. At illi Deum orantes hæc dicebant: Domine Iesu Christe fili Dei viuentis, lux Christianorum, & fides, quæ neq; concuti, neq; ab aduersariis expugnari, aut dissolui potest, ostende faciem tuã, & nobis opem feras, neq; nos destituas propter sanctum nomen tuũ. Cùm igitur carnifices diutius illos cruciarent, & Christus eorum cruciatus subleuaret, nihil omnino Martyres tormenta illa [illegible].

Vnus verò è carnifici[illegible], cùm staret ad sinistrum Iulianæ latus, & tormenta in eam inferret, eius pulchritudine captus, manus ab ea continebat. Cuius sensum, atq; animũ cùm beata, & sancta Iuliana cognosceret, sinistrum pedem extendit, & calce illum verberans; Stratonice, inquit, fac quod iussus es à Tyranno Aureliano, neq; manus à me cõtineas mihi parcens; ego enim habeo Regem meum Dominum Iesum Christum Deum æternum, & animæ meæ curatorem, qui corporis laboribus me subleuat, atq; ita præsentes cruciatus non sentio. Hæc cùm Stratonicus audiuisset, statim ensem, quẽ manu tenebat, abiecit, cùmq; ad tribunal Aureliani cucurrisset, clamans; Aureliane, inquit, tyranne, & temerarie, curnam hæc facinora contra Christianos patrare audes? Quidnam homines Deo seruientes commiserunt, vt ita crudeliter, & immaniter eos crucies? An quia Christum omnium dominatorem venerantur? Hæc cùm audiret Aurelianus, ita obstupuit, vt hora vna mutus remanserit. Tandem respondens; Tune etiam, inquit, Stratonice, istorũ stultitiæ, atq; insaniæ particeps factus es? An Iulianæ pulchritudo

te decepit, & eius iucundis sermonibus allectus es? Straronicus cùm in cœlum oculos erexisset, dein Paulum, ac Iulianam in ligno suspensos circunspexisset, Crucis 4 signo munitus, illorum aspectus tales vidit, quales Angelorum Dei facies esse solent. Mox accurrit, & Deorum arã calcibus conculcauit, eamq; euertens, ait: En & ego Christianus sum, facias licet quicquid libet. Furore accensus Aurelianus, iussit eius caput abscindi. Cùmq; sententiam Imperator tulisset, venit ad eum locum, in quo martyrium obiturus erat; vbi cùm genua inclinasset, ita orauit: Domine Iesu Christe, quem Paulus, & Iuliana cõfitentes inuicti permanent, à diuinitate tua seruati, & Aureliani Tyrannidem confundẽtes, tu, quæso, & animam meam accipe in cœleste 5 Regnum tuũ, meã, inquam, animam, qui breuissimæ horæ spatio nomen tuum confessus sum, præsente Aureliano Tyranno. His dictis, ille caput extendit, & à carnifice obtruncatus est. Venerunt autem Christiani & eius reliquias collegerunt.

4 Crucis signo munitus.

5 Vides Sãctorum animas è corporibus exeuntes, statim in cœleste Regnũ recipi?

Paulus verò, & Iuliana cruciatus fortiter sustinebant. Tunc Aurelianus Iulianam affatus; O' scelesta, inquit, & impia muliercula, quomodo in tormentis existens carnificem decipere potuisti, eiusq; mortis causam afferre? Nõ ego, inquit Iuliana, illũ decepi, vel mortis causam attuli, sed qui me assumpsit Iesus Christus, ille ipse & hunc dignum fecit, ac vocauit; nisi enim dignus fuisset, nunquam ad martyrij palmam peruenire potuisset. Illum igitur in Regno cœlorum requiescentem aspicies, te verò in gehennæ flamma puniri senties. Tunc quidem pectus tuum infelix percuties, cùm inferiorem hominem te ipso apud Christum præstantiorem videbis, & dolore affectus clamabis, Dei misericordiam implorans, quam tamen impetrare non poteris. Posthæc iussit Aurelianus illos è ligno detractos in carcerem interiorem concludi, & omnes veneficos, ac præstigiatores vocari, qui feras omnes, quascunq; haberent, acerbissimas, hoc est viperas, aspides, cerastes, ac dracones afferrẽt, vt vnà cũ Paulo, & Iuliana in carcere cõcluderentur. Cùm igitur feras attulissent, quẽadmodũ à Tyranno iussi fuerant, simul cùm Paulo, & Iuliana eas concluserunt. Serpebant autem feræ illæ, & ad pedes beatorum martyrum assidebãt, intentis quidem oculis eorum facies aspicientes, sed nihil tamen nocentes. Paulus autem, & Iuliana sedebant psallentes, & Deum collaudantes.

Manserunt autem serpentes illæ tres dies, & tres noctes cũ martyribus clausæ. Tertio autem die misit Aurelianus sub noctis tempus, vt disceret, an à serpentibus consumpti essent. Venerunt, qui missi fuerant ad eum locum, cùmq; ad ianuam accessissent, eos psalmos canentes, & Deum laudantes audiuerũt. Cùm verò accuratiùs scire vellent, quo modo res se haberet, ascenderunt in locũ quendam superiorem. Vnde per fenestr[illegible] [illegible]derunt Paulum sedentẽ simul cum sorore sua Iuliana, & Angelum Dei stantem in conspectu ferarũ, neq; permittentem feras accedere. Cucurrerunt igitur illi, & Aureliano omnia, quæ viderant, nunciarunt. Surrexit Aurelianus diluculo, & sedit pro tribunali, & iussit veneficos feras suas illinc euocare, & Martyres duci ad tribunal. Accesserunt venefici ad ianuam, & feras eo modo, quo solebant, vocare cœperunt. Cùm verò feræ ipsæ illis non obedirent, ianuam patefecerunt, & feræ vno impetu omnes exierunt, & quoscunq; infideles homines prope ianuã inuenerunt, statim interfecere, & ad deserta loca aufugerunt.

Carceris autem custodes Paulum, & Iulianam ad Aureliani tribunal duxerunt. Tyrannus igitur eos intuens, ac ridens; Beatum, inquit, me hodie existimo, q vestra consuetudine fruor, fortasse enim magnum aliquid à vobis lucrifaciam, & per Deos ipsos, siquidem mihi verum dixeritis, multa, & magna dona à me percipietis, & Regni mei potestas penes vos erit. Nunquid vos, deũ Apollinẽ præsentẽ, & vobis opitulantẽ, vt audiui à quibusdam speculatoribus, vidistis?

vidistis? Nos, inquit Paulus, nullum Apollinem cognouimus; nam sumus ex eorum numero, quibus Deus salutem dedit. Tua verò anima ad mortem vsque perdita est, non enim sapis, neq; resipiscere vis, quinimmò multus tyrannidis tuæ furor ad blasphemiam te conuertit, quippe qui Angelum, quem misit Dominus Iesus Christus ad obturanda ora serpentum, quæ tua est arrogantia, & temeritas, Apollinem fuisse dicis. Tunc iratus Aurelianus, iussit plumbeis glebis Pauli maxillas contundi, atq; illi dici: Ne ita insipienter, & arroganter loquaris, cùm scias te Imperatori assistere.

Iussit postea è tribunali Paulum abduci, & Julianam eius sororem coram sisti, quam his verbis aggressus est: Quæso, animæ meæ domina Iuliana, quæso, inquam, & te hortor, ne fratris tui insaniam imiteris. Video te puellam prudentissimam, multa sapientia refertam. Obtempera consiliis meis, & columnas aureas per totum terrarum orbem tuo nomine inscriptas erigam. Tunc illi Iuliana; Minimè, inquit, me decipies, Aureliane Tyranne, & impie. Non circumuenies Dei altissimi seruam. Ne mihi æternam mortem suggeras. Vis' ne me priuare Dei gloria, & cœlesti regno, quo tu indignus es, & alienus? Iussit Aurelianus Iulianam semoueri, & Paulum reduci; cui dixit: En, Paule, soror tua promisit mihi se diis sacrificaturam, quæ idcirco mihi vxor erit, totius'q; Regni mei domina. Fac igitur & tu quod dico, & sinas tibi persuaderi, vt diis sacrifices. Ad hæc Paulus; Verè, inquit, mentitus es, id'q; tuo malo; sed nihil alienum fecisti à patris tui diaboli disciplina, cùm id facias, quod ille solet; neq; enim aliquem subripere potestis, nisi mendacia confingendo. Sed frustra laboras, nanq; nos non decipies, ne si totius quidem orbis terrarum Imperium nobis pollicereris. Minimè, inquam, nos circumuenire poteris.

Quousq; tandem, inquit Aurelianus, iniuriam nobis facis? An non erubescis, nugator, & insipiens? Per deos ipsos ego vos omnium generum tormentis affligam, et nemo è manibus meis vos auferre poterit. Iussit igitur ignē afferri, & quatuordecim virgas ferreas, eas'q; in ignem coniici, & valde accendi, tum Pauli manus, & pedes ligari, ferreum'q; vectem inter manus & pedes iniici, & in terram defigi, ac sic virgis ignitis binis per vices Paulum percuti; Iulianam verò iussit in lupanari constitui. Itaq; multi è turba illa, quæ circumstabat, scelesti, & nefarij homines, certatim contendebant quis ad eam primus ingrederetur. Erant enim velut equi hinnientes, eius puellæ forma incitati. Cùm verò in eo loco, in quo Aurelianus iusserat, constituta esset, statim Angelus Domini descendit de cœlo, & dixit: Ne timeas, Iuliana; Dominus enim Iesus Christus, quem tu colis, misit me, vt te protegam, & sanctum nomē eius notum faciam omnibus timentibus eum. Cùm verò multi ad Virginem accederent, & eius pulchritudine frui vellent, Angelus excussit è pedibus suis puluerem, & in eorū oculos iniecit, ita vt eos excæcarit. Quapropter neq; ampliùs cernebant vbi essent, aut quò irent, neq; ad illam accedere poterant. Id cùm turbæ vidissent, quod admirabiliter factum fuerat, vno animo clamabant: Magnus est Deus Pauli, & Iulianæ, qui vbiq; eos seruat, & protegit, qui illū timent. Qui autem excæcati fuerant, flexis genibus supplices eius opē implorabant, dicentes: Iuliana serua Dei altissimi, peccauimus quidem contra te, cùm stultè, atq; insipienter nos gesserimus; sed tu da, quæsumus, nobis veniā, vt Dei serua, & precare Christum tuum, vt nobis visum restituat. Eorum misericordia commota Iuliana, paululum aquæ accepit, & cū 6 oculos in cœlū extulisset, Deum inuocauit ita dicens: Domine Iesu Christe author omniū salutis, exaudi me, & nunc etiam ostende miracula, & prodigia, quæ facis propter nos filios hominum. Restitue his viris facultatem videndi, vt sanctum, & gloriosum nomen tuum celebretur. Hæc cùm dixisset, aquā supra turbas illas

6 Orat Sācta, eleuatis in cœlū oculis.

infudit, & omnes, qui excæcati fuerant, visum receperunt. Tum illi ad terram prostrati gratias Deo reddebant, pœnitentiam agentes. Cùmq; peccata sua confessi essent, Christiani facti sunt.

Paulus verò, de quo dicebamus, cùm à carnificibus cruciaretur, virgis illis ferreis diutius percussus vociferabatur, hæc dicens: Aureliane Tyranne, & nefarie, quidnam mali commisi, vt sic crudeliter, & impiè me crucies. Verùm me quidem à tormentis Dominus meus Iesus Christus subleuat, te verò manet hæreditas æterni illius ignis, qui paratus est tibi, & diabolo hæc aduersus nos suggerenti. Et vbi nam, inquit Aurelianus, Paule, est Iuliana soror tua, quã ais esse temperantem, & virginem? En illa ad lupanar ducta est. Num putas adhuc esse virginem? Ad hæc Paulus; Scio, inquit, illum ipsum Deum, qui semper à tuis prauis cogitationibus me liberauit, sororis etiam meæ propugnatorem fuisse, & intactam ab omni labe conseruasse. Misit enim Angelum suũ è cœlo, vt eam custodiret. En vt sine macula, & virginitatem puram habens, reuertitur, vt videat vincula mea. Miserat enim Aurelianus, vt Iuliana duceretur. Quæ cùm venisset ad tribunal, & Paulus eam vidisset, multo gaudio plenus risit. Aurelianus verò; Num, inquit, Iuliana, amatores tui pulchritudine tua satiati sunt? At illa dixit: Mea pulchritudo, meum ornamentum, & decus Christus est, qui misit Angelum suum, & me abiectam, atq; humilẽ seruam protexit, quoniam fidem, & spem meam in illo fixam habeo. Quapropter gratias illi ago, & sanctum eius nomen collaudo, quòd ipse est, qui facit mirabilia solus, & non est alius Deus præter ipsum.

Iussit deinceps Aurelianus Paulũ exolui, & foueã quandã effodi, tã longam, quanta est triũ hominũ statura, tũ ligna, & ignẽ afferri, atq; in fouea illa succendi. Fecerũt carnifices quod iussum fuerat admodum studiosè, nã & foueã statim effoderunt, & ignẽ vehemẽter accẽderunt. Itaq; Aurelianus iussit Paulũ, & Iulianam in ignem illum coniici. Sancti verò martyres Deum collaudantes, Saluatorem, ac Dominum Iesum Christum inuocabant ad opem sibi ferendã. Cùm autem ad eum locum venissent, sua membra 7 Crucis Christi signo muniebant, & sponte se in ignem coniecerunt. Erant autem in igne illo Deũ laudantes, & eius gloriam prædicantes. Ecce autem Angelus Domini descendit de cœlo, & fumum vnà cum igne foras excussit, neq; permisit sanctos martyres vel paululum ab igne perturbari. Stabant itaq; in fouea illa rectis corporibus diuinas laudes proferẽtes in hanc sententiã: Benedictus es Domine Deus Rex seculorum, qui memor fuisti humilitatis nostræ, & præsentia tua ignis flãmam extinxisti propter bonitatem tuã, quæ facit, vt peccata nostra non recorderis. Tu nos indignos, saluos, atq; incolumes eripuisti à cogitationibus Tyranni Aureliani, qui suo Imperio ita intumescit, quasi futurus sit immortalis. Hæc cùm Martyres precarentur, multi ex Græcis Dei Potentiam contemplantes, animo compuncti ab idolorum superstitione defecerunt, & Christi fidem secuti sunt; multi etiam carnifices, qui eos verberauerant, cùm Dei tanta in illos beneficia collata vidissent, mutato consilio, Christi fidẽ amplexi sunt.

7 Nota, Sua membra Crucis Christi signo muniebant.

Perlata verò sunt hæc omnia ad Aurelianum, qui iussit illos, ita vt erant, in fouea lapidibus obrui. Sed ecce repente tonitrui sonitus cum multis fulguribus, & nubes huc atq; illuc agitatæ, & ignis plenæ, vsq; ad Aureliani conspectũ deuenerunt, & ignem illum in terram effuderunt, voxq; hæc è cœlo ad eũ demissa est: Aureliane, ingredere in abyssum gehennæ ignis paratam tibi, & patri tuo diabolo. Hæc cùm facta essent, misit Aurelianus, & iussit athletas & Christi martyres ex fouea illa extrahi, & in carcerẽ coniici. Itaq; sancti martyres Dei gloriam laudabant in omnibus his, quæ Deus ipse mirabiliter illorum causa fecerat. Septimo die postea diluculo Aurelianus sedit in tribunali, & iussit

sacerdotes afferre quotcunque idola habebant argento, & auro confecta, ac preciosis lapidibus ornata. Quæ sacerdotes ipsi mox in conspectu Aureliani constituerunt, cùm strauissent sub eius pedibus purpuram regalem. Tũ Aurelianus; Vocate, inquit, Paulum, & Iulianam. Quos cùm vidisset ante tribunal consistentes, animo, & vultu valde irato illis minatus, dixit: Ite nunc, & diis sacrificate; nolim enim existimetis, manus meas vos euasuros. Subrisit Paulus, & ait: Nunquam, Tyranne, Deum nostrum derelinquemus, qui cœlum, & terram effecit. Ne putes ampliùs, idolis tuis cultum nos allaturos? Tum Aurelianus; Violenta, inquit, morte dignus es. Idola'ne tibi hæc videntur? Neque intelligis, quæ vis in illis sit?

Ad hæc Paulus: Iuppiter iste, quem tu Deum esse dicis, homo quidam fuit fugitiuorum filius, qui artem magicam benè edoctus fuerat; cùmque præter cæteros homines esset incontinentissimus, & libidini maximè deditus, ac quorundam pulcherrimas vxores, atque filias adamasset, se continere non potuit, quin cum illis commisceretur. Qui modò in taurum mutatus, modò aui similis, aquilæ scilicet, ac cygno, mulieres nonnullas ex iãdictis circumuenit, & à mente alienatas in eam miseriam impulit vt ipsum, tanquam Deum, coleret. Adhæc & alias mulieres per formæ mutationem, & præstigias decepit in aurum commutatus. Et ne alia eius libidinosa facinora hoc loco narrem (Scio te ad iracundiam concitari; sed licet irascaris, dicam tamen nihil veritus) iste, qui prope Iouem positus est, & Apollo dicitur, an non ex adulterio genitus est è muliere quadam, quæ Latona dicebatur, quæque illum peperit inter duas arbores, qui & ipse opera nefaria commisit, Patrem Iouem imitatus? Eodem modo & Dionysius vester ille Deus, an non & ipse ex adulterio genitus est ex Semele Cadmi filia? Nugator, inquit Aurelianus, & scelestε, an non ex Iunone deorum matre Bacchus genitus est? Risit Paulus, & ait: Est'ne Deus, qui ex muliere genitus incipiat esse deus, aut qui vxorem habeat? Tunc Aurelianus; Quousque, inquit, multas nugas effundens diis maledices? an nõ & vester Christus, quem vos Christiani Deum cœlestem esse dicitis, ex muliere genitus est? Respondit Paulus: Non es tu dignus, qui Dei mysterium audias. Verùm ne oratione tua multos eorum, qui præsentes sunt, circumuenias, necesse est aperire id, quod quæris.

Initio Deus ipse cùm cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt, effecisset, hominem effinxit ad imaginem, & similitudinem suam, purum enim à malitia, innocentem, iustum, pietate præditum creauit illum Deus, & in paradiso deliciarum pleno eum collocauit. Pater autem vester diabolus non ferens tantam hominis felicitatem, Euam seduxit, & per illam Adam ad diuini præcepti transgresionem impulit. Quo factum est, vt & Adam ipse tanquam transgressor è paradiso expulsus sit, & genus omne humanum morti & peccati pœnæ obnoxium euaserit. Quamobrem cœlestis Pater & omnipotens Deus misericordia motus, humano generi subuenire volens, misit filium suũ, vt humanam carnem susciperet, & Adam solueret, eosque, qui ab iniusto detinebãtur. Ipse igitur Deus, Verbum Dei, ac Patris filius ante secula omnia est sapientia ipsius, & potentia, & dextera, qui per Archangelũ Gabrielem annunciatus fuit sanctæ illi Virgini puræ, atque honestissimæ, ex prophetico, & regio genere originem ducenti. In cuius vtero Deus ipse, hoc est cœleste Verbum, quod oculis corporeis non cernitur, habitans suscepit corpus, cum Gabriel ita Mariam ipsam affatus esset: Aue gratia plena Dominus tecum: et paulopost, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideóque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.

Genitus igitur fuit Deus & cœleste Verbum per Virginẽ omni labe purissimã,

corpore, tanquam veste quadam, indutus propter humanæ salutis dispensationem. Nemo enim poterat Deum verum, ita vt est, præsentē videre, cùm Deus ipse sit ignis consumens, neq; homo aliquis viuens Dei faciem videre possit. Huius igitur dispensationis causa Deus noster, quòd ad carnē pertinet, genitus fuit, & vt infans lacte nutritus est, cùm esset tamen diuinitate perfectus. Insuper factus est puer, & iuuenis, cùm'q; hominibus, vt homo cōuersatus est annos triginta tres, vrbes, regiones, & castella orbis terrarū pertransiens, & benefaciens omnibus, ac liberans eos, qui à diabolo vexabantur. Postea in ligno Crucis suffixus est, vt salutem daret mundo, qui perierat diaboli violentia, & fallacia. Idem corpore mortuus est. Cùm'q; ad inferos descendisset vnà cum sancta anima illa sua, contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit, atq; in caliginosa inferorum penetralia ingressus eripuit eos, qui vinculis detinebantur, & ex carcere diaboli illos in superiorem regionem eduxit. Quod totum ipsius benignitati acceptum refertur.

Cùm verò ita post tres dies à mortuis resurrexisset, apparuit suis Discipulis, atq; Apostolis, & aliis multis, qui verè in eum crediderant; & cùm aliquoties comedisset, & bibisset cum Apostolis per dies quadraginta, sic postea in cœlum assumptus est, & sedet ad dexteram patris cū corpore illo, quod ipse Deus Verbum sibi copulauit. Nunc igitur diabolus dolore affligitur, illum enim Christus ipse Christianorum pedibus conculcari fecit, qui per sanctum ipsius nomē ingrediuntur in Regnum cœlorū; à quo Regno tu alienus es, habes enim sortem, & partē æternā, ignis gehennam, hæreditatē diaboli patris tui percipiens.

His auditis, Aurelianus præ furore vultu mutatus est, & dētibus stridere cœpit, exardescens in illū, cui & respondens; Multas, inquit, nugas te modò effundentem passus sum, patientiam in te, nugax, & sceleste, audiendo retinēs. Tu verò quandiu perges me contemnere, & diis maledicere? Nunc igitur nisi diis immolaueritis, pessimis modis vos perdā, ita vt nemo possit è manibus meis vos eripere. Tum Paulus, & Iuliana concordi animo, & magna voce clamātes; Nos, inquiūt, Christiani sumus, & in Christo ipso spes nostras collacatas habemus, dæmones nō adoramus, idolis tuis nō seruimus, tormēta tua nō timemus. Excogita igitur quoscunq; vis cruciatus, fidem enim in Deo habemus fore, vt à nobis supereris, quēadmodum pater tuus diabolus à Christo superatus fuit, qui nos etiam robustos facit, & prauas artes tuas expugnat. Hæc cùm audisset Aurelian⁹, iussit lignū quoddā magnū afferri. Quod cùm allarū fuisset, fecit Paulū in eo alligari. Carnifices verò eius man⁹ colligarūt. Tūc Aurelian⁹ præcepit accensas lāpades afferri, & in eius faciē iniici, præcone ita vociferante: Ne in orbis terrarū Dominos cōtumeliosus sis, ne sic in deos ipsos maledicta coniicias.

Iuliana cùm fratrem suum igne comburi spectaret, summa voce clamauit: O Tyranne, & scelestе, quid mali frater meus commisit, vt ita crudeliter eum crucies? Iussit Aurelianus, & Iulianam in ligno alligari, & accensas faces in os eius, & in totum corpus adhiberi; cui & dixit: Impudentissima mulier, erubesce, quemadmodum mulieres decet. Tum Iuliana ridens; Verè inquit, Aureliane, te admonentem acceptum habeo, eò quòd dixisti, Cùm sis mulier, erubesce; reuereor enim, & erubesco Christum Dei viuentis filium, qui est ante faciem meam, neq; illum possum derelinquere, et dæmones colere. Furore accensus est Aurelianus, cùm se ab illis irrisum videret. Itaq; iussit carnifices ignem per totum corpus illorum circunferre. Quod cùm illi mox fecissent, tota ciuitas, quæ sanctorum martyrum spectaculo intererat, voce magna clamabat: Imperator Aureliane, iniustè iudicas, iniustè illos crucias. Si nolunt diis sacrificare, sententiam contra illos feras. Tum Aurelianus cùm metueret, ne populus seditionem aduersus ipsum concitaret, sententiam tulit,

vt eorum

vt eorum capita truncarentur, & corpora canibus, ac feris, & volucribus cœli proiicerentur.

Itaq; decimoseptimo die mensis Augusti exierunt simul lætantes, atq; versũ hunc psalmi concinentes: Saluasti nos, Domine, ab affligentibus nos, & odientes nos confudisti. Cùm verò ad locum martyrij venissent extra vrbẽ, Paulus rogauit carnificem, vt Iulianam priùs, quàm ipsum securi percuteret. Iuliana verò cùm faciem suam Christi 8 signo munisset, admodum læta collum extendit, eamq; spiculator securi percussit. Paulus igitur cùm sororem, Christi martyrio perfunctam vidisset, oculis 9 in cœlum erexit, & Deo gratias egit, ac Crucis signo se itidem muniens, collum suum extendit, quem & spiculator mox obtruncauit.

Erant illorum corpora extra vrbem iacentia, cùm è loco illo ea tollere Christiani prohiberentur. Milites enim, ita vt iusserat Aurelianus, obseruabant, ne quis reliquias illas auferret. Veniebant autem in eum locum 10 lupi, canes, & volucres, & circa sanctorum martyrum corpora sedentes, illa custodiebant; cùmq; muscas, & eiusmodi animalia supra corpora illa sedentia viderent, aues ipsæ alis ea expellebant, non permittentes vt in sanctis illis corporibus insiderent. Itaq; septem dies, & septem noctes feræ, ac volucres cœli circa martyrum reliquias consederunt. Cæterùm nunciata sunt omnia hæc à militibus Aureliano, qui cùm ea audiuisset; O' furorem, inquit, pessimum Christianorum istorum, quos ne mortuos quidem superare potuimus. Misit igitur, & milites ipsos noctu illinc abduxit; neq; enim volebat de die eos illinc remouere, ne à Christianis irriderentur. Cùm verò dies illuxisset, exierunt Christiani, & Martyrum corpora curantes sumptuosè in pace condiderunt, regnante Domino nostro Iesu Christo, cum quo Patri, simul & sancto Spiritui sit gloria, honor, & imperium, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

8 Cùm faciem suam Christi signo munisset.

9 Oculis in cœlum erectis, gratias agit Sãctus Deo, ac signo Crucis se munit.

10 Vide quomodo etiã irrationales creaturæ Sãctorũ corporib9 seruiunt.

MARTYRIVM SANCTI ANDREAE DVCIS EXERCITVS, ET SOCIORVM.

XIX. AVGVSTI.

IMPERATORE Maximiano homine valde impio, persecutio quædam magna contra Christianos commota est, præcipuè autem in regionibus Syriæ. Erat tempore illo Antiochus quidam superstitioni plurimùm deditus, militares ordines sub imperio suo regens, qui propter idolorum insaniam cõtra pios homines furorem acrem spirabat. Sub eo viro, quem Antiochum nominatum diximus, multi Tribuni militares eiusdem erroris participes numerabantur. Inter quos velut rosa florebat inter spinas, & inter graueolentes odores fragrans aliquis vapor, fidelissimus Dei seruus, & martyr Andreas, qui latuerat quidem antea, sed postea manifestè apparuit. Hic propter ardentem zelum, atq; pietatem, magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi opem assecutus, aduersantium bellorum hostes superabat, & multis egregiis, ac strenuis facinoribus excellebat.

Tempore illo accidit, vt Persicarum copiarum pars quædam fines transiliret, & bellum aduersus Antiochum suscitaret. Quoniam igitur repentina hostium incursio, & eorum multitudo non mediocriter ipsum perturbauit, Andreæ tunc Tribuni militarem peritiam, & strenuitatem recordatus, illum ad consuetos ordines accersiri iussit, hortans eum, vt forti animo esset. Vtens autem his sermonibus; Tuæ, inquit, fortitudinis facinora quæq; aduersus hostes, & mihi, & ei, qui sceptra Imperij tenet, maximè nota sunt, & admodum manifesta; quapropter & dignitatis istius gradum sortitus es. Itaq; magnum hoc, & repentinum bellum fortitudini tuæ committo, vt per præsentis certaminis occasionem, ad gloriam tuam superiorem maior cumulus accedat. Hos cùm audisset sermones optimus Christi miles Andreas, non copiis, non armis, aut curribus, sed solo præpotente Deo fretus, magnum illum Gedeonem æmulatus est, & paucos quosdam milites ad eiusmodi aciem assumpsit. Eos enim solos, quos manifestè cœlestis gratia ei designauit, secum habens, oppositis hostibus prælium intulit.

Iam verò cùm esset congressurus cùm hostibus, eorum ingentem multitudinē diuinæ cognitionis argumentum suis militibus proposuit; nodum enim Christi

Dei nostri fide donati fuerant. Hæc igitur illis enarrabat: Præsens opportunitas cœlestis, & diuinæ cognitionis conciliatrix nobis erit; statim enim cognoscetis, quòd dij gentium verè dæmonia sunt, quódque verus Deus ille est, quem ego colo, qui cœlum, & terram effecit. Ipse igitur, cùm omnia possit, opem affert iis, qui eum inuocant, eosque fortes in bello efficit, & hostium cohortes facit terga vertere. En igitur, vt videtis, hostes ipsi è regione nobis sunt oppositi, copiis innumerabiles, & nobis validiores. Sed agite errorem idolorum omittentes, mecum vnà Deum, qui verè Deus est, inuocate, ac statim videbitis hostes ipsos, velut fumum quendam, aut puluerem, coram vobis deficientes. Hæc ille dicebat. Cui milites credentes, & cum multa fiducia irruentes, oppositas phalanges in fugam conuerterunt, & illustrem de hostibus ipsis victoriam deportarunt. Milites autem illos eius prælij victores, reique admirabilis supra omnium opinionem testes, sanctus Dei vir Andreas, vt electos Christi viros, perfectè, quantùm in illo erat, confirmauit, & ad Dei cognitionem adduxit.

Ea re putatisne parum aduersarium diabolum conturbatum, qui victoriam illam contra se trophæum quoddam erectum cogitauit, neque aliquid aliud eam rem fuisse, nisi propriæ potestatis casum existimauit? Cæterùm maximus Dei Athleta ad stadium progredi paratus, quasi pignora quædam cœlestia, præstantia dona ab ipso Deo percipiebat, cùm & eiiciendorum dæmonũ miraculis abundaret. Multos igitur in singulos dies impuris spiritibus perturbatos liberabat, sicque letale vulnus diabolo infligebat, & inuidum, ac superbum hostem maximè subiiciebat. Cùm verò quæ ad bellũ pertinebant, viro sancto ex sententia processissent, & aduersus Persas trophæum statuisset, venit cùm suis militibus in vrbẽ Antiochiã. Statim autẽ illum milites quidã ex iis, qui cum ipso fuerant, inuidia, & liuore incitati, cùm bonum illud non voluntariè delegissent, apud Antiochum detulerunt, quòd Deum Dux confiteretur, & celebraret, qui in Cruce suffixus fuerat. Ea res maximam iram Antiocho attulit, & misit quosdam ex ordine militari, qui ab eo discerent, quod verum erat, & planum facerent. Cùmque per eos, qui missi fuerant, rem ita se habere certò audiuisset, apud eum per internuncios partim assentationibus, partim minis, partim admonitionibus vsus est; commemoransque suum in Christianos odium, & acerbitatẽ, per ipsos internuncios ei dicebat: Cùm noueris, quemadmodum, & qualibus tormentis sustulerim Eutychium Polieucti filium, & multos eorum, qui vnà cùm illo Christi fidem secuti sunt, ac quemadmodum neminem ipsorũ misericordia prosecutus fuerim, tu quo nunc consilio, aut qua spe hominis in Cruce suffixi mentionem proponis?

Ad hæc Andreas respondit: Maximè istis verbis, quæ dicit, constantiam meã Antiochus corroborat; nam si isti omnes, quos nominatim protulit, grauibus tormentis ab illo subiecti, victores ipsius extiterunt, & Christo Deo coronati athletæ astiterunt, quare non & ego studere debeo amicus, vel potiùs Domini mei Iesu Christi seruus omni tempore permanere, vt eadem, quæ illi, consequar præmia? Has voces per eos, qui celeriter quæ dicebantur excipiebant, & literis mandabant, à sancto viro prolatas accepit Antiochus ille arrogans, & à Dei pietate abhorrens, eumque vinctum ad se duci iussit, & omnibus audientibus interrogari, & apertè fateri, num Imperatoris edicto, an suo Deo parere vellet. Ille autem præsentibus hominibus, Angelis, & tota spectabili, & creata natura, distinctè, apertè, & confidenter Christum confessus est. Itaque superbissimus Præses acerbissimum supplicium aduersus illum excogitabat, & ironia quadam vtens; Quoniam, inquit, multum laboris Andreas in bellis perpessus est, & victoriis non paucis coronatus fuit, remissionis, & requiei

viam, ac rationem ipsi excogitauimus. Iussit igitur æreum lectum componi; qui cùm valde accensus fuisset, sanctum virum Andream supra illum poni iussit. At ille præsenti, & alacri animo in lectum illum, tanquam in molle aliquod stratum, insiliuit, & in illo decubuit, statimq; vehementem cruciatum sensit, cùm totum eius corpus combureretur, & vndiq; ignis ardore feruesceret. Mox verò propter eximium fidei suæ feruorem, requiem, & recreationem habuit, cùm ignis ipse relaxatus esset. Duxit etiam nefarius ille Iudex quosdam ex eorum militum numero, qui vnà cum ipso strenuè in bello se gesserant, & verè in Deum crediderant, ipsorumq; manus in lignis quadratam figuram habentibus suffigi iussit, ridensq; ab eis quæsiuit, num ea res esset illis voluptati. Repente illi animo valde prompto sibi eam rem iucundissimam esse affirmarunt, hæc addentes: Vtinam Christi simus imitatores, qui propter nos in ligno Crucis suffixus fuit. Deinceps ad diuinum Andream Tyrannus interrogationes suas conuertens periculum faciebat, num talem cruciatum expertus sententiam mutasset, & à Christianorum fide animum auertisset. Sed cùm is respondisset se coronam illam, quam qui ad finem vsque patientiam retinent adipiscuntur, à Deo expectare, neque vnquam ab iis, quæ rectè, & firmiter statuta sunt; se discessurum, iussit Tyrannus Andream è lecto illo eductum, in carcere diligenter custodiri, verbo quidem, quòd Martyri tempus dare vellet, vt rem suam melius consideraret, & sententiam mutare posset, re autem vera hoc faciebat, vt ipse interea scire posset, quænam esset super Andrea, cæterisq; militibus Christianis, Imperatoris sententia.

Statim igitur ad Maximianum literas misit, & rem illam significauit. Maximianus cùm de Andrea, & iis, qui cum illo erant, certior factus est per eas literas, quas supra diximus, existimans non parum perturbationis, & tumultus ad eum peruenturum, si tam insignem, & clarum Ducem exercitus, totq;, & tantos viros, qui cum ipso erant, milites optimos gladio percuti iuberet, rescripsit ad Antiochum, vt artificio aliquo, aut versutia viros latenter ad id, quod vellet, perficiendum alliceret, neq; rerum nouandarum, aut seditionis occasionem toto exercitui præberet. Hæc scripsit Imperator illud considerans, quòd si, cùm aliquibus obscuris hominibus, quorum crimina sint incerta, pœnam Iudex inferre vult, ad illorum causam defendendam pleriq; propensi sunt, eò magis in hoc viro id fieret, qui & dignitatis gradum tenebat, & non vulgares labores multorum virorum testimoniis comprobatos pertulerat, ac ordini militum non contemnendo præerat. Quamobrem in suis ad Antiochum literis adiunxit: Placet mihi huiusmodi viros à carcere liberari, quasi anteactarum rerum venia iis concessa, paulo autem postea, nisi resipuerint, tanquam ob aliud crimen delatos illos ipsos grauiter puniri.

Antiochus igitur cùm has literas à Maximiano accepisset, fecit quod Imperator iusserat, & insignem Dei seruum Andream, & omnes, qui cum ipso erant, ex vinculis eduxit, & libero, ac securo animo vitam degere permisit. At sanctus Dei minister Andreas eiusmodi fallaciæ inuentum, diuinitus sibi patefactum cognouit, & eos, qui cum ipso laborauerant, eiusq; admonitionibus ad diuinam cognitionem perducti fuerant, secum habens, in Ciliciam ad Tharsum Metropolim se contulit; iamdudum enim propositum habuerat, per Petrum, qui tempore illo religiosè, & sanctè præsidebat iamdictæ metropoli, & multis egregiè factis præstabat, Deoq; ipsi gratus erat, ad salutarem baptismum perduci. Nam etsi fuerat ab initio, vt supradictum est, fidelissimus Dei minister, & eius donis refertus, nondum tamen diuini baptismatis particeps factus erat. Antiochus cùm Andreæ, & eorum, qui cum ipso erant, discessionem cognouisset, furore accensus, consiliarios suos, & quibus vti

consueuerat, accersiuit, quæq; Andreas fecerat cum illis communicauit, & literas misit ad Seleucum, qui in Ciliciæ administratione, quòd ad militare opus pertinebat, eius vicarius erat. Literæ autem illæ ita se habebant. Puto te audiuisse de Andrea, qui olim Dux fuit in exercitu maximorum Imperatorum, quòd nunc non solùm seipsum amentiæ tradidit, sed plurimos etiam militum, quos secum habebat, concitatos, ad eam sententiam impulit, vt regalibus, & diuinis edictis aduersarentur. Quoniam verò cognouimus clam hinc ipsum discessisse, & in Cilicum prouincia nunc existere, æquitati tuæ placeat regiæ voluntati obtemperanti, & Andream, & eos, qui cum ipso sunt, persequi, ac detentos, & vinctos nostris manibus tradere. Quòd si aduersati fuerint, aut fugere iam cœperint, militaribus gladiis conifice.

Seleucus cùm eiusmodi literas accepisset, expeditos, & probatissimos milites, quos Romani Ordinarios appellant, quamplurimos secum habens, (erat enim & ipse contra Christi seruos nimio furore percitus) ad Tharsensium vrbem properauit, cũ sanctorum hominum cateruam illic esse didicisset. Andreas verò sanctus vir, cùm id præcognouisset, petiit à beato Petro Episcopo sanctissimum baptisma. Quod multo cum desiderio, & certandi ardore suscepit vnà cum fidelissimis militibus, quos secum habebat. Erat autem cum Petro Episcopo & Nonnus Episcopus Berœæ. Post hæc Andreas celeritate vsus exiit in locum, qui dicitur Taxanite, non metu id faciens, sed vt præceptum Domini seruaret, quod ita definit: Cùm persecuti vos fuerint, ex vnà ciuitate fugite in aliam. Seleucus verò cùm audiuisset diuinum illum virum ex ea vrbe migrauisse, solicitudine, & confusione quadam affectus, & præ tristitia vultum mutatum habens, intento cursu & ipsum, & eius socios insequebatur. Porrò Andreas cùm & è loco Taxanite discessisset, totum montem Taurum peragrauit vsq; ad fines eius regionis, quæ Tamalthe dicitur. Cùm venisset autem ad castellum, quod dicitur Orchesum, in Armeniorum prouincia situm prope Melitinensium illustrem metropolim, peruenit inde ad Chausorij, & Charauatmensium regiones. Id cùm nesciret Seleucus, neq; rationem aliquam inire posset, qua sciret, per quam viam sanctus ille vir iter fecisset, venit accurrens ad eum homo quidam, Martinus nomine, qui significauit, Andream ad Taurum montem peruenisse, & per eum ad alia loca transiisse. Tum persecutor ille, cùm id didicisset, celeriter venit ad locum, qui dicitur Capsurius. Celeberrimus autem martyr vnà cum fidelissimis illis militibus secũ versantibus, properauit ad eã regionem, quæ dicitur Androcaloni, & in Tauri montis angustias se deiecit. Causam verò quare angustiæ vocentur, eius loci figura declarat. Duo enim montis iuga vicissim sibi opposita, ac paulatim coëuntia, ferè inter se copulantur, sed flumine præterfluente distincta, angustias quasdam efficiunt, quæ ferè inuiæ sunt, hiatum verò præcipitem inter se habent, magnum illum quidem, & vel iis, qui ipsum aspiciunt, terribilem. Hac de causa eius loci situs talem appellationem accepit.

Magnus ergo, & celeberrimus martyr cùm ex diuina prædictione loca illa suo, & eorum omnium, qui cum ipso erant, martyrio præfinita esse cognouisset (Oportebat enim eum, qui diuinum cursum conficiebat, & per angustam, & arctam viam ambulabat, ad cœleste Dei Regnum ingredi) vlterius progredi destitit. Tunc Seleucus venit, & vidit loca, in quibus viri illi à Deo ducti constiterant; in eos autem exercitum, quem secum habebat, immisit. Id cùm sensisset Dei minister, & se, & socios suos ad preces excitans ait: O amici, & commilitones, ac filij mei, nunc est tempus acceptabile, nunc

dies salutis, perstemus in Dei amore, resistamus animo æquo, & forti, quemadmodum præcepit nobis Deus; manus nostras non ad vlciscendos persecutores, sed ad Deum precandum, eiq; gratias agendum erigamus, quod nobis concesserit, vt ad horam hanc venire poterimus, quò partem, & sortem cum omnibus iis, qui sanctitate præditi sunt, assequamur. Supplices ab illo postulemus, quod Martyrum primus celeberrimus Stephanus, cùm lapidibus obrueretur, à Deo petiuit, dicentes & nos: Domine Iesu Christe, accipe spiritus seruorum tuorum, quos in manus tuas commendamus.

1 Orat Sãctus, manib⁹, atq; oculis in cœlum erectis.

Cùm verò in medio ipsorum constitisset, manibus, atq; 1 oculis in cœlum erectis, Deum orauit, hæc dicens: Domine Deus, qui magnus es, & omnipotens, accipe mei peccatoris, & indigni serui tui preces, eorumq; omnium, qui mecum sunt, & fidem tuam immobilem seruauerunt; omnibusq; his, qui necessitatis tempore nostra, qui sumus indigni, nomina inuocauerint, præsta petitiones illas, quæ ad salutem pertinent; quiq; ad locum hunc confugerint, eos protege, & à malo, ac necessitate libera, largiens ipsis sanctitatem animæ, & corporis; & quo loco humilis sanguis noster effusus fuerit, fiat illic curationum fons, & spirituum impurorum redargutio, ac liberatio, vt terribilis, & sancti, benedictiq; nominis tui, vnigeniti etiam Filij tui Christi Dei nostri sanctissimi, & vitam dantis Spiritus sancti gloria celebretur in secula seculorum. Amen. Completis his precibus, astiterunt statim persecutores feris immitibus crudeliores. Ipsi verò, tanquam agni simplices ad immolandum ducti, mansuetè, & leniter seipsos illorum manibus tradiderunt, communem omniũ Dominum imitantes.

2 Miracula, quæ in hoc loco fiunt, veram fidem in nobis confirmant, & Sanctorum vitã innocentem, & Deo gratã fuisse attestãtur.

Profani igitur illi, & nefarij persecutores ferociter, & cum quodam (vt ita dicam) dentium stridore, ac fremitu irruentes strictis gladiis beatisimos viros interfecerunt, & illorum multo sanguine præterlabentem fluuiũ impleuerũt. Statim autem, quemadmodum sanctus martyr precibus suis postulauerat, locus, in quem venerandus sanguis ille defluxerat, fons 2 quidam effectus est omnigenarum ægrotationum sanitatem afferens; qui fons ad hodiernum vsq; diem gratiis redundat, & curationem singulis accommodatam largitur. Quamobrem non ad eos solũ, qui prope, & in eo loco, ac finitima regione sunt, sed ad ipsos etiã, qui longè absunt, & ab illis locis multùm distant, huius viri sancti fama celeriter peruenit, quæ facit, vt omnes tam parui, quàm mediocres, & summi viri concursu 3 magno illuc proficiscantur, & miracula, quæ illic fiunt, gloriosè celebrent. Cursum igitur martyrij sui beatissimus Andreas cum tota sua forti, & à Deo electa phalange perfecit decimonono die mensis Augusti, die Dominico, hora secunda.

3 Vides hîc peregrinatiões ad Sãctorum memorias et apud ãtiquos patres fuisse in vsu?

Petrus verò Tharsensis vrbis Episcopus, qui diuino baptismatis lauachro eũ purgauit, Nonnus 4 Episcopus Berœensium, Theodulus, & Synesius Diaconi, Marinus, & Nicolaus, Eusebius, & Lamyrion Lectores, cùm Andreas ipse, & ij, qui cum eo erant, certamen perpessuri essent, è longinquo sequebantur, cupientes eorum finem cognoscere, quem & cognouerunt, communem, inquàm, illorũ omnium in Domino consummationem, quorum & 5 venerandas reliquias reposuerunt, congruentem venerationem adhibentes. Viderunt & fontem illum venerandum, & multorum miraculorum effectorem, ex iusti & magni martyris defluẽte sanguine scaturientem; qui fons cùm primùm scaturiit, repente curationum gratiam emisit; statim enim vnum ex Lectoribus, quos diximus, Lamyrionem à spiritu quodam prauo, & impuro perturbatum, neq; ad illum vsq; diem liberatum, in primis curauit, qui cum aliis Lectoribus sanus rediit. Idcirco illi Deum hymnis celebrarunt, qui verè in sanctis suis gloriosus efficitur. Cæterùm in Ciliciam ampliùs redire nolue-

4 Ecce diuersi ordinum gradus in Ecclesia. Habes hîc Episcopos, Diaconos, & Lectores, alios autem alibi.

5 Vides vbiq; Sanctorũ reliquias venerãdas dici, & cõgruentem eis reuerẽtiã adhiberi?

rant, quoniam Petrum Tharsensis vrbis Episcopum, qui martyrem Andream cum sociis, vt dictum est, baptismate purgauerat, Seleucus capere studebat. Abierunt igitur diuina prouidentia ducti in Isauriam, laudantes simul, & benedicentes Domino Iesu Christo; Cum quo Patri simul, & sancto Spiritui sit gloria, nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

MARTYRIVM SANCTI ARESTAE.

IX. NOVEMBRIS.

IMPERATORE Diocletiano, magna quædam persecutio aduersus Christianos commota est. Misit enim ille magistratus suos in omne sibi subiectum Imperiũ, qui Christianos homines de medio tollerent. Vnus autem quidam, nomine Maximus, Imperatorem adiit, quem his verbis affatus est: Diuine Imperator, Dux nostrorum deorum, & diuinorũ, quæ ad illos pertinent, mysteriorum sapiẽs præceptor, peto à benignitate tua, vt iubeas me partes Ciliciæ, & Cappadociæ percurrere, vt Christianos maleficos homines affligens, eosq; comprehensos multis, & variis cruciatibus subiiciens, igne consumens, & in aquas præcipitãs, funditus perdere valeã. Hæc cùm Diocletianus audiuisset; Habeas, inquit, potestatem in toto Imperio meo, ad impiam Christianorum superstitionem euertendam; deos autem ipsos omnium dominos, ac totius orbis terrarum adiutores vbiq; manifestos esse facias.

Cùm Maximus edictum ab Imperatore accepisset, multo cum apparatu, ac pompa egressus est, tanquam leo, inuenta esca; cùmq; animum immitem, & misericordiæ omnino expertem haberet, properauit ad vrbẽ, quæ dicitur Tyana. Quò cùm venisset, audiuit ab eius vrbis ciuibus, medicum quendam illic esse, Arestem nomine, qui quotidie toti ciuitati persuadere studebat, vt Iesum Christum omnes colere vellent, & eius fidem sequi, quem & à parentibus didicisse aiebant, non esse deos alios, nisi vnum solum verum Deum, ac cœlestẽ, eiusq; filium Iesum Christum. His auditis, iussit Maximus, Arestem ante tribunal sisti, cui sic ait: Quænam est temeritas ista tua? Non enim parum cõtra te commoti sumus. Dic igitur liberè nomen tuum, & genus. Tunc sanctus Arestes; Mea, inquit, libertas, & fiducia est Iesus Christus, per quem loquendi libertatem consecutus sum; itaq; nunc loquar: Christianus ego & sum, & vocor.

Tunc Maximus dixit: Quoniam te Christianum appellari dixisti, & Christum Deum esse confessus es, diis sacrifica priusquàm tormenta patiaris. Ad hæc respondit vir ille sanctus: Dij, qui cœlum, & terram non fecerunt, dispereant; ego enim cùm adhuc puer essem, didici, sacrificium incruentum Deo viuenti offerre, quem & puro corde adoro; tuos verò adulterinos istos deos, & inanes, ac vanos dæmones, quos tu dicis, non adoro. Tum Maximus; Video te, inquit, ætate florentem, prudentia, & eruditione multũ valere,

& medicinæ

& medicinæ artis honestam, ac decoram facultatē posſidere, quamobrē habeo rationē tui, perinde ac ſi eſſes filius meus. Agè igitur dicas nobis, quod eſt nomen tuum, & qualis'nam ſit cultus parentum tuorum. Tum ille: Si cupis ſcire nomen meum, velim ſcias, apud Deum ipſum valde honoratum illud eſſe. Nāq; parentes mei, à quibus, q̄ ad carnem pertinet, genitus fui, Areſtem me nominarunt, vt ſcilicet placerē Deo, & hominibus per Domini mei Ieſu Chriſti cōfeſsionem, & morborum, quibus humana corpora vexantur, curationem.

Ad hæc Maximus; Stultiſsime, inquit, & miſerrime homo, cur loqueris ſic petulanter? Cur te ipſum decipis, cùm vnum Deum confitearis, & Chriſtū, quē Iudæi, vt nefarium, & maleficum hominem crucifixerunt? Reſpondit Areſtes: Si magnam eius, qui crucifixus fuit, potentiam cognoſceres, inanium idolorum errorem derelinqueres, & illum adorares, qui verè Deus eſt ex Deo vero, qui corporeis oculis nō cernitur, genitus, qui & ipſe vt Deus corporeo viſu nō comprehenditur. Hic ſponte diuinam naturam cum humana coniunxit, & à pernicioſo diaboli errore nos liberauit. Ad hæc Maximus; Multis, inquit, verbis, & fallaciis aures meas obtundis, quaſi velim ego deos meos relinquere, & iſtum veſtrum Crucifixū adorare. Agè igitur & tu diis noſtris ſacrifica, futurū ſciēs, vt ſi hoc feceris, ad dexteram meā ſedeas. At Areſtes dixit: Ego æternū Deū ſemper mihi benefacientem, & Dominum meum Ieſum Chriſtum adoro, eiq; ſeruio, dæmonum autem iſtorum particeps nunquam fuero.

Tum Maximus: Adducite illum ad templum deorum. Templū autē, quod dicebat, erat auro, & argento exculltum, atq; idolis refertum. Ad Areſtē verò cōuerſus; Sacrifica, inquit, diis ipſis, Areſte. Reſpondit ille: Erras magnoperè, cùm neſcias, quid tibi expediat; iſti enim dij tui ex ære, ferro, auro, & argēto confecti ſunt ad decipiendos homines; nam neq; vident, neq; audiunt, cùm ſint opera quædā manufacta; neq; omnino ſibi opē afferre poſsūt, nullā deniq; gratiā referre ſciūt. Tū Maximus; Velim, inq̄t, ſcire, ſacrifices'ne, an mēbra tua diſſipari iubeā. Reſpōdit Areſtes: Putas'ne iſtis tuis verbis me p̄terrefactū iri? Minimè hoc futurū ſperes; ſed quāprimùm fac quicquid vis; ignoras enim quem præſentē, & mihi opitulantē habeo Dominū Ieſū Chriſtū. Tunc ait Maximus: Hominem iſtum virgis cædite, eūq; admonete, ne pergat ampliùs inſanire. Ille autē cùm verberaretur, elatis in cœlum [1] manibus, ait: Reſpice, Deus meus, è cœlo, & opitulare ſeruo tuo. Iuſsit verò Præſes, illum tādiu verberari, quoad milites ipſi viciſsim quadragenas plagas ſinguli infligerent, ita vt funes, lora, & nerui conſumerentur. Mox vehementiùs eum cædi iuſsit, ſic vt eius inteſtina extracta ſint, & tanti viri tolerantia omnibus admirationem attulerit.

[1] Orat Sāctus, elatis in cœlum manib⁹.

Cùm igitur ita verberatus fuiſſet; Sacrifica diis ipſis, inquit Præſes, & dimittam te. Areſtes verò nihil reſpondit. Itaq; iratus Præſes iuſsit obeliſcos ignitos fieri, & ad eius terga ſtatim adhiberi, vt ea primùm comburerentur, deinde aceto acerbiſsimo, & multo ſale conſperſa tererentur. Tunc martyr ille beatiſsimus, erectis [2] ad cœlum oculis, ait: Deus, qui Sodomitarum vrbes igne conſumpſiſti, & Niniuem per pœnitentiam conuerſam tua virtute ad iuſtitiam traduxiſti, da, quæſo, mihi, Domine, vt ſignum aliquod tuum in cōſpectu meo videam. Fac mecum ſignum in bonum, vt videant qui oderunt me, & cōfundantur. His dictis, ſufflauit in ſimulachra illa, & ſtatim comminuta ſunt, atq; in puluerem conuerſa. Mox ait Præſidi: Et vbi'nam eſt potentia deorū tuorum? Nunquid ſibi ipſi opem ferre potuerunt? Cùm verò è tēplo egreſſus eſſet, ſtatim ædes quoq; illa euerſa eſt.

[2] Hīc autē, erectis ad cœlū oculis.

Tunc iuſsit Præſes in carcerem interiorem Areſtē detrudi, & carceris cuſtodi præcepit, vt neq; panem, neq; aquam ei daret. Sanctus verò martyr lætanti animo adiit carcerem, & elatis in cœlum manibus, has preces emiſit: Domine

Iesu Christe, qui voluisti me ab in eunte ætate res iustas, & honestas edoceri, quiq; omnem erroris cupiditatem, atq; illecebras à me ipso repulisti, qui cœlum, terram, quæq; in his continentur, effecisti, qui mare ipsum certo loco constitui-sti, & eius bona humano vsui contulisti, qui sanctos tuos Abraham, Isaac, Iacob, ad requiem tuam perduxisti, quæso, ne me derelinquas, quoniam totum me tibi addixi, ac tradidi; fac, vt particeps fiam eorum, qui martyrio ante me functi sunt, & hæreditatem tuam perceperunt; quoniam gloriosum est nomen tuum in secula. Amen.

His precibus ad Deum missis, cùm septimum diem in carcere transegisset, octauo die Præses in tribunali sedens, iussit Arestem illuc duci, & in eum intuens; Nefarie, inquit, impie, & deorum inimice, cur ausus es frigida quædam, & stulta verba loqui? An propterea id fecisti, quia leniter tecum locutus sum? Agè igitur saltem nunc quod æquum est facias; nisi enim mihi obtemperaueris diis sacrificans, acerbiores cruciatus contra te statim excogitabimus, & pessimis modis vitam tibi auferemus, corpusq; istud tuum in aquam proiici iubebimus. Ad hæc Arestes: Liceat omnia tormenta tua huc afferri; paratus enim sum ea libenter perferre, cùm Domini mei Iesu Christi sigillum in corde meo impressum habeam. Tunc furore accensus Præses iussit clauos palmi longitudinem singulos habentes afferri, & clauis illis eius talos configi. Cùm igitur Martyris pedes carnifices configere voluissent, pedes illi facti sunt ita duri, ac solidi, perinde ac si ferreæ crepidæ fuissent.

Itaq; cùm impius Præses animaduerteret, Arestem nequaquam posse subiici, diabolus in eius mentem coniecit, vt alia quadam machina excogitata celeriter Martyrem interficeret. Præcepit igitur cohorti, vt equum quendam maximè terribilem illuc adducerent, & Arestæ manus cathenis constrictas in illius equi femore illigarent, & animal ipsum vi multa impellerent, vt vitæ finem quamprimùm Martyr haberet. Fecerunt carnifices quod à Præside iussi fuerant, eumq; longè ab vrbe Tyana quatuor & viginti milliaribus in equi femore ligatum pertraxerunt. Quo loco spiritum Deo reddidit.

Hoc audito, Præses iussit Martyris reliquias in flumen quoddã, Phibum nomine, quod est è regione montis, statim demergi. Eo autem loco visus est homo quidam aspectu, instar Solis, effulgens, qui cùm sancti martyris reliquias collegisset, in monte, qui est prope vrbem Tyanam eas deposuit. Hæc autem cùm Præses Maximus fecisset, sancti martyris Arestæ acta misit in vrbem Antiochiam ad Imperatorem Diocletianum. Completum fuit Arestæ martyris certamen, atq; martyriam die nono mensis Nouembris, in Christo Iesu Domino nostro; Cui gloria est, & imperium in secula. Amen.

MARTYRIVM SANCTI, ET GLO-RIOSI MARTYRIS MENAE.

XI. NOVEMBRIS.

ANNO secundo Imperij Caij Valerij Diocletiani, & anno primo Caij Valerij Maximiani, post interfectũ Numerianum, qui ante illos regnauerat, cùm hi eius Imperio succesissent, persecutionẽ contra Christianos homines intermissam ipsi omne studium in id adhibentes reuocarunt, totumq; orbem terrarum eiusmodi persecutione commouerunt. Itaq; cùm per omnes prouincias, atq; vrbes impia illorum edicta proponerentur, perlata sunt & ad Cotyensiũ metropolim in Phrygia salutaria, cui præsidebat tempore illo Pyrrhus Argyriscus ductor exercitus, Firmiliano cohortibus imperante, erat autem ipse ex eorum numero, qui Rutuliaci appellantur, cum quibus numerabatur & beatus Menas, verus ille Christi miles, virtute præditus, & tanquam splendens quoddam sidus inter ipsos effulgens, qui genus ducebat ab Aegyptiis.

Cùm igitur edictum illud publicè fuisset propositum, Magistratus festinabãt id facere, quod iussi fuerant. Eorum autẽ, quæ edicto illo continebantur, summa hæc erat. Diocletianus, & Maximianus Imperatores suis hominibus salutem. Cùm multam tranquillitatem, & beneficia non mediocria nos à diis acceperimus, necessariò faciendum existimauimus, vt & nos omne studium, atq; curam & ipsis, & eorum templis adhibeamus. Quamobrem omnibus, qui vbiq; gentium sunt, Magistratibus, ac Ducibus hæc scribimus, vt cùm primùm nostrum hoc edictum propositum fuerit, negligentiam omnem abiiciatis, quòd ad deos beneficiorum auctores pertinet; omniq; diligentia, & studio ab vniuersis vbiq; terrarum tam viris, quàm mulieribus diis ipsis congruentem cultum offerri curetis. His verò, qui sunt tam in exercitu, quàm in statu ciuili, omnibus deniq; cuiuscunq; fortunæ hominibus præcipimus, vt si quis aduersetur nostris decretis, imperio nostro iubente, huiusmodi homo quibuscunq; cruciatibus ineuitabilibus subiiciatur.

Hoc edicto audito, præcones statim per omnes vrbes, & regiones sũmis clamoribus indicebant, vt cuncti tã viri, quàm mulieres ad deorũ tẽpla accederẽt.

Multo igitur tumultu exorto, & confusione maxima, cùm omnes ad execranda illa mysteria obeunda, celebrandaq́; vi traherentur, beatissimus Menas errorem, & prauorum dæmonum opera celebrari videns, earumq́; rerum, quæ patrabantur, spectaculum ferre non valens, secessit ab exercitu, & in desertis locis habitare cœpit, cùm impiæ superstitionis particeps fieri omnino recusaret. Interuallo autem temporis diuina gratia compunctus ad vrbem descendit, quo tempore dies natalis cuiusdam ex eorum numero, qui apud ipsos dij vocantur, celebrabatur; quamobrem omnes in theatrum conuenerant.

Tunc Menas ipse spiritu inflammatus, & diuina pietate impulsus, atq; corroboratus, cùm Iudex in theatro sederet, & certaminum illorum spectator esset, alacri animo illuc ingressus; En, inquit, inuentus sum ab his, qui non quæsierũt me; manifestus factus sum his, qui non interrogabant me. Cùm verò omnes conticuissent, & liberam hominis orationem iidem obstupuissent, præsertim cùm vili, & abiecta veste illum indutum viderent, quæsiuit ab eo Præses, quis'nam esset. Cui beatus Menas elata voce; Seruus, inquit, ego sũ Iesu Christi Imperatoris cœli, & terræ. His auditis, Pyrrhus ait: Hospes'ne es, an huius vrbis ciuis, qui tam repente huc ingredi ausus es, & impedimento esse quominùs festum hoc à nobis celebretur? Cùm verò quidam ex ordine militari oculos in eum intendissent, Præsidi hæc dixerunt: Hominem hunc nos cognouimus quinto abhinc anno militantem in eorum numero, qui Rutuliaci nominantur, sub Tribuno Firmiliano. Tunc illi Præses: Agè dic mihi, an miles sis. Maximè, inquit ille, miles ego fueram, qui cùm impium illud edictum ad vos perlatum audiuissem, ab isto vestro fragili, & caduco exercitu discessi. Tũ Pyrrhus Dux: Ecquæ'nã fuit causa, vt ab exercitu discederes? Græcus'ne tu es, an Christianus? Ad hæc Menas; Christianus, inquit, & fui, & sum, & ero; id'q; feci, ne vestræ prauitatis essem particeps. Tunc iussit Præses illum comprehendi, & in carcere seruari, quandiu ipse in die illo natali esset occupatus.

Postridie verò cùm sedisset pro tribunali in publico gymnasio, iussit beatam Menam ad se duci. Itaq; Symmachus Boëthus actorum Præfectus hæc ait: Menam vnum è militum numero in carcere seruari iussum, præsentem obtuli. Tũc Pyrrhus Dux per Symmachũ Boëthũ ab eo quæsiuit, quare ipse homo scelestissimus ausus fuisset in theatrum ingredi, & eos impedire, qui certamina ederent, dum natalis dies celebraretur, an videlicet Imperatores ipsos contemneret, præsertim cùm se Christianũ esse diceret. Dein, Agè, inquit ipse Pyrrhus, dic mihi, quæ fuit causa, vt exercitum desereres. Vbi'nam antea viuebas? Vnde es tu? Respondit Menas. Ego sum ab Aegyptiorum regione, qui cùm optarem sub Imperatore illo cœlesti militare, vestrum istum fragilem, & caducum exercitum deserui. Tum Pyrrhus; Et vbi'nam, inquit, fuisti vsq; ad hunc diem? Cui Menas: Propter Christi mei charitatẽ malui cum feris agrestibus in solitudine viuere, quàm vobiscum vnà perire, qui Deum ignoratis. Nam scriptum est: Ne simul perdas cum impiis animam meã, & cum viris sanguinum vitam meam.

Tum Pyrrhus; Immola, inquit, diis, vt in exercitu honoris gradũ recuperes, & honestiorem locum acquiras. Ad hæc Menas: Ego tantùm cupio æterno illi Regi placere, & immortalitatis coronam ab illo ipso recipere. Ne putes igitur istis minis te aliquid profecturum. Omnia enim tormenta, quæ mihi minari poteris, contemno; tanta est mea in Christum beneuolentia. Tũ ait Pyrrhus: Prosternite hominem istum, & ex quatuor corporis partibus extendite, eum'q; neruis cædite; & admonete, vt, cùm miles sit, Imperatorum edictis obediat. Mihi, inquit beatus Menas, danda est omnis opera, vt illius magni Regis

Christi

Christi edicto sim obediẽs. Cùm verò vehementer cæderetur, & sanguine terrã compleret, in qua extensus erat, Pegasius Princeps Menam admonuit, vt diis immolaret, priusquam eius carnes plagis laniarentur.

Ad hæc beatus Menas summa voce respondit: Ita'ne me admones tu, qui tenebrarum es consiliarius, & omnis peruersitatis Dux? Ego Iudici parere nolui, & tibi obtemperabo? Sed Deum adiutorẽ me habere scias, qui potest tormenta hæc auferre, vosq; & Tyrannos vestros momento temporis perdere, qui vultis seruos ipsius à veritate remouere, eosq; ad idolorum insaniam peruertere conamini. Tum Pyrrhus: Parentur, inquit, alia tormenta ad flectendã eius cordis duritiẽ. Itaq; cùm in ligno suspensus fuisset, ad eum Pyrrhus sic locutus est: Num resipuisti, Mena, cruciatibus istis vexatus? An adhuc tormenta non sentis? Respondit Menas: Putas'ne mentem, & cogitationem meã paruo isto tormẽto superari? An ignoras magni mei Regis milites præsentes mihi esse, & ad omnia tormenta tua perferenda fortiorem me efficere? Tum ait Pyrrhus: Verberate hominem istum, & admonete, vt Regem proprium, ac certum habens, alium Regem non profiteatur. Tu quidem, inquit Menas, Regẽ illũ cœlestem non cognouisti, ob idq; illi maledicis, & audes mortales, ac terrestres istos Imperatores cum illa summa Dei magnificentia comparare, qua ille & istis vestris honorem, quem habent, largitus est, & in omnem spiritum imperiũ, potestatemq; obtinet. Ad hæc Pyrrhus: Ecquis'nam iste Deus est, quem dicis, Imperatoribus nostris honorem contulisse, ac totius mundi potestatem habere? Respondit Menas: Iesus Christus filius Dei viui hic est, quem dixi, qui creauit omnia, & cui subiecta sunt, quæ cœlo, & terra continentur.

Tum Pyrrhus: An ignoras Imperatores ipsos iratos propter Christi nomen iussisse vos puniri? Cur igitur tu in istius nominis confessione adhuc persistis? Cui Menas: Quid, inquit, ad me, si irascãtur Imperatores? Ego cupio ad finẽ vsq; confessionem hanc seruans, ab huius mundi vanitate liberari. Scriptum enim est: Quis nos separabit à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro? Tribulatio? an angustia? an fames? an persecutio? an pericula? an gladius? Scito igitur nihil ex his, quæ contraria nobis sunt, posse Christi seruos superare. Mox iussit Præses carnes sancti Menæ tomentis illis dilaniatas, asperis quibusdam pannis abstergi, ac diu conteri.

Cùm verò sanctus martyr Menas nihil omnino tormẽta illa sentiret; Ita'ne, inquit Pyrrhus, affectus es, quasi alienum corpus dilanietur? An non tormẽta ista sentis? Menas ait: Verè tormenta non sentio, cùm Iesũ Christum adiutorẽ habeã. His enim, qui eum metuunt, omnia cooperantur in bonum. Tũ Pyrrhus: Adhibete illi faces accẽsas, vt vel sic eius duritiẽ vincamus. Admoto igitur igne, cùm duabus horis Martyris corpus vreretur, ille nihil respõdebat. Cui Pyrrhus; Ne ignem quidem ipsum, inquit, sentis? Tũ Menas respondit; Iesus Christus mihi vires suggerit, propter quem hæc patior; quamobrẽ tormenta hæc minimè sentio. Scriptum est enim in libris nostris, quòd quamuis per ignem transeamus, flamma non comburet nos. Item illud: Nolite timere eos, qui possunt occidere corpus, animam verò non possunt occidere. Timete potius eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam. Tum Pyrrhus: Quomodo tu, cùm sis miles, tot scripturæ locos scire potes? Tũ beatus Menas; Præcepit, inquit, nobis Dominus noster Iesus Christus hoc, quod audies: Cùm steteritis ante Reges, & Præsides, ne soliciti sitis, quid loquamini, vel quid respõdeatis; dabitur enim vobis in illa hora, quid respondere possitis. Ad hæc Pyrrhus: Præuidit'ne Christus iste vester vos ista passuros? Maximè, inquit Menas; nã, vt Deus, prænouit quæ futura essent; ipse enim est, nouit omnes cogitationes nostras, sicut scriptũ legitur, cùm nemo sit, qui res

futuras prævideat, nisi solus Deus; quamobrē, & talia præcepta nobis dedit.

Tunc ait Pyrrhus: Sacrifica tandem, & ad exercitum reuertaris, ne igne te comburi iubeam. Ad hæc respondit Menas: Prædixi tibi, me cœlestis regis militiam sequi. Fac igitur, quod lubet; corporis enim mei potestatem habes; cùm animæ, mentisq; meæ Dominus sit Iesus Christus, terræ, ac totius mundi Rex, atq; Imperator. Tum Pyrrhus; Visne, inquit, Mena, concedā tibi duos, aut tres dies, quibus consilium inire possis, & ab insania ista discedere? Ei autem Menas: Ego sæpius deliberaui, ac certum habeo, Deū meū à me nunquam negatum iri. Scito igitur tres istos dies, quos dicis, mihi iam præteriisse. Christianus ego sum. Nihil aliud à me ipso extorquere poteris. Hocq; pro certo habeas, me dæmonibus istis tuis nullo vnquam tempore sacrificaturum. Tūc Præses furore accensus iussit ferreos vncos componi, & in solo ipso dispergi, ac Menam collo, manibus, pedibusq; vinctum super vncos illos pertrahi.

Hæc cùm fierent, beatus Menas dixit: Licet alios cruciatus istis asperiores excogitaueris, nunquam tamen ego Deum meū negabo, neq; istis tuis dæmonibus sacrificabo, deniq; patri tuo satanæ non morem geram. Ad hæc Pyrrhus; Agè, inquit, plumbatis virgis istius ceruicem contundite, ne deos ipsos appellet dæmones. Cùm igitur Menā ita verberarent, addidit Præses: Eiusdem maxillas etiam contundite; video enim adhuc hominem istum tormenta despicientem. Itaque cùm vehementer admodùm verberaretur, neque quicquam responderet, Heliodorus quidam Curiæ Præfectus; Scias, inquit, domine, Christianorum hominum nationem durā esse, ob idq; cruciatus omnes perferre; suauior enim est illis mors, quàm vita. Sententiam igitur contra eum pronuncies, neq; tibi ipsi molestiam maiorē afferre velis, sed vt militiæ desertorem puniendum decernas. Tum Pyrrhus: Immola diis ipsis, Mena, & ego te honoribus decoratum in domum tuam remittam, quinetiam ad Tribunum ipsum scribam, vt non damno aliquo te afficiat, sed honore prosequatur. Ad hæc respondit Menas: Dispereant honores isti tui, disperat & ille, qui verba ista menti tuæ suggerit contra Dei seruū. Ego enim studeo cœlesti honore frui, & militia illa dignus inueniri, sicut scriptum est: Conuersatio nostra in cœlis est: siquidem huius mundi honores cùm breues, & caduci sint, pro nihilo habentur apud Deum; fides verò, & Christi confessio nos ipsos sempiterni luminis, & perennis vitæ hæredes constituit.

Hæc cùm audisset Præses, & Martyris confessionem stabilem vidisset, iussit illum amoueri, & consilio inito, sententiam talem de ipso pronunciauit: Menam militem, Imperatorum pietati repugnantem, & Christianæ sectæ propugnatorem, qui recusauit Imperatorum edictis obtemperare, & diis ipsis, vt præcepimus, sacrificare, iubemus gladio percuti, vt exemplo sit omnibus, qui nolunt Imperatorum iussis obedire. Statim igitur beatissimus Menas ad eū locū, qui Potamia dicitur, à carnificibus ductus est; atq; ad eius certamen spectandū tota ciuitas confluxit. Ipse verò hilari vultu, & fidenti animo exultans, ad eū locum properabat, vitæ honestate decorus, & 1 tenui, atq; humili veste indutus, quippe quòd mortalia, & humana omnia pro nihilo faciebat; & constanti, ac sedato animo notos sibi homines alloquebatur, cùm nihil ex his, quæ præsentia erant, molestiam illi afferre posset. Itaq; omnes precibus suis Deo commendans, ad iter sibi propositum festinabat, idq; faciebat nihil aliud cogitās, nisi oculos ad cœlum erectos habēs, & Christū inuocans, eiq; magnas gratias agēs. Cùm autem ad Deum vocem extulisset, qui talibus bonis eū afficere dignatus fuerat, elatis 2 quoq; in cœlum manibus; Gratias, inquit, ago tibi, Pater Domini, & Saluatoris nostri Iesu Christi, quòd non dereliquisti me, neq; auertisti

1 Nota, Et tenui, atq; humili veste indutus.

2 Oculis, ac māib⁹ in cœlum eleuatis, Dominū Deum orabat.

faciem tuam à me, ne scilicet cùm iniquis istis, & impiis hominibus perirem; sed dedisti mihi, vt nominis tui confessionem constanter seruarem. Da, quæso, & in hac hora, vt perfectam patientiam seruare valeam; & animam meam semper conserues, vt victoriam contra Tyrannum adeptus, tuum sanctū tribunal adorem.

Hæc cùm dixisset, genibus in terra positis, ceruicem extendit, & statim gladio percussus est. Carnifices autem cùm pyram quandam magnam accendissent, corpus beati Menæ combusserunt. Itaq; beatus ille martyrium lætanti animo, & hilari vultu exegit. Eius verò anima continuò ab angelis ad 3 cœlestes sedes assumpta est. Erat autem sanctus Menas Aegyptius genere, moribus valde nobilis, fidei, & pietatis plenus, mitis, iustus, & sancti Spiritus suauitatem redolens.

Cùm verò illius beati viri martyrium completum fuisset, Iesu Christi Filij Dei prouidentia factū est, vt quidā homines martyris reliquias ab illa pyra sustulerint, easq; honore magno 4 prosequētes in æde sacra reposuerint, vt eius viri memoria perpetua foret, & electus populus apud 5 reliquias illas Deum orans, sanctitatis particeps fieret, in Christi gloriam, & laudem sancti, & gloriosi martyris Menæ. Qui martyrium compleuit in metropoli Cotyensium Phrygiæ salutatiæ, præsidente Pyrtho, vndecimo die mensis Nouembris. Quo tempore memoriam ipsius celebramus, collaudantes Christum verum Deum nostrum; Cui sit gloria, & imperium in secula seculorum. Amen.

3 Ecce, Ei⁹ verò anima cōtinuò ab Angelis ad cœlestes sedes assumpta est.

4 Vide Sancti reliquias honore magno affectas, & in æde sacra repositas.

5 Ecce quomodo populus apud Sancti reliquias Deum orās, sanctitatis particeps fit.

MARTYRIVM SANCTORVM VICTORIS, ET CORONAE.

XIIII. NOVEMBRIS.

QVO tempore Antoninus gentium superstitionem sequens Romanum tenebat Imperium, Sebastiano Duce, persecutio aduersus Christianos homines commota est. Erat autem miles quidam genere Italus, & Christianus, qui Deum valde reuerebatur, ac metuebat, huic'q; nomen erat Victor. Eũ virum Dux ille, quem supra diximus, sic affatus est: Venerunt ad nos literæ ab Imperatore, quæ iubent vos Christianos diis sacrificare; illos verò, qui edicto non obediunt, suppliciis grauissimis subiici oportere. Sacrifica igitur, Victor, ne animæ periculũ subeas. Tum sãctus Victor; Ego, inqt, miles sũ magni Regis Iesu Christi, immortalis, inquã, illius Imperatoris, neq; mortali Regi obediã; huius enim imperiũ tẽpore circũscribitur, & caducũ est; Dei autem mei & Saluatoris Iesu Christi Regnum est immortale, atq; æternum, cuius qui particeps efficitur, æternæ vitæ sortẽ percipiet. Tunc ait Dux: Cùm Imperatoris nostri miles sis, obtempera Imperatoris edicto, & diis sacrifica. Ad hæc respondit sanctus Victor: Si ego quo tempore sub Imperatore militabam, tunc etiam Domino & Deo meo occultè seruiebam, quomodo nunc committere possum, vt, illo derelicto, idolis vestris sacrificem? Itaq; fac quicquid libet. En corpus meum in manu tua est; animæ verò potestatem Deus habet, qui salutem, & ruinam afferre potest.

Tum Dux ille: Video te multa sapientia ornatũ, ea'q; in respondendo valde vtentem. Mea, inquit Victor, sapientia non est ex me, sed Deus meus *illam* mihi contulit. Ad hæc Præses: Libera teipsum à multis cruciatibus, & diis sacrifica. Quinimmò libenter, inquit Victor, cruciatum quemuis patiar, ne sacrificia talia offeram; sed & illud affirmo, vehementer me gaudere, quòd dignus factus sim, qui pro Christi nomine tormenta patiar, & cœlesti illo Rege frui sperem. Ad hæc Dux ille: Nunquid Christianorum sacerdos es tu, qui tam prudenter nobis respondes? Hoc, inquit Victor, munere [1] indignus sum ego; sed Christi mei gratia me talẽ effecit; hæc enim his, qui recto corde sũt, & Christi mandata obseruant, sapientiam, & omnium bonarum rerum copiam ex suis illis immensis diuitiis largitur. Quemadmodum enim agricola ipse cùm

[1] Vides quòd negat se esse Christianorũ sacerdotem, sed Dei gratia se talẽ fatetur effectũ, vt sapientiã & omniũ bonarũ rerum partẽ fuerit assecutus? Nõ ergo omnes fideles ex æquo sũt sacerdotes, vt garriunt nonnulli.

terram colit, paratam eam reddit ad fructus ferendos, ita & Dei sapientia, ac gratia eos, à quibus obseruatur, fortes, sapientes, ac tales reddit, qui Deo ipsi fructum ferre possint, neq; permittit, vt ab hostibus superari queant.

Tum Dux ait: Nũ tu mori decreuisti? Respondit Victor: Huiusmodi mors his vitam conciliat, qui breuia hæc tormenta fortiter ad extremum vsq; perferunt. Ad hæc Dux ille: Sententiam'ne istam firmam habes? Maximè, inquit Victor. Tum Dux digitorum Victoris compages eousq; confringi iussit, quoad è pelle ipsa exirent. Quo facto, Victor ait: Gratias ago Deo meo, quòd gratiam suam propiorem mihi ostendit. Tunc quæsiuit ab eo Dux, quare cibum non sumeret. Cui respondit Victor: Habeo ipse spiritualem cibum, quo fit, vt non esuriam in æternum. Tum ille iussit fornacem accendi, & Victorem in eã coniectum ad tertium vsq; diem seruari. Factumq; fuit, quod Dux iussit. Tertio autem die cùm ille opinaretur Victorem ab igne consumptũ fuisse, iussit fornacẽ aperiri, & Martyris cineres in flumen demergi. Patefacta igitur fornace, inuenerunt Victorem ipsum viuum, & Deum laudantem, quòd ignis eius corpus non tetigerat. Mox iussit Dux venena pestifera cũ carnibus cõmista edenda illi proponi. Quæ cùm à venefico quodã homine porrecta ei fuissent, sanctus martyr Victor ait: Mihi quidem non liceret [a] carnes gustare, sed vt cognoscas veneficia tua nihili esse, en istas carnes comedam. Cùmq; illas è manibus venefici hominis accepisset, Christum precatus eiusmodi carnibus vesci cœpit, neq; quicquam mali passus est.

[a] Ecce hic ciborum delectũ. Nã olim multi Christiani abstinebãt carnib⁹, non propter Manichæorum superstitionem, sed vt carnis pprię petulantiam ea abstinentia cohiberent.

Veneficus autem ille pro suis veneficiis erubescens, alia quædã obtulit prioribus illis peiora; Hæc, inquiens, accipe, quæ cum comederis, si nihil mali passus fueris, statim artem magicam derelinquam, & credam etiam ipse Deo, quẽ tu colis. Cùm igitur beatus Victor venena illa comedisset, neq; quicquã mali passus fuisset, veneficus ille magna voce clamans; En, inquit, vicisti, & animam meam iãdiu perditam ab inferis eduxisti. Sicut enim statua ærea, quæ iã inueterata est, à fabro aliquo expolita renouatur; ita & me miserum in malis inueteratum Deus ipse sua gratia renouans conuertit, & ad salutem traduxit. Itaq; veneficus ille omnes suos libros magicos igni combussit, & omnibus rebus renuncians, Christianus factus est.

Cùm hæc ita se haberent, Dux ad beatum Victorem conuersus; Sacrifica, inquit, diis maximis, & esto prudens. Victor respondit: Ego prudens semper sum, cùm Deum cognoscam. Non est, inquit Dux, prudentiæ, sed stultitiæ signum, nolle diis ipsis sacrificare. Ad hæc sanctus Victor: Stulta mundi elegit Deus, vt sapientes confundat. Tunc ait Dux: Et vbi'nam hoc scriptũ legitur? Cui respondit Victor: Paulus Apostolus nos hæc docuit. Num, inquit ille, Deus erat Paulus? Cui Victor: Minimè Paulus Deus est, sed Dei Apostolus, & sapiens architectus; ædificauit enim super fundamentum, quod positum fuerat, & doctrina sua orbem terrarum repleuit; qui cùm sapientiam sibi à Deo traditam accepisset, diuinarum literarum plenam, perfectamq; notitiam in se habuit, & his, qui salui esse cupiunt, viam ostendit. Tunc ait Dux: Desine in posterum ab ista insania, & diis sacrifica; non enim tibi proderunt verba ista tua. Minimè, inquit Victor, insanus ego sum, sed valde prudens, cùm Deũ meum non negem. Insani, & dementes sunt, qui te audiunt, & dæmonibus victimas offerunt. Etenim pater vester diabolus mendax est, & in veritate nõ stetit, sicut & vos, qui estis illius ministri. Quinetiam corda vestra excæcata sunt, veritatis notitiam non habentia.

Tunc furore accensus Dux ille, iussit totius corporis Martyris neruos diuelli. Quo facto, dixit sanctus Victor: Cùm omnia hæc à te patior, nullum omnino sensus dolorẽ percipio ppter Dei gratiã, quæ me corroborat. Quẽadmodũ

enim aculeus à pede alicuius euulsus, secum vnà & dolorem omnem aufert, & corpori deinde requiē præbet; ita & ego, neruis meis diuulsis, maximè recreatus sum, diuina gratia me corroborante. Tunc Dux magis, magisq; iratus, iussit oleum vehementer calefieri, & in occultas partes corporis infundi. Quo facto, beatus martyr ait: Tam suaue mihi feruens hoc oleum visum est, quàm gelida aqua, cùm ei datur, qui propter nimium æstum siti laborat; cū eam enim biberit, valde recreatur. Tūc Dux furore intolerabili correptus, iussit in ligno Martyrem suspendi, & igneas eius corpori faces admoueri. Ille verò diuina gratia, magis corroboratus, earum lampadum faces non sentiebat. Mox ad illū Dux: Sacrifica, inquit, diis, diu enim te pertuli. Respondit Victor: Minimè faciam, quod tu vis, sed quod vult Deus meus, quem precor, vt sacrificium purum, atq; castum me ipsum illi offerre possim, in cuius potestate anima, & corpus meum est.

Tunc iussit Dux venenum cùm aceto mistum in eius fauces inijci. At beatus Victor ait: Acetum, & venenū hoc mihi videtur mel, & fauus esse. Id autē facit Christus ipse. Cùm autem Dux liberam eius orationem non ferret, illius oculos compungi iussit. Cui dixit Victor: Cùm corporis mei visum excæcaueris, tunc interiori animæ sensu acutiùs videbo. Corporei enim oculi mūdi huius vanitatem aspiciunt, at cordis acies veram illam intuetur lucem. Cogis me, inquit Dux, multa, & magna tormenta tibi afferre. Ille autem: Et ego gratias ago Deo meo, qui facultatem, & robur mihi præstat sustinendi tormenta tua. Vt igitur libet, me crucies, neq; vlla in re mihi parcas; paratus enim sum omnes ærumnas, quascunq; mihi attuleris, libenter perpeti, Deo ipso mihi vires suggerente.

Tunc ait Dux: Suspendite hominem istum, capite in terram reuoluto, quoad sanguis ex eius naribus in terram defluat. Illo igitur suspenso, milites discesserunt, eumq; tres dies ita suspensum, dereliquerunt. Cùm verò tertius dies præteriisset, illuc reuersi, cùm viuum reperissent, quem mortuum fuisse crediderāt, statim excæcati sunt. Sed beatus Victor misericordia commotus, Deum orās; In nomine, inquit, Domini mei Iesu Christi visum recipite. Itaq; restituta militibus videndi facultate, abierunt illi, & Duci omnia, quæ facta fuerant, retulerunt. Tunc ille magis iratus est, & militibus præcepit, vt Victorem degluberent. Cui beatus martyr; Licet, inquit, corporis pellem abstuleris, mentem tamen ipsam, & cogitationes meas non superabis. Tunc militis cuiusdā vxor, Stephana * nomine, cùm illic præsens esset, annos sexdecim nata, voce magna clamauit: Beatus es, Victor, & beata sunt opera tua sancta. Sacrificium tuum Deo acceptum est, vt Abelis victima, quoniam te ipsum obtulisti recto corde. Sic Deus te accepit, vt Enoch illum virum iustum, qui translatus est, ne gustaret mortem, quoad certum tēpus præterierit. Iustus factus es, vt Noë bonorum operum fructibus refertus. Perfectus, ac iustus tu es, vt ille fuit in generatione sua. Credidisti vt Abraham. Obtulisti te Deo, vt Isaac. Tentationes sustinuisti, vt Iacob. Sapiens effectus es, vt Ioseph, cui rerum futurarum prænotio concessa fuit. Certamina ipsa, vt Iob ille, fortiter pertulisti, qui multas tentationes perpessus hostem diabolum expugnauit. Esaiam æmulatus es, qui à rege Manasse medius sectus est. Te ignis flamma nō attigit, quēadmodum nec Nabuchodonosoris flammæ tres illos pueros attigerunt. Spem tuam in Deo ipso collocasti, vt Dauid filius Iesse. Vidi duas coronas è cœlo demissas, vnam maiorem, alteram minorem; & maiorem quidem illā tibi allatam ab Angelis duodecim, minorem verò ad me missam audiui. Nā & si vas infirmum ego sum, nihilominus tamen & ipsa parata sum certamen subire, ac cœleste Regnum assequi studeo.

* Stephana Græcè, Latinè Corona.

Hæc cùm Dux ille audiuiſſet, valde iratus eſt, & iuſsit fœminam illam ad ſe duci, quam ſic affatus eſt: Quænam es tu? Chriſtiana, inquit illa, ego ſum. Tum Dux ab ea quæſiuit, quot annos nata eſſet. Cui Stephana, quindecim annos, & menſes octo ſe natam eſſe reſpondit. Quæſiuit præterea Dux, quandiu vixiſſet cum viro, qui cum iuncta fuerat. Cui reſpondit illa, ſe annum vnum, & menſes quatuor cum eo vixiſſe. Et quare, inquit Dux, tam citò mundũ reliquiſti? Ad hæc ait ſancta Stephana: Reliqui breuem, & fragilem mũdi huius decorem, & terrenas, ac fallaces corporis voluptates, vt fidenti animo Saluatori meo Ieſu Chriſto, quem expectamus, occurrere valeã, illi videlicet diuino, & cœleſti ſponſo; terreſtris enim ſponſus ad tempus eſt, & mortalis. Tũ Dux; Deſiſtas, inquit, ab iſta nugacitate inutili, & ad deos accedens illis ſacrifices, ne nouis, & grauioribus tormentis te cruciatam conſumam. At illa, dixit: Ego vocor Stephana, cui corona in cœlis repoſita eſt. Quamobrem ſacrificia iſta veſtra non offeram, vt à vero illo certaminum Præſide Chriſto coronam recipere poſsim.

His auditis, Dux ille furore nimio accenſus iuſsit Stephanã duabus palmarum arboribus incuruatis alligari, & repente arbores illas dimitti. Quo facto, bellatrix, & martyr Stephana duabus illis palmis in duas partes diſcerpta eſt; itaq; in pace martyrium perfectè in Chriſto compleuit. Sanctum verò Victorẽ iuſsit ſecuri percuti. Qui cùm eiuſmodi ſententiam de ſe latam audiuiſſet, ſic ait: Gratias ago Deo meo, qui tali, & tanto dono me proſequitur. Cùm igitur martyrium beatus Victor obiturus eſſet, hæc dixit Quæſtoribus: Poſt ſeptẽ dies veſtri oratores morientur, & vos ipſi poſt duodecim moriemini. Dux verò poſt viginti quatuor ab aduerſariis captiuus ducetur. Noſtri autem homines poſt tres annos venient ad tollendum corpus meum; habeo enim & loculos iãpridem mihi paratos. Vos igitur rogo, ne in alienis loculis me ponatis, neq; reliquias meas detineatis, quominus in proprium locum reportentur.

His dictis, ſecuri percuſſus eſt, ſtatimq; ſanguis, & lac ex eius vulneribus effluxit, ita vt omnes mirarentur. Multi verò ex Græcorum numero, cùm factum illud vidiſſent, & Victoris martyris patientiam, & conſtantem, atq; immobilem fidem animaduertiſſent, conſilium, & ſententiam priorem mutauerunt. Itaq; Chriſtiani facti ex iis, quæ vir ille Sanctus prædixerat, magis confirmati ſunt; omnia enim, quæ à beato illo martyre prædicta fuerant, completa ſunt, ita vt & alij complures ex ea re ad Chriſti fidem cõuerſi fuerint. Martyrio autẽ functi ſunt ſanctus Victor, & beata Stephana quartodecimo die menſis Nouembris in vrbe Damaſco, Imperatore Antonino, & Sebaſtiano Duce. Quare ſit gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

SANCTI ATHANASII ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI SERMO IN DESCRIPTIONEM SANCTISSIMAE MARIAE, ET BEATI IOSEPH.

XXV. DECEMBRIS.

QVEMADMODVM qui terram effodiunt, aurum perscrutantes, cùm venam aliquam inuenerint, auream arenam præseferentem, in eam incumbunt, & magis magisq; terram effodiunt, quippe qui venam illam lucri ducem inuenerint, quam prosequentes non priùs è loco illo discedunt, quàm auri propositi latebram assecuti fuerint; ita & nos, vt Ecclesiasticæ negociationis operarij, beatum Euangelistã Lucam in manu habentes, Dominici ex Mariæ Virginis conceptione thesauri cõsiderationem aggressi, non priùs ab huiusmodi perscrutatione desistemus, quàm propositas diuitias syncerè colligamus. Quamobrem &, ordine seruato, Euangelistam ita perscrutabimur, vt nihil eorum, quæ vtilitatem afferre possunt, derelinquamus. Nam & si verba ipsa non sublimia sint, nihilominùs tamen magni gaudij mysterium in se continent. Nemo igitur propterea segnem, ac negligentem se præbeat, quòd quæ modo lecta sunt de Iesu, parua quædam esse videantur, si auditu solo percipiantur. Quantùm enim ad geniti Domini potentiam pertinet, parua quidem sunt, & valde humilia, quæ lecta modò audiuimus, vt fasciæ, præsepe, ac locus, qui tantæ maiestati videbatur minimè cõuenire. Parua nimirum sunt hæc, sed mystica, & arcana quædam eiusdẽ Domini ortus nobis proponit, vt Mariæ ventrem, cuius gratia verbis explicari nõ potest; sinum, quem humana cogitatione comprehendere non valemus; mammas, naturæ consuetæ radicẽ non habentes; lac peregrino, & nouo modo fluens; vbera longè à naturali consuetudine, ac lege aliena; Matrem Domini descriptam; Ioseph sponsum Mariæ communionem eius non re, sed nomine habentem.

Audistis paulò ante Lucam euangelistã dicentẽ: In illis diebus exiit edictum

à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Hæc autẽ descriptio prima facta est à Præside Syriæ Cyrino. Et ibant omnes, vt profiterentur singuli in suam ciuitatem. Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethleem, eò quòd esset de domo, & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante. Vides quàm exiguis verbis, quàm magna comprehendantur mysteria? Dominus conceptus erat in ventre Virginis, & prima gentium Augusti edicto instituebatur descriptio. Qui omnem naturam apud se descriptam habet, quiq; Discipulis suis ait: Gaudete, & exultate, quoniam nomina vestra scripta sunt in cœlo: ille suam ipsius matrem paruis quibusdam Romanis codicibus describi voluit. Quis non loquetur, quis non admirabitur dispensationem illam, qua Dominus ad nostram se demisit humilitatem? Qui in excelsis liber est, in terris describitur. Illic Dei filius, hîc seruus. Illic Rex, hîc subditus. In cœlis diues, in terris pauper. In cœlis adoratur, in terris vectigal ab eo exigitur, ac soluitur. Illic diuino sedet in throno, hîc in agresti, & rustica nascitur spelunca. Illic in paterno est, & incomprehensibili sinu, hîc in paruo brutorum reclinatur præsepi. Quis non admiretur superna, & sublimia illa cum humilibus, & paruis his collata? Inuoluitur fasciis, qui soluit omnia. Nutritur is, qui nutrit vniuersos. Qui nullo loco potest comprehendi, puer angusto comprehenditur præsepi. Qui emittit fontes, mammam sugit. Qui fert omnia, inexplicabili quodam modo ferebatur. Qui nusquam non est, in exigua Iudaicæ regionis parte incircunscriptè circũscribitur. O' res admirabiles, & omnium hominum cogitationem superantes. Elisabeth in domo illustri Ioannem peperit; & Virgo ipsa in parua spelunca Iesum parit. Ioannes in lecto, & Dominus in præsepi reclinatur.

Sed non simpliciter factum credamus, vt gigneretur Dominus Iesus, fasciis inuolueretur, mammam sugeret, in præsepi reclinaretur. Non temere factum existimemus, vt illa Cæsaris Augusti descriptione numeraretur. Omnia hæc certa de causa, & ad finem aliquem facta sunt, diuina quidẽ dispensatione, sed obscura. Ex Virgine gignitur, vt ex terra virgine formatum primum illum humani generis parentem Adam reformaret. Fasciis inuoluitur, vt peccatorum nostrorum cathenas dissolueret, vinculis scilicet soluens vincula; peccata enim vinculorum nomine appellantur, vt ait scriptura: Vnusquisq; suorum peccatorum cathenis constringitur. Suxit mammam, vt diuinũ illud gratiæ lac nobis scaturiret, quod ex proprio latere profudit; nihil enim aliud est lac, nisi sanguis, albus effectus. Reclinatur in præsepi, vt naturæ humanæ deprauatã rationem corrigeret, & duorum animalium esca fieret, Gentilis, & Iudaici populi, de quibus scriptum est: In medio duorum animalium cognosceris. Augusti Cæsaris descriptionem suscepit, vt orbis terrarum confusionem ordinaret; Hæc enim descriptio fuit ordinationis, quæ in orbe terrarũ futura erat, pignus, & imago quædam.

Quod autem vera sint, quæ dicimus, paucis verbis explicabimus. Antequam Dominus homo fieret, multa humanum genus tyrannide premebatur, & orbis terrarum homines temere, ac sine ratione vitã degebant, & regalis dignitas dehonestabatur, cùm multi, & copiosi extẽplò crearentur Reges. Centũ homines aliquis subiectos sibi habebat, & statim Regni nomen, ac specimen sibi vendicabat. Talis erat gentium concertatio, suarum regionum principatus appetentium, neq; ex propriis locis excedentiũ, nisi fortè aliquo modo in se vicissim arma sumerent. Cùm eiusmodi confusio diutius vigeret, & Dominus Iesus Christus solus ipse virginalem aulam in terris habitare contentus esset, statim multorum principatum extinguens, Romanæ gentis dominatum constituit, vt sub

vno Principe ad militiæ cœlestis imitationem omnes viuerent. Sicut enim in cœlis sub vno Rege vniuersi continentur, dæmonibus ipsis more barbarorum imperij iugum recusantibus, ita & in terris, & si multæ sunt gentes, quæ subiici noluerint, vnum tamen Romanorum imperium potestatem tenet, quia supernæ potestatis ope adiuuatur.

Huius igitur ordinationis causa cœlestis ille Rex, cùm adhuc in sanctissimæ Virginis vtero conceptus gestaretur, primam descriptionem orbis terrarum sub Augusto Cæsare fieri iussit, atq; sub illa imperij Romani descriptione se ipsum quoq; contineri voluit, vt legem illam diuina prouidentia latam confirmaret. Tunc enim Regis lex firmatur, cùm Rex, qui eam tulit, primus exequitur. Nã qui legẽ fert, & non obseruat, euersor potiùs est, quàm legislator. Eius igitur, quã supra diximus, ordinationis gratia, sub Augusto Cæsare prima descriptio facta est, vt Iudaicæ gentis deprauata cõsuetudo reprimeretur, neq; liceret deinde inordinatè viuentibus Iudæis sua deprauata lege innocentes homines interficere, sed necessitatis iugo compressi alienis legibus seruirent. Necessaria igitur fuit sub Augusto descriptio. Illa Iudæorum gentem depressit, & Christianorum fidem amplificauit, cùm Iudaica natio Romanorum imperantiũ timore non ampliùs audeat superiorem insaniam, atq; immanitatem exercere.

Quamobrẽ post descriptionẽ illã cùm Dominũ Iesũ cõprehendissẽt, & morti tradere festinarẽt, non ausi sunt p sua libidine, ac temeritate, quẽadmodùm in alios Prophetas se gesserant, quibus iniustã cædẽ attulerant, Dominũ Iesũ aggredi, sed ad Pilatũ Romanorũ loco præsidentẽ adduxerunt, pœnas ab illo exigentes. Quamobrem Pilatus præses, vt vidit, Iudæos cædem Domini cõmuniter flagitantes, dicebat illis, vt manifestè vos etiam ipsi cognouistis: Nihil dignũ morte inuenio in hoc homine. O nefarios, & iniquos Iudæos, cur tãtoperè studetis Romanorum magistratum labefactare, iniusto iudicio iustũ illũ aggredientes, & dantes omnem operam, vt innocentissimus, & ab omni labe purissimus, tanquam nocens condemnatus de medio tollatur? Nihil, inquit, dignum morte inuenio in homine isto. Iure igitur Barabbas condemnetur, & Iesus absoluatur, cùm ille seditiosus sit, & homicida, hic beneficus, & vitæ dator. An illi beneficia, tanquam crimina, exprobrabitis? In hanc sentẽtiam Pilatus respondit. Sed quid'nam Iudæorum natio? Illa quidem nihilominùs sæuiens, Pilatum ipsum, vt Augusti Cæsaris inimicũ, quippe q Christo patrocinaretur, his verbis præsentem insequebatur: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris, siquidem illi vitam condonas, qui se Regem esse dicit. Hæc Iudæi.

At Pilatus neq; sic permisit Iudæos suo arbitratu quicquid vellent in Christũ facere. Nam si per imperium Præsidis licuisset Iudaicæ genti facere, quæ volebat, lapidibus Dominũ Iesum obruissent, vel serra lignea dissecuissent. Quod si factum fuisset, nos Crucis beneficio defraudati damnũ passi fuissemus. Crucis enim lignum Romani iudicij proprium est supplicium. Quamobrem Pilatus iterum eos interrogans aiebat: Quid vultis faciam ei, qui dicitur Christus? Illi verò clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Quibus statim Pilatus assensus est. Datum enim ei fuerat desuper diuino nutu. Huius igitur rectæ ordinationis causa instituta est prima sub Augusto Cæsare descriptio. Nisi enim lex hæc antea lata fuisset, Domini Iesu Christi corpus sepulturæ integrũ mandatum non esset. Nam Iudæorum natio nimio furore accensa Dominicũ corpus in ignem, aut in mare deiecisset. Nam si Hieremiam non sic inuisum in lacum cœni plenum coniecerunt, quid in Christi summoperè sibi exosi corpus facturi fuissent, nisi Romanæ legis pœnam timuissent? Quamobrem cùm nulli Iudæorum Pilatus concessisset, vt Christi corpus de Cruce deponeret, Ioseph ab Arimathia Pilati amicus accessit, & petiit corpus Iesu, quod & accepit, rẽ

planè singularem, atq; incomparabilẽ. Necessaria igitur, vt sæpè diximus, descriptio fuit sub Augusto Cæsare, qua & sponsus Virginis, vt paulò ante audiuistis, census fuit; nã totus mundus descriptione illa rectæ ordinationis primordia tunc accepit. Sed prosequamur Euangelicæ historiæ narrationem.

Ibat Ioseph cum Virgine partim adiutor, partim spectator eorum, quæ futura erãt, nõ quia Virgini adiutore opus esset, vel ei, qui conceptus in vtero Virginis portabatur; ille enim est omnium adiutor, ad quem clamantis Prophetæ spectat oratio illa: Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum, & terrã: sed quia eius dispensationis mysterio necessarius erat Ioseph, vt Virgo quasi sub viro esse crederetur, & res ipsa lateret diabolũ, ne scilicet scire posset quod futurum erat, idest quemadmodum Deus ipse cum hominibus versari contentus esset. Sed quid'nam Euangelista Lucas ait? Factum est autem cùm essent ibi, impleti sunt dies, vt pareret, & peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio. O res admirabiles, & omnium cogitationẽ superantes. Papè quàm paucis verbis quàm magna continentur mysteria. Factũ est, inquit, cùm essent ibi, impleti sunt dies, vt pareret. O res omnino admirabiles. Effector temporum certũ expectat tẽpus; qui certos tẽporibus præfigit terminos, præfinitã expectat diem, ne quis eius ortum specie quadam, non re vera fuisse suspicari posset.

Operæpretium autem est huiusce rei mysteria considerare, ac primùm illud contemplemur, quemadmodũ parua illa domus, in qua Virgo peperit, Ecclesiæ figuram continebat. Præsepe verò altaris, Ioseph sacerdotis per vices munus suum exercentis, Pastores diaconorum, Angeli sacerdotum, & Dominus Iesus Pontificis formam in se gerebat. Thronus autem Dei per Virginem Mariam figurabatur. Quamobrẽ supradicta omnia in Virginis partu præmonstrata esse cernens, admirare cùm audis Euangelistam Lucam sic dicentem: Factũ est in illis diebus impleti sunt dies, vt pareret filium suum primogenitum, & inuoluit eum pannis, & reclinauit in præsepio. Vide admirabilẽ Virginis partum. Illa ipsa, quæ peperit, pannis inuoluit, & reclinauit in præsepio. Aliarũ mulierum, quæ in mundo sunt, vna parit, & alia infantem pannis inuoluit. At non ita Virgo fecit, sed quæ peperit, illa eadem infantem pannis inuoluit. Quæ sine labore aliquo mater fuit, eadẽ & obstetricis munere functa est, cùm à nulla muliere didicisset. Non enim permisit quenquam impuris manibus attrectare partum ab omni labe purum. Illa per se eum, qui ab ipsa, & pro ipsa genitus est, suscepit, pannis inuoluit, & in præsepio reclinauit, quoniam non erat eis locus in diuersorio.

Iam vidisti, amice, quemadmodum Ecclesiæ figurã præmonstrabat humile illud habitaculum, in quo Virgo peperit. Quæ cùm semel concepisset, ac peperisset, nunquam ampliùs genuit, neq; virum cognouit, quamuis aliqui delirantes, eò quòd audiant Euangelistam Lucam dicentem: Et peperit filium suum primogenitum: audeant dicere, Virginem ipsam alteram conceptionem suscepisse, incorruptam, atq; ab omni labe puram Virginem corruptioni subiectam fuisse temere iactantes. Nunquam, inquiunt, diceretur primogenitus, nisi & alter partus secutus fuisset. Non solùm autem aduersarij suæ temeritatis testem Lucam Euangelistam proferre audent, sed Matthæum etiam eadem scribentem proferunt; quin etiam manifestiùs hoc apud Matthæum Euangelistam esse contendunt, cùm his verbis in ipsius Euangelio scriptum legatur: Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicẽs: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Et post pauca: Exurgẽs autẽ Ioseph à somno fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit coniugem suam; & non cognoscebat eam, donec peperit filium suũ

primogenitum. Ex his verbis similiter aduersarij conantur probare, Mariam alios filios concepisse.

Sed caue hoc suspiceris; absurda enim omnino res est. Nam Virginale illud claustrum, in quo diuinus thesaurus repositus fuit, omni ex parte purum, atque impollutum permansit. Non coinquinatum fuit secundum illud cœlum; neque commaculatum, & tanquam inutile factum est vas Mariæ Dei capax effectum. Dominus autem primogenitus Mariæ verè dictus est, non quia & alter ab eadem natus sit, sed quoniam primogenitus, hoc est singularis, atque incomparabilis genitus fuerit. Beatus item Paulus, licet de Domini ex Patre, qui est sine principio, scribens origine, dicat illum primogenitum omnis creaturæ, non propterea & naturalem aliquē fratrē ei fuisse innuit; neque enim cùm eundem appellat primogenitum mortuorum, iam similem aliquē introduxit infernum conculcantem. Quamobrem hæc scripturæ verba prudenter intelligas, & piè credas. Dominus propterea vocatur primogenitus à mortuis, à Patre, & à Virgine, vt ex omnibus his notior fieret singularis eius dignitas, qua filius Dei est. Incomparabilis enim fuit Domini origo. Cuius enim mater ipsa Virgo est, eius origo qua ratione poterit explicari?

Quod autem dicit beatus Matthæus; Non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum: non in eam sententiam accipiendum est, in quam isti prauè accipiunt. Verè non cognoscebat illam Ioseph, donec peperit filiū suum primogenitum, quādiu scilicet Virgo ipsa, quē conceperat, ferebat in vētre. Nanque Ioseph quid in ea lateret, ignorabat, & quale, quātumue illud esset, & quem ad finem res spectaret, non antea perspectum habuit, quàm Virgo peperit. Tunc enim quanta esset eius virtus, ac dignitas diuinitus ei collata, manifestè cognouit. Tunc vidit mammam infanti à Virginē datam, cuius virginalis flos intactus permanserat. Tunc vidit Virginem peperisse quidem, sed nihil eorum sensisse, quæ parturientes pati solent. Tunc cognouit petram illā è montis vertice abscissam, mammam sugendam dedisse petræ illi spiritali, quæ mentis lumine comprehenditur. Tunc cognouit Ioseph clarissimi præconij Prophetam Esaiam de Virgine illa hoc scripsisse: Ecce Virgo concipiet. Propterea igitur primogenitus dicitur Iesus, quòd singulari, & incomparabili modo genitus sit. Nam si verum dicere volumus, Dominus ipse vnigenitus verè est ex Patre. Solus enim ex solo sine principio genitus est. Idem Dominus, & vnigenitus, & primogenitus; vnigenitus ex Patre, vnigenitus ex Matre, propter dispensationis terminum. Habet ille quidem multos fratres nō natura, sed gratia, & in Virgine, & in Patre. Et in resurrectione habet fratres Dominus Iesus. Sed quinam sunt isti? Ante omnes fuerunt sancti Apostoli, quibus dixit Dominus: Vado ad Patrem meum, & Patrem vestrum. Ipsi Patri simul cum Filio, & sancto, ac viuificante Spiritu sit gloria in æterna secula.

Amen.

VITA, ET INSTITVTIO SANCTI PATRIS NOSTRI IOANNIS CALYBITAE, HOC EST, QVI SVB TVGVRIO HABITABAT.

XV. IANVARII.

VIRI iusti, & perfecti vitam honestè, purè, & cum virtute actam vobis, qui concordes in hunc locum conuenistis, narrare in animo habeo. Vixit enim ille temporibus nostris. Qui cùm huius vitæ negocia singulari sapientia, & in Christum fide, ac pietate contempsisset, cœlestia bona consecutus est. Res ipsa cuiusmodi sit, narratione hac explicabitur.

Fuit in vrbe Roma vir quidam valde diues, & dignitate illa præditus, qua ij sunt, qui exercitus ducũt. Nomen viro illi erat Eutropius, eius autem coniunx Theodora vocabatur. Is habuit tres filios, è quibus duo ciuilibus magistratibus ab ipso occupati erãt. Qui verò natu erat minor, Ioannes appellabatur. Eũ ad literas discendas pater magistro tradidit. Itaq; cùm primas eruditionis literas didicisset, ad Rhetoricos, & Philosophicos libros cognoscendos se traduxit. Cùm verò duodecimũ annum ageret, & omnia ferè perfectè didicisset, eò quòd boni, & elegantis ingenij esset puer, cùmq; Christi fidẽ seruaret, præter cætera sanctis Ecclesiis vacabat, neq; horam vnam à libris discedebat, ita vt Grammatici homines adolescentuli perseuerantiam obstupescerent. Quodam autem die Abbas quidam è superioribus partibus ex venerabili eorum monasterio, qui vocantur Acœmeti, eò quòd nunquam cubare soliti sunt, cùm votum fecisset, vt Hierosolymam proficisceretur, venit in eam domum, in qua Ioannes docebatur, & eos, qui illam habitabant, exorauit, vt apud ipsos diuersari posset. Eius viri habitum, & exercitationis institutionem cùm beatus Ioannes vidisset, à sancto Spiritu inflammatus cœpit ab eo quærere, vnde nam esset, quò iret, & quæ nam foret exercitationis ratio, quam monasterium illud, è quo discesserat, teneret. Monachus igitur ille à puero interrogatus omnem vitam, & exercitationis regulam enarrauit. Patefecit autem & res suas, quòd scilicet deuotionis causa Hiero-

1 solymam 1 proficesceretur, vt illic Deum oraret, & sancta loca veneraretur, ac rursus in sanctum monasterium, è quo discesserat, rediret.

Ecce peregrinationem ad Hierosolymã orationis gratia, & sanctorum locoru3 veneratiõis.

Hæc cùm Ioannes audiuisset, manu apprehendit monachum illum, & seorsum duxit, ac iureiurando valde horribili eum astrinxit, vt postquam iter illud perfecisset, ad eum rediret, vt secum vnà ipsum ad sanctum illud monasterium duceret. Tunc dicebat illi beatus Ioannes: Audi, quæso, mi Abba, & mei commiseratio te tangat, nam parentes mei, cùm me præter cæteros fratres, & alios omnes domesticos diligant, & eruditionis, ac doctrinæ literis plurimis me instituendum curent, cogitant ad magnum aliquem dignitatis gradum me extollere; vt enim dicit dominus, & pater meus, vult me prouehere ad dignitatem aliquam, quæ maior sit, quàm gradus ille est, quem Tribuni militares obtinent. Posthæc omnino me nuptiis copulare in animo habet. Sed ego partim in sanctam Ecclesiam veniens, partim ex iis, quæ legi, & mecũ ipse cogitaui, res omnes, quæ in hac vita sunt, vanas esse cognoui, & illum solum saluum esse, qui huius vitæ rebus contemptis, constanter in isto vestro habitu Christo seruit. Quamobrem à te supplex peto, domine, vt me ducas, & in illo sancto monasterio connumeres. Hæc cùm audiuisset monachus ille, iureiurando se rediturum promisit, & eum secum vnà in monasteriũ ducturũ.

Cùm ita igitur inter se conuenissent, vterq; in suam viam abiit. Cùm verò Monachus ille discessisset, hæc secum beatus Ioannes dicebat: Interea hoc primùm faciam; à meis parentibus sanctum Euangeliorum librum petam, ex quo Christi traditiones ediscam, & quomodo possim ea facere, quæ Christo grata sunt. Itaq; parentes adiens; Non possum, inquit, præ pudore in gymnasiũ ire, cùm omnes, qui mecum vnà literas discunt, postquam res illas expedierint, quæ in gymnasio exercentur, secum habent Euangelia, & sedentes ea legunt; at ego talis sum, quasi vnus ex iis, qui parentes non habent, cùm Euangeliis caream. Itaq; supplex à vobis peto, domini mei, vt mihi quoq; iubeatis Euangelium dari, quò & ipse illud in manibus meis habens ediscam. Hæc cùm eius mater audiuisset valde lætata est, quòd eius filius tanto discendi studio teneretur, & cum viro collocuta; Agè, inquit, domine mi, cura, vt talis Euangeliorum liber conscribatur, & filio nostro detur, qui non solùm literarum figuris, & his, quæ intus scripta habuerit, desiderium filio commoueat, sed etiam ipsius conglutinatione, & exteriori specie ita pulcher sit, vt eius desiderium magis excitet. Statim verò eius pater iussit aurificem vocari, ei'q; dixit, vt tantum pecuniæ sumeret, quantum satis esset ad Euangeliorum librum filio conglutinandum. Aurifex igitur cùm quingenta numismata, & pretiosos lapillos, ac margaritas sumpsisset, librum Ioanni conglutinauit. Cùm verò Euangelium ipsũ Ioannes accepisset, & in manibus teneret, studiosè illud didicit expectans quoad Monachus, de quo supradictum est, reuerteretur.

Interuallo temporis Monachus ille reuersus est, quemadmodum se facturum promiserat. Quem cùm vidisset Ioannes, valde gauisus est, & occurrens animo admodum lœto eum amplexus, his verbis affatus est: Domine mi, parentũ meorum affectum, & nimiam ipsorum in me beneuolentiam nemo scit, vt ego ipse. Noui enim matrem meam præcipuè talem in me esse, vt si quid huiusmodi præsenserit, lachrymis suis propositi mei cursum impediat. Itaq; te precor, vt tacitè discedamus, ne quis id sciat, quod facimus. Tum Monachus; Faciamus, inquit, fili, quod vis; votis enim tuis Deus satisfaciet. Itaq; Ioannes secum ducens Monachum illum, ad fluminis ripam accessit, & Nauclero quodam inuento ait: Rogamus te, frater, vt liceat nobis nauigium tuum conducere, quo ad eorum monasterium, qui Acœmeti vocantur, nos vehas. Quibus ille; Ego, inquit, propterea hîc sedeo, vt onus aliquod capiã, & nauigiũ

meum impleam, centumq; nummi sunt ipsius merces. Tunc Ioannes dixit: Expecta, frater, vsq; ad tertium diem, & à me nauigium conducetur. Cùm ita inter se conuenissent, discesserunt. Tuncq; Ioannes dixit Monacho: Multa erit merces, qua nauigium hoc conducitur; illud autem consilium valde placet, vt rationem ineamus, qua parentes discessum meum non impediant. Ibo igitur, & aliqua ficta excusatione à parentibus meis petam, vt mihi pecuniam largiantur; ea verò nauigium conducemus. Tum Monachus; Vade, fili, Dominus dirigat omne tuum consilium bonum.

Venit igitur Ioannes, & matri suæ dixit: Mater mea domina, quæ ab initio ita me educasti, vt paucæ admodum matres filios suos educarunt, & propter summam tuam in me beneuolentiam, quicquid ipse optaui, mihi præstitisti, vnũ est, quod præterea ego à te, ac patre meo peto, idq; vestræ gloriæ causa exopto. Ad hæc mater; Pete, inquit, fili, quicquid vis. Tum Ioannes: Mater mea domina, omnes pueri, qui sunt in gymnasio non semel tantùm, atque iterum, sed sæpiùs me in conuiuium vocarunt; ego cùm illos similiter accipere non valeam, in gymnasium ire non possum, ita pudore multo perfundor. At illa: Expecta, fili, hodiernum diem, & ego patri tuo persuadebo, vt tibi det pecuniam, qua inuitare possis quoscunq; velis. Hæc dixit mater, & absente filio, singula viro suo narrauit, quæ à Ioanne acceperat. Cui vir; Demus, inquit, illi centum aureos nummos, & puerum, qui eum custodiat, & obseruet, ne quo modo adolescens procliuior euadat, & in sordidum, ac turpem aliquẽ vsum pecuniam conferat, atq; consumat. Placuit vtriq; consilium illud. Cùm igitur Ioannem accersiuissent, dederunt illi pecuniam, & puerum custodem. Ioannes verò, acceptis centũ illis aureis nummis, ea re valde gaudens ad Monachum venit vnà cum puero illo, & ait: Mi domine, hic homo meus est; ipse tecum hîc manebit; ego verò ad socios meos adibo, vt ab ipsis audiam certum diem, quo illos in conuiuium accepturus sim. Abiit igitur, & secum habens pecuniam, nauigij dominum adiit, ac dixit: Rogo te, frater, vt mihi, & Monacho tantùm nauigium loces. Cui nauigij dominus? Dixi inquit, tibi multa mercede nauigium conduci; quod si expectetis, vos vnà cũ reliquis oneribus accipiam. Tunc illi Ioannes: Accipe à me mercedem tuam, modò nos saluos peruehas. Hoc cùm dixisset, centum nummos aureos ei numerauit; quos cum daret; Rogo, inquit, te, frater, vt cœlũ ipsum benè inspicias, cùmq; is ventus flare incipiat, qui ad nos vehendos idoneus esse possit, tunc in nauigio tuo stans nos ipsos nutu voces; suspectos enim habemus quosdam homines, & fuga vti volumus. Tum ille centum aureis nummis acceptis valde lœtatus dixit: Vade, domine mi, & securus esto, quòd vos incolumes peruehum. Abiit igitur Ioannes, & Monacho rem narrauit clam puero illo, quem pater custodem apposuerat.

Post aliquod temporis interuallum, Ioannes Monacho, & puero dixit: Eamus ad fluminis ripam, eò quòd intra duos dies futurũ est, vt ego sodales meos in conuiuiũ accipiam, vnde boni alicuius piscis obsonio indigemus. Cùm igitur eò venissent, Dei voluntate factum est, vt ventus nauigationi accommodatus flare cœperit. Itaq; nauclerus è nauigio ipso crebris nutibus illos vocabat. Cùm verò puerum ipsum, si ibi maneret, latere non possent, ei dixerunt: Abi, puer, in gymnasium, & vide, quid adolescẽtes illi faciant, & redi huc, vbi nos inuenies. Abiit puer. Ioannes verò, & Monachus nauigium conscenderũt, & illinc nauigantes, ad sanctum illud monasterium incolumes vecti sunt. Narrauit autem Monachus ille fratribus totum id, quod verum erat, & quanta esset pueri fides. Quem cùm Archimandrita inspexisset; Nimium, inquit, adolescens es, ò fili; nobis autem mos est, vt qui monasticam vitam profiteri velit,

quadraginta dies apud monasterium maneat, & cùm exercitationis nostræ regulam considerauerit, ita tondeatur. Ad hæc Ioannes; Obtestor te per purissimam Trinitatem, vt hodie me tondeas, quoniam isto Angelico habitu indui vehemēter cupio, ac studeo. Tunc Archimandrita puero illi benedixit; cùmq; eum 2 totondisset, habitu induit. Ipse verò multo studio, & animi alacritate exercitationi monasticæ vacabat, Deū ipsum nocte, & die precans. Mansit autē annis sex in monasterio illo, & omnibus, qui illic erant, exemplo fuit, quo pacto humilitatem exercere, ac Deum ipsum orare deberent. Talem autem continentiam sibi præscripsit, vt nihil aliud gustaret, nisi pretiosum Christi corpus, & sanguinem, ita vt Archimandrita ille miraretur, ac diceret: Tu quidem adhuc puer multum laboris tibi ipse imposuisti; itaq; corpus tuū imbecillius efficitur, quàm vt diuinæ gloriæ ministerio sufficere possit; continentia 3 enim, ieiunium, & vigiliæ multæ ipsum corrumpunt.

2 Vides q̃ qui Monach' fiebat, tondebatur, & nouo habitu induebatur?

3 Ecce Sācti viri continentiam, ieiuniū, & vigilias.

Iam verò bonarum rerum hostis diabolus, cùm adolescētis illius studiū multum, & sancti propositi cursum intentum videret, vehementer contra illum furere cœpit. In quem cùm acerbissimè affectus esset, & generosam eius mentem, & cogitationes superare, & à Christi spe remouere non posset, talem mœrorē, & tantum parentum desiderium in eius adolescentis mentem iniecit, vt nocte, & die de illis cogitaret, & ante oculos haberet, quanto comitatu, ac seruorū ministerio parentes vterentur; denique omnem vitæ huius fallaciam, ac vanitatem propositam habebat. Itaq; multis ieiuniis, vigiliis, & nimio parentum desiderio factum est, vt eius corpus non caro, sed instar vmbræ tenue videretur. Archimandrita verò cùm adolescentem ita extenuatum, atq; afflictum vidisset, vt iam iam è viuis excessurus putaretur; An non tibi dixi, inquit, fili Ioānes, Deū ipsum hoc tantùm à seruis suis postulare, vt eum pro viribus colant? Tu verò supra vires tuas ista exercitatione vtens, te ipsum nimis extenuatum, & gracilem reddidisti. Ad hæc Ioannes: Scito, pater, non ieiuniis me domari, sed peccata mea impedimentum mihi afferre. Multis enim ab hinc diebus bonarum rerum inimicus diabolus cor meum conturbauit, & parentum, ac videndæ familiæ meæ desideriū animo meo suggessit; neq; perditus hic hostis illud videt, quòd, Deo meo volente, & vestris precibus mihi opitulantibus, quamuis ad videndos parentes meos profectus fuero, ipsum tamen conculcabo, & eius conatum imbecillum, atq; inanem esse ostendam. Tum illi Archimandrita; Nonne, inquit, fili, tibi dixi, cùm primùm monastica professione initiari voluisti, nostræ huius exercitationis certamen magnum, & laborem multum esse? Hæc cùm dixisset, & adolescentis causa lachrymatus esset, ei benedixit.

Postero autem die Ioannes Archimandritam adiit, cùmq; ad eius pedes se abiecisset, ipsum rogauit, ne sibi succenseret, sed pro se Deum precaretur, & concederet, vt sibi liceret abire, & parentes videre, eaq; ratione diabolum, Domino adiuuante, conculcare. Archimandrita cùm omnes fratres, qui erant in monasterio illo congregasset, & attentis precibus pro adolescente illo Deum orauisset, cum gemitu, & lachrymis; Vade, inquit, fili, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & tecum vnà venientem habeas Dominum Iesum Christum, qui te ducat in via ista, prout ipse vult. Ioannes verò cùm è terra surrexisset, fratres omnes obeundo, genibus flexis, petiit à singulis, vt extensis manibus illi benedicerent; & ita eos salutans; Salui estote, inquit, omnes patres, & fratres; salua esto laudabilis, & sancta societas, quæ me benè suscepisti; ego omnino vestro tecto indignus sum.

Cùm igitur à sanctis illis patribus Deo commendatus esset, exiit è monasterio illo, & ab eius ianua longiùs progressus, se cōuertens, & sanctū monasteriū

aspiciens,

aspiciens, tristem, atque acerbum gemitum emisit, & flexis 4 genibus, Deum ipsum sic orauit, vt eius lachrymæ in terram destuxerint; atq; ita finitimam illam regionem salutauit, & lachrymas non intermittens discessit, iterq; suum fecit. Cùm verò dimidium itineris confecisset, vidit inopem quendam hominem lacera veste indutum, cui dixit: Salue, frater, & viæ comes. An placet, vt vnà iter faciamus? Maximè, inquit ille, gratum mihi hoc est. Cùm verò vnà iter facerent, Ioannes ait: Video te, frater, vestem tam laceram habere, vt illam ferre non possis; te igitur rogo, vt veste ista te exuas, & meam capias; ego autem tua me induam. Cùmq; ad locum quendam venissent, vicissim se salutantes, singuli viam suam aggressi sunt. Cùm verò Ioannes eò venisset, vnde parentum suorum ædem è regione prospiciebat, se ipsum in terram deiecit, & Deum ita precabatur: Domine Iesu Christe, ne derelinquas me. Cùmq; ad multam noctem parentum suorum ianuam adijsset, rursus in terram prostratus, ac lugens, Deum ita precatus est: Domine Iesu Christe, en parentum meorum domus, quam mihi ostendisti; sed ne à gratia tua decidam, da mihi, quæso, vt superato diabolo, hoc in loco bene moriens, non amplius tentationem aliquam patiar. Mansit itaq; illic tota nocte illa.

4 Genibus flexis, orat Sanctus Deum.

Vt verò dies illuxit, atrij fores patefactæ sunt, vt solebant, eò quòd eius parentes paulò post egressuri essent. Exijt autem familiæ Præfectus, qui cùm ipsum lacera veste indutum vidisset; Quis, inquit, tu es, & vnde nam, & quare cùm talis sis, huc accedere ausus es? Discede istinc, quoniam domini mei egressuri sunt. Tum Ioannes; Quæso, domine, vt misericordia me prosequaris; sum enim homo pauper. Sine igitur me in hoc angulo manere (nihil enim mali facio) atque huius rei mercedem à Deo ipso expecta, si me pauperem ad huius atrij fores manere permittas. Permisit ille, & abijt. Exierunt autem eius parentes in atrium. Quos cùm Ioannes vidisset, totus lachrymis repletus est, ac secum dixit: En diabole, & parentes meos, Deo ita volente, aspexi, & sagittas tuas ardentes contemno Christi ope adiutus. Ac rursus dixit: Domine Iesu Christe, ne derelinquas me. Et manebat in illo angulo. Cœpit autem eius pater è mensa sua cibum illi mittere, dicens: Huius pauperis patientia multa est, quippe qui in tantis pluuiis, & multa glacie tam patienter, ac fortiter in hoc atrio commoratur. Potest Deus ipse per hominem hunc nobis salutem afferre. Omnino enim propterea huc missus fuit homo iste, vt & nos per illum salutem assequamur. Exiens autem domo quodam die mater illius, cùm eum ita abiectum vidisset, indignans substitit, quòd tanquam horrendum aliquid videre sibi visa esset, & ad pueros suos conuersa; Auferte, inquit, istinc hominem istum, quòd non possum, illo sic iacente, transire. Statim igitur serui hominem illum vi pertraxerunt. Cùm verò aliquantulum à foribus illis longè abesset, manebat illic, neque aliquò discedebat. Egredienti autem aliquando familiæ Præfecto; Rogo te, inquit Ioannes, vt quemadmodum initio misericordia me prosecutus es, ita & nunc paruum aliquod tugurium mihi construas, vt à glacie defendi possim, neque à vestra domina vnquam videar. Hæc cùm ille audiuisset, nihil moratus, paruum quoddam tugurium ei composuit; in quo manebat, Deum orans. Ei autem pater quotidie cibum mittebat. Verùm quæ à patre mittebantur, pauperibus ipse distribuebat ex eis non edens, neque bibens, ita vt omnes pauperes ad eum currerent, & ab illo nutrirentur. Itaq; eius corpus sic extenuatum erat, vt ossium compages numerari possent; tanta continentia se afflixerat.

Tertio autem post anno, cùm benignus Deus multum eius laborem respexisset, eumq; virtutis exercitatione perfectum vidisset, apparuit ipsi, & dixit: Salue, Ioannes, qui reuera hoc nomine appellaris; eo enim, quod fecisti, te

illi Ioanni, qui virgo fuit, similem ostendisti; nam cum omnia dereliqueris, me secutus es. Tuæ igitur exercitationis tempus, & laborum tuorum certamen completum est. Post tres dies ad me venies ad illam iustorum hominum requiem. Experrectus autem Ioannes flere cœpit, & Deum ita precari: Ago tibi gratias, Domine deus, quòd me indignum hominem illa iustorum requie dignum facere velis; sed memento, quæso, & parentum meorum, & ipsos misericordia prosequere, illorum peccata non reputans, sed delens, quoniam solus tu clemens es, & misericors. Cúmque has preces cōpleuisset, prædictū familiæ Præfectum ad se accersitum sic affatus est: Quemadmodum ab initio vsque ad hanc horam misericordia me prosecutus es, ita, quæso, & nunc facias. Vnum est, quod a te peto vt meis verbis dominæ vestræ significetur. At ille; Agè, inquit, dic, si quid vis. Tum Ioannes: Eas igitur, & illi hæc dicas: Pauper ille, quem ad fores iacentem expelli iussisti, per me à te petit, ne superbo animo pauperem, & inopem despicias, Iesum Christum Dominum respiciens, sed patienter digneris ad eum accedere, quippe qui habet quædam tibi dicere. Abijt ille, & dominæ suæ nunciauit quæ à Ioanne acceperat: Tum illa; Num, inquit, aliquid est, quod pauper iste mihi habeat dicere, quæ non possum ad eum accedere, neque ipsum aspicere? Virum autem suum adijt, & ipsi hæc significauit. Cui ille dixit: Abi, vxor mea, & pauperem ne despicias; pauperes enim Deus elegit. At illa adhuc iter suum differebat. Rursus Ioannes ad eam misit, qui eius verbis diceret: Post tres dies ego moriar; at tu si huc venire, & me videre nolueris, postremò te ipsam pœnitebit. Illa cùm de eius morte audiuisset, exijt, & pueris suis præcepit, vt pauperem illum ad se ferrent.

Ille verò cum esset contectus, agnosci non poterat, sed hæc dixit: Merces tua, ò domina, completa est, sicut Dominus dixit in Euangeliis suis, quo loco ait: Quæcunque feceritis vni ex istis fratribus meis minimis, & mihi fecistis. Ego verò vt pauper, & nihil habens, benedictionem quandam tibi volo derelinquere, sed iureiurando promittas velim, te facturam quæ dixero, & ita benedictionem accipias. Iurauit illa se obseruaturam quæ audiret. Tum ille; Per eum, inquit, ipsum te obtestor, per quem & tu iurasti, ne iubeas me alia veste tectum sepeliri, nisi hac ipsa, quam nunc habeo, & in hoc ipso loco, vbi tugurium meum est, facias me humari, quoniam neque alijs vestibus, neque nobiliore aliquo loco ego dignus sum. Hæc cùm dixisset, illi Euangelium tradidit, ac dixit: Hoc tibi in hac vita propugnaculum, & illius futuri æui bonum tam tibi, quàm domino meo viro tuo sit viaticum. Illa cùm Euangelium accepisset, vndique illud versans ait: Simile Euangelium hoc illi est, quod olim dominus meus filio nostro dedit. Cucurrit igitur, & viro suo librum ostendit. Quem cùm ille agnouisset; Verè, inquit, Euangelium illud hoc est, & non aliud. Sed vnde nam ipse hoc habuit? Par est illum interrogare, vbi nam sit filius noster Ioannes. Cùm igitur ad ipsum venissent, dixerunt: Obtestamur te per purissimam Trinitatem, vt nobis verè dicas, vnde nam Euangelium hoc habueris, & vbi sit filius noster Ioannes. Ille cùm lachrymarum vim ferre non posset; Ego, inquit, sum Ioannes filius vester; ego sum multarum lachrymarum vobis causa. Euangelium hoc illud est, quod vos mihi dedistis. Sed Christum meum desiderans, suaue illius iugum portaui. Hæc cùm parentes audiuissent, ad filij collum se abiecerunt, & ab hora prima vsque ad sextam ita fleuerunt, vt omnes, qui Vrbem habitabant, vnà cum illis filium agnitum fleuerint.

Vt verò eius recta, & sancta institutio, nulla vitæ huius perturbatione macularetur, illius Spiritus, quem loquentem in se habebat, ope adiutus, animam

suam Deo reddidit. At eius mater oblita quod iurauerat, laceratis vestibus illum exuit, & aureis induit; quibus cùm ille indutus esset, repente mater paralytica effecta est. Cùm verò eius pater verba illius memoria repeteret; Seruetur, inquit, quod sancti nostri filii voluntas postulauit. Cùm igitur aureis vestibus eum exuissent, laceris illis induerunt, quas antea, habere solitus fuerat. Quo facto, statim eius mater sanata est. Illius autem sancti viri reliquias in tugurio illo parentes condiderunt, & sacram ædem illic ei construxerunt, omniaq́; bona sua sacro illi templo dedicarunt. Cumq́; multas pecunias in peregrinorum ministerium contulissent, in pace diem suum obierunt. Hæc fuit Ioannis institutio, hæc vita, & sanctæ ipsius exercitationis ratio. Hic, inquam, cùm diabolum conculcasset, supernæ vocationis brauio dignus effectus est, gratia, & benignitate Domini nostri Iesu Christi; Cui gloria sit, & Imperium in sæcula seculorum. Amen.

Boni parentes sancto filio templum construunt, omniaq́; sua bona illi dedicant, eius reliquijs ibidem collocatis.

SERMO IN ADORATIONEM VENERABILIUM CATHENARUM, ET GLADII SANCTI, ET APOSTOLORUM PRINCIPIS PETRI.

XVI. IANUARII.

1 Nota diē festū sancti Petri ad vincula.

QVICVNQVE diuino Apostolorum summi Petri amore allecti ad eius panegyrim, ac diem 1 festum celebrandum parati, & eius diuinis retibus capti, incolumesq́ꝫ seruati, illius theologiæ lumine illustrati sumus, communem panegyrim hodie celebrantes, ad eiusdem laudum præconia linguā nostram dirigamus. Multis quidem de causis beati Apostoli Petri memoriam die festo, & laudatione dignam esse censemus, non minimè autem propter Apostolicæ dignitatis gradum, & Euagelicæ prædicationis cursum, ac doctrinam, admonitionesq́ꝫ, quibus in dispersione gentium versantes Iudæos instruebat; illos enim eò maiore cura, & solicitudine prosequebatur, quòd ex illis originem duxerat. Quæ omnia cùm ad laudum materiam suppeditandam idonea esse iudicentur, atqꝫ assumantur, omnino valent ad Apostolum ipsum summo laudationis præconio extollendum. Sanctum enim, ac iustum est, eò quòd ex his, quæ in lege diuina scripta sunt, eū, qui ad salutem nobis conferendam in mundum venit, tanquā in speculo quodam perspexerit, summis, & meritis honoribus Apostolum ipsum prædicari, omnium verò maximè quòd in extremis tēporibus Deum ipsum viderit, vnigenitum, inquam, Dei filium secum vnà versantem, ac loquentē, & humanæ carnis, qua se induit, spectandæ, mysteriiq́ꝫ cognoscēdi facultatem præbentē; in quo & suam Ecclesiam pro diuinæ illius vocis præmio, qua ipsum Dei filium esse prædicauit, ædificaturum se prædixit, & cœlorum claues eius in se fidei arrobonem se illi daturum, & eorum, quæ ab ipso in terris ligata, aut soluta fuissent, in cœlis sententiam confirmaturum promisit. Adde quòd vocanti fratri, & ad Messiam sequendum inuitanti libenter obedierit, & vocationē illā sequens ad Christum venerit, & Cephæ appellationem, velut quoddam suæ in ipsum fidei signum, atqꝫ imaginem acceperit; quòdq́ꝫ ex eo tempore totus à magistro suo pendere, & eius amore inflammatus esse cœperit, ob idq́ꝫ beneuolentiæ ardorem multis in rebus, ac sæpè, talem ostenderit, qualem nullus alius ex discipulis ostenderat.

Hæc etsi

Hæc & si tã magna sunt, vt humanas cogitationes exuperent, & orationis facultate maiora videantur, non tamen talia omnino sunt, vt aditum nobis, & viã obstruant. Ad nostram enim vsq; imbecillitatem, & humilẽ captum se demitterit omnium Apostolorum summus, non solùm propter commiserationem, qua præ cæteris nos homines prosequitur, sed etiam ꝙ magistrum suũ imitatur, qui cùm vsq; ad serui formam se demiserit, eo ipso discipulos suos edocuit, non elatos, sed modestos esse, & cũ humilibus submissè, atq; humiliter se gerere. Hilaris quidem dies ille 2 festus est, & multo sancti Spiritus lumine illustris, q eius martyrium nobis repræsentat, hoc est Crucem fixam, & Apostolũ prõpto animo ad eam ascendentem, manus ad extensionem vltro expansas, & Dominicæ passionis imaginem præseferentes, figurã crucifixionis non rectã, sed capite in terrã deuoluto; quæ res eius in Magistrũ reuerẽtiam significauit, cùm semp summus ille Apostolus Magistro suo reuerentiam, & primas (vt par erat) concesserit, suamq; humilitatẽ illius celsitati subiecerit, atq; eo modo humilia, & infima magis quàm summa, & sublimia optauerit. Nihilo autem hac ipsa hilaritate inferior est hodierna celebritas, quippe quæ eorum causas præmonstrat, quæ postremò Apostolus passus est, & nõ minùs quàm Crucis eleuatio, ea, quæ antea passus fuerat, hæc indicat, quare & Crux ipsa iucũdior illi fuit, atq; cæteris omnibus rebus optabilior. Hic enim dies venerãdas eius cathenas manifestas ostendit, & earum 3 adorationem proponit, quibus Apostolus ipse deuinctus, multiplices eius, qui est malorum omnium origo, nodos, ac machinas dissoluit, & quos diabolus astrictos tenebat, eos ereptos à morte sempiterna liberauit.

2 Dies festus martyrij Sãcti Petri hilaris, & illustris.

3 Nota, Hic dies venerandas eius cathenas manifestas ostendit, & earum adorationem proponit.

Hæc pro diei festi argumẽtò habentes, cùm crucifixionis causã his rebus cõciliatam fuisse cognoscamus, & in vno, eodemq; Apostolo tã hæc, quàm illa facta, & cõiuncta cõtemplemur, ob id præsentem celebritatẽ à sacro martyrij die alienã nõ existimabimus. Itaq; ex vtraq; re vnã cõponentes, orationis laudibus, & fidei ardore, quàm maximè possumus, hodierno die celebritatem ipsam illustremus, eamq; vt omni ex parte insignem, & sacrã, atq; vniuerso mundo lumen conciliãtem, & Dei voluntatem in Apostolo suo decorando præseferentem, sacris cantibus exornemus; hanc deniq; vt sãcti Spiritus gratiam & lumẽ in animas illas, quæ sunt idoneæ, cõferentem pro viribus nostris laudemus. Ita enim fieri poterit, vt si Apostolicarum laudum sumus amatores, illum ipsum, quem honore prosequimur, ad misericordiam attrahamus, & nostræ laudationis, quã de illo instituimus, adiutorem habeamus. Eius enim linguæ gratiam mihi dari exopto, quam Spiritus sancti virtus lumen afferens concinnauit, & cœlesti, atq; arcanarum rerum doctrina ita repleuit, vt gentium nationes multis in locis dispersas in propriam sagenam magnificentissimè concluserit.

Hoc autem loco, in Apostolicarum rerum pelago mentis aciem infigens, totus vertigine, ac tenebris repletus, & in me ipsũ cõuersus clarissimi Esaiæ verba illa pronuncio: Miser ego, qui impurus sum, & labia impura habens purissimas materias tractem, nulla ope mihi ad hæc ipsa rectè aggredienda spem afferente. Quamobrem ad Apostolicæ misericordiæ perfugium recurrens, tenui hac lingua de eius laudibus dicere conabor. Omitto nũc de eius ortu, de patria, & parẽtibus aliquid dicere. Honesta quidẽ illa sunt, & auditu digna, sed mentem tamen obruerent, neq; sinerẽt orationem longiorẽ de his rebus habere, quæ præstantissimæ sunt, & quarum memoria vtilis est, ac salutaris. Diuinorũ profectò signorum Apostoli huius, & miraculorum multitudo magna extitit; aliaq; omnia, quæ Spiritus sancti gratia in illo habitans effecit, tot, tantaq; sunt, vt si velim singula scribere (Decet enim de ipso dicere, quod Theologus quidam scripsit) nostrarum orationum vis satis esse non possit, quamuis ad eam rem tractandam audacter se ingerat.

Hic Apostolus, postquam vnigenitus Dei Filius supra humanā conditionē in paterno solio arcano quodam modo consedit, vnà cum reliquo Apostolorū cœtu erat, ac viuebat, & communem cum illis Euāgelij prædicationē exercebat, ac modò tribunali, iudiciisq; vnà præsto erat, modò ignominias, & verbera vnà cum aliis Apostolis à Iudæis ipsis patiebatur; neq; vnquā ab Apostolorum societate aberat, sed cū illis in ærumnis perferēdis cōmunicabat. Liber ille, qui Apostolorū scripta cōtinet, multa eius pericula percurrit, in quæ Apostolus ipse incidit, & quibus detentus fuit, multorumq; miraculorū mētionem facit, quēadmodū admirabili quodam modo claudū illū sanauerit, & Ananiæ, ac Saphyræ mortem ineuitabilem seuerissimè intulerit, Tabithamq; puellam à mortis ipsius laqueo ereptam vitæ restituerit, atq; Cornelium Centurionem Angeli præsentia edoctum instruxerit, & ad Christi fidem traduxerit; quēadmodum per vmbrā corporis infirmos homines firmos reddiderit; quot deniq; ærumnas sustinuerit; quàm sæpè comprehensus, & ante tribunalia cōstitutus, & pro Christo ipso flagellis verberatus gauisus fuerit, quòd dignus habitus sit, qui pro nomine Iesu multas ignominias pateretur. Licet ex eodem libro discere, quàm libera oratione apud Iudæos sæpè vsus fuerit; & quemadmodum ipse idiota ex illeterato ore sermones diuina sapientia refertos protulerit; vt precibus suis terram commouerit, ac turbam, quæ illuc conuenerat, ad Christi fidem attraxerit. Hæc, inquā, & quæcunq; alia deinceps passus est, & effecit, cùm tā multa sint, vt facilè narrari non possint, oratio nostra summatim perstringens, ad vnum illud periculū enarrandū se cōferet omniū grauissimū, et vitatu difficillimum, nā in eo effugiendo diuino quodā miraculo opus fuit. Quæ res & multā Iudæorum aduersus Apostolum immanitatem, & diuini auxilij celeritatem declarauit.

Herodes ille eius viri progenies, qui primus Hierosolymorum Rex fuit, cùm è Iudaico semine ortum duceret, & Iudaicum cultum teneret, zelo quodā excitabatur ad patrias institutiones, ac leges defendendas, easq; dissolui non patiebatur, quæ Apostolorum doctrina tolli, ac funditus euerti videbantur. Ille igitur Iudæorum iracundis vocibus inflammatus, vt illis gratum faceret, furorem, ac rabiem in Apostolos ipsos magis effundens, primum Iacobum fratrem Ioannis gladio interfecit. Quo loco diuinæ literæ eius ferociam, atq; inhumanitatem eo ipso significarunt, quòd gladio Apostolum Iacobum ab eo interfectum dicunt. Poterat enim alio mortis genere Apostolum interimere, vel cruciatibus morti similibus subiicere. Sed vt Herodis mens feris etiam ipsis immanior, Apostoli verò Iacobi animus ad cædem illam subeundā æquissimus cognosceretur, instar ouis, quæ ad cædem trahitur, gladio interfectus martyriū perfectè obiit. Ita igitur sacer Iacobus consūmatus fuit, & martyrij morte Apostolicum cursum consignauit, calicem bibens, quem olim Dei sapientia *illi bibendum* prædixerat, & proprio sanguine baptizandum antea significauerat.

Cùm autem videret gratum esse Iudæis, quod faceret, præterea & Petrum ipsum capere aggressus est. Quem cùm cœpisset, in carcerem coniecit, & tradidit quatuor quaternionibus militū, qui eum seruarent, eò quòd essent *dies Azymorū*, volens post Pascha producere eum populo. Omnibus his historiæ scriptor verbis vsus est, vt Herodis in effundendo sanguine studium, eiusq; in patranda cæde voluptatem innueret. Nihil enim, quod iustum esset, ante oculos propositum habebat, nihil honestum, aut laudabile, sed quæ nationi suæ grata esse intelligebat, quæq; ad profanā Iudæorū voluntatē alliciendā spectabant, ea tantùm ab illo dicebātur, & fiebant. Quòd enim Apostolū ipsum tenuerit, & in carcere custodiendum tradiderit, mortemq; ipsā præsentē cōstituerit, totum hoc eò spectabat, vt Iudaicis votis satis omnino faceret. Nāq; putabant illud futurum, vt si Petrum Apostolum de medio sustulissēt, facilè reliquos Aposto-

los superarent. Ille enim erat, qui cõtrarias voces emittebat, quiq; in Cõciliis, in Iudiciis, & in Synagogis cũ aduersariis certabat, & Iesu nomẽ pali prædicãs, inuocato eius nomine, præcipua quædã miracula perficiebat. Licet autem illud cõsiderare, quẽadmodum & Herodes ipse studuerit similis esse Scribis, & Põtificibus, qui aduersus Christum insaniã, & rabiẽ effuderunt. Nã sicut illi dicebãt, ne in die festo Iesus cõprehenderetur, ne tumultus fieret in Populo, vt post diẽ festum omnino in Crucẽ acturi; ita & hoc loco post Pascha mortem Petro Herodes inferre cõstituebat. Cùm igitur hi, ad quorũ gratiã hæc faciebat Herodes, eadẽ sẽserint, quæ et illi, quos supra diximus, iisdẽ et verbis, & opibus aduersus Apostolum vsi sunt, qbus & aduersus illius Magistrũ superiores vsi fuerant.

In quatuor autẽ quaterniones militum custodiã distribuit, nõ vno in loco, sed pluribus, & paulùm à se distãtibus, vt custodia ipsa tutior, ac munitior foret, vt si fortè Apostolus ipse à vinculis effugisset, & custodes, qui ꝑpiùs manerẽt, latuisset, ab aliis deprehẽdi, & capi posset. Sed Petrus, inqt, erat in carcere dormiẽs inter duos milites, & ligatus cathenis duab⁹; oratio autẽ fiebat assiduè ꝑ ipso ab Ecclesia. Quænã fuit causa, vt tot dieb⁹ custodiretur, & nõ statim, adhuc furore Iudæorum efferuescẽte, & Petri Apostoli mortẽ sitiẽte, cædes ipsa Principi Apostolorum allata fuerit? Scriptoris quidẽ sentẽtia hæc est, mortẽ ꝑpter dies azymorum ꝓrogatã fuisse, quib⁹ Iudæi se ipsos purgãtes, & ab omni turpi, atq; inhonesto facinore abducẽtes, diẽ festum Paschæ celebrabãt, puris manib⁹ sacrificium, quod in lege scriptum erat, cõtrectantes. Sed erat & alia ei⁹ rei causa. Cùm enim Herodes ipse infinita rabie cõtra Petrũ Apostolũ redũdaret, plurib⁹ diebus eũ detineri voluit, vt diuturniore cruciatu, mœrorib⁹, inquã, ærumnis, cathenarũ põdere, ac morte, quã à fame ipsa inferendã sperabat, eorũ deniq; militũ, q vnà dormiebãt, inhumanitate grauiùs affligeretur. Quot enim ꝑ illos dies verba temeritatis, & minarũ plena, quãm multa cõuicia, & cõtumelias credimus à militib⁹ illis in Apostolũ iniectas fuisse, partim vt cognatorũ Iudæorũ dogmata peruertentẽ, partim vt præceptis regalibus aduersantẽ. Modò autẽ vt seditiosũ, & causã tumultus, modò vt Mosaicis legib⁹ contrariũ cõuiciabãtur; nõnunquã pugnis, & alapis eũ percutiebãt; neq; qsquã illud dubitare potest, qn cathenis illis vehementiùs, ac laboriosiùs Apostolum constringentes, ita coarctauerint, vt ex omnibus his maiorem doloris sensum percipiens celeriter ab hac vita migraret. Sed omnia illorum studia & facta inania extiterunt, perinde ac si qs in aqua ipsa literas imprimat, vel aërem verberet. Quo enim diutiùs in carcere Apostolus detẽtus est, eò firmior, atq; constãtior effectus fuit, & acerbis illis ærũnis, qbus vndiq; affligebatur, vt quibusdã stimulis, excitatus, & erectus, tãtùm aberat, vt reb⁹ his infirmior fieret, ac deficeret, vt custodes illi Apostoli Petri iucunda, & secura hilaritate confusi in ruborem conuerterentur.

Hæc cùm ita se haberent, preces ab Ecclesia missæ in cœlos penetrarũt. Itaq; statim Angelus illinc missus est, & in carcerẽ veniens, illum cõpleuit lumine, vt Apostolorum summus miracula, quæ fierent, apertè intueretur. Percusso autẽ eius latere; Surge, inquit, velociter. Ac nequid absurdi in Apostoli mentem veniret (quippe quòd satanas etiam ipse interdũ in Angelum lucis se trãsformare, & figuræ ipsius specie sensum subripere soleat) cùm primùm verba illa prolata sunt, Surge velociter, cathenæ è manibus ipsius deciderunt, vt verba ipsa factis confirmarentur, neq; potentiam aliquam ex earum numero, quæ Deo ipsi rebelles extiterunt, neq; quod visum fuerat, inane aliquod spectrum esse crederet, sed verum, & cœlestem Angelum, visionem, inquam, veram esse sciret, ac certa fide comprobatam. Hæc cùm ita processissent Apostolo, quoniã adhuc metu, & tremore detinebatur, nõ solùm re visa dubius, atq; anceps, verùm etiam qua ratione dispositas militum custodias pertransiret, quippe qui multa

diligẽtia, & cautione, multisq́; vigiliis in eo custodiendo vtebatur, ppterea Angelus; Indue te, inqt, sandalia tua, & præcingere vestimẽto tuo, & sequere me. Quoniam, inquit, Regis, & Iudæorũ timore adhuc detẽtus es, ac eorum militum vigiliæ, qui circũstantes te custodiunt, horrorem, ac stuporem tibi attulerunt, ob idq; non his, quæ à me dicuntur, fidem habes, tanto te auxilio, ac præsidio munitum esse facio, sicq́; omnẽ metum à mente tua excutio, vt & pallio ipso sine timore aliquo, & sandaliis indui possis. O' celerrimum Dei auxilium. O' Apostoli in Deum fiduciam, atq; gratiã. O' maximas, & ex corde ipso platas preces, quæ tanquã à funda quadam, ab ipsius Ecclesiæ ore prolatæ, atq; in cœlos emissæ, Herodis animum letaliter vulnerarunt, & Apostolorum principem ab eius manibus incolumem eripuerunt. Proh quanta est Apostolica gratia, & spes firma, & vera, quibus diuinum numen propitium, & ad audiendũ promptum habens à mortis laqueo Petrus ipse ereptus est.

At si quis dubitaret, & à nobis illud quæreret, cur nam Apostolũ ipsũ eius magister Iesus à Iudaicis manibus non eripuit, quo tempore ab illis comprehendebatur, sed & vinculis, & custodia diebus aliquot eum vexari, atq; affligi permiserit; qui hoc obiicit, is consideret, non ita inimicos ipsos fuisse miraculũ illud cognituros, si Apostolum statim cùm comprehenderetur, Dei auxiliũ eripuisset, quemadmodum cùm eorum manibus detentum, cathenis vinctũ, & à custodibus cautè seruatũ, è mediis, atq; ineuitabilibus illis retibus liberauit. Tũc enim his, à quibus comprehendebatur, fortasse id veneficio, & magicis artibus factũ videri potuisset, quominus ab eis cõprehensus esset; itaq; Apostoli miraculũ irrideri ab illis potuisset. Nũc verò cùm & cathenis vinctus, & quatuor quaternionibus militum custoditus, & inter duos milites cubans, omnibusq; his rebus paratis, quæ mortem condemnatis hominibus afferre solent, ita superno auxilio dignus habitus sit, & contra omniũ opinionẽ admirabilẽ liberationẽ assecutus fuerit, tantò hoc admirabilius, & contra opinionem omnium fuit, quantò è mediis malis seruari maius est, quàm illa non attigisse.

At Apostolus ipse vel post tanti miraculi potentiam, & Angeli adhortationẽ nesciebat verum esse, quod fiebat per Angelũ; sed videbatur sibi visũ videre. Adhuc enim arguebatur humanæ naturæ infirmitas, quodq; supra naturam eo modo, qui explicari non potest, efficiebatur, cũ naturali ordine, ac viribus cõparatum, tale perinde ac si inane aliquod visum esset, æstimabatur. Sed qd nam Angelus ipse? Quoniam illum vidit adhuc animo fluctuantem, visioni fidẽ nõ habere, neq; quicquam ex iis, quæ fiebant, reuera factũ admirabiliter existimare, primam & secundam militũ custodiã ita sine strepitu cũ Apostolo pertransiit, vt custodes ipsi eorũ transitionẽ ne senserint quidẽ, diuino nutu somno ipso illorũ palpebras detinẽte, quominus factũ illud sentire possent. Cùm verò ad portã ferreã venissent, quæ ad ciuitatẽ ducebat, illa vltro aperta est, Deo ipso & hoc loco miraculum faciente, & Apostoli formidinem paulatim subtrahẽte, vt ad ea, quæ deinceps futura erant, promptior fieret.

Postea verò quàm exeuntes processerunt vicum vnum, Angelus quidem ipse auolauit, neq; ampliùs apparuit. Ille verò cùm miraculi sensum cœpisset, atq; considerasset tam ea, quæ priùs in carcere mirabiliter effecta fuerãt, quàm quæ nunc supra naturam prodigiosè facta viderat, atq; hæc cum illis conferens, & vtraq; vicissim comparans, de visione ipsa certior factus fuisset, quòd videlicet non inane aliquod spectrum, sed verũ illud fuerat, quippe quod manifesto rerũ euentu confirmatum videbat, gratias Deo agens talem emisit vocem: Nũc scio verè, quòd misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum. Quid nam est, quod dicis, Apostolorũ princeps? Nũc te sciuisse ais? Nũc credidisti? Nũc gaudes miraculo? Quonã

abiit feruor ille tuus? Quó'nam auolauit certa illa spes? Quó'nam effluxit illa tua vehemens confessio? Vbi'nam sunt claues Regni cœlorum? Vbi'nam appellatio, qua Ecclesiæ firmamentũ nominaris? Vbi ardens illud desideriũ, & cõiunctio ad mortẽ vsq; inseparabilis? Nũquid tãtæ fidei argumẽta inania extiterũt? An talis, & tam multa spes in ventos dissoluta est? An nõ sensisti quæ à Magistro tuo ꝓdigia sunt effecta? Oblitus'ne es maritimæ illius fluctuationis, quẽadmodum dextera sua te, qui submergebaris, incolumem seruauit? An nõ aures tuas vocibus illis adhuc habes ꝑsonãtes: Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ille faciet, & maiora his faciet? Non'ne scis, quemadmodum è monumento exurgens custodes ipsos velut mortuos prostrauit, & ea, quibus monumentum signatum fuerat, intacta seruauit? Non'ne præsens fuisti, cùm mortuos homines suo iussu exilire fecit? cùm cœcis hominibus videndi facultatẽ præbuit? cùm tibi per sancti Spiritus aduentũ miraculorũ potentiã impartiuit? cùm in porta speciosa claudum hominẽ, cùm Aeneã, cùm Thabitam, alterũ integrũ pedibus, et ad currendũ velocem, alterũ diuturno morbo liberũ reddidisti, huius animã, quæ auolauerat, in corpus reduxisti? Cùm tantorũ, & taliũ miraculorum particeps effectus fueris, quorũ alia videris, alia ipse feceris, cùm deniq; multã ipsius Dei potentiã expertus fueris, nunc te scire dicis, quòd ais: Misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis? Si tot præteritis miraculis adductus nõ fuisti, vt crederes, quomodo vni huic credes? Si tãtorum miraculorum multitudo veritatis confirmationem nõ attulit, quì poterit vnum hoc fluctuãtes cogitationes tuas sedare? Maximè, inquit ille; non enim talia sunt diuinæ potentiæ opera, vt facilè comprehendantur, & fidem afferant; facilis enim cõprehẽsio nõ solùm nõ auget miracula, sed etiã illa imminuit, atq; extenuat, & eorũ, quæ facilè comprehendũtur, formas ex animo delet, quod verò examinatione, & variis cogitationibus sæpè probatũ fuerit, plus veritatis, quàm opinionis ingignit, eò quòd animæ ipsius dubitatio, atq; infirmitas ad ea, quæ sensum superãt, & ardua sunt, comprehendenda, minimè idonea, post fluctuationem multam, & cogitationum varietatem, demum certam fidem, ac veritatẽ in animos ipsos immittere, atq; altiùs infigere solita est.

Cùm deinde Apostolus ad eam domũ accessisset, in qua fideles homines cõgregati erant, & ianuam pulsasset, ab ancilla quidẽ ipsa, cùm agnosceretur, nũciatus iis est, qui intus erant. Sed quod ancilla nũciabat, tã incredibile videbatur, vt insana esse crederetur, & non Apostolum, sed eius Angelum præsentem vidisse putaretur. Cùm verò patefacta ianua Apostolus ipse ad eos ingressus esset, omnes stupuerunt, insperatam eius liberationem videntes. Tũ ille statim narrauit, quemadmodum ab Herode comprehensus, & in carcere detentus, & ferreis cathenis vinctus fuerit, quòd'q; per Angeli visionem cathenæ ipsæ è manibus cecidissent, ipse verò Angelum sequẽs, eorum, à quibus seruabatur, custodias præterisset, & portam sponte patefactã transisset. Quibus rebus perterrefacti, & admirabili narratione illa perculsi, apud se ipsos nõ ampliùs esse videbantur, gaudio cum admiratione coniuncto, & duobus his affectibus illos obsidentibus. Tales enim sunt res, quæ à Deo proficiscuntur, quippe qui neque lætitia nimia homines ipsos dissolutiores fieri, neq; propter miraculum ad nimium stuporem labi permittit; sed gaudio animũ erigit, & ad iucũdiorem statum traducit, admiratione autem, ac stupore cohibet, ne vlterius progrediatur; deniq; vtraq; re hominem ipsum in composito statu conseruat.

Hoc loco velim consideres Apostoli mentem ab omni superbia, & ambitione alienam, eiusq; modestiam animaduertas, quippe qui miraculo illo nõ ita elatus est, vt ipsum tuba cecinerit, quod fortasse alius fecisset; non præclara illa facta ostentans, supra tecta prædicauit; nõ præ lætitia rem ipsam omnibus velut

triumphans propalauit, aut cum peregrinis, & notis hominibus ea communicauit; sed manu silentium indicens, his solis, qui in Ecclesia erant, summissa voce factum significauit, per quos Iacobo, & iis, qui cum eo erant, rem nunciandam curauit, vt cùm audiuissent, qualibus vinculis præter spem ereptus fuerat, magis magisq; ad fidei prædicationem incumberent miraculorum spe corroborati, quiq; à Iudaica infidelitate ad Christi fidem nuper conuersi, & diuinæ cognitionis lumine illuminati fuerant, illi eadem opera confirmari, & si quam de Dei fide in animo latentem dubitationem haberent, ab illa reuocari possent, & in bonarum rerum perseuerantia firmiores essent. Sed ô animi excæcationem, quæ Herodis mentem corripiens, totum illum ita oppressit, vt obstinato animo miraculorum, quæ per Apostolum effecta fuerant, potentiam non considerauerit. Decebat enim admirabilem Apostoli Petri liberationem ex custodibus, ex cathenis, denique ex foribus sigillo impresso clausis certa fide prosequi, neque negligentia aliqua factum credere, vt id accideret, sed animo commoueri, atque erubescere, & resipiscere, & si non apertè propter Iudæorum in Apostolum ipsum furorem, atque insaniam, saltē animo miraculum illud prodigiosum secum admirari, atque obstupescere, & à cædendis custodibus desistere. Verùm ille, vt eius ferocitas, atque inhumanitas magis cognosceretur, innocentes homines mortis sententiæ subiecit, idq; cùm illi in Apostolo cautiùs custodiendo nihil aberrassent. Cùm enim Herodes ipse furorem suum in Apostolum effundere, & ferocem animum Apostolica cæde saciare non potuisset, quod proximum fuit, in custodes illos, ita vt erat insanus, mortem intulit.

Quòd si Apostolus illos ipsos, qui eius causa condemnati fuerant, miraculo aliquo facto à morte nō liberauit, quæstio hæc duobus modis solui potest; primùm quòd inhumanè, ac ferociter custodes illi aduersus Apostolum se gesserant, quippe qui vnà cubantes verborum plagas vinculis acerbiores infligebāt, ac nihilò minus, quàm Herodes, rabiem suam, & prauos affectus in beatum Petrum effundebant; deinde verò quòd non solùm aduersus Apostolorum Principem tanta ferocitate abusi fuerant (Benignitatem enim impetrare potuissent, si in eum solum peccassent) sed etiam contra reliquos Apostolos eandem rabiem exercuerant, & multos alios fideles homines persecutionum pœnis, & omnigenis cruciatibus subiecerant, ac mortis retia vndique eis parauerant. Hac de causa morti addicti sunt, vt veteris, & insanabilis malitiæ, in qua educati fuerant, pœnas exoluerent. Hoc fuit Petri Apostolorum summi contra diabolum valde illustre trophæum, hoc miraculorum omnium, quæ in eundem Apostolum à Deo collata sunt, maximè admirabile. Quid enim primùm in hoc Apostolo admirabimur? Eius'ne in Christum ardentem beneuolentiam? An reuelationem è cœlo à Patre ipso concessam? An quòd cum magistro suo mori paratus erat, neque à mortuo auelli poterat? Quid quòd post Christi resurrectionem tertiò interrogatus fuit? Quare non solùm Iesus Christus singularem, & summum in se Petri amorem declarauit, sed mortis etiam genus iuuentutis, senectutisq; nomine præmonstrauit, & eo ipso quod ab alio cingendus esset, illum capite ad terram verso in Crucem tollendum esse indicauit.

Hic propter fidei abundantiam cùm reuelationem à Deo & Patre accepisset, Filium Dei viui Christum apertè prædicauit, & duarum naturarum veritatem certa fide testatus est. Hic Magistri desiderio, ac beneuolentia inflammatus, cùm Iesus ipse longè antea se cruciatus passurum indicasset; Propitius, inquit, tibi sis, Domine; non erit hoc tibi. Quod cùm diceret, quasi humanum quippiam, non diuinum sentiens, reprehensus, silere docebatur. Hic è nauigio Magistrum aliquando repellebat, cùm miraculi magnitudinem

obstupesceret; quódq; illum à se repelleret, eius rei causam esse dixit, quòd se peccatorem agnosceret. Hic præsens fuit, cùm Christus alia forma in monte apparuit, & tria tabernacula construere se paratum esse aiebat, vt Iudæorum ad inferendam cædem paratos, ac scelestos animos vitaret. An non hic cum Christo se moriturum promisit, & homicidæ illius auriculam gladio amputauit, in omni re fidei suæ zelum, atq; ardorem ostendens? An non hic est, qui ne valde immisericors, & durus esset, in Magistri sui negationem incidere permissus fuit, & fletu multo peccatum purgare? Quid dicam alia? Missam facio timiditatem, fugam, duritiem, & eius in sepulchrum ingressionem, mulierum vnguenta ferentium læta nuncia; quemadmodum etiam Christus ipse illi seorsum apparuit, & in mare Tyberiadis miraculum effecit; item alia quæcunque anteaquam passus est, & post resurrectionem, tam non credente, quàm credente Discipulo illo, Iesus perfecit. Quæ omnia non frustra ita dispensabantur, sed (quantum hominis mente comprehendi potest) modò Apostoli remissum, & infirmum animum Christo ipso recreante, modò austeram, & duram eius mentem leniente, & vtraque re illum docente, neque aliquid sibi, quod humana infirmitate maius sit, polliceri, neque animo decidere, & obstupescentem horrere, quo tempore oportebat in cruciatibus perferendis cum magistro communicare, & seruitutem discipulo conuenientem ostendere, sed intra mediocritatis fines consistere, vt & ab inconsiderato feruore, & ab humili, atque abiecta timiditate pariter distaret.

Ego verò non verebor hoc de illo dicere, quòd testis, vt ipse ait, Christi passionum agnoscitur, & eius gloriæ, quæ reuelanda est, communicator, quoniam ad eos Iudæos, qui dispersi erant, congruentes & diuinas admonitiones per epistolas scripsit, quibus charitatem, & Christianæ fidei confirmationem suggessit, Christiq; aduentum omnino futurum sperari docuit, ac in illis ipsis & ex hoc tabernaculo nos migraturos esse prædixit; eaq; ratione ad zelum, & diuinorum præceptorum obseruationem nos ipsos magis excitat, facitq; vt maiore metu, ac terrore afficiamur, diluuij, & eorum Angelorum, qui peccauerunt, condemnationis exemplum afferens, quos & in tartarea loca detrusos fuisse affirmat. Ad hæc & alterum Christi aduentum significat, quo tempore cœlos transituros dicit, & elementa ipsa comburenda dissolutum iri. Hunc vnigenitus Dei filius beatum prædicauit. Hunc Deus ipse ac Pater corona donauit. Hunc paracletus Spiritus sanctum reddidit, & instrumentum quoddam diuinas res spirans effecit. Hunc cœlestes Angelorum ordines collaudarunt, & Apostolorum chorus valde admiratus, tanquam os suum, amplexatus est, ac celebrauit. Hunc, qui Christo crediderunt, ducem, & magistrum sequentes, ad infidelitatis scopulos non offendunt. Hunc ad cœlum vsque peruenientem, & valde illustrem spiritualis Israëlis columnam, & animarum in perfidiæ pelago fluctuantium gubernatorem appellamus. Hunc vt vmbræ legis expulsorem valde honoramus. Quiq; nos ad veritatis lumen traduxit, eum laudibus, atq; hymnis prosequimur.

Verè hic est Apostolorum firmamentum, & sacratus cœlorum magister, arcanorum interpres, nutantium confirmator, lapsos erigens, firmos conseruans, pœnitentiæ Dux ardentissimus, Petrus denique magnum illud orbis terrarum miraculum, Ecclesiæ iactatio, discipulorum decus, & eorum, qui rectè sentiunt, ornamentum, Theologorum pulchritudo, Christi os, mens cœlestis, Trinitatis purissimum tabernaculum, lapsorum reconciliator, honestè viuentium ductor, rectè currentium propugnator, omni cœlesti, & humana laude, omni præconio dignissimus. Cuius si vmbra,

& lintei morbos profugabant, certè cathenæ, quæ venerãdum Apostoli corpus attigerunt, quantò propiorem tactum habuerunt, tantò abundantiorem miraculorum vim participarunt; cathenæ, inquam, illæ omnino 4 venerandæ, ac pretiosæ, quæ Apostolicum illud, ac beatum corpus colligarunt, quæ manus illas miraculorum effectrices astrinxerunt, quæ diuina gratia ab ipsis repletæ sunt, ex quibus miracula abunde scaturiunt, quæ ægrotos homines à morbis liberant, quæ homines illos sanctos efficiunt, qui cum fide ad eas accedunt, à quibus animarum maculæ mystico quodam modo expurgantur, & morbidæ influentiæ reprimuntur, quæ deniq; in aëream celsitatẽ extensæ, & vsq; ad cœlos ipsos peruenientes, à Dominico illo, & diuino solio, tanquam ab anchora quadam, extenduntur. Has cathenas potentiarum, quæ à Deo ipso defecerũt, princeps exhorruit, & nunc etiam exhorret, ac multo cum timore illas subterfugiens comprimitur. Has aërea spirituum multitudo metuens, ac tremens, iaculisq; inde immissis percussa, longiùs profugatur. Non enim ferre potest Spiritus sancti gratiam has ipsas cathenas obumbrantem, neq; scintillas ex diuino illarum igne exilientes sustinet; sed ab ipsis incenditur, atq; comburitur. Has composuit Dei Patris Verbum eiusdem æternitatis, & principij particeps, vt eius de Deo confessionis præmiũ essent. Illas ignitas reddidit carbo ille ab Esaia antea visus, & ad Deum intuendum efficacissimus. Spiritus sanctus paracletus suo afflatu ignem è carbone illo exilientem ad opus perficiendum maximè idoneum reddidit.

4 Nota, Cathenæ illæ omnino venerãdæ ac pretiosæ, quæ &c.

Quamobrem licet ferreæ sint naturæ, diuina tamẽ gratia, & potẽtia 5 plenæ sunt. Ab his dæmonum praui spiritus illigati enecantur. Ab his princeps mundi huius pertractus captiuus ducitur, à fidelibus hominibus illuditur, hoc est ab iis, qui antea peccatorum laqueis constricti, soluti, & liberati sunt, & mortis retibus antea circundati, ad vitam transierunt. Hæ diuinæ hæreditatis terminos cingentes, & vndiq; munientes, faciunt ne ab hostibus expugnari possint. Eædem Christianorum vertices coronantes, ab illorum hostium insidiis, qui corporeis oculis non cernuntur, intactos seruant. Nam & si à malignis hominibus pro tormenti genere aduersus Apostolum sunt adhibitæ, tamen ad eos propellendos, qui malum aliquod inferre volunt, idoneæ sunt effectæ, non magis cruciantes, quàm venerandũ illud Apostoli corpus vndiq; seruantes, ac munientes. His cathenis Apostolus ornabatur, his exultans, ac gestiẽs se oblectabat, & tanquam regalem aliquem ornatum circunferens, animo exultabat. Has & pœnæ instrumentum cognoscebat, & coronæ multæ conciliatrices existimabat. His & nunc sanctissima, omniq; ex parte incorrupta, ac pura Christi sponsa Ecclesia, tanquam splendido monili, & aureo quodam ornatu induta, velut corona quadam ex intactis floribus contexta, decorata est, & ad dexteram sui sponsi partem assistit. Has, inquam, cathenas & nos copiosissimus Christi populus hodierno die amplexamur. Has reuerentes veneramur, & colimus, & pro animarum emendatione habemus. His omnem sensum, & membrum admonentes, illarum sanctitate implemur, & per mentis intelligentiam sancti Spiritus gratiam in animos ipsos admittimus. Deceret certè, deceret, non solùm cathenas, quæ manus illas astrinxerunt, magnoperè venerari, sed etiam iudicia omnia, ad quæ Apostoli membra accesserunt, singillatim amplecti, ac reuereri, & in illis singulis diẽ festum, ac panegyrim celebrare.

5 Vide quot, & quãta sint harum Cathenarum præconia, vt scias etiam res exteras Sanctorum sanctas esse, & gratiarũ beneficia fidelibus præstare solere.

Consentaneum autem & illud fuit eius prouidẽtiæ, & in nos benignitati, pro quibus laborauit, & quotidie certamina, & pugnas subiit, propter quos cathenarum pondere astrictus fuit, & Crucis mortem libenter suscepit, consentaneũ, inquam, fuit, se ipsum his, qui per eum Christo crediderunt, distribuere, atq; impartiri, & veteri quidem 6 Romæ venerandi sui corporis depositionem, ac

6 Habes hic

sepulturam largiri, huic autem regali, & nouæ Vrbi, eorum, quæ passus est, symbola, atque insignia relinquere, & sacratissimi corporis loco suauissimarum cathenarum munere Vrbem hanc afficere. Quas cathenas qui in eandē præclaram Vrbem venisse crediderit, non aberrabit, neque aliquid Deo, & veritati contrarium crediderit. Vetus quidam sermo, & in libris ipsis conscriptus ad nos vsq; peruenit, non longè ab Herodis Tetrarchæ regia Petrum Apostolum in carcere, sed in propinquo quodam loco militaribus cohortibus obseruatum. Nam illi metuebant, ne Apostolus ipse ab aliquibus solueretur è vinculis, & miraculum fuisse videretur. Illic igitur seruabatur, vt tum propter regalis palatij vicinitatem, tum ob militum custodias, & cathenas, quibus ipse erat constrictus, nullam effugiendi facultatem haberet. Quoniam verò multi ex ijs, qui Petri Apostoli opera Christo crediderant, in regia illa erant, atque illic viuebant, & Regis ipsius ministeria obeuntes, suam in Christum, & eius Apostolum beneuolentiam in animis occultam seruabant, cùm admirabili illo modo Apostoli Petri liberatio per Angeli præsentiam allata est, & Apostolus ipse per portā exijt, quæ ad vrbem ducebat, cathenas illas in carcere derelictas ipsi Herodis ministri, quibus diuinæ cognitionis lumen effulserat, clam sustulerunt, & apud se ipsos velut thesaurum quendam eas conseruarunt. Quod verò à patre suo, vt dicitur, traditum, & de cathenis illis narratum sibi quisq; acceperat, posteris suis deinceps tradebat, & tuto in loco cathenas illas occultas seruabat, quoad & Iudaica natio bello deuicta, captisq; Hierosolymis ad nihilum redacta est, & superstitiosæ idololatriæ cœcitate, & errore sublato, Romanorum sceptra ad Imperatores, qui Christi fidem sequebantur, translata sunt. Quibus Christi, & Apostolorum facta omni honore prosequi studentibus, hæc etiam Apostoli Petri cathena manifesta facta est, & ab illis ad vrbem hanc regiam translata in Apostoli Petri sacro templo iure optimo reposita est, quam vt eius ipsius miraculorum effectricem, & veneramur, & amplectimur; hanc enim videntes, illum ipsum mente inspicimus, hanc tangentes, illum à nobis tangi existimamus.

Vrbem Romam venerandi corporis beati Petri depositionē, ac sepulturā obtinere

Sed quid'nam gladius? Neque enim hic despiciendus est, quoniam & ipse Apostolica manu eductus totam sancti Spiritus gratiam, ac diuitias illinc attraxit. Hoc gladio Petrus, cùm Iesus ipse à Iudæis caperetur, Pontificis seruum percussit, & eius aurem amputauit; qua re suæ in Magistrum fidei ardorem ostendit, suamq; in eum, quam in animo accensam habebat, affectionem, & beneuolentiam patefaciens, magnum quiddam effecit, non suis viribus fretus, sed Magistri potentiam spectans; per quam auris illa, quæ abscissa fuerat, homini percusso restituta est, vt ex hoc ipso furens illa Iudæorum multitudo sectæ auris curationē repente factam videns, resipisceret, & à sua in Christum rabie desistens, ab eo prodendo abstineret, ac re ipsa eius ipsius, qui prodebatur, vim illam omnipotentem, & diuinitatis magnitudinem cognosceret, deniq; vt Pontifex ipse à seruo illo miraculum factum edisceret, atq; cognosceret eum, qui percussus fuerat, ita celerem curationem minimè assecuturum fuisse, nisi verus Deus esset ille, qui ab eo quæsitus iudicabatur. Aderat autem Apostolo gladius ille, non vt aliquis diceret, ad proprios vsus, & manuum opera explenda sumptus (Quomodo enim hoc fecisset is, qui Magistri sui præceptis obtemperans non peram, non zonam, non gladium ferebat, sed expeditus, & omni vitæ apparatu liber ab his cognoscebatur, qui eius prædicationem accipiebant?) sed quoniam tempus illud expectabatur, quo Christus passurus erat, & discipulorum de Magistro cogitationes adhuc fluctuantes vacillabant. Partim enim credebāt, partim nō credebant; quapropter neq; sublimius aliquid cogitare poterant, neq; ad humiliorem omnino, & abiectum sensum deueniebāt.

Illis autem adhuc imperfectioribus tutum non erat Christum apertè significare, & prædicere quæ passurus esset. Cùm igitur eorum timiditatem Dominus Iesus perspiceret, manifestè, quod futurum erat, non explicauit, sed eorum, quæ passurus erat, mentionem obscurè fecit, dicens: Et qui non habet gladium, emat.

Verba hæc non sunt illis consentanea, quæ antea dixerat, cùm non peram, non gladium possidendum præceperat. Quid est igitur, quòd gladios nunc emendos esse iubet? Maximè, inquam, ob eam causam, quòd tunc quidem, cùm illis inopiæ semina insereret, vt ad Euangelij cursum conficiendum leuiores, & agiles, atque expeditos redderet, gladiorum, & aliarum rerum possessionem interdixit; hoc autem loco, tempore illo imminente, quo salutaris eius passio futura erat, tacito, & mystico quodam modo indicare volebat, non dormiendũ, neq; animo decidendũ, sed quasi cõtra Iudæos armari oportere, & aduersus cæsores, tanquam in acie aliqua contraria standum esse, & ijs resistendum, qui Deum interficere parati erant, eiusq; sanguinem, ac mortem sitiebant. Nunc non est, inquit, doctrinæ tempus, non curandorum ægrotantium locus, neq; miraculorum opportunitas. Armis opus est, gladijs, & huiusmodi propugnaculis ad arma illa repellenda, quibus homicidæ scelestissimi ad meam cædem vtentur. Hac igitur ratione Petrus gladium attulit, cuius licet feruentem beneuolentiam, & ardens studium Iesus ipse cognosceret; quòdq; eo gladio aurem illam abscissurus erat, non tamen prohibuit ne ferret, vt & eius in Magistrum suum ardor aperiretur, & curationis opus ad ingratos illos, qui Deum interficere aggrediebantur, redarguendos pateficeret. Quòd autem non ad oppugnandum, aut vlciscendum Dominus Iesus discipulis suis gladiorum possessionem præceperit, sed ad eorum, quæ passurus erat, significationem, licet hoc apertè cognoscere ex Euangelij verbis, cùm ipse dicit: Mitte gladium tuũ in vaginã: quasi diceret: Non enim propterea iussi vos gladios possidere, vt illis ipsis inuasores vlcisceremini. Nõ est mihi hoc obtabile. Nã si deceret, & mihi opem ferri vellem, possem rogare Patrem meum, & daret mihi plusquam duodecim legiones Angelorum. Sed quoniam voluntariè me ipsum ijs tradidi, propterea & gladiorum possessionem ad ea significanda, quæ passurus sum, vobis indicaui. Si enim permisi paululũ te, Petre, gladio vti, ob eas causas feci, quas prædixi, & vt discipulos ad pericula subeunda promptos efficerem. Sed conuerte gladium in vaginam, quòd mihi fas non est gladijs vti ad imminentes cruciatus auertendos. Nam licet antea gladios emendos Dominus præcepisset, & Discipuli se duos habere dixissent, satisq; illos esse, Magister ipse respondisset, ea re significauit passionis suæ tempus prope esse, quasi gladijs vtendum esset ad inuasores repellendos.

Ita igitur gladium Petrus possidens, secum & in prædicatione afferebat, tum vt sicubi opus esset, illo vteretur, tum vel maximè vt ipsum videns, ad Magistri admonitionem memoria tenendam reuocaretur, & eo modo tempus illud, quo Iesus Crucem passus est, & ea, quæ postea secuta sunt, secum cogitaret, inuidiam scilicet, odium, insidias, proditionem, iniustum iudicium, iniustionem mortis sententiam, Crucem, sepulturam, & reliqua omnia, quæ homicidæ Iudæi facere ausi sunt. Hæc, cùm gladium illum Apostolus videret, contemplabatur; hæc assiduè animo reuoluebat; hæc secum repetens, meditabatur, gladio ipso memoriam suggerente, & ad prædicationem exequendam illum alacriorem efficiente. Hoc gladio & ad omne periculum pro Christo subeundum armabatur Apostolus, & ad pericula omnia suscipienda, tum vel maximè ad sacras illas cathenas induendas, & iniquorum hominum carcerem habitandum; deniq; ad crucis martyrium subeundum firmior, ac promptior

effectus est. Quamobrem hic gladius, vt res quædam pretiosa, & omnino veneranda, Apostolicisq́; manibus deseruiens, ac eas tangens, eodem honore, & veneratione, qua & cathenæ ipsæ, in Regali palatio, vbi Apostolo Petro sacrum templum erectum est, velut sacratus quidam, & cœlestis thesaurus in intimo loco repositus seruatur, vt scimus; qui fidelibus imperatoribus, & fidelium virorū multitudini ad sanctitatē, pponi solet. Cœleste enim gratiā 7 confert, variarum curationum copiam suppeditat, sui cultores salutariter custodit, seq́; amplectentes erigit, animas ipsorum eleuans. Quòd si breuis, & informis videtur gladius ille, non est propterea despiciendus. Apostolicam enim miraculorum vim, & potentiam secum continet. Nam hunc Apostolus vt potentis Dei frameam possedit, & vt ancipitem gladium cognouit. Sic & aliæ Apostolicæ vestes, atque indumenta multùm illa quidem vilia sunt, atq; abiecta, sed si quis eorum decorem, & magnificentiam, quæ mente comprehenditur, inspexerit, diuina, & cœlesti gratia repleta esse, & Apostolicis miraculis nihilò inferiora inueniet. Sed perinde valet cùm quis hæc ipsa recordatur, ac si Apostolum inuocet. Ego & carcerem ipsum, in quo Apostolus custoditus est, omni præconio dignum censeo, quippe qui omni veneratione plenus est; dignus enim habitus fuit, qui tantum sanctitatis domicilium intra se acciperet. Ego & solum illud, in quo decubuit, & vinctus dormiuit, sanctitate decorum existimo, & Apostolica gratia refertum.

7 Vide beneficia, quæ diui Petri gladius præstat.

Sed dubitat aliquis, num hæc ita se habeant; neq; hæc tanti esse credit, vt gratiam illam, quæ in Apostolo fuit, participarint. Persuadeat huic vmbra ipsa, & semicinctia, quoniam illa quidem ex corporis oppositione ad Solis lucem composita, & ab Apostolorum Principis tactu longè distans, hæc autem à Pauli corpore delata, & diuinam ex illo gratiam participantia, pari, & miraculorum effectrici potentia repleta sunt; quodq́; ad mirabilius est, per secundam participationis consecutionem, & gratiarum translationem, sibi adhærentibus impartità eandem miraculorū potentiam, & nihilò minorem abūde suppeditant. Considerandum igitur est: Si quibus gratia impertita est, ea talia sunt, qualis nam is est, qui vim illam impertiuit? Ac si participantes res talium miraculorum gratiam præbent, quantum existimare oportet eum esse, à quo hæc impertita sunt? Maius enim est id, per quod aliquid fit, quàm in quo efficitur, vt causa ipsa maior est eo, cuius est causa, cùm superiorem, & digniorem gradum contineat.

Si quis autem mihi daret, vt & sandalia, & vestes, quibus ab Angelo se induere iussus est, ipse videre possem, illa certè apertis vlnis exciperem, atq; amplecterer, & vt cœleste donum in cordis mei penetralibus conderem. Hunc igitur sacratum gladiū cùm sacris, & Apostolicis cathenis connectentes, Petrum ipsum mente inspicere nobis videmur; & vtraq; tangentes, Apostolum à nobis tangi existimamus; neq; vllo modo ambigimus, eò quòd hæc loco ab Apostolo ipso disiuncta sint; sed & hæc, & illum mente formantes, & per fidem ipsam in vnum copulantes, ad eum ipsum, qui per hæc passus est, totum referimus. Hæc amplectentes, illum videre nos credimus; atque illum cogitantes, hæc, quæ illius fuerunt, videre nos arbitramur. Itaque non omnino ipsius gratiarum expertes constituti sumus. Nam & si in vetere vrbe 8 Roma diuersatur per corporis sepulturam, quam vrbs illa sortita est, non tamen à nobis ipsis abesse vult, quòd pertinet ad illius gladium, & cathenas. Adest enim & apud nos; qui partem hanc, vt totum corpus, continentes ab eius coniunctione non separamur; sed cùm vna, eademq́; sit gratia, quæ per eius corpus, cathenas, vestes, & gladium miracula operatur, nemo dubitauerit, quin præsens sit in singulis, perfectus, atq; integer, & ijs, qui cum fide accedunt, &

8 Et hîc secūdò asserit Apostolum Petrum in Vrbe Roma p corporis sepulturam diuersari.

hæc amplectuntur, pro diuino eorum desiderio, atq; ardore mercedem remetiatur. Hic & vnus est, & multis impertitus non imminuitur; quinetiam totus in se manens, omnem, & eandem vim ostendit; & quamuis eorum, quæ passus est, symbolis non in vno, sed in multis locis diuisus sit, idem tamen est, qui in Apostolica Ecclesia prodigia, & miracula ingentia perficit. Ita nihil ex ijs, quæ in summo illo Apostolo insunt, inane est, & actionis expers, nihil gloria, & diuinis miraculis vacuum.

9. Inuocat auctor Apostolum Petrum, vt adsit suis dilectis, & eos protegat, atq; defēdat.

Tu verò 9 Petre, Christi Ecclesiæ petra, & firmamentum, summe Apostolorum vertex, qui verus, & ardens fuisti Christi Discipulus; qui præter cæteros orationis libertate apud eum vsus es, viui Dei filium illum prædicando, cuius manibus Regni cœlorū claues tibi traditæ sunt, vt quæ à te in terra ligata, aut soluta essēt, eadē ligarentur, & soluerentur in cœlis; qui Christū Deū, & hominē fuisse clarissima voce prædicasti; q ex circuncisione, quæ in lege præcipitur, ad præputium, diuinæ fidei cognitionem transtulisti; qui propter Christū omnia dereliquisti, vnum illum pro omnibus diuitijs possidere cupiens, à quo & mortis, & vitæ afferendæ potestatem accepisti; cui Deus cœleste mysterium reuelauit; qui columna quædam es è terra vsq; ad cœlos extensa, eos ducens, qui ad mansiones illas festinant; qui rudis & inscius artificiosam Græcorum orationem expugnasti; qui diuino Spiritu loquens, & verbo tantùm gentes ipsas in ea conuertens, quæ voluisti, acerbam illam crucifixionem sustinuisti, vt nulla in re à Magistri cruciatibus distares; qui cathenas has, instar scelerati alicuius hominis, pertulisti, & curationum fontem illas reddidisti; tu, quæso, adesto hodie misertus nostri, & hoc in loco spiritu versare. Adsis huic templo miraculorum promptuario, quod sancta nominis tui appellatione præcipuè honoratur; in quo venerandas cathenas tuas, vt thesaurum quendam, reponi voluisti; in quo has ipsas, vt pretiosissimas res, seruandas esse iudicasti; vbi cathenæ ipsæ propositæ, & ab omnibus Christi fidem colentibus inspectæ, miraculorum deriuationes non corporeis oculis, sed mente ipsa perceptas abundè à te ipso quærentibus suppeditant. His cathenis nostrarum animarum vulnera, quæso, liges. His tumores, & inflationes à delictis illatas reseces, & diuinis medicamentis eas cures. His, vt scuto bonæ voluntatis, Christi gregem corones. His barbaros ipsos deuincias, captiuos ducas, & ciuitati te veneranti hostiles illorum exuuias conferas. Omnium autem maximè pium, & fidelissimum Imperatorem nostrum pro telis militaribus his cathenis armes, munias, custodias, victorijs, & trophæis corones, hostibus terribilem, & subiectis benignum, atq; optabilem facias, vt pace fruentes sub eius Regno simus, & ab eo gubernati tranquillam, & quietam vitam ducamus, veri Dei nostri gloriam celebrantes, quem tu in omni re gloriosè, & magnificè celebrasti; quandoquidem conuenit omnis honor, & adoratio æterno Patri, cognato Filio, & eiusdem substantiæ participi Spiritui sancto, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

VITA

VITA SANCTI IACOBI EREMITAE, CVIVS LECTIO MVLTVM HABET COMPVNCTIONIS.

XXVIII. IANVARII.

MVLTA bona, & animæ salutaria beneficia ijs viris, qui Dei amantes sunt, & Saluatoris Christi præceptis congruentem vitam ingrediuntur, pulcherrima humilitatis possessio conciliat; quam qui amplecti studuerit, & perfecte obierit, is nunquam illud timere poterit, ne aliquo modo cadat, aut vllo affectu capiatur, vel suæ fiduciæ superbia efferatur. Quòd enim multum damni, & insanabilem iacturam, maximumq; periculum hæc ijs afferat, qui non cautiores fuerint, licet è multis alijs argumentis hoc intelligere, præcipuè vero ex hac historia, quæ nobis scribenda est, vt qui cœlestem vitam sibi proposuerint, ex ipsa narratione proficiant, quò tutiores sint. In hac enim & institutionem optimam inueniemus, & exercitationem perfectam, extremum deniq; casum ex pigritia proficiscentem, & pœnitentiæ virtutem, quæ tantùm valet apud benignissimum Deum, vt non solùm ex ipsis inferorum portis, & gehennæ doloribus hominem eripiat, sed etiam talem reddat, vt priore virtute maius aliquid possideat, &, adiuuante [1] diuina gratia, emendationem vitæ superiore statu meliorem recuperet.

[1] Absq; diuina gratia neque bonum aliquod incipere, neque emendationem vitæ recuperare quis potest.

Fuit quidam vir, qui solitariũ in locũ secessit prope oppidũ Porphyrionẽ. Erat viro illi nomẽ Iacobus. Hic cùm breuis huius vitæ vanitati renunciasset, in spelunca quadam quindecim annos habitauit. Tantos autem in virtutis exercitatione progressus fecit, tam'que insignis, & Deo gratus extitit, vt & gratia contra dæmones dignus effectus fuerit, multasq; alias curationes Saluatoris nostri Iesu Christi nomine hominibus attulerit. Cùm omnes igitur eius hominis vitam admirarentur, ad eum concurrebant, quorum pleriq; erant ex impiorum Samaritarum superstitione. Illos cùm ad se venientes diuinus ille vir animaduerteret, ex diuinarum literarum lectione ipsos multùm erudiendo, ad veram fidem conuertebat.

Sed qui humano generi inde vsq; à principio aduersari cœpit diabolus, & ijs præcipuè, qui Christo seruiunt, cùm ex multa illius hominis virtute, ac perfecta vita se fugari videret, aggressus est eum persequi, & ex ijs locis, quæ su-

prædiximus, expellere. Cùm enim in vnum quempiā Samaritam ingressus fuisset ex eorum numero, qui ab initio veritatem ipsam auersabantur, fecit vt ille vniuersos ad se pertinentes amicos, consanguineos, ac seruos ad insidias sancto illi viro struendas in vnum colligeret, quò eum ita irretitum posset è regionibus illis propulsare. Omnes igitur cùm ad sacerdotis sui diuersoriū conuenissent, & multa essent machinati, vna omnium sententia hæc fuit, vt impudentem, atq; inhonestam mulierculam ad se accerserent, cui viginti aureos nummos darent, totidem'q; alios se illi daturos promitterent, si ipsa Dei seruum Iacobum illecebris suis corrumpere posset, vt ansam aliquam arripientes eum virum cum dedecore è sua regione fugarent.

His promissis mulier illa inducta multam noctem obseruans, ad ipsum adijt, ac ianuam pulsans eum rogabat, vt ipsam intromitteret. Cùm'q; ille moraretur, & diutius id se facturum recusaret, illa nihilominus impudenter ianuam pulsare pergebat, & multis precibus eum obsecrare, vt ipsam admitteret. Cùm igitur ille ianuam patefecisset, & eam vidisset, spectrum aliquod cernere sibi visus est, se'q; 2 Crucis signo muniens, ianuam ipsam cum impetu clausit, atq; in cellam reuersus ad orientem solem se conuertit, & Deum attentè precatus est. Non multo autē tempore postea cùm media nox præterijsset, nō desinebat mulier illa pulsare ianuam; quinetiam magna voce; Miserere, inquit, mei tu, qui Dei seruus es; aperi mihi ianuam, ne ante cellam tuam ferarum cibus efficiar.

2 Se'q; Crucis signo muniens.

Cùm iustus ille vir hæc consideraret, & ferarum multitudinem, quæ erat in illis locis, animaduerteret, ianuam ipsam inuitus (vt ita dicam) patefecit, ei'q; dixit: Vnde huc venisti? Quem quæris? Et vnde es? Cui mulier; E monasterio, inquit, hoc propinquo ego sum, me'q; monasterij Præses ad ferendas benedictiones in hoc castellum misit, ac dum reuerterer in monasterium, hoc in loco nox me oppressit. Rogo igitur te, diuine vir, vt miserearis mei, & apud te accipiar, ne ferarum præda efficiar. His igitur verbis ille cōmotus eam ad se introduxit, panem'q;, & aquam illi apposuit; & interiorem cellam ingressus, se ipsum illic inclusit, muliere in exteriore cella derelicta. Illa verò cùm cibum sumpsisset, voluit paulisper quiescere. Postea cœpit vociferari, & cum lamentis ad ianuam se deijcere, virum'q; sanctū implorare. Ille verò è fenestra prospiciens, eam'q; videns angustijs, & multo dolore compressam, dubitabat quid nam ei diceret, aut faceret. Tunc illa; Precor te, inquit, vt me respicias, & signo Crucis munias, quoniam dolore cordis opprimor. His ille auditis, exijt, & statim igne multo accenso, prope mulierem sedit, ac sinistra manu igni admota, dextera sacrum oleum sumpsit, & eam calefacere cœpit propriæ manus calore, neq; desinebat eius pectus 3 Crucis signo munire.

3 Neque desinebat eius pectus Crucis signo munire.

Illa igitur impudentiæ stimulis impulsa, cùm irretire eum vellet, & in turpem libidinem concitare; Rogo, inquit, te diutius cor meum vngas, vt dolor, qui me comprimit, iam desinat. Ille, quæ eius erat simplicitas, mulieri credens, quæ'q; ad eam curandam pertinebant, attendens, simul'q; fraudē praui dæmonis sciens, ac metuens, ne fortè ex multa in eam commiseratione sempiternam infirmitatem sibi afferret, duabus, vel tribus horis constanter sinistram manum in ignem iniectam detinuit, ita vt digitorum compages combustæ deciderint. Hoc ille faciebat contra diabolicas machinas militans, vt propter intolerabilem illum dolorem ex ignis flamma proficiscentem nulla pessima cogitatio in eius animum irreperet. Quod cùm admirabiliter ab eo fieri mulier videret, & ipsa resipisceret (totam enim sancti viri manum ferè igne consumptam videbat) lachrymans, atque ingemiscens ad sancti viri pedes se deiecit, & suis manibus proprium pectus pulsans clamabat: Hei mihi miseræ,

& excæcatæ; hei mihi, quòd diaboli domicilium facta sum. Hæc cùm sanctus vir audiret, atque obstupesceret; Surge, inquit, mulier. Hoc dixit, & admodùm festinanter è solo illam erexit, & attentas preces ad Deum mittens; Nuncia, inquit, mulier, quid hoc sit. Vixque ad se reuersa, quo pacto res se habebat, singillatim exposuit, aperiens quas praui Samaritæ, vel diabolus potiùs aduersus iustum virum insidias machinatus fuerat. Qua re audita, Dei seruus magnoperè ingemuit, cùmque Dei gloriam celebrasset, & lachrymas multas emittens Deo gratias egisset, illam catechismo instruxit, eique benedictiones impartitus misit ad sanctissimum Alexandrum Episcopum.

Mulier verò cùm ad Ecclesiam venisset, vnamquamque rem ordine Deo ipsi primùm, deinde & sanctissimo viro confessa 4 est; qui & ipse cùm plurimum eam instruxisset, eorumque malorum, quæ commiserat, valde poenitentem videret, immortalitatis lauachrum ei dedit, & mulierem quidem ipsam ad Virginum monasterium misit; omnem verò populum religiosum, & Christi amatorem clerum cùm congregasset, ex vrbe, & regione illa omnes Samaritas expulit, ac postea Dei seruum Iacobum adijt, eumque vt bonus pater multum confirmauit. Ita verò & mulier supradicta per poenitentiam Christo se ipsam obtulit, vt & chara Deo esset, & aduersus dæmones gratiam acciperet.

4 Locus optimus pro confessione sacramentali.

Facto autem interuallo quodam temporis, filia cuiusdam viri, qui principem locum in Senatu obtinebat, impuro spiritu agitata, nominatim sanctum illum virum inuocabat. Cùm igitur eius parentes ad Dei seruum eam duxissent, ipsum rogabant, vt puellæ iuuentutem misericordia prosequeretur, & impurum spiritum ab ipsa expelleret. Cùmque sanctus vir pro ea Deum precatus esset, & manus super illam imposuisset, statim diuina ope dæmonem expulit, & puellam curauit. Eius igitur parentes cùm & Deo, & ipsi gratias egissent, trecentos aureos nummos ei miserunt, quos non solum iustus ille vir accipere non ausus est, sed ne videre quidem eos passus fuit, dicens, eisque persuadens, non decere diuinarum rerum mercaturam facere, sed pauperibus illos potiùs dare. Ego enim, inquit, eos non accipio, nam in solitudine degens, istis non indigeo. Itaque gratias Deo agentes homines illos in eorum domos remisit.

Aliquando verò cùm adolescens quidam à dæmone tentatus fuisset, vtroque pede dissolutus fuit; quem eius consanguinei baiulantes, ad sanctum virum tulerunt, eum rogantes, vt pro ipso Deum precaretur. Ille autem cùm 5 tres dies ieiunasset, & diuinis precibus operam dedisset, paralyticum hominem sanum restituit, cui & benedixit, iussitque proprijs pedibus in suam domum reuerti. Multi alij ad eundem veniebant, qui cùm diuersis morbis laborarent omnes diuina ope per ipsius preces curati ad suas domos reuertebantur.

5 Triduano ieiunio, & precibus paralyticum sanat.

Cùm autem ille Dei seruus se ab omnibus multum honorari videret, & casum, qui ex honore ipso multis euenire solet, valde metueret, locum illum reliquit, & fugiens abijt procul ab vrbe illa quadraginta milliaribus, cùmque apud petras, quæ sunt ad ripam fluuij, speluncam magnam inuenisset, triginta annos illic habitauit, in precibus, & hymnis totos dies, ac noctes insumendo. Nutrimenta verò ipsa multo tempore ex herbis, quæ prope fluuium nascebantur, sibi conficiebat; postea paruum quendam hortum ad ripam fluminis eleganter construxit, atque in eo aliquot horis diei opus faciens, ex eo ipso cibum sibi comparabat. Ita verò eius vita celebrabatur, vt è viginti, & triginta monasterijs monachi, & clerici ad eum venirent, multique alij ex ijs, qui mundi rebus occupantur, ad eum se conferrent, vt eius benedictionem acciperent, & ab eo confirmari possent.

Sed talis, ac tantus vir, tantaque gratia dignus effectus, fortasse elatione, vel superbia captus, in lapsum, eumque omnium grauissimum incidere permissus

stit. Nam scelestissimus humani generis inimicus, qui contra homines re-ctam, & Deo gratam vitam degentes propriam inuidiam exercet, in puellam quandam ingressus cuiusdam diuitis filiam, cœpit clamare, & sanctum Iacobum nominatim appellare, ita vt parentes puellæ circumirent, & vbiq; diuinum illum hominem inuestigarent, neq; monasterium, neq; desertum aliquem locum relinquentes. Quem cùm inuenire non possent, postea solitarium quendam hominem in eo loco, quem supradiximus, esse cognouerunt. Pater igitur seruos suos secum habens, & puellam iubens vnà cum matre in iumento sedere, & eum sequi, venit in eum locum, de quo audierat, vbi & ille vir sanctus vitam degebat. Quem cùm vidisset, & ad eius pedes se abiecisset; Miserere, inquit, filiæ meæ, quoniam grauiter ab impuro spiritu cruciatur; nam viginti dies sunt, quibus neq; cibum, neq; potum sumpsit, sed clamat se ipsam lacerans, & nomen tuum appellans.

Tunc iussit puellã illuc duci; cùmq; se diutius precibus dedisset, sic ardenter pro ipsa precatus est, vt & locus, in quo stabant, contremuerit. Finitis verò precibus insufflauit in illum impurum spiritum, & ait: In nomine Domini nostri Iesu Christi exi ab ista puella. Statimq; dæmon ipse, tanquam igne aliquo impulsus, è puella discessit. Illa verò cùm in solum cecidisset, multis horis iacuit sine voce; sed sanctus ille Deum precatus, eam, manu apprehensa, erexit, & parentibus suis reddidit. Qui cùm miraculum illud vidissent, diuinam gloriam collaudarunt. Sed metuentes ne impurus ille dæmon reuersus in eam ingrederetur, ipsum rogarunt, vt puella apud eum duos dies remaneret, quoad omnino à dæmone liberaretur. Puella igitur apud eum relicta, parentes in domum suam reuersi sunt.

Decet autem, sicut initio diximus, ad multorum cautionem, & cœlestem hanc vitam exercentium ædificationem, non solùm perfectorum hominum rectè facta narrantes, bona tantùm colligere; sed ne malarum artium, & laqueorum scelestissimi illius hostis imperiti sint, qui Deo seruiunt, quemadmodum maximas, & veras huius hominis virtutes enumerauimus, ita, inquam, conuenit, & fluctuationem in eum illatam, & inde maximum eius lapsum enarrare. Dicemus autem deinceps, vt decet, & ea miracula magna, atq; ingentia, quæ post perfectam ipsius pœnitentiam, & generosam confessionem per eundem ædita sunt. Quò enim nobiliorem exercitationem, ac vitam antea egerat, eò maior postea ipsius fuit lapsus. Quantò autem grauior fuit lapsus, eò maior postea ipsius fuit & emendatio.

Ille enim pessimus, & impius Dei seruorum inimicus, cùm puellam, quæ curata fuerat, illic solam cum solo relictam vidisset, & velut ansam quandam aduersus iustum hominem arripuisset, libidinosum spiritum in eum immisit; qui tantoperè ipsum adortus est, vt qui exercitationis initio, quo tempore impiorum Samaritarum laquei per mulierem, quam supradiximus, parati fuerant, generoso, & forti animo restiterat, quique, vt diabolum superaret, per quem mulier aduersus ipsum impulsa fuerat, sinistræ manus iacturam perferre maluerat, is, inquam, vir libidinis stimulo percitus, diuini timoris, & tantæ sanationum gratiæ, ac tam diuturnæ exercitationis, totq; laborum oblitus fuerit; & quamuis ad multam senectutem venisset, victus tamen dæmoni succubuerit, & in eum locum, qui ante cellam erat, egressus, puellam ipsam vitiauerit, & impietatis cœno se ipsum commacularit. Deinde verò, tanquam primordijs quibusdam dæmoni oblatis, coactus est superiori malo & alterum addere. Cùm enim corruptor ille serpens vereretur, nè Iacobus ipse resipiscens ad emendationem veniret, quæ per pœnitentiam his præbetur, qui eam syncero animo inquirunt, ei viro, quem, vt sibi videbatur, captiuum duce-

bat,

dat, suggessit vt superiore peccato maius quiddam patraret: Quasdam enim timiditatis cogitationes cùm in eius mentem iniecisset, auctor illi fuit, vt puellam à se vitiatam interficeret.

Et eo igitur peccato superatus, eius quoque cædem patrauit, sperans scilicet ea re fieri posse, vt eius puellæ parentum molestiam vitaret. Sed neque eo scelere contentus fuit vetus ille malorum auctor diabolus, sed aliud etiam addidit, vt non solùm interfectæ puellæ reliquias sepulturæ nõ mandaret, sed eas etiam in aquas fluuij sine misericordia aliqua proijceret. Talis est superbiæ, & arrogantiæ fructus. Nisi enim eiusmodi peccato monachus ille se subiecisset, prauus hostis, tanquam in breue aliquod nauigium vim omnem, ac ventorum æstum effundens, eum senem nequaquam dedecorasset, à quo adhuc iuuene victus fuerat; quem postea & ipse vicit, eò quod nimis elatum sensit.

Sed tamen egregia Christi summorum bonorum largitoris in homines beneuolentia, qui omnes homines mauult saluos esse, quàm perire, ei, qui lapsus fuerat, atque humi iacebat, manum porrexit, & pœnitentiæ remedijs insanabilia, & graueolentia proprij figmenti, hoc est eius viri vulnera curauit, ijsdemque, ac maioribus gratijs post pœnitentiam eum decorauit. Hæc autem in medium proferre coacti sumus, vt sicut superiorem eius vitam cognoscentes Deum laudauimus, & quomodo lapsus fuerit audientes, in tristitiam incidimus, ita & synceram ipsius pœnitentiam ediscentes, non nobis ipsis confidamus, sed in benignissimo Deo, ex quo gratiæ omnes proficiscuntur, spem collocemus, qui & nobis stantibus dat patientiam, vt perfectè stare possimus, & pigritia cadentes sua manu sustentat, hoc est, opem nobis porrigit, ac pœnitentes pro sua in humanum genus charitate amplectitur. Etenim qui tot, & talia mala patrauit, quorum vnumquodque gehennæ obnoxium eum faciebat, Dauidis exemplum imitandum sibi proposuit, quò à lapsu erigi posset. Nam & Dauid post adulterium rerum ordinem peruertit, & pro eo quòd adulterii sui pœnas dare debuisset, cædem etiam addidit eius viri, cui priùs iniuriá fecerat.

Ille igitur cùm animaduerteret, quemadmodum Deus ipse, ac benignus Dominus, Dauidis oratione placatus, statim peccata ei condonauit, ad pœnitentiæ portum confugit, sola spe ad animæ ipsius emendationẽ gubernatrice vsus. Cùm enim ad se redijsset, & è somnio, vt aliquis diceret, excitatus esset, in cellam suam ingressus est, seque in terram cùm abiecisset, intolerabiles gemitus emittebat, pectus suum valde percutiens, & lachrymarum riuulos emittens. Sed neque sic ab eo discessit impurus, & scelestissimus diabolus. Nam cùm eius viri propositum, ac voluntatem ferre non posset, cœpit desperationis cogitationes in eius animũ inijcere, cùm huiusmodi pessima initia aduersus humanum genus ex Iudæ ipsius desperatione inferre conatus esset. Ille igitur ad seculi consuetudinem redire decreuit. Sed benigna Christi voluntate factum est, vt iter faciens in monasterium quoddam veniret.

Ad eos igitur monachos, qui illic erant, ingressus ipsos salutauit, qui cùm eius pedes lauissent, & panem ei apposuissent, rogabant, vt cibum sumeret. Ille verò cùm neque eos ferè audire pateretur, grauem gemitum emittens; Hei mihi, inquit, misero, quomodo potero in cœlum oculos erigere? Quomodo ipsius Christi Domini nomen audebo inuocare, quem reprobaui, ac dereliqui? Quomodo audebo aliquid ex ipsius bonis attingere, qui anima & corpore adulter contra ipsum fui, & intemperantiæ libidinibus me ipsum commiscui? Cùmque cœpisset narrare, quo pacto res se habuerat, illis omnia confessus est; qui multa tristitia ob eam rem affecti, & his, quæ diuersis modis passus fuerat, commoti, pro viribus eum consolati sunt. Cùmque benedictiones ei dedissent, & multas, atque attentas preces pro eo ad Deum misissent, illum à se dimiserunt.

Cùm autẽ iter faceret, frater quidam ei occurrit, verè Christum in se ipso habens; qui cùm eum salutasset, coëgit in suam cellam diuertere; cùmq́; eius pedes lauisset, & omnia charitatis officia illi præstitisset, panẽ apposuit, ipsumq́; adhortatus est, vt particeps fieret earum benedictionum, quas Deus misisset. Ille verò cùm peccatorum suorum sibi conscius esset, pectus suum pulsans, diu recusabat cibum sumere. At Dei seruus, apud quem ille diuerterat, ad ipsius pedes se abiecit eum consolans, & iureiurando affirmans, se non priùs è terra surrecturum, quàm promisisset, se illorum, quæ apposita fuerant, participem futurum. Id cùm ille promisisset, Dei seruus è terra surrexit, vt cibum sumeret.

Postea verò quã ambo panẽ gustauerunt, & Deo gratias egerũt, rursus vnà sedebãt. Tunc is, à quo Iacobus hospitio acceptus fuerat, ipsũ affatus; Instrue, inquit, pater, me in Christo filium tuũ, & cor meum confirma, quoniã multis, & varijs cogitationibus valde solicitor. Tunc ululans sanctus Iacobus, & cũ lachrymis, gemitibus, & lamentis suum pectus verberans; Sine, inquit, frater, me flere, & grauia peccata mea, quæ ꝗ impiè aduersus Deum ausus sum, lamentari, quoniam in hac mea vana, & turpi canicie, tanquam puer, à diabolo supplantatus, in interitum omnino immersus sum. Malis enim, quæ iuuenis tolerantèr vici, nunc in senectute inhonestè me gerens succubui, cùm in graueolentis stupri cœnum me ipsum coniecerim, & alia his grauiora peccata commiserim. Hæc cùm ille audiuisset, moerore multo affectus est, eumq́; rogauit, vt singillatim fraudem diaboli narraret, hæc duo ex ea re procurans, primùm quòd sperabat peccati confessione ad pœnitentiam illum virum prouocandum, deinde quòd ex fratris lapsu cautionem sibi in posterum parare cupiebat. Ille igitur sic narrare cœpit.

Cùm exercitatione accurata, & valde laboriosa vsus fuissem, & Deo ipsi quinquaginta annos innocenter seruiuissem, postquam multam à benigno Deo gratiam accepi, multaq́; miracula per me scelestum perfecta sunt, postremò satanas in puellam quandam ingressus fuit; cuius parentes cùm audiuissent Christi gratiam mihi adesse, illam ad me duxerunt, vt curari posset. Cùmq́; me rogassent, vt pro illa Deum orarem, id feci, & diuina ope factum est, vt impurus spiritus ab illa discederet. Illi cùm omnino eam curari cuperent, duos dies apud me puellam reliquerunt, ipsiq́; in domum suam reuersi sunt. Mente verò excæcatus ego ad illam exij, & libidinis stimulo superatus, neq; Deum horã illa in mente habens, neq; quòd tam diuturnæ exercitationis labores perderem cogitans, sed omnia (vt summatim dicam) oblitus, & gehennam contemnens, ad stupri perniciosam ruinam cecidi. Cùmq́; puellam vitiassem, malo malum curare volui, quinimmò minori malo maius addidi. Nam dedecoris illius auctor dæmon me inuadens, eiusdem puellæ cædem in mentem suggessit. Itaq; post stuprum, quod intuleram, illam ipsam interfeci, eiusq́; corpus in fluuium proieci. De mea igitur salute desperans discessi, & nunc in mundum reuertor. Quomodo enim in coeli altitudinem oculos erigere potero? Nam si Christum ipsum nominare ausus fuero, nunc ignis de coelo descendens statim me consumet.

Hæc, & talia cùm ille multis lachrymis, & gemitibus maximis enarraret, alter Dei seruus hæc audiens, diuina gratia compunctus, in eius collum cecidit, eumq́; osculans; Quæso, inquit, frater, ne animo decidas, neq; de salute tua desperes; sed credens pœnitentiæ locum esse, lachrymas fundens benigno Deo confitere. Multum enim misericors est Dominus, & multa est misericordia, qua nos semper prosequitur. Quoad tempus habemus, pœnitentiam agamus. Nam si pœnitentia non esset, quomodo Dauid post propheticum donum, post regnum, post Domini testimonium, in adulterij, & cædis bara-

chrum lapsus, verbis & re pœnitentiam ostendens, talium peccatorum remissionem assequi potuisset? Si pœnitentiæ locus non est, quomodo beatus Petrus Apostolorum princeps, primusq́ue discipulus, qui claues cœli à Deo accepit, cùm Dominum Christum non semel, non bis, sed ter negasset & posthæc amarè fleuisset, non solùm eius peccati remissionem impetrauit, sed maiore etiam honore dignus fuit habitus, rationalium Christi ouium pastor effectus? Nisi pœnitentia esset, quomodo eum, qui apud Corinthios fornicatus fuerat, assumi Apostolus mandasset; Ne, inquiens, circumueniamur a satana? His, & talibus verbis cùm eius animum valde confirmasset verus, & misericors frater, eum rogauit, vt secum vnà manere vellet. Cùmq́ue ille nollet, ad eius pedes Dei seruus se abiecit, eosq́ue osculatus illum orabat, ne ab eo separaretur, cogitans, ac metuens ne aliquo modo in desperationem incideret, & animam suam omnino perderet. Cùm verò vehementer eum admonens, rogans, atque obsecrans illi persuadere non posset, sanctus vir angustijs compressus, & spiritu ingemiscens, atque pro eo magnoperè Deum precatus, illum dimisit, cùm benedictiones etiam dedisset, quibus in via vteretur. Cùmq́ue vnà cum illo vsque ad quindecim milliaria iuisset, non desinebat ipsum hortari, longam de pœnitentia orationem habens. Eum deinde amplexus, & cum lachrymis osculatus, ac pro ipso Deum precatus, in cellulam suam reuersus est.

Iacobus autem cùm viæ, quæ in mundum ducebat, se dedisset, in itinere erat; cùmq́ue partem quandam viæ transegisset, & paulùm declinasset, vetus quoddam sepulchrum inuenit ad figuram speluncæ factum, in quo plurima mortuorum ossa reposita erant, quæ temporis vetustate ferè vt puluis euaserãt. Quò ingressus, cùm ossa illa in vnum collegisset, in quodam monumenti angulo ea reposuit; cùmq́ue veterem speluncæ ianuam occlusisset, & genua in terra posuisset, pectus verberans magno cum eiulatu, ac lamentatione ita Deo confitebatur: Quomodo ad te, Deus, oculos erigam? Quale confessionis meæ initium faciam? Quo animo, qua'ue conscientia fretus impiam linguam, & labia sordibus plena mouere aggrediar? Primùm cuius'nam peccati remissionem petere audebo? Da veniam, benignissime Domine. Esto propitius mihi indigno, bone Domine, neque perdas me cum turpissimis factis meis; non enim paruæ sunt impietates meæ. Stuprum commisi, cædem feci, sanguinem innocentem effudi. Ad hæc omnia miserum corpus aquis, feris, ac volucribus escam dedi. Et nunc, Domine, tibi scienti omnia confiteor, harum rerum veniam à te postulans. Ne me despicias, Domine, sed pro tua misericordia, & in homines charitate, miserere mei hominis impij, atque indigni, & mihi copiosam misericordiam tuam impartias, omnemq́ue iniquitatem meam remitte, ne in peccati profundam voraginem demersum obruat me vastatoris inimici procella, ne draco abyssi me deuoret.

Hac constanti pœnitentia, & confessione vsus, decem annos in spelunca transegit, vel in sepulchro potiùs duram vitam tolerans, è loco illo non exijt, neque cum aliquo versatus est, neque quenquam allocutus; sed amaris lachrymis, gemitibus, & lamentis intolerabilibus, multaq́ue compunctione omne tempus transegit, bis in hebdomada ianuã speluncæ aperiens, & olera, quæ erant prope ostium sepulchri, vbi ipse manebat, colligens, ex quibus tantum commedebat, quantum sibi satis esse putabat, atque in speluncam reuertebatur, multas Deo gratias agens, omniq́ue tempore precibus, vigilijs, & confessionis perseuerantiæ dans operam. Quamobrem benignus Deus, qui non vult mortem peccatoris, sed conuersionem, & vitam, tantum, & tam multum laborem non inanem, neque inutilem esse passus est. Eius enim puram, & diligentissimam pœnitentiam attendens, tantorum, & talium peccatorum veniam ei dedit.

Cùmq; & sancto illi homini, & omnibus alijs pœnitentiæ vim manifestam Deus ipse facere vellet, permisit, vt vehementissimus squalor, & pluuiæ penuria totam illam regionem detineret. Itaq; post multa ieiunia, preces, & supplicationes, reuelatum fuit ciuitatis illius religiosissimo Episcopo, viro sancto, & Deum metuenti, esse quendam hominem ea in regione in sepulchro habitantem, habitu quidem humilem, sed spiritu, & animo sanctum, qui si ab ipsis persuasus, Deum precatus fuisset, omnia mala, quæ illi regioni imminerent, auerteret. Sanctissimus igitur Episcopus cum toto clero iussit omnes congregari ad uisionem illam audiendam, quam eis narraturus erat, vt cum supplicationibus ad speluncam sibi reuelatam ad eum diuinum hominē adirent. Cùm id factum fuisset, & ad eum locum venissent, iustum illum hominem inuenerunt; multisq; precibus ab eo petierunt, vt eorum regionis misereretur, & Deum precari vellet, ab eoq; impetrare, vt populo suo reconciliaretur, & præsentem squalorem depellens, pluuiam in eorum terram demitteret. *Ille nihil* omnino eis respondens, suum pectus verberabat, neq; in cœlum oculos erigere audens, id tantùm dicebat: Propitius esto, Christe, multis meis impietatibus.

Episcopus verò cùm in supplicationibus, atq; hortationibus perseueraret, neq; responsum aliquod ab eo reciperet, illo relicto, qui eò venerant, lamentantes reuersi sunt. Cùmq; ad Ecclesiam venissent, illic rursus lachrymantes, & supplices à benigno Deo malorum liberationem quærebant. Cùm verò multis diebus lamentantes, ac ieiunantes Deum implorarent, vt eis subuenire vellet, iterum eidem Episcopo reuelatum est, & clara vox audita fuit, quæ ita dixit: Abi ad seruum meum Iacobum, quem tibi iam reuelaui, eiq; persuadeas, vt de his rebus me orare velit; eo enim orante, ijs malis, quæ regioni impendent, liberi eritis. Reuersus igitur cum toto clero, & populo sanctus Dei sacerdos pergebat diuino homini supplicationes afferre. Tunc ille inuitus (vt breui dicam) & multis supplicationibus adductus, & ab illo sancto Episcopo persuasus, quòd diuina reuelatione ad eum missus venisset, erectis in cœlum oculis, multo tempore attentas preces habuit; cùmq; adhuc in eius ore preces essent, bonus, & misericors Deus, qui omnia se metuentibus abundè, & facilè largitur, re ipsa illud diuinarum literarum dictum implens: Adhuc te loquente, dicam, Ecce adsum: pluuiam multam in terram demisit. Quam maiorem in modum admirati, hymnum pro gratijs agendis misericordi Deo, & eius magnificentiæ cecinerunt, ac reuersi sunt; diuinam verò gloriam celebrantes eius seruos beatos prædicabant, qui per virtutis exercitationem, tali, ac tanto honore, & gratia digni efficerentur.

Eo igitur maximo beneficio à benigno Deo adiuti, & diuina illa plaga liberati, quæ per Dei seruum Iacobum repulsa est, ad hodiernum vsq; diem per singulos annos illius diei memoriam celebrant, quo ariditate illa aërea liberati sunt, & hymnos, supplicationes, & gratias assiduas Christo agunt. Multi verò diuersis morbis detenti è populo ipso, vnà cum Episcopo, consolationis, & curationis causa ad Dei seruum Iacobum confugiebant; quos ille 6 oleo sancto vnctos, & Christi nomine benedictos ita sanabat, vt domum reuersi gloriam Dei collaudarent, qui per seruum suum curationem ipsis attulerat. Omnes igitur, qui ciuitatem, ac finitimam regionem habitabant, ægrotos suos ad eum ferebant, vel rogabant, vt, ipsis absentibus, pro eorum salute ipse Deum oraret; ac statim diuina ope curationem assequebantur; tanta enim gratia illi collata est, vt vel solo sermone statim impuros spiritus fugaret.

6 Sancti olei vnctione, & benedictione Iacobus ægrotos sanabat.

Eodem autem ipso anno, quo acerbissima illa squaloris plaga repulsa est, Dei seruus Iacobus accersiuit sanctissimum Episcopum, eumq; rogauit, vt speluncam, hoc est sepulchrum curaret, in quo iam diu ipse domicilium

habuerat, & ab eo petiuit, vt mortuus illic sepeliretur. Id cùm ille se facturum promisisset, & in vrbē reuersus esset, post paucos dies beatus Iacobus in senectute bona obijt, quintū & septuagesimum annū agens. Quod cùm religiosissimus Episcopus cognouisset, ad eum locum cum toto clero, & probis laicis accessit: qui cùm aromatibus pretiosis eum condijssent, Deum ipsum, & eius gloriam celebrantes, venerandas eius reliquias in illo ipso monumento deposuerunt. Postea sanctus Dei sacerdos sacram ædem ad speluncam ædificauit, eiusq; reliquias illuc transtulit. Quo in loco vsq; ad hodiernum diem multi curantur, ac tota ciuitas, & finitima regio eius memoriam singulis annis celebrans, diem 7 magnum festum agit, in gloriam benigni Dei; qui sic illum honorauit; quem & nos consueto more, & gloriose celebremus, benedicentes Patri, Filio, & Spiritui sancto; Cui gloria est, & imperium in secula seculorum. Amen.

7 Dies festus Sancti Iacobi Eremitæ.

AMPHILOCHII EPISCOPI ICONII HOMELIA IN PVRIFICATIONEM DEI GENITRICIS MARIAE, IN ANNAM PROPHETISSAM, ET SYMEONEM.

II. FEBRVARII.

1 Vide Virginitatis cōmendationem egregiam.

MVLTI quidem non vulgares, sed viri summi, atq; præstantes, Virginitatem admiratione magna prosequuntur, idq; non immeritò faciunt, cùm verè sit 1 admirabilis, vt Angelorum naturæ cognata, & eundē cursum sibi proponens, quem & naturæ illæ incorporeæ propositum habent, vt Ecclesiæ sanctæ lampadem gestans, vt mundum superans, vt affectus, & perturbationes carnis conculcans, vt appetitum refrenans, vt cum Eua non communicans, vt à dolore, ac tristitia liberata, vt castitati adhærens, vt à gemitibus redempta, quippe quæ condemnationis sententiam non admisit, quæ ait: In dolore paries filios; & conuersio tua ad virum; & sub viri potestate eris. Verè igitur Virginitas ipsa est admirabilis, vt possessio quædam à seruitute libera, vt germen nunquam exarescens, sed semper virens, ac florens, vt vitæ institutio insignis, vt exercitationis, & vitæ laudabilis ornamentum, vt humano habitu superior, vt corporeis affectibus pura, vt deniq; vnà cum sponso Christo in thalamum Regni cœlestis ingrediens. Virginitatis igitur multiplex gloria talis, tantaq; est, cui hæc, & his similia conueniunt.

2 Vide etiam matrimonij, & nuptiarū encomium.

At Nuptiæ 2 honoratæ etiam sunt, & quouis terrestri dono superiores, fœcundæ arboris similitudinem præseferentes. Est enim Coniugium ipsum tanquam planta quædam pulcherrima, ex qua Virginitas ipsa nascitur, & rationalia, animataq; germina producuntur. Est, inquam, Coniugium ipsum benedictio illa, qua mundus creuit, & generis instauratio facta est; per ipsum enim natura humana reparata fuit; quam cùm Dominus suscepisset, diuinam imaginem renouauit. Tale deniq; Coniugium est, vt vniuersum genus humanum contineat, & cum illo versetur, ita vt liberè possit dicere: Ecce ego & pueri,

quos dedit mihi Deus: Cùm ergo tam eximium sit Coniugium, quid Virginitas erit Cõiugij flos? Nõ enim ex alia re, quàm ex Cõiugio Virginitas gignitur.

Hæc autem cùm dicimus, inter Virginitatem, & Nuptias contentionem, aut pugnam non introducimus, sed vtriusq; bona, vt par est, admiramur, quandoquidem tam Coniugij, quàm Virginitatis curam habet Dominus ipse, qui non alterum alteri, tanquam in trutina, opponit, sed facit, vt in vtraq; parte Dei timor adsit. Nam si pietas absit, & Dei timor, neque Virginitas ipsa veneranda, neq; Nuptiæ sunt honoratæ. Hæc antequam Euangelicæ lectionis explanationem aggrediamur, dixisse volui, propter id, quod in lege quidem scriptum, sed gratiæ tempore confirmatum est, ab vniuersis expectatum, sed in solo Domino completum est. Dico primogenitum fructum illum Mariæ Virginis. Audisti enim Euangelistam paulò ante dicentem: Postquam consummati sunt dies octo, vt circuncideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur. Et postquam impleti sunt dies purgationis eius, tulerunt illum in Hierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur.

Audistine Coniugij benedictionem? Id communiter quidem dictum est de omnibus, sed in solo Domino perfectum. Quod enim scriptura dicit, Omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur, ad solum Dominum Iesum refertur, non ad alium quempiam, licet communiter dictum sit. Talis enim est vniuscuiusq; virginis natura, vt primùm viri congressu aperiatur vulua ipsa, deinde pariat. Sed in Saluatoris nostri ortu non ita factum est. Nam nulla præeunte 3 viri cognitione in Virgine matre, ipse sine virginitatis illius corruptione ortus est. Itaq; dictum illud, Omne masculinum adaperiẽs vuluam sanctum Domino vocabitur, verè, ac propriè ad Dominum Iesum referebatur. Nunquid Cain sanctus fuit, quoniam omnium primus ex materno vtero æditus est? Num, inquam, propterea sanctus vocabitur, qui nefariè vitam terminauit? Num Esau vir bellicosus, & gladij hæres, propterea sanctus dicetur, quia prior natus est, quàm Iacob? An Ruben sanctus, quia primus ex vtero matris æditus est, quippe qui patris cubile commaculauit? Nemo istorum sanctus fuit. Omnes isti rei extiterunt. Ex his igitur manifestum est scripturæ dictum illud, Omne masculinum adaperiens vuluam sanctum Domino vocabitur, propriè, ac verè ad solum Dominum Iesum spectasse. Id'q; confirmatur illo Gabrielis ad Virginem testimonio: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideo'q; quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.

3 Ecce quomodo vnigenitus Dei filius, nulla præeũte viri cognitione in Virgine matre, ac sine virginitatis illius corruptione, ex eadem ortus est, contra veteres, & recentes hæreticos.

Sunt autem qui nostris dictis aduersantes hæc nobis obijciunt, Si scripturæ locus ille, Omne masculinum adaperiens vuluam sanctum Domino vocabitur, ad Iesum solum refertur, non igitur Virgo ipsa remansit virgo, cùm scriptura dicat, Omne masculinum adaperiens vuluam. Animaduerte, & prudenter intellige quicunque de virginea illa natura verba facis, quòd scilicet nullo modo virginalis illa porta patefacta sit, eius prouidentia, & voluntate, qui antea in ipsa conceptus est. Hoc enim futurum prædixit Spiritus sanctus, cùm per Prophetam dixit: Hæc porta clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israël ingredietur, & egredietur per eam, & porta ipsa erit clausa. Quantùm igitur pertinet ad virginalem naturam, virginis 4 claustra nullo modo aperta sunt; quòd verò pertinet ad potentiam geniti Domini, nihil clausum, omnia aperta, nihil quod impedimentum afferre potuerit cùm omnia Domino ipsi sint reserata. Quamobrem & superiores potentiæ clamantes dicebant inferioribus: Tollite portas principes

4 Claustra sacratissimæ Virginis, nascente Dño, nullo modo sunt aperta.

vestras, & introibit Rex gloriæ.

Admirabilis certè Virginitas ipsa est, sed quæ vera Virginitas dici possit; nam & in virginibus discrimen est, cùm aliæ dormitent, aliæ vigilantes sint. Admirabile Coniugium, sed quod verè Coniugium est; multi enim Coniugij legem seruarunt, multi eam violantes transgressi sunt. Admirabilis est & Viduitas ipsa (quandoquidē omnes tres istos ordines decet commemorari) admirabilis, inquam, est & Viduitas ipsa in castitatis certamine se victricem ostendens; cuiusmodi fuit Anna illa, de qua paulò ante Lucam Euangelistam narrantem audiuistis. Ea enim cùm benè, ac laudabiliter consenuisset, renouauit, vt aquila, iuuentutem suam. Hæc autem ipse Lucas: Et erat Anna Prophetissa filia Phanuel de tribu Asser. Hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annos septem à virginitate sua; & hæc vidua vsq; ad annos octoginta quatuor, quæ non discedebat de templo, ieiunijs, & obsecrationibus seruiens nocte ac die. Audisti quibus laudibus in sacris Euangelijs ornata sit Anna vidua sancta? Verè fidelis fuit Anna illa, morum probitate, vt nomine ipso gloriosa. Audiant mulieres, & egregiam Annæ vitam imitentur. Similem cursum & ipsæ teneant, vt pares coronas consequantur.

Nulla sibi proponat Viduitatis defectionem, ne monogamiæ continentiam amittat. Certè Viduarum corona fuit Anna, sexu mulier, ordine, ac dignitate Prophetissa (vt est in Euangelio) in viduitate vitam degens, & in templo versans, corpore quidem imbecillis, & propter senectutem infirma, sed animo fortis, ac robusta, corrugata facie, sed prudentia vigens, ac florens, senectute incuruata, sed consilio, & sententia rectè incedens, multorum annorum numero senior iam facta, sed Dei cognitione præcellens, ieiunijs, non saturitati studens, Deum precans, non inter oscitantes vitam degens, in templo perseuerans, non alienas domos obiens, psalmos canens, non nugis vacans, prophetiæ intenta, non fabulis, aut nugacitati, diuina meditans, inhonesta reijciens. Tot, tantæq; fuerunt Annæ virtutes, vt illam etiam superarit, quam Apostolus Paulus beatam prædicat hæc scribens: Vidua deligatur non minus sexaginta annorum, si filios educauit, si sanctorum pedes lauit, si tribulationem patientibus subministrauit, si omne opus bonum subsecuta est.

An non hanc ab Apostolo prædicatam viduam superauit Anna & annorū numero, & vita, ac moribus? Quæ enim prophetiæ dono digna, & sancti Spiritus capax effecta est, Deiq; in carne humana præsentiam omnibus, qui eam expectabant, nunciauit, atq; ostendit, quomodo non illa omnes alias viduas superauit, cùm Euangelium, sicut paulò ante audiuistis, de ipsa dicat: Et hæc illa ipsa hora superueniens, confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem in Israël? Vides ne quanta fuerit Annæ præstantia? Pro Domino testimonium proferebat, & Domini Spiritu afflata, quæ ipsius erant, præsente illo ipso Domino, loquebatur. O res admirabiles. Erat mulier illa vidua, & ea reuelabat, quæ sacerdotes quidem, & Scribas mœrore afficiebant, sed populum ipsum recreabant, cùm ex Domini præsentia futuram in Israël redemptionem nunciaret. Videbat Anna infantem Dominum dona pro se ipso in templo tunc offerentem, neq; tamen propterea offensa est, neque quòd videret Dominum in ætate puerili; sed confessa est infantem illum esse Deum, medicum, redemptorem, fortem, ac validum peccatorum destructorem.

Noli, quæso, Annæ verba simpliciter præterire, quæ omnibus, qui præsentes erant, Domini Iesu Christi futurum opus prænunciabat. Videtis ne, inquit, puerum hunc mammam sugentem, in materno sinu quiescentem, nondum pedibus vestigia supra terram figere valentem? Videtis ne puerum istum,

qui

qui octauo die circunciditur? Hic fundauit secula, hic coelos in orbem circun duxit, hic terram dilatauit, hic mare ipsum arena, tanquam vallo quodam, circũdedit. Puer iste educit ventos de thesauris suis. Idem & Noë temporibus cataractas coelorum aperiens, diluuium in omnem orbem terrarum immisit. Hic pluuiam, atque imbres componit. Iste puer niuem, vt lanam spargit. Iste Mosaica illa virga patres nostros de terra Aegypti liberauit. Iste mare rubrum dissecuit, & tanquam per campum aliquem fecit illos transire puluerulento pede, qui spem suam in eo collocauerant. Hic & manna, vt imbres quosdam, demisit. Iste patribus nostris terram melle, ac lacte fluentem sorte distribuit. Iste templum hoc per Salomonem construi, atque in sublime erigi fecit. Iste iurans dixit Abraham: Multiplicans multiplicabo semen tuum, sicut stellas coeli, & sicut arenam, quae est in littore maris. De hoc puero propheticus chorus consolationem afferens dicebat: Excita potentiam tuam, & veni, vt saluos facias nos. Non igitur offendatis in eo quòd puer sit; idem enim & puer est, & cum patre coaeternus. Idem sub tempore numeratur, & genealogiam non habet. Idem puer est balbutiens, & hominibus os, & sapientiam largitur, partim vt ex virgine homo factus, partim vt naturam habens quae comprehendi non possit. Nam & hoc expressit Esaias, cùm dixit: Puer natus est nobis, & filius datus est nobis; partim enim genitus, partim datus est. Quòd ad humanam naturam pertinet, genitus, quòd ad diuinam, datus est.

Haec in illa viduae Annae prophetia continebantur. Haec à muliere, & vidua illa egregia clara voce praenunciata sunt. Quae verè fuit vidua, quae benè vitae statum permutauit, quae virum quidem, cum quo fuerat coniugata, diem suum obeuntem amisit, sed Deum ipsum suscepit. Septem annos cùm viro suo vixit à virginitate sua. Annorum hebdomadam complens, & anno septimo à viri consuetudine requiescens, benè sabbatismo functa est, benè amplexa est Dominicae diei gratiam. Turturis morem Anna seruauit. Non oblita est coniugis sui, non admisit in cubile virum aliquem, à quo eius castitas violari posset. Nam & in lecto ipso priorem virum, quamuis mortuum, memoria retinebat. Non commaculauit sindonem, in qua cum primo illo viro copulata fuerat. Verè reprehensione dignae sunt, quae virorum, quibus auctore Deo coniugatae sunt, memoriam cum eorum sepulchris obruunt, praesertim filio, aut filijs ex coniugio susceptis, cuius rei causa connubium concessum est. Nam si iuniori viduae non sit proles, reprehendenda non est, si filiorum desiderio impulsa veniat ad alterum coniugium, quoniam & beatus Paulus hoc admonens dicebat: Volo iuniores viduas nubere, filios procreare, matresfamilias esse. Itaque procreandorum filiorum causa secundum connubium additum est. Cùm verò sit proles iuniori viduae, supernacaneum videtur semen spargere, cùm scilicet aristae floreant.

Sed quidnam deinceps narrat Euangelista? Operaepretium est enim totam seriem tractare. Audisti paulò ante Lucam Euangelistam narrantem, quemadmodùm Symeon dixerit virgini: Ecce hic positus est in ruinam, & resurrectionem multorum in Israël, & in signum, cui contradicetur; & tuam ipsius animam pertransibit gladius. Quaeso, quidnam hoc est, Tuam ipsius animam pertransibit gladius? Intellige prudenter quod dixit Symeon virgini, Ecce hic positus est in ruinam, & resurrectionem multorum in Israël, & in signum, cui contradicetur. Diceret Virgo, vt mater Domini: Quidnam hoc est, quod ais, Symeon? Cur tristia quaedam aduersus Christum denuncias? Ignoras qua ratione hic puer conceptus fuerit, & propterea tanquam alicuius communis hominis signo contradicendum significas. Nulla in hoc ipso ruina, sed exaltatio multa inuenietur, qui ad alios extollendos se demisit. Cur igitur non ei be-

dedicis, sed ais: Ecce hic positus est in ruinam, & resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicetur?

Hæc dicere poterat Virgo, cui responderet Symeon: Satis est tibi, Virgo, matrem omnium Creatoris dici. Satis est nutricem esse illius, qui nutrit orbem terrarum, & mundum sustentat. Satis est, quòd eum feras, qui portat vniuersa. Qui nunc in te habitauit Christus, & nunc manibus meis tenetur, hic ipse suggessit mihi quæ de ipso loquar, quòd scilicet hic positus est in ruinam, & resurrectionem multorum in Israël. In ruinam scilicet non credentium Iudæorum, & resurrectionem Gentium, quæ credituræ sunt. Signum autem, cui contradicetur, Crucem appellauit. Quandoquidem multi ex infidelium numero contradictionis verba Cruci Dominicæ intulerunt, verbis ac factis Iesum impugnantes, arundine caput ipsius percutientes, acetum dantes illi bibere, fel pro cibo afferentes, corona spinis contexta eius caput induentes, sceleratis manibus alapas infligentes, lancea latus aperientes, contumeliosa illa verba magnis clamoribus obijcientes: Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere. Totum hoc interpretatus est Symeon, cùm dixit: Et erit in signum, cui contradicetur. Multi illo ipso tempore contradixerunt, quo Petrus negauit, & omnes Apostoli, vt oues sine pastore, dispersi sunt. In eodem illo Crucis signo ipsius etiam Virginis cor dolore fuit repletum, ita vt vitam ipsam acerbam sibi esse existimauerit, eò quòd diem illum viderit, & crucifixo filio intestino dolore affecta fuerit. Huiusmodi multas Virginis cogitationes, gladium Symeon apellauit, quippe quòd intimum cor pupugerint, & scandala ʃ intulerint, sicut Dominus noster prædixerat: Omnes in me scandalum patiemini in nocte ista. Quamobrem & Symeon hoc futurum præuidit, & dixit: Tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Vides quemadmodum infinitas illas cogitationes gladium appellauit, vt intimas cordis partes, & renes, ac medullas ferientes? In huiusmodi cogitationes incidit Virgo ipsa, cùm nec dum resurrectionis potentiam cognouisset, quòd scilicet proxima esset Christi resurrectio. Ignorabat enim tantã esse Christi virtutem, vt mortem quidem ipsam gustaturus esset, sed ab illa deuorari non posset. Itaq; post resurrectionem non ampliùs gladius anceps, sed hilaritas, & exultatio consecuta est. Signum igitur, cui contradicetur, Crucis signum Symeon appellauit, cuius causa gladius variarum cogitationum animam Virginis penetrauit.

ʃ Cautè locum lege. Nam quòd dolore cor beatæ Virginis in passione Domini fuerit repletum, verissimum est; sed quòd etiam ipsa scandalizata sit, sicut cæteri Apostoli, & in varias inciderit cogitationes, eò quòd resurrectionem filij ignoraret, à veritate lõgè abest, cùm sanctissima Virgo resurrectionis filij ignara non fuerit, ceu quæ illã ab ore eius toties prædictam audinerat.

Licet etiam alia quædam de hoc signo dicere, si Dominum hæc in Euangelio dicentem attendamus. Generatio hæc praua est, signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit & filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. Vides quemadmodum Crucis signum non solùm in nouo, sed etiam in veteri testamento nominatum sit? Multùm enim vetus testamentum conuenit cum nouo, quoniam vnus & idem est Deus, qui & veterem legem tulit, & nouam sanciuit. Huius rei testis est Dominus ipse, quem audi in propheta Ezechiele dicentem ad Angelos, & vniuersalem consummationem significantem: Ne parcat oculus vester, neque misereatur senis, vel adolescentis, non virginis, aut pueri, & mulieres interficite vsque ad internicionem. Eos verò, qui tulerint in frontibus suis signum Tau, ne tetigeritis. Vides sic signum veteris, & noui testamenti? Quod signùm nihil aliud est, quàm Crux ipsa, quæ mundo salutem dedit per Iesum Christum Dominum nostrum; Cui sit gloria, & imperium, in secula seculorum. Amen.

ALOYSIVS LIPOMANVS EPISCOPVS VERONENSIS LECTORI OPTIMO.

EX his Sanctorum vitis, quas eruditissimus Guillelmus Sirletus Apostolicus Protonotarius ex Criptæ Ferratæ cœnobio acceptas, & per ipsum latinè redditas dono nobis dedit, quædam diem, & mensem habebant præsignatum, aliæ verò minimè. Ne mireris ergo si his, quæ sequuntur, certi dies non erunt præpositi. Nam omni vsi diligentia, nusquam illos inuenire potuimus. Quod cùm parui momenti videatur, ad reliqua legenda non surdus auditor propera, haud minorem in his, quàm in superioribus animæ iucunditatem percepturus. Vale.

SANCTI PATRIS NOSTRI IOANNIS CHRYSOSTOMI HOMELIA IN SANCTOS PETRUM APOSTOLUM, ET ELIAM PROPHETAM.

PAUCI hodierno die nostræ cócioni præsentes sunt. Quænam causa est, quamobrem id facere debeatis? Martyrum diem festum, & memoriam celebramus, & nemo nobis occurrit? Sed omnino viæ spatium segnes illos reddidit, immò verò non interuallum viæ, sed segnities ipsa eos impediuit. Sicut enim solertē virū animo, & proposito alacrē nulla res detinere potest; ita segnē, & remissū hominē omnia possunt impedire. Martyres pro veritate ipsa sanguinē suum effuderunt; & tu ne breuem quidem viam subire potes? Illi pro Christo capita sua exposuerūt; tu verò eiusdem Christi causa neq; extra Vrbem vis egredi? Dominus ipse propter te mortuus est; & tu segnem te ostendis? Martyrum celebratur memoria; tu verò piger es, & iacentem animum habes, quem oporteret hîc præsentem esse, & diabolum superatum, Martyres verò ipsos superantes videre, nec non Dei gloriam celebratam, Ecclesiamq; martyrij corona insignitam?

Sed istorum excusatio talis est. Peccator, inquit, sum, idcirco festo diei occurrere non possum. Maximè, inquam, ob hanc causam, quoniam peccator es, occurrere debes diei festo, vt iustus efficiaris. At si iustus es, occurre, ne à iustitia excidas. Ecquisnam ex hominibus sine peccato est? Propterea sacrificium 1 & Ecclesia, propterea preces, ac ieiunia; & quoniam multa sunt animæ vulnera, propterea medicamenta ipsa inuenta sunt, quæ singulis animæ vulneribus congruentem medicinam afferunt. Habes Ecclesiam, & sacrificium, quod perficitur, habes patrum orationes, habes Spiritus sancti donum, & sanctorum congregationem, multaq; alia, quæ sunt huiusmodi, quæq; possunt te à peccatis ad iustitiam reuocare. Cùm res ita se habeat, tu tamen ad Martyrum preces occurrere noluisti. Dic agè, quam peccati veniam habere poteris? Nihil mali in via positum fuerat, & tamen detentus es, quominùs ad Martyrū concordiam celebrandā conuenires.

1 Sacrificium, Ecclesia, preces, & ieiunia, sunt medicamenta vulnerū animarum nostrarum.

Sed dices, vnam aliquamex ijs, quæ huius vitæ sunt, curam te detinuisse. Maius certè hoc crimen est, cùm ne breuem quidem horam Deo ipsi conferre volueris, vt integram totius diei mercedem reciperes. Peccator, inquit, sum, & non possum facere, quod dicis. Quia peccator es, propterea magis hoc debes.

debes. An ignoras eos etiam, qui altari assident, peccatis esse affixos? Carne enim sunt induti, & sanguine, atque ossibus compositi. Nos etiam ipsi in cathedra sedentes, & alios docentes, peccatis quidem complicati sumus. Non propterea tamen de benignitate diuina desperamus, neq; duritiem, aut inclementiam aliquam Deo ipsi affigimus. Omnes, inquam, homines sumus, iisdem elementis compositi, neq; correptionem recusamus, immensum diuinæ in humanum genus benignitatis pelagus considerantes. Et vobis quidem, si post peccata commissa in Ecclesiam ingressi fueritis, non tantum crimen est; sub magistro enim viuitis. Nos verò quantò dignitate præstamus, eò maiori culpæ sumus obnoxij. Aliud enim est eum peccare, qui docetur, aliud doctorem ipsum delinquere. Non ob id tamen a docendi locum recusamus, neq; submissionis prætextu ad segnitiem decidimus. Nam & hoc diuina quadam dispensatione factum est, vt sacerdotes etiã ipsi peccatis subiecti sint. Audi, quæso, quomodo res se habeat. Si doctores, & sacerdotes ipsi non peccarent, neq; vitæ huius affectibus subiecti essent, certè inhumani, & à venia aliis danda essent abhorrentes. Sed propterea ipsos etiam sacerdotes affectibus subiectos esse Deus voluit, vt eorum, quæ ipsi patiuntur, sensum habentes, aliis etiam veniam darent. Ita Deus mundum optimè gubernat, quippe qui & illos ipsos, quorum fidei Ecclesiam, & populum commissurus erat, permisit peccato subiici, vt à suorum erratorum conscientia admonerentur in alios esse benigniores. Nam si ipsi non peccassent, nullam peccantibus veniã daturi essent, sed inhumanitate ducti, omnes ab Ecclesiæ corpore abscidissent.

a Vides quòd propter peccatum Prælatus nõ perdit prælaturã, nec præsidendi munus?

Quòd autem res ita se habeat, neq; temere, aut coniectura ductum me hoc dicere existimetis, agè rebus ipsis consideratis probemus, quod dicimus. Petro apostolo orbis terrarum Ecclesiæ, & populorum multitudines eius fidei committendæ erant, vel potiùs creditæ sunt illi claues Regni cœlorum. Quid enim ait illi Dominus? Quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlo. Erat autem Petrus non mitis, sed admodùm seuerus, & aliquantò durior. Quòd si ad eius naturam illud etiam accessisset, vt nullis peccatis subijceretur, quæso, quam veniam habituri fuissent, qui ab illo docendi erant? Propterea hoc egit Dei gratia, vt paululum ab ipso desciscerer Petrus, & peccato alicui subijceretur, quò ex his, quæ ipse passus fuerat, disceret humanior esse in alios. Sed vide cuiusmodi peccato permisit subijci Petrum illum talem, ac tantum virum, Apostolorum verticem, fundamentum immobile, petram stabilem, & quæ frangi non posset, Ecclesiæ principem, portum inexpugnabilem, turrim firmam, & quæ non posset concuti. Hic, inquam, fuit Petrus ille, qui dixit Christo: Etiam si oportuerit me mori tecũ, non te negabo. Petrus ille fuit, qui diuina reuelatione doctus, veritatem confessus ait: Tu es Christus filius Dei viui. Hic cùm nocte illa, qua se ipsum tradidit Christus, staret ad prunas, & calefieret, ait illi puella quædam: Et tu cum Iesu Nazareno eras. Tum ipse: Neq; scio, neq; noui quid dicas. Hem Petre, modò dicebas: Si oportuerit me mori tecum, non te negabo: & nunc eum negas, & ais: Non noui hominem istum? Nondum tormenta, nondum flagella proposita tibi sunt, sed simplex vilis cuiusdam puellæ verbum audisti, & ad negationem prolapsus es. Negas'ne Petre? Nulla tibi tormenta, nulla flagella, nullæ plagæ, nullus furor, nulli principes, nulli gladij acuti, nulla iussa, nulla edicta, nulli Reges minantes, nullæ deniq; instantis, aut mox futuræ mortis minæ tibi obiectæ sunt; nondum carceres, & præcipitia, & mare, nondũ aliquid tale terrorẽ tibi attulit, & Dominũ negans, ais: Non noui hominẽ istũ.

Rursus puella cœpit dicere circunstantibus, quia hic ex illis esset. At Petrus; Non noui, inquit, hominem istum. Quis'nam est, Petre, qui te ne-

gare facit? Non vnus, inquam, aliquis ex grauioribus, sed fœmina, eaq; hostiaria, abiecta, & captiua quædam puella, nullius pretij mulier. Talis, inquam, est, quæ te interrogat; & tu confestim negas? O' rem nouam, & admirabilem. Puella momento temporis illius Petri fidem conturbauit. Petrus illa Ecclesiæ columna, ac propugnaculum, puellæ vnius non minas, sed vnicum verbum non sustinuit. Locuta est illa, & ipse statim quassatus est. Verbum puellæ processit, & columna illa concutiebatur. Illa locuta est, & propugnaclum fluctuauit. Quem'nam vidisti, Petre, vt Christum negares? Puellam vilem, & ianuæ custodem contemnendam. Hanc vidisti, & Christum negas? Verùm quamuis Petrus negauerit, humani tamen generis amator Deus peccatum illi condonauit. Nouit enim illum, vt hominem, humanum quiddam passum fuisse; cùm ob eam maximè causam, vt dixi, ipsum peccare permisisset, quòd populorum multitudo illi credenda erat, ne seuerus, & innocens, à venia proprijs fratribus impartienda esset alienus. *Succubuit* igitur peccato, vt delictum suum, & Domini veniam considerans, condonaret & alijs benignitatis causa, iuxta dispensationem Deo congruentem. Permissus enim est peccare is, cui Ecclesia credenda erat, illa videlicet Ecclesiarum columna, & portus fidei. Petrus orbis terrarum magister peccare permissus fuit, vt eius indulgentia humanitatis argumentum alijs proponeretur.

Sed quamobrem hæc à nobis dicta sunt? Quoniam & nos sacerdotes in cathedris sedentes, peccatis colligati sumus. Propterea enim non Angelo, neq; Archangelo sacerdotium commissum est (liberi enim illi sunt à peccandi libidine) ne videlicet eos, qui ex populo peccarent, fulguribus transfigerent; sed homini à Deo cathedra hæc commissa est, qui & ipse 3 libidine, & peccatis colligatus est, vt si quem peccantem inuenerit, suorum peccatorum conscius, in eum, qui peccat, benignus efficiatur. Nam si Angelus sacerdos fuisset, & aliquem adulterium committentem inuenisset, statim eum de medio sustulisset, cùm ipse huic libidini subiectus non sit. Si Angelus potestatem accepisset, peccantes homines non doceret; sed in iram mortiferam concitatus, repente illos perderet. Itaque ob id homini commissa est Ecclesia, quòd sciat se delinquere, & peccata expertus, ijs, qui peccant, veniam dare possit; ne irascente illo, Ecclesia inanis fiat.

3 Ecce quomodo sacerdos libidine, & peccatis colligatus non perdit sacerdotium, vt quidam malè senserunt; sed retinet locũ suum, & officio suo fungitur.

Sed cur'nam tam minutis orationibus de Petro loquens, ad aliam personam sermonem non transfero? Agè in medium proferamus prophetam illum Eliam, terrestrem Angelum, & cœlestem hominem, qui humi quidem ambulabat, & ea, quæ in cœlis sunt mente, animoq; versabat. Erat trium cubitorum staturæ homo, & per sublimem aëris regionem perambulabat, & vsque ad ipsa cœli fastigia protendebatur; ille, inquam, aquarum custos, cuius lingua aquarum fuit thesaurus, & clauis cœlorum; ille idiota, & philosophus; pauper, & diues; pauper, quòd propter Dei charitatem, ac studium, relictis terrenis rebus, maiora sibi comparare studuerit; diues, quòd cœlestes nubes lingua sua detinuerit, quippe qui durior erat ad condonandum peccatoribus, ita vt Deum orarit, ne daret pluuiam. Viuit (inquit) Dominus, si erit pluuia, nisi per os meum. Quid agis, Elia? Cur sic pronuncias: Viuit Dominus, si erit pluuia, nisi per os meum? Vbi'nam sunt hæretici, qui dicunt, filium Dei orare? Miser homo, & impudens, quid ais? Elias pronunciat, & Dei filius orat? Seruus iubet, & Dominus obsecrat? Neq; eum honorem Dei filio tribuis, quem & Eliæ? An non vis parem saltem dignitatem Domino concedere, & seruo? Non orat, neq; precatur Elias, sed veritatis sermonem proponit, & cœlum ipsum claudit. Non orat; sed quid'nam facit Elias? Scio, inquit, quòd me audiat Dominus meus; zelo enim impulsus hoc facio.

O rem nouam, & admirabilem. Vidisti Dominum serui beneuolentia superatum? Etenim Elias ipse multo zelo impulsus hoc fecit. Videbat enim absurda multa fieri. Videbat vitia ipsa multa cum libertate propagari. Atra siquidem nox orbem terrarum oppresserat; itaque omnes in tenebris illis offendebant. Erat orbis terrarum naufragium, non aquarum, sed intemperantiæ. Propulsata enim temperantia, incontinentia ipsa dominabatur. Virtus expellebatur, & vitia, tanquam res aliqua legitima, colebantur. Colles, montes, saltus, & viæ, atque aër tenebris contegebatur. Itaque obfuscato sole, cœlum erat caliginosum. Omnis natura propter idolorum culturam coinquinabatur. Ergo tanquam in nocte aliqua omnes ambulabant, rebus creatis, non tanquam creatis, animum adhibentes. Videbant lapidem, & tanquam Deum adorabãt. Videbant ligna, & illa similiter colebant. Altissima igitur nox illos oppressos tenebat, cùm creatorem despicerent, & res creatas venerarentur. In tam multis tenebris solus Elias virtutis lucernam tenens, & tanquam in quodam montis vertice, in sapientiæ fastigio sedens, virtutis quidem facem præferebat, sed splendorem præferens, nihil tamen eos iuuabat, eò quòd illorum mens tenebris oppressa erat, & idololatriæ sceleribus detinebatur. Excãdescebat igitur Elias, animo dissecabatur, lamentabatur, & multis verbis illos ab erroribus reuocabat; sed nemo tamen eum loquentem audiebat. Precabatur, sed nemo illi obtẽperabat. Zelo igitur cõmotus illos erudire voluit, vt fame ipsa tabefacti, preces suas tandem ad creatorem transferrent, ac fames pietatis materies illis fieret. Nihil, inquit, aliud homines istos erudire poterit, nisi fames, vt vel sic angustijs vndique coarctati, ad omnium creatorem Deum reuertantur.

Quid igitur Elias? Viuit Dominus, si erit pluuia, nisi per os meum. Prolata fuit vox hæc, & statim aër mutatus est. Cœlum æreum factum fuit, non naturam mutans, sed facultatem suam refrenans. Statim elementa, tanquam in aliam quandam figuram conuersa sunt. Prophetæ oratio, tanquam flamma quædam, ad terræ viscera demissa est; & omnia statim exarescebant, omnia vastabantur, omnia destruebantur; statimque videre licebat herbas ipsas arefactas, item arbores, ac plantas, tam fructum ferentes, quàm quæ fructum non ferunt, tam quæ in campis, quàm quæ apud mare consitæ erant, omnia simul arefacta, omnemque ætatem iam iam destruendam, puerorum lamentationem, matrum eiulatum, & desperationem multam. Vna fuit Prophetæ oratio; sed vide quàm multa effecerit. Omnes igitur feræ moriebantur, iumenta, pueri, viri, animalia, volucres omnes, denique orbis terrarum erat naufragium, & calamitas ipsa totam terram occuparat. Nemo seruabatur, sed vniuersi propter aquarum penuriam moriebantur; arescebant plantæ, arbores, fontes, fluuij, stagna, & paludes, omnia denique perire videbantur; & vniuersale quoddam naufragium vniuersam terram detinebat; cœlumque ipsum siccitate claudebatur. Itaque detentum erat, & naturam omnem mutauerat. Omnia igitur moriebantur, & ira, pœnaque à Deo missa perdebantur vniuersa; sed nihil tamen Elias hæc ipsa curabat, nam præ zelo tanquã ebrius efferuescebat contra eos, qui Deum non quærebant. Ergo & immatura ætas extinguebatur. Quid agis, Elia? Esto, iuuenes peccarunt, cur infantes castigantur? Esto, homines deliquerunt, cur iumenta ipsa vnà cum illis moriuntur? Tanta'ne immanitate indutus es, vt homines nihil cures? Non habes vxorem, non infantes; ob id pereuntes homines tibi curæ non sunt? Quid igitur Deus ad Eliam? Vade, inquit, ad fluuium Chorazim, & præcipiam coruo, vt te nutriat illic.

Libenter hoc loco quæsiuerim ab homine Iudæo, vt ostenderem ipsi quemadmodum lex ea, quæ legis sunt, euertat, & ipsa secum pugnet, firmitatem non habens, quippe quæ non erat veritas, sed vmbra; nam in lege ipsa conti-

nebatur vmbra, hæc autem nostra lex sine dubio continet veritatem; resillæ figuram, nostræ facta exprimunt. Elias iste, quem veneraris, quem venturum expectas, quem multa oratione celebras, quem Prophetam appellas, ille, inquam, Elias quomodo à coruo nutriebatur? Coruus in lege impurum animal habetur; coruum, inquam, lex ipsa præcepit impurum esse animal; quomodo igitur ab impura volucre nutriebatur? Nam si lex ipsa coruum impurum esse dicit, omnino qui à coruo nutriebatur, eum quoq; impurum fuisse oportet. Sed caue hoc dicas, caue, inquam, hoc sentias, cùm diuinus Elias à coruo nutritus fuerit; nihil enim ex ijs, quæ à Deo creata sunt, impurum esse existimo. Interuallo autem temporis factum est, vt fluuius ille exarescerct. Eliam igitur Deus illinc excitans; Surge, inquit, vade in Sarephta Sidoniorum, & præcipiam mulieri viduæ, vt te nutriat illic. Hoc autem qua dispensatione Deus effecerit, velim audias; quoniam videlicet nesciebat Elias quo modo apud alias nationes res se haberet. Cùm enim in vno certo loco sederet, neq; orbis terrarum calamitatem videre posset, quo modo omnia arefacta essent, paludes, fontes, fluuij, plantæ, arbores, fructus, tam maturi, quàm immaturi, tam quæ ferunt, quàm quæ nullos ferunt fructus, tam quæ apud fontes, quàm quæ apud paludes aquarum, cùm, inquam, hæc ignoraret, & volucrum, aliarumq; rerum omnium interitum, puerorum mortem, & matrum vlulatus, tantam deniq; orbis terrarum calamitatem nesciret, excitans illum Deus fecit, vt multam terram peragraret, illinc ad Sidonem vsq; proficiscens, vt cùm vidisset Elias quo pacto res se haberent, rogaret deinceps Dominum suum, vt pluuiam dare vellet.

Excitauit igitur illum ob hanc rationem ad iter tam longum aggrediendum, non quòd non posset eum illic nutrire, sed vt Eliæ oculis calamitatem illam subijceret, qua ad pluuiam ab ipso rogandam alliceretur. Poterat quidem Deus sine Elia hoc facere; sed nolebat tamen proprium famulum contemnere, ne malorum conciliatorem Eliam, bonorum autem Deum fuisse diceres. Itaque serui sui obsecrationem expectabat. Sed neq; sic ille ad misericordiam flectebatur, quinimmò duritia quadam vsus, neq; cuiusquam rationem habens viam illam ingressus est. Zelo enim (vt prædixi) ebrius erat. Cur, Elia, tanta inhumanitate indutus es? Expecta paulisper, & redargueris etiam ipse peccato esse obnoxius. Propter eorum peccata, qui terram habitant, squalorem à Deo ipso impetrasti, cœlum clausisti, terræ frenum imposuisti, & naturæ cursum retinuisti; neq; pro his, quæ fiunt Deum orare vis? Non multò postea & ipse peccato subiectus esse redargueris, benignitatemq;, ac veniam à Domino impetrabis, vt tu quoque in conseruos tuos mitem, atque humanum te ostendas.

Sed quamobrem hodierno die harum rerum narrationem exponendam suscepi? Vt scilicet vobis ostenderem, propterea non vnum aliquem ex Angelorum numero in terris sacerdotem præfectum fuisse, sed hominem ex homine genitum, ne si peccatorum omnino esset expers, peccantes homines sine misericordia puniret. Sed propterea homo creatus est sacerdos, vt ex proprijs affectibus disceret humanæ naturæ consortibus veniam largiri. Itaq; in medium protuli magnos illos viros, quibus cùm populos multos crediturus esset Deus, eos peccato subijci permisit, sed postea peccatum illis condonauit, vt ex ijs, quibus ipsi eruditi essent, benigni fierent. Primò Petrum tantum illum Apostolum adduxi, qui cùm peccare permissus fuisset, diuina benignitate adiutus, pœnitentia peccatum deleuit. Deinde venimus ad Eliam, cuius erratum iam iam exponemus, vt & impetratam veniam ostendamus, quoniam volebat quidem Deus Eliam benignitate vti, sed ille nolebat. Volebat Deus pluuiam dare,

ſed petitionem à ſeruo requirebat.

Cùm igitur totum iter perfeciſſet Elias, venit in Sarephta Sidoniorum, & vidit mulierem viduam ligna colligentem. Quid expectas ampliùs, Elia? Cur accurris ad viduam? Vidiſti paupertatis exordia. Ne interroges quanta ſit eius tenuitas, nihil quæras de his, quæ intra domum ſunt, cùm paupertatis ingreſſum iam videris. Quid eſt, quòd in eius domum introire velis? Vidiſti ligna colligentem, & ab ea nutriri poſtulas? Sed habebat ille, tanquam pignus quoddam, Domini ſermonem. Abijt igitur illuc, vt cum vidua loqueretur. Sed quid nam ait? Da mihi, inquit, paululum aquæ, vt bibam. Animaduerte ſapientiam Eliæ, quemadmodum non ſtatim ad maius aliquid petendum venit, ſed ad id, quod erat uilius. Non dixit, da mihi panem, ſed da mihi aquam. Priùs aquam petijt, coniectura colligens, quòd ſi aquæ facultatem habuerit, poſsit & panis facultatem habere. Da mihi, inquit, paululũ aquæ. Abijt vidua, aquam tulit; quam cùm ille bibiſſet, animum auxit, & ait: Sume mihi & bucellam panis, vt comedam. Cui reſpondit vidua: Viuit Dominus, ſi eſt mihi panis cinericius, niſi pugillus farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho, quæ cùm confecero, comedam ego, & filij ✱ mei, & moriemur. Quid ad hæc Elias? Vade, inquit, & fac mihi ſubcinericium panem ſeorſum, & comedam, & poſtea facies liberis tuis, & comedent.

✱ Cùm Chryſoſtomus huius viduæ filios numero plurali nominet, aduerte, illum interpretationẽ Septuaginta ſecutũ eſſe.

Quid ais, Elia? Eſto, panem petis; cur ſeorſum, & primùm tibi dari vis? An non gratias acturus eſſes, ſi vnà cum filijs viduæ comederes? Tu vis panem comedere, & eius filios fame necari? Scio, inquit Elias, quam copioſa ſit Domini mei liberalitas. Hæc ille. Vidua verò, non eius ſermone obſtupuit, neq; tale quippiam abſurdum cogitauit, aut dixit: Tu es, qui famem hanc intuliſti, & ex reliquijs huius famis à me nutriri poſtulas? Non dixit: Tam magnam orbis terrarum partem prætergreſſus, ad me veniſti, vt liberos meos fame corrumperes, ipſe auctor famis exiſtens? Nihil tale dixit, ſed Abraham illum imitata, ingreſſa eſt domum, & fecit ſicut à Propheta dictum fuerat. Quinimmò licebat videre viduam illam magis quàm Abraham hoſpitalitatis amantem. Ille enim cùm eſſet locuples, Angelos hoſpitio accepit, at hæc poſt famem mortem expectans, Prophetam accepit. Itaq; videre licuit naturam contemptam, & hoſpitalitatem honoratam. Licebat videre eius viſcera proiecta, & Prophetam ſuſceptum, cùm integram filiorum multitudinem ſepulchro mandauit. Quantùm enim fuit in viduæ propoſito omnes eius filij mortui ſunt. Sed Dei benignitate factum eſt, vt viuerent, & incolumes eſſent.

Neſcio certè quibus verbis huius viduæ laudes comprehendam, quemadmodum ſe ipſam, & filios contempſerit, & hoſpitalitatis ſtudium ſecuta fuerit, quemadmodum eius natura non tabuerit, & viſcera non diſſoluta ſint, cùm videret integram filiorum multitudinẽ iam iam fame perituram. Sed illa animum gerens omnibus his rebus ſuperiorem, accepit Prophetam hoſpitio. Cùm verò Propheta ipſe panem accepiſſet, & comediſſet, deinceps mercedem retribuit. Hoſpitalitatis ſementem vidua ſparſit, & ſtatim florentem, atq; copioſam hoſpitalitatis meſſem collegit. Quid enim Elias ait viduæ? Viuit Dominus, hydria farinæ non deficiet, & lecythus olei non imminuetur. Facta eſt viduæ dextera torcular, & ſiniſtra facta eſt area, & manipuli fructum in ipſa neceſsitate reddentes, ac propter Prophetæ dicta viduam illam nutrientes. Torcular, & area effecta eſt domus viduæ. Non imber, non pluuia, non ver, non autumnus, non æſtas, non æſtus, non ventorum vis, non temporum mutationes, ſed verbum vnum ex illius prophetæ ſententia prolatum, abundantem rerum copiam viduæ ſuppeditauit.

Post hæc (vt orationem concidam) abijt illinc ad Regem Achab. Dicam iam nunc eius rectè facta, vt cùm peccantem videris, discas ex Dei gratia bona omnia proficisci. Sed quid'nam Eliæ dixit Achab? Tu, inquit, es, qui peruertis Israëlem? Cui Elias respondit: Non ego id facio, sed tu, & domus patris tui. Vidisti liberam Prophetæ orationem, quemadmodum Regem ipsum redarguit? Post hæc cùm sederet in monte, venit ad ipsum quinquagenarius, & ait: Homo Dei, descende, quia Rex te vocat. Cui Elias; Si homo Dei, inquit, sum ego, descendat ignis de cœlo, & deuoret te, & quinquaginta tuos. Deinde venit alius quinquagenarius, & ait: Homo Dei, descende, quia Rex te opus habet. Si homo Dei sum ego, inquit Elias, descendat ignis de cœlo, & deuoret te, & quinquaginta tuos. Ad hæc venit ad orationis conuentionem; cùmq; sacerdotes illos infames Baal prouocasset; Oremus, inquit; & addidit: Facite vos seorsum altare, & eligite duos boues, & imponite ligna super vnum bouem, & ignem non imponite, & ego idem faciam; Postea inuocate nomen deorum vestrorum, & ego nomen Dei mei; & qui Deus exaudierit ignem mittendo, hic erit verus Deus. Fecerunt sacerdotes infames altare, & cœperunt inuocare Baal dicentes: Exaudi nos, Baal, exaudi nos. Cùm verò, multo clamore ædito, nemo esset, qui exaudiret (non enim erat vox, neque auditio) expectabat Elias, patientiam retinens, donec illi orarent. Cùm autem vidisset multam esse illorum moram, & intensos clamores, neque quenquam exaudire, irridens illos; Clamate, inquit, quàm maximè potestis, nam fortè dormit Deus vester. Posthæc cùm iam meridies esset, & tempus processisset; Concedite, inquit Elias, vt faciam holocaustum meum; cùm'que fecisset altare, & imposuisset ligna, dixit: Afferte aquam circa altare: Afferte, inquit, bis tantum, & ter tantum. Fecerunt hoc ministri.

Velim consideres, quare ab Elia hoc factum sit. Quoniam erroris mos est veritati propria vitia obijcere. Id quod faciunt meretrices; anticipant enim ipsæ, & ingenuas feminas meretrices vocant, vt non habeant illæ quid conuicii obijciant. Propterea etiam in hac re sapienter se gessit Elias. Attende, quæso, quod dicturus sum; vidi enim ipse quod dicam. In Idolorum altaribus foramina quædam sunt ex inferiore altaris parte, & fouea quædam obscura; descendunt autem erroris artifices in foueam illam, & ex foraminibus, quæ diximus, ignem sufflant ad sacrificium conficiendum, ita vt multi decepti cœlestem esse ignem illum existiment. Ne igitur & Elias in suspitionem veniret, quòd & ipse aliquid tale machinatus esset, aquam effudit, vt aqua illa nulla esse infra altare foramina ostenderet; vbi enim foramen aqua inuenerit, illic aqua non consistit, sed per foramina ipsa defluat necesse est. Impleuit igitur altare, & his verbis Deum orauit: Exaudi me, Domine, hodie in igne. Exaudisti me in aqua, exaudi me & in igne. Vidisti elementorum aurigam, & gubernatorem Eliam? Et ecce, inquit, cùm ipse inuocasset, celeriter ignis descendit de cœlo, & consumpsit sacrificium, & lapides; & aquam deleuit ignis. Tunc ille; Comprehendite, inquit, sacerdotes istos infames, & nemo seruetur ex ipsis. Comprehenderunt, & interfecerunt ipsos, quadringentos scilicet, & quinquaginta sacerdotes Baal, & quadringentos sacerdotes sublimium montium.

Audiuit Iezabel vxor Regis Achab, quæ facta fuerant, & misit ad Eliam, dicens: Hæc faciant mihi dii, & hæc addant, nisi cras ponam animam tuam, vt animam vnius ipsorum. Cùm hæc audiuisset Elias, aufugit. Vbi'nam, quæso, est Elias ille talis, tantusq; vir? Pro-

positum

positum enim mihi est ostendere, quòd peccato succubuerit. Hoc autem dico, non accusans virum illum iustum, sed salutis materiam tibi procurans, vt cùm sanctos quoque peccantes videris, & de sua salute non desperantes, sed diuinæ benignitatis compotes factos, tu etiam si peccaueris, salutem valde speres. Cùm igitur dixisset Iezabel: Hæc faciant mihi dij, & hæc addant, nisi cras ponam animam tuam, vt animam vnius ex ipsis: audiuit Elias, & fugit itinere dierum quadraginta. Proh facinus. Quanta fuit hæc timiditas? Mulieris vnius audiuit verbum, & aufugit quadragitna dierum itinere; id'q; fecit non post vnum, aut alterum, aut tertium diem, sed cùm primùm mulieris sermo ad se perlatus est; ac præ metu nesciens quid ageret, tantam fugam corripuit. Quid hoc est, Elia? Tu'ne ille es, qui cœlum clausisti, pluuiam refrenasti, aëri iussisti, & ignem ex alto euocasti, sacerdotes interfecisti, & Regi Achab dixisti: Tu es, qui peruertis Israëlem, & domus patris tui: item illud: Viuit Dominus, si erit pluuia, nisi per os meum: qui denique domum viduæ copiosam quandam aream, & manipulos effecisti, & eius filium mortuum suscitasti? Talis, inquam, tantus'q; vir, mulieris verbo audito, aufugisti; & mulier vna captiuum te ducit?

Duo illa propugnacula, & arces à duabus mulieribus sunt redargutæ. Petrus puellam extimuit, & Elias Iezabel formidans in simile incidit peccatum, & fugit itinere dierum quadraginta. Vbi'nam est ille sermor tuus, Elia, cùm dicebas: Viuit Dominus, si erit pluuia, nisi per os meum: cùm Achab regem redarguebas, & ignem è cœlo euocans tot, & tanta fecisti? En vt mulieris vnius sermonem non sustinuisti. Vbi'nam est illa tua constantia, cùm Dominum rogare noluisti, vt pluuiam daret terræ? Manifestis enim quibusdam demonstrationibus te prouocabat, quasi illud diceret: Pete à me, Elia, vt terræ dem aquas. Poterat ille quidem id facere sine te, sed nolebat tamen, vt quemadmodum mala per te inuecta fuerant, ita & bona per te conciliarentur. Tu quidem facinus commisisti crudelitatis plenum; at Deus calamitatem tantam miseratus est, quoniam ipse omnium rerum creator, & opifex est. Cùm'q; omnium esset curator, volebat ille quidem inhumanitatẽ tuam lenire, tu verò in illa permanebas. Dicebat ille: Noui ego præsentem calamitatem, noui matrum eiulatus, & puerorum vlulatus; video terræ illius, quam ipse feci, speciem immutatam; itaq; volo benignè cum illa agere; sed nolo tamen te contemnere, & sine tuo consensu pluuiam emittere, ne malorum causa tu sis, & bonorum expers existas. Honoris igitur tui gratia id facio. O summam Domini nostri benignitatem. Hæc quidem Deus faciebat; sed Elias tamen multum arrogantiæ habebat, quasi ipse peccare non posset. Nunc autem & illum peccato succubuisse ostendimus, cùm hoc Deus permiserit, ac prouiderit, vt quarum rerum indulgentiam ipse impetrauit, eam & in alios exerceret. Fugit, inquit, Elias itinere dierum quadraginta. Cùm vellet Deus declarare, miracula illa, quæ ostensa fuerant, non ab Elia, sed à sua ipsius potentia facta esse, vide quid faciat. Quo tempore Deus ipse operabatur, Reges, principes, & populi Eliæ succumbebant. Cùm verò Deus abscessisset, etiam mulier vna Prophetæ illi terribilis visa est. Abscessit Deus, & natura humana redarguta fuit.

Sed nihilominus tamen cùm fugisset Elias diebus quadraginta, & dormiret in loco quodam, venit ad illum Deus, Dominus ad seruum, suam in humanum genus charitatem, vti creator, exercens,

Sed quid'nam ait? Sciebat ille quidem, quamobrem Elias illuc venerat; interrogauit tamen illum his verbis: Quid tu hîc Elias, quid, inquam, hîc agis? Hæc dicens fugam illius innuebat, quasi diceret: Cur aufugisti? Vbi'nam est illa tua in loquendo libertas, vt discas viribus tuis non confidere? Respondet Elias, alia in mente habens, & alia dicens: Domine, Prophetas tuos interfecerunt, altaria tua suffoderunt, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam, vt auferant eam. Quid ad hæc Deus? Statim illum redarguens; Non propterea, inquit, fugisti, Elia; non enim tu solus es Baal non adorans. Subiungit autem eum redarguens: Reliqui mihi ipsi septem millia virorum, qui non curuauerunt genu ante Baal. Redarguit igitur illum, quòd non ob eam causam fugisset, sed propter mulieris timorem.

Sic mulier vna talem, tantumq; Prophetam Eliam fugitiuum effecit, vt discas, cùm aliquid admirabile feceris, illud non tibi, sed Dei potentiæ tribuendum esse. Vidisti quemadmodum, discedente gratia diuina, redarguta est natura humana? Fugit enim Elias itinere dierum quadraginta. O' timorem nimium, ò formidinis vehementiam. Non vno, aut altero, aut tertio, sed quadraginta diebus aufugit, & ad regionem omnino desertam se contulit, non nutrimentum, nam cibum aliquem secum ferens; non tanquam ebrius præ metu cætera nihil curabat; sed desertas tantùm regiones sequebatur. Quemadmodum enim ventus Zephyrus, cùm vehementer flat in velum aliquod, nauigium ipsum cum impetu transmittit, ita illius mulieris oratio in Prophetam irruens, multo cum impetu ad solitudinem desertam eum compulit.

Vbi nunc est, Elia, tua illa in loquendo libertas? Vbi'nam os illud terribile? Vbi lingua imbrium, atq; ignis gubernatrix, & quæ elementis imperabat, modò cœlum claudens ne pluuiam demitteret, modò ignem ad sacrificium aduocans? Sed, vt supra dixi, hæc faciebat Elias, Dei gratia operante; quocirca & à Deo postmodum redarguitur. Vides quemadmodum in peccatum exiguum illud quidem permissus est incidere Elias, vt integram benignitatis formam se indueret? Deinceps enim eruditus est, vt benignus esset, quemadmodum & eius Dominus, & quam indulgentiam in se fuerat expertus, eandem & in alios ostenderet. Vidistis quemadmodum Deus permiserit in peccatum, quamuis exiguum, incidere columnas illas, propugnacula, & turres, ne si omnino fuissent isti à peccatis liberi, omnes ab Ecclesia exciderent, neque cùm viderent aliquem peccantem, immites, & inhumani essent; sed suorum etiam peccatorum memores, quam illi à Domino benignitatem impetrarunt, eam & ipsi libenter alijs impartirent.

Hæc diximus, non vt iustos illos viros reprehendamus, sed vt salutis viam vobis præparemus, vtq; cùm peccaueritis, de vestra salute non desperetis, viros ipsos memoria repetentes, qui cùm deliquissent, per pœnitentiam honorem non aliqua ex parte imminutum, sed integrum, qualem antea possidebant, recuperarunt. Diximus primùm quantæ fuerint illorum virtutes, & deinde protulimus peccata illa tenuia, in quæ lapsi sunt. Ergo & tu, quamuis peccator sis, ab Ecclesia abesse noli. Quamuis etiam iustus sis, noli abesse, vt scripturarum cognitione aures tuæ personent, & iustus permaneas, memoria repetens, quæ ptinent ad Regnũ cœlorum, & bona illa, quæ præparauit Deus diligentibus se; quoniam gloria Patri, Filio, & sancto, bono, & vitæ datori Spiritui in secula seculorum. Amen.

IOANNIS CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI LAVDATIO IN SANCTVM APOSTOLVM ANDREAM.

VALIDVM est Apostolicæ piscationis rete, admirabilis Andreæ memoria, & eius retis commemoratio, quo ad capiendas, & ad christianam fidem attrahendas gentes vsus est. Sagena enim, qua immortales illi 1 mortui usi sunt, nulla temporis obliuione potest intercipi. Non veterascunt tempore illa venationis instrumenta, quæ non humana arte, sed diuina gratia effecta sunt. Quamuis enim piscatores ipsi à nobis excesserint, nullo tamen tempore instrumenta, quibus illi vsi sunt, aut sagena, qua mundum ipsum comprehenderunt, inueterata est. Qui cùm rete iaciunt, & extrahunt, non videntur, & tamen illorum retia plena conspiciuntur. Non arundinem illam posséderunt, quam tempus corrumpit. Non linum in aquam demiserunt, quod vetustate putrescit. Non hamum fabricarunt, quem rubigo consumit. Non escam in hamo posuerunt, qua pisces caperent. Non in petra consederunt, quæ vndis quatitur. Non in scapha nauigarunt, quam dissoluit tempestas. Non pisces, hoc est naturam rationis expertem, expiscati sunt. Sed quemadmodum ars illa, qua vsi sunt, admirabilis, ita & illorum instrumenta noua, atq; inusitata extiterunt. Nam pro arundine prædicatione vtuntur, pro funiculo memoria, pro hamo potentia, pro esca miraculis, pro petra cœlis, ex quibus huiusmodi piscationem exercent; pro scapha habent altare; pro piscibus Reges etiam ipsos capiunt; pro sagena Euangelium expandunt; pro arte diuinam gratiam adhibent; pro mari vitam humanam tractant; pro retibus Cruce, velut sagena quadam, vti solent.

1 Nota quòd si sancti Apostoli immortales mortui sunt, non verè dici possunt emortui, vt eos appellãt moderni hæretici.

Quis vnquam vidit à mortuis piscatoribus viuentes homines, tanquam pisces, capi? O magnam Crucifixi potentiam, ò diuinæ dignitatis præstantiam, ò Apostolorum summa beneficia. Nihil tale in vita esse potest, quale est Apostolicæ gratiæ fastigium. Multa certè vidit humana vita valde admirabilia, & opinionem superantia. Vidit enim sanguinem effusum clamantem, &

eandem sine lingua vociferantem, ac naturam propter inuidiam contra se diuisam, fratrem germano fratri mortem inferentem, ac propter inuidiæ liuorem mortis ianuam patefactam. Vidit illam Noë arcam in mundi naufragio positam, & naturæ humanæ interitum. Vidit senem contra propria viscera, hoc est filium, fide armatum, & tanquam victimam eum offerri, qui cæsus non est. Vidit benedictiones furto conciliatas, & formatoris Dei, ac serui palæstram. Vidit inuidiam inter fratres exortam, & seruitutem regni conciliatricem. Vidit somnijs paratum solium, & fratris insidiatores fame attractos. Vidit virgam miraculorum effectricem, & rubum igne, tanquam rore, circunfusum. Vidit legumlatorem Moisem elementis imperantem. Vidit vndas ipsas, tanquam lapides, solidas factas, profundum mare denudatum, viam repente structam, & columnam nubis in die, ac ignis in nocte populorum multitudini ducem ostensam. Vidit virgam sine terra germinantem. Vidit è cœlo panis loco manna fundi. Vidit hominis oratione solem, tanquam freno quodam, sisti; & sterilis precibus impetratum, vt ipsa Prophetam conciperet. Vidit farinæ pugillum frugibus copiosiorem, & lecythum olei fontibus abundantiorem. Vidit currum in aëre agitari, & Prophetam assumi. Vidit deniq; mortui ossa vitæ remedium fieri. Multa talia magna, & admirabilia vidit hominum vita. Sed illa tanquam fœnum præterierunt, & extincta sunt, vt lucerna, exorto sole.

Nihil tale vnquam fuit, quale fuerunt Apostoli. Hi cùm Dei verbi essent ministri, attrectarunt incarnatum illum, qui, vt Deus, figuram non habet. Secuti sunt ambulantem eum, qui vbiq; præsens est. Discubuerunt vnà cum illo, qui nullo loco circunscribitur. Eius vocem audiuerunt, qui verbo fecit omnia. Mundum ipsum lingua, tanquam sagena quadam, concluserunt. Circumierunt suis cursibus fines orbis terrarum. Errores, vt zizania, eradicarunt. Aras, vt spinas quasdam, amputarunt. Idola, tanquam feras, interfecerunt. Dæmones, vt lupos, profugarunt. Ecclesiam, vt gregem quendam, collegerunt. Orthodoxos, tanquam frumentum, congregarunt. Hæreses, vt paleas, proiecerunt. Iudaismum, tanquam fœnum, arefecerunt. Græcorum sectam, tanquam stipulas quasdam, igne combusserunt. Humanam naturam Cruce ipsa, tanquã aratro quodam, excoluerunt, & verbum Dei, vt sementem quandam, sparserunt. Ad summam omnia illorum facta, tanquam sidera quædam effulserunt. Quamobrem clara voce illis dicebat Dominus: Vos estis lux mundi. Si quidem Orientem habet Christianus homo illum, qui è Virgine natus est; diluculum habet eum, qui baptismatis parens fuit; splendorem habet Christi Crucifixi gratiam; radios, admirabiles illas linguas; diem, futurum illud seculum; meridiem, tempus, quo in Cruce ipsa mansit Dominus; Occidentem, sepulchri habitationem; vesperam, breuem illam mortem; Solis fulgorem, resurrectionem à mortuis. Vos estis lux mundi. Intuere astra hæc, & illorum splendorem obstupesce. Idcirco Andreas hodierno die cùm, tanquam luminis thesaurum quendam, communem Dominum inuenisset, clamabat ad Petrum fratrem suum: Inuenimus Messiam.

O' fraternæ charitatis exuperantiam, ô inuersum ordinem. Posterior Petro in vitam ingressus est Andreas, & prior Petrum ad Euangelium allexit, & tanquam venatus est. Inuenimus (inquit) Messiam. Ex gaudio profecta est hæc oratio, lætum inuentæ rei Euangelium hoc fuit. Inuenimus (inquit) thesaurum illum. Fuge, Petre, circuncisionis paupertatem; exue te laceris pannis legis; abijce iugum literæ; hæc omnia contemne, vt parua quædam; vt somnia, despice præsentia; ac Bethsaidem, vt vilem, & abiectum quendam locum, aspernare; relinque rete, vt paupertatis instrumentum; scapham, vt naufragij thalamum; piscandi artem maritimæ fluctua-

tioni expositam; pisces, vt ventris negociationem; gentem Iudaicam, vt rabiem contra Deum; Caipham, vt praui consessus parentem. Inuenimus Messiam, quem pronunciarunt Prophetæ, quem lex præconio suo, tanquam tuba quadam, nobis prædicauit. Inuenimus legis thesaurum. Fuge, Petre, famem literæ. Inuenimus Messiam, quem olim adumbrarunt signa, quem vidit Michæas in throno gloriæ, quem Esaias contemplatus est super Cherubin, quem Ezechiel vidit super Seraphin, quem Daniel spectauit super nubes, quem Nabuchodonosor vidit in fornace illa, quem Abrahã accepit in tugurio, quem Iacob non dimisit, nisi priùs ab illo benedictus esset, cuius posteriora vidit Moses super petram. Hunc nos inuenimus sine principio genitum, & in vltimis diebus visum. O' thesaurum ingentem, cuius copia exhauriri non potest. Diuitiæ enim sunt non materiei subiectæ, quarum essentia originis est expers, & inuentio ipsa recens. Inuenimus Messiam, qui interpretatur Christus.

Multi quidem fuerunt Christi, sed omnes morti subiecti. Abraham Christus fuit, sed in sepulchro corruptus est. Isaac quoque fuit ille quidem Christus, sed eius ossa in monumento iacent. Fuit & Iacob Christus, sed morti subiectus. Moses etiam fuit Christus, sed quo loco sepultus sit nescimus. Dauid similiter fuit Christus, sed omnes mortis spolia, omnes fuere mortis captiui. Vnus verè fuit Christus, natura quidem Deus, sed propter eius misericordiam homo; qui virginalem ventrem suo exitu, tanquam sigillo quodam, signauit; & piscatores illos suos curationum fontes effecit; cuius est imperium, regnum, gloria, & adoratio cum immaculato, consubstantiali, & eiusdem potentiæ Patre, & sanctissimo Spiritu, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

IOSEPHI HVMILIS, ET MINIMI

LAVDATIO IN SANCTVM APOSTOLVM BARTHOLOMAEVM.

Dies festus sancti Bartholomæi Apostoli.

HVIVS concionis auctor, & diei festi iucunditatem spiritualem nobis afferentis hilaritas est beatus Apostolus Bartholomæus; qui cùm diuinus sit Apostolus, & luminis splendore, purisq; sancti Spiritus fulgoribus tantum illustretur, quantum verbis explicari non potest, nobis etiam lumen suggerit, qui sacram, & gloriosam eius memoriam celebramus. Agè igitur diuinis vocibus illum collaudantes quàm maximè possumus, diuina ipsius narratione delectemur, & laudationibus honoremus virum quouis honore superiorem. Laudemus Apostolum à Deo ipso laudatum. Beatum prædicemus eum, qui semper beatus est. Eius gloriam celebremus, quem extulit diuina gloria. Videamus quisnam ante fuerit, & qualis postea euaserit; quemadmodum qui priùs idiota erat, & pauperem vitam agebat, omni ex parte sapiens effectus, & omnium bonorũ diuitijs ornatus fuerit; quemadmodum è terrestri cœlestis euaserit, è minimo maximus, & ex piscium piscatore hominum piscator factus sit.

Itaq; cùm Deus ipse homo factus propter misericordiæ suæ viscera nostrum corpus gestaret, & discipulorum delectum haberet, is, inquam, qui prænouit omnia, priusquam generentur, celeberrimum Apostolum Bartholomæum delegit, amicumq; sibi verum, & fidelem cooptauit. O diuinæ vocationis præstantiam. O magnam, & singularem felicitatẽ. O qualem hic inuenit Magistrum, qui maximis mysterijs eum initiauit, & sapientem effecit. O beatam illam animam dignamq́; habitam, quæ cum Deo versaretur, cum Deo, & omnipotente Domino cibum sumeret, & sacra doctrina orationem, & facultatem omnem superante instrueretur.

Postea verò quàm Magistrum suum in Cruce suffixum, eundemq́; sepultum, & post resurrectionem ad cœlos ascendentem vidit, & sanctissimi Spiritus dono æquè, ac reliqui Apostoli, donatus est, tanquam generosus aliquis miles validissimis armis vndiq; munitus aduersus hostile bellum prosiluit, & ipsos quidem hostes validissimè percussit, his verò, qui ad vitam ipsam venire studebant, salutẽ conciliauit. Tetendit orationis suæ retia, & gentes ipsas è profundo

ereptas

ereptas, illas quidem captiuas, sed ad vitam tamen ductas conseruauit; euertit idolorum templa, & Dei ecclesias erexit; humana corda in sterilitatem conuersa cœlestis doctrinæ aratro renouauit; eaq́ ita excoluit, vt tanquam feraces campi fructum ferre possent; accendit miraculorum facem, & affectuum humanorum caliginem profugauit; in quascunq; partes permeabat, velut stella quædam iustitiæ solem prædicans, illustremq́; fulgorem emittens, fallaciæ tenebras destruebat, & oratione quidem dæmones ipsos fugabat, precibus autem morbos insanabiles curabat, leprosos mundos faciens, cæcis visum restituens, claudos ad currendum expeditos reddens, corda denique, & animos imbecilliores confirmans.

Erat vnà cum Bartholomæo & beatus ille Apostolus Philippus, quo cum multo tempore diuinum Euangelium prædicauit. Hi cùm in vrbem Hierapolim venissent, cui prius nomen erat Ophioryme, multas ærumnas, & cruciatùs non mediocres sustinuerunt, cùm eius ciuitatis homines violenti essent, & valde inhumani, quippe qui viperam colere consueuerant, venenum pestiferum, & letale, tanquam fructum aliquem, percipientes. Illi, cùm diuinos Apostolos vidissent, dicebant nouum quendam Deum ab illis nunciari, & à vetere cultu ipsos auerti, atq; à paternis traditionibus abalienari. Quamobrem cùm manus in eos iniecissent, admirandæ sanctitatis virum Apostolum Philippum cruce condemnauerunt. Diuinus autem Bartholomæus, instar alicuius boni aratoris, à suo compare separatus ingemiscebat, ac lamentabatur quidem, sed non desinebat tamen suauem illum sulcum ducere, qui animarum agricolæ Deo vberes fructus allaturus esset; quinimmò ita vt consueuerat, huc, atq; illuc obibat, fidei sermonem disseminans, prauam zizaniam euellens, & quicquid salutare ijs esset, qui eum suscipiebant, diligenter declarans. O' beatos illos pedes Euangelicis gressibus speciosos factos, & ad infinitarum animarum adeptionem recta via progredientes. O' linguam illam diuinam, ex qua salutaris potus effluxit, qui ab impietatis æstu multos liberauit. O' manus, quæ violentos hostes expugnarunt, & animas ipsas è diaboli manibus eripuerunt. O' diuinos, & illustres oculos, per quos multorum oculi patefacti sunt, qui erant perfidiæ tenebris obscurati.

Cùm igitur regiones illas ita peragraret, venit ad vrbem quandam; cuius ciues cùm idolorũ superstione liberasset, ab eius loci Præside crucis * supplicio & ipse condemnatus est. Ad quam dum beatus ille accederet, totus gaudio perfusus; Salue, inquit, Crux, per quam humanum genus gaudio affectum est. Salue, eius Crucis imitatio, per quam mors mortem dissoluit, & mortales ipsos immortalitate donauit. Salue, Crux, in quam cùm Christus ascendit, terrenos homines cœlestes effecit. Salue, Crux, quæ mihi hinc migranti vehiculum effecta es, quo ad cœlos perduci possim; quæ deniq; mei præceptoris imitatorem me fecisti. Ad te ascendo, neque moram duco; iam enim tempus meum completum est. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, opus, quod mihi Christus magister meus tradidit, perfeci. Hæc cùm dixisset, & Deum precatus esset, rogauit carnifices illos, vt verso in terram capite in cruce suffigeretur, nec rectus, quemadmodum eius Magister, in crucem ageretur; ita & in ipsis cruciatibus suam in Magistrum reuerentiam conseruabat. Quinetiam in cruce suffixus, cum fratribus loqui non destitit, quoad sanctissimam illam animam Deo tradidit. Cuius ascensum Angeli applausu exceperunt, aër purgatus est, & diuinorum Apostolorum chorus exultauit.

* Non te turbet, quòd Bartholomæum Apostolum cruce martyrium consummasse hic author scribat, cùm cõmuniter asseratur viuus fuisse excoriatus, dein de capite plexus. Potuit enim, postquam actus fuit in crucem, & excoriari, & denum capite plecti. Quis enim nesciat quot, & quanta barbari, & infideles sãctis Dei semper parauerint supplicia?

Cùm verò multum temporis præterijsset, eius regionis Tyranni vitæ prauitatem exercentes, & multorum deorum ebrietate debacchantes, cùm viderent

loculos illos, in quibus beati Apostoli Bartholomæi reliquiæ conditæ erant, splendida quædam, & illustria miracula ædere, & eos à morbis liberare, qui eò accedebant, prauum consilium, & suo proposito dignum inierunt. Venite, inquiunt, in profundum mare corpus hoc demergamus. Sed, ò miseri, eius'ne corpus in mare demergetis, qui profundum illum draconem in altum demersit, qui salutaris aquæ fontem aperuit, & abunde cœlestia dogmata hominibus impertiuit? Venite, inquiunt, mari obruamus. Eum'ne vos obruetis, qui veritatem antea obrutam detexit, & infidelitatis salsedinem exterminauit? Venite, inquiunt, & temerarium furorem effundentes in maritimas vndas hoc corpus proijciamus, ne ex eo, tanquam è rationali aliquo flumine, salus ad eos defluat, qui morborum angustijs comprimuntur.

2 Si tantã gessit curam diuina prouidẽtia, vt Apostoli reliquiæ seruarentur illæsæ, & tot maria transmitterent, quantæ illæ nobis reuerẽtiæ, & venerationi esse debent?

Hæc cùm dixissent, quod cogitarant agressi sunt, & vnà cum quatuor aliorum Martyrum loculis beati Bartholomæi reliquias in mare deiecerunt. Martyres autem illi gloriosi Apostolum Bartholomæum valde inclytum duo à dextera, & duo à sinistra parte medium habentes, Pontum ipsum sine fluctuatione aliqua 2 transmittebant. Cùm'q; ad Bosphorũ Thracium in Propontidem venissent, Hellesponti angustias transierunt, deinde transmisso Aegeo, & Ionio mari, ad Siciliam applicuerunt, & Syracusas ad sinistram derelinquentes, atq; Occidentem versus tendentes, ad insulam Liparim peruenerunt. Itaq; celeberrimus ille Apostolus ad eam insulam deductus est. Diuini autem illi martyres cùm id compleuissent, quod Deus voluerat, quàm celerrimè redierunt in eam viam, in quam vnumquenq; diuina prouidentia direxit. Statim autem is, qui Ecclesiam Liparis insulæ gubernabat, per diuinam reuelationem didicit, Christi Apostolum ad maris littus appulisse.

Erat eius Ecclesiæ gubernator Agatho ille, cuius gloria longè, latè'q; apud omnes celebrabatur. Cùm ille igitur properasset, & loculos ad continentem appulsos vidisset, stupore, & gaudio repletus, summa voce; Benè, inquit, quòd huc venisti, vt portus salutaris, ad eos, qui pelagi fluctibus periculosis agitamur. Benè quòd venisti, diuinum Spiritus paracliti flumen, ex quo veritatis aquæ scaturiunt, & pietas multa redundat. In mari viæ tuæ, & semitæ tuæ in aquis multis, & vestigia tua non cognoscentur. Veni, & animas nostras irriga, affectuum nostrorum feruórem reprime; cordium ianuas patefactas gratiarum tuarum muneribus repleas. Hoc à te Liparis insula 3 supplex petit, quam habitare feliciter voluisti. Hæc, inquam, insula his verbis te alloquitur: Tu, qui multo lumine illustris es, & illius diuini Orientis verè amicus, quomodo factum est, vt talis, tantus'q; apud meæ paupertatis Occidentem diuersatus sis, ab Orientis partibus commotus, & per maritimos sinus nobis ostensus? Diues facta sum, quæ antea paupertate laborabam, thesaurum magnum hodie sum consecuta; neq; vlla in re 4 Roma illa ipsa vrbe decantata, beatos Apostolos Petrum, & Paulum habitatores tenente, inferior ego sum; Bartholomæum enim habitatorem posſideo. Omnes insulæ mihi gratulemini, omnes vrbes, quæ vbiq; estis, mecum vnà exultate. In vobis multorum sanctorum corpora posita sunt; mihi satis est vnus pro omnibus.

3 Ecce quomodo sanctum Apostolum inuocat.

4 Nota vrbem Romã sanctos Apostolos Petrum, & Paulum habitatores tenere.

Sed, ò beatissime, & diuinis Angelis par factus Apostole, quis tua præclara facta pro dignitate laudaret? Quis pericula pro Christo à te suscepta enumerare posset? Quæ cùm quotidie subires, à tristibus periculis mortales liberasti. Tu verè sal illud es, quod corda illa, quæ euanuerant, atq; insipida euaserant, condiuisti, & inscitiæ salsedine purgata, putredinem ex multorum deorum superstitione contractam expurgasti. Tu es rationale illud flumen, ex diuina fide profectum, iuncorum plenum torrentem abluens, Ecclesiæ verò sulcos replens, prauitatis riuos exsiccans, ipsius deniq; terræ faciem irrigans. Tu es

sagena illa solidissima, quæ rationales pisces in erroris profundo natantes comprehendisti, eosq́ supernæ illi mensæ obsonium obtulisti. Tu es aureum illud candelabrum, in quo paracliti Spiritus ignis, tanquam fax quædam, adueniens multiplicis vitij zizania combussit, & diuinæ cognitionis splendorem emisit. Tu es diuini Solis lucidus radius, qui à summo cœlo vsq; ad extremum percurrens, & erroris tenebras imminuens, & ijs, qui sedebant in vmbra mortis, hoc est in malis letalibus, effulgens, per lauachrum regenerationis, Dei filios, mortales homines effecisti. Tu es pretiosus ille lapis, ab angulari lapide illo missus, in quo Ecclesiam Christus ipse ædificauit, quæ nullo vnquã tempore quassari, aut concuti poterit. Tu es purissimum illud aurum, & cœlestis Dei pretiosissimum munus, lucis columna, Ecclesiæ fundamentum, Spiritus sancti diuersorium, magniloquentiæ præco, aquila in altum volans, suaue canens luscinia, cœlestis cicada, Angelus deniq; in humano corpore versans, aurea columna, stella lucidissima, florens paradisus, Spiritus sancti myrothecium, ægrotantium medicus, diuinæ gratiæ tuba, vitis fœcundissima, olea fructifera, fluctuantium portus, peccantium patronus, defessorum recreatio, oppressorum refugium, miraculorum fons, dæmonum profugatio, Apostolorum gloria, Angelorum ciuis, qui Prophetis sublimior, & Martyrum consors fuisti, eius deniq; gloriæ, quæ reuelanda est, particeps, sempiternorum bonorum hæres, mundi lumen, omnium (vt summatim dicam) bonorum thesaurus.

Itaq; salue, Bartholomæe, illius magni tonitrui fulgur, quod in tota mundi huius apparuisti, & idolorum insaniam, ac noctem extinxisti. Salue, Bartholomæe, ille Spiritus sancti calamus celeriter scribens, qui legem in tabulis cordis pulcherrimè descripsisti, legem, inquam, illam non veterem, sed valde nouam. Salue, Bartholomæe, potentis Verbi sagitta acutissima, quæ hostium corda vulnerasti, dæmonum per aërem vagantium turmas percussisti, & mortalium animas vitio vulneratas sanas effecisti. Salue, Bartholomæe, qui idolorum templa solo adæquasti, & homines ipsos viuentis Dei templa reddidisti. Salue Spiritus sancti gladius, qui alienigenarum turmas sermonis acie, & omnes mentes ad Christi obedientiam captiuas duxisti. Salue, concinna sancti Spiritus paracliti cithara, rationalis tibia, Christi instrumentum, quod cœlestia dogmata nobis cecinisti, & prauæ impietatis modulationes confudisti. Salue, cœlum perpulchrum diuinis splendoribus illustre, in quo ille sol iustitiæ requiescit, & orationis dux, quo tu innixus fallaciam omnem euertisti. Te quidem laudationibus extollere vellem, sed rerum multitudine confundor, & dictionis infirmitate opprimor; nam vel hi, qui oratoria facultate maximè præstant, inferiores sunt, quàm vt te laudare possint, neq; quisquam est, qui pro dignitate laudes tuas narrare valeat. Tuis igitur ʃ precibus Deum ipsum nobis propitium facias, & peccatorum perturbationem, qua vexamur, sedare velis; quiq; tuum diem festum recolimus, nobis omnibus delictorum veniam, & cœlestis gaudij participationem tuis orationibus impetres, in Christo Iesu Domino nostro; Cui gloria cum Patre, & Spiritu sancto, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

ʃ Orat sanctum Apostolũ, vt pro supplicãtib° intercedat, & diem eius festum celebrãtibus omnium delictorum remissionem impetret.

ALOYSIVS LIPOMANVS EPISCOPVS VERONENSIS SYNCERO LECTORI.

APOSTOLI, & Euangelistæ Matthæi vitam oratio, quæ sequitur, breui sermone pertractat. Quòd autem quasi cursim ex tot præclaris rebus, quas in Aethiopia sanctus gesserit, vel modicas attingat, & cur ibi per martyrij palmam migrauerit ad Dominũ, silentio pertranseat, id tibi, lector optime, mirum non videatur. In tanta enim temporis vetustate, quæ ad beatos Apostolos pertinent, non ea æquè omnes cognouere. Nam cùm & soli, & egentes, & angustiati, & afflicti terrarum orbem circuirent, coram Regibus, & Principibus nomen Christi portantes, & catholicam fidem promulgantes, paucos admodùm inuenerunt, qui eorum gesta conscriberent; adeò vt non paruam diuina nos misericordia rem consecutos arbitremur, quòd pauca quædam de hoc sancto Euangelista, cæterisq; beatissimis Apostolis tibi exhibere potuerimus.

COMME-

COMMEMORATIO SANCTI APOSTOLI, ET EVANGELISTAE MATTHAEI.

SI PRAECEPTVM illud, quod ab eo, q̃ nos formauit, iniunctum nobis fuit, seruare voluissemus, beata illa Paradisi habitatione, & vita frui nobis licuisset, omniaq; corporea commoda negligentes, solis diuinis rebus mentem occupatam haberemus, ac eas assiduis cogitationibus semper meditaremur. Cùm verò ille, qui à diuina familiaritate, simul atq; à gloria excidit, in qua prius erat, generi humano inuideret, ob idq; ad suam ruinam secum vnà omnibus machinis illud præcipitare studeret, auctor fuit homini, vt primi illius præcepti obliuisceretur. Itaq; homo ipse, qui omnium primus à Deo formatus est, miserabili quodam modo (proh dolor) Paradiso priuatus fuit. Non tamen ipsius, qui nos formauit, benignitas patiebatur, vt ad tantam ruinam prolapsi despiceremur, neq; vt, prima illa dignitate amissa, tam ignobili statu condemnati relinqueremur.

Ille igitur ipse, qui ab initio cum Patre semper fuit, qui coæternus est, ex paterno sinu descendens se ipsum exinaniuit, & propter humani generis salutem matrem Virginem subijt, carnem gestauit, & humana omnia sustinuit, præter peccatum; humana enim omnia suscepit, vt peccatum mundi tolleret, & his, qui sunt in terra, nouum quendam ad cœlos aditum præpararet. Quoniam verò eius rei ministros habere oportuit, per quos diuinæ dispensationis, & mysteriorum disciplinam Deus patefaceret, atq; homines ipsos ad salutis viam perduceret, ob eam causam vocati sunt Andreas, Petrus, Iacobus, Ioannes, & Matthæus, de quo nobis hoc loco dicendum est.

Hic, inquam, Christi Discipulus olim fuerat publicanus, pecuniarum exactor, & ratiocinator, quippe qui omnes quæstus faciendi vias, & artes nouerat, mentis acrimonia, multoq; rerum vsu ita præstans, vt inter publicanos principem locum teneret. Postea verò quàm pro salute mundi Christus Dominus in terra versari cœpit (Videte, quæso, repentinam, celerem, admirabilem, & planè diuinam hominis conuersionem) cùm præteriret aliquando, & intimas cordis partes inspiceret hominis in telonio sedentis, cùmq; virtutis studium, atq; ardorem in eius animo latentem, vt rerum occultarum cognitor, & cordis perscrutator benè cognosceret, & qualis nam ex eo, qui tunc erat, postea futurus esset, optimè prospiceret, illum vocauit, ac sequi se iussit. Sic enim de illo scriptum legimus: Cùm transiret Iesus, vidit publicanum, nomine Leui, in telonio sedentem, eiq; dixit: Sequere me. Ille verò non pecuniarum

copia, non eorum, qui circumstabant, multitudine, non terrena, & fragilis huius mundi gloria detentus est; nihil deniq; illorum omnium curauit, quæ in terris humanam mentem seruituti subijcere, & ad se attrahere solent; sed ita vt erat, statim surrexit, & secutus est Dñm. Non longa oratione illi opus fuit, neq; multo tempore, non miraculorum spectatione, non deniq; diligentiore, aut diuturniore consuetudine, sed cùm primùm optabilem illam, & iucundam vocem audiuit, Sequere me, statim telonium dereliquit, & exigendæ pecuniæ socios, omnemq; honoris pristini cupiditatem abiecit, ac toto illo argento, & auro, quod antea possidebat, pretiosam margaritam mercatus est. Ita qui Leui antea dicebatur, cùm mores pristinos admirabiliter mutauisset, appellatione quoq; superiore mutata, Matthæus dictus est, qui deinceps cum ipso Iesu versabatur, ita vt cùm postea Christus ipse in eius domo recumberet, vnà cum illo & Matthæus discubuerit. Qua de re cùm Pharisæi dubitarent, & ab eius discipulis quærerent, curnam eorum Magister cum publicanis cibum sumeret; ille, his auditis, respondit: Non opus habent medico, qui benè valent, sed qui malè se habent: item illud: Euntes discite, quid sit, Misericordiam volo, & non sacrificium. Qua re declarauit, se venisse, non vt iustos omnino, sed vt peccatores ad pœnitentiam inuitaret.

Ex illo tempore Matthæus ita mundum dereliquit, vt & ipsi mundo, & omnibus mundanis cupiditatibus, cruce suscepta, renunciauerit, soli Deo viuens, & eius vestigia sequens, omniumq; signorum, ac miraculorum ipsius spectator, & particeps factus; quippe qui per totum dispensationis diuinæ tempus vnà cum Iesu versatus fuit, cum summis eius discipulis connumeratus, & cum temporis progressu faciens virtutis progressionem. Cùm verò tempus illud salutare aduenisset, quo Iesus Crucem passus est, & Domini corpus post Crucem ipsam sepulturæ traditum fuit, & ille post resurrectionem aliqñ Discipulis suis apparuisset, sæpius verò illorum oculos latuisset, postremò in cœlum assumptus est, & Spiritum paracletum illinc sub ignea linguarũ specie ad Apostolos suos misit, vt per eius ipsius Spiritus afflatum gentibus gratiam nunciaret. Tunc Discipuli aliò alij profecti sunt ad totiius orbis terrarum gentes, prout vnusquisq; ab illo ipso Spiritu ducebatur.

Cùm igitur hæc ita se haberent, & Discipuli regiones alias alij aggressi fuissent, tunc admirabilis, & magnus Apostolus Matthæus tantarum bonarum rerum solus particeps esse noluit, sed alijs etiam beneficium impartiuit. Itaque, cùm se totum collegisset, Euangelium suum, & religionis, ac pietatis doctrinam literarum monumenris consignauit, vt videlicet quæ alij ore, ac lingua docuissent, ea ipse scriptis mandaret. Altiùs igitur inde vsq; ab ipso Abraham Christi originem exorsus, atq; ita deinceps progressus, primùm Christi originem secundum carnem nobis nunciauit, deinde quemadmodum baptizatus fuit, discipulos elegit, tentationes superauit, & ipse à Iesu vocatus est, quemadmodum etiam sacra diuinarum rerum mysteria edocuit, partim parabolis, partim apertè discipulis, & turbis ea pronuncians. Scripsit idem miracula supra humanæ naturæ captum ab eodem Iesu facta, item ægrotantium curationes, eorum, qui à dæmonibus vexabantur liberationes, panes illos, quibus ipse benedixit, & multos pauit, quemadmodum per mare pedibus ambularet, & in monte Thabor in aliam quandam formam se transtulerit. Deinde alterum eius aduentum diligenti oratione conscripsit; quæq; de mystica eius cœna, & de ipsius proditione facta erant, perstrinxit. Ad hæc falsum illud Pilati iudicium, & eius, qui venit vt iustè alios iudicaret, iniquam condemationem, sepulturam, resurrectionemq;, & quemadmodum apud Galilæam apparuit Apostolis; quo tempore datam sibi dixit omnem potestatem in cœlo, & in terra.

Cùm igitur (vt summatim dicam) totam Christi dispensationem explicauisset, Parthos adijt, qui nondum Persarum imperio adiuncti erant, ipsisq; salute nunciata, Palæstinæ regionis fines peragrauit, vbi cum ingenti multitudine varijs linguis prædita congressus est, cum fame, siti, & crebris ærumnis, ac periculis luctatus, quorum alia superstitiosæ impietatis Præsides, alia acerbissimi populorum Tribuni crudelissimè afferebant. At ille nihilominus tamen Saluatorem Christum; & mente, & voce libera prædicabat & eos, qui errore decepti fuerant, ad diuinam cognitionem perducebat, ab erroris fallacia remotos, & ad veritatis cognitionem translatos. Impia igitur gentium superstitione de medio sublata, omnes homines vero, & soli Deo adiunxit, neq; suæ prædicationis doctrinā illis tantùm finibus contineri voluit, sed ad Aethiopiam, quam sortitus fuerat, peruenit; cuius regionis homines cùm ad veritatis notitiam perduxisset, christianæq; fidei gymnasiū illic constituisset, & quoscunq; potuit, prædicationis suæ retibus inclusisset, multaq; miracula Christi ope adiutus effecisset, & eos, qui ad Dei fidem conuersi erant, per aquam, & spiritum Christo adiunxisset, Ecclesiam sanctam ipsi ædificandam curauit, presbyterosq; ac diaconos constituit, singulis diebus concionem habens, partim ad veritatem retinendam illos adhortans, partim mysteria tradens; eos verò, qui languoribus, & morbis, vel dæmonum malitia oppressi de vita periclitabantur, verbo, & manus attactu ab omnibus molestijs statim liberabat.

Postea verò quàm opus exegit sua vocatione dignū, & debitum opus compleuit, ad quod vocatus fuerat, per martyrium in Domino quieuit, & nobis, qui versamur in terris, corpus reliquit gloria, & hymnis ornatum, eosq; qui memoriā eius celebrant, vicissim multo splendore ornans, ac sanctos efficiens; id quod multi ex eorum numero, qui per Apostolum ipsum salute digni facti sunt, sacris orationibus consuetam, & sanctam eius celebritatem honorificè admodum prosecuti, memoriæ prodiderunt. Ipse verò sine interuallo aliquo puro [1] aspectu Domini Iesu Christi faciem contemplatur, & eius immensæ gloriæ corona decoratur, atq; cum eo simul versans exultat perpetuò; Cui conuenit omnis gloria, honor, adoratio, & magnificentia, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

[1] Vides Sanctorum animas post migrationē ex hoc mundo in cœlū tendere, & diuino aspectu frui?

SANCTI PATRIS NOSTRI BASILII ARCHIEPISCOPI SELEVCIAE LAVDATIO IN PROPHETAM ELISAEVM, ET MVLIEREM SVNAMITIDEM.

EX Prophetarum numero alij sermone Christum pronunciarunt, alij opere, ac factis eius res indicarunt, alij diuinæ dispensationis figuram, & rerum futurarum imaginem, tanquam adumbratione quadam, præmonstrarunt. Sermone Christum pronunciarunt Esaias, Hieremias, Ezechiel, & vnà cum illis duodecim alij Prophetæ. Factis illũ indicarunt Elias Thesbites, & Elisæus eius discipulus. Figura ipsius sepulturæ fuit Ionas propheta. Sicut enim, inquit ipse Dominus in Euangelio, fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ita erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.

Sed interea Ionæ, & Eliæ, aliorumq; narrationem in aliud tempus differamus, Elisæum verò in medium proferentes primùm quæramus, quare Sunamitidis filium non oratione, vt Petrus Apostolus Dorcadem illam, à mortuis excitauit, sed supra mortuum illius pueri corpus se ipsum expandit; pueri enim ori sui oris superficiem, nares naribus, fronti frontem, pedibus pedes accommodauit, pectus pectori, & oculis oculos adhibuit, &, vt summatim dicam, singula pueri membra suis membris Propheta contingens, vitam ipsi largitus est. Quæ igitur fuit causa, vt mortuum puerum oratione non excitauerit, sed se ipsum eius corpori adiunxerit. Hæc illis quidem in figura contigerunt, & ad nostram doctrinam scripta sunt, ad quos fines seculorum deuenerunt. Narremus igitur, cuius rei figura fuit Elisæus, & cuius filius Sunamitidis mulieris, qui mortuus fuerat, imaginem præmonstrabat.

Eliseus Christi figuram præseferebat, Sunamitidis verò filius gentium populum figurabat; hic enim à peccato ipso morti subiectus fuerat. Venit igitur spiritualis Elisæus, & eius membra omnia os, oculos, manus ipsas, pedes, totum deniq; corpus mortuum deprehendit. Os videlicet mortuum erat, quòd

non

non ad Dei gloriam celebrandam, linguam exercebat, sed ligno dicebat: Pater meus es tu: & lapidi: Tu me genuisti. Eiusdem oculi mortui erant, quippe qui non ad vniuersarum rerum opificem Deum erigebantur, sed, relicto creatore, his rebus seruiebant, quæ à Deo ipso creatæ fuerant. Mortuæ erant & manus, quæ dæmonibus ipsis sacrificia offerebant. Mortui & pedes, quippe qui ad diaboli adorationem flectebantur. Totum deniq; eius corpus putidum erat, & potente illo medico indigebat, non quouis, inquam, medico, sed eo, qui posset mortuis etiam hominibus vitam restituere. Venit igitur medicus ille, qui requirebatur, spiritualis Elisæus Dominus noster Iesus Christus; qui cùm humanum corpus totum mortuum comperisset, se ipsum totum toti mortuo corpori accommodauit.

Dicet aliquis: Quid'nam hoc est, quod dicis? Tota, inquam, & plena diuinitatis perfectio totam nostram humanam naturam in se gestauit, hominem, scilicet ipsum, in quo habitauit (vt inquit Apostolus) tota plenitudo diuinitatis corporaliter. Oculos habuit vt homines, similiter & manus, & pedes, non specie aliqua, sed re vera. Non enim rapinā arbitratus est se esse æqualē Deo; sed exinaniuit se ipsum formam serui accipiens. Itaq; vita ipsa mortis indumentum gestauit, vt mortalem illam conditionem ad propriam immortalitatem traduceret; cùmq; diuinitas ad humanum corpus descendisset, omnia deinceps hominis membra sancta sunt effecta, & ad meliorem vsum conuersa. Ita igitur os ipsum didicit tandem illud dicere: Domine, labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Oculi verò ipsi ad Dei gloriam intenti esse didicerunt, vt de ipsis dici possit: Oculi omnium in te sperant, Domine, & tu das illis escam in tempore opportuno. Manus ad Deum extensæ Domino suo benedicunt, vt & de illis dicatur: In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Domino: item illud, Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Iam verò & pedes ipsi in Ecclesijs consistentes, & totum hoc Deo acceptum referentes; Stantes, inquiunt, iam sunt pedes nostri in sanctis locis. Item illud: Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Hierusalem. Vidisti, quæ sit in membris exterioribus diuinæ gloriæ celebratio. Quid igitur? Num & interiora hominis membra diuini ministerij sunt expertia? Minimè, inquam, sed anima ipsa cum interioribus membris clamans, & Deum inuocans ait: Benedic, anima mea, Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius.

Omittamus igitur Sunamitidem illam viduā cum miraculis ab Elisæo Propheta effectis, vt Christi ad nos venientis vmbram quandam præseferentem, & ad nouæ gratiæ miracula orationem nostram conferentes, de hac ipsa re latiùs disseramus, & primùm consideremus, quemadmodum vnigenitus Dei Filius à solo Patre ante omnia secula genitus, idem in extremis diebus, & ex Virgine matre sola sine semine aliquo natus vnicum viduæ cuiusdam filium mortuum misericordia motus ab inferis excitauit. Sed recurramus ad viduæ illius lachrymas, quæ cum filium suum vnicum mortuum deploraret, Dominum ipsum, qui nostræ salutis causa in mundum venerat, ad misericordiam allexit. Illius enim viduæ lachrymæ vnigenitum Dei filium ad vnicum eius filium à mortuis excitandum adduxerunt. Cùm enim ille valde misericors eam fœminam dolore nimio affligi vidisset, sponte viduam adijt, & mœroris flammam suæ benignitatis fonte totam extinxit; de ipso enim apud Prophetas scriptum legimus: Ros à te proficiscens medicina ipsorum est. Fractum itaq; ramum, vt bonus agricola, iterum inseruit. Cuius'nam hominis cor dolor ille non vulnerasset? Quis viduæ illius lachrymas sine lachrymis præterijsset? Eius, inquam, fœminæ mœror toti ciuitati fletū excitauit. Viduæ ipsæ viduam

illam; quæ filiorũ matres erant, mulierem liberis orbatam cõmiserabantur. Qui filios habebant, adolescentem mortuum lamentabantur. Adolescentes adolescentem illum lachrymis prosequebantur. Alij vt filium, alij vt fratrem deplorabant. Omnes deniq; moeror ille tetigerat; & matris vulnus eò magis in corde renouabatur. Filij enim memoria in eius viscera tanquam telum aliquod recurrens flammam accendebat, & doloris acerbitatem maiorem efficiebat. Nihil enim ita matrem affligit, vt mortui filij recordatio.

Cùm igitur crines sine intermissione laceraret, & vnguibus ipsis maxillas discerperet, ac dedecoraret, lachrymarum fluuios effundebat, & miserabiles pro filio mortuo voces emittebat, quales scilicet par erat à moerore ipso in eius mentem, ac vocem suppeditari. Cui'nam, inquiebat, fili, viduam matrem, & orbam dereliquisti? Quem, te adempto, adiutorem inueniam? Cui'nam ætas mea grandis, tanquam baculo, innitetur? Quem posthac patronum inueniam, cuius vir priùs excessit, cui filius nunc adimitur? Quî potero orbitatis meæ angustias sufferre, & viduitatis tempestatem euadere? Hactenus onere illo, quod viduas consequitur, depressa fui, nunc & orbitatis caligo me oppressit. Duos illustres oculos possidebam, virum, & filium, sed vtrunq; mors ipsa effodit. Ec'quis igitur, fili, matrem tuam iam mortuam sepulchro mandabit? Quis iusta persoluet? En illum, qui me lachrymis prosequi debebat, ipsa priùs lachrymo; quem decebat sepulchrum mihi parare, cum ipsa nunc sepeliam. Non ampliùs tuis amplexibus fruar, non ampliùs tuis suauissimis osculis recreabor. Par erat matrem, priusquàm filium, à morte rapi; hic enim est naturæ ordo, vt filij parentes præmittant. Sed quoniam ordinem peruertisti, saltem celeriter Deus hoc mihi largiatur, vt ad eos, qui mortui sunt, me quoque adiungat; satius enim mihi erit vno, eodemq; sepulchro condi, quàm sine filio breui hac luce frui; nam nulla vitæ iucunditas mihi ampliùs reliqua est, cùm non amplius supersit ille, cuius causa viuerę cupiebam. Quandiu filius supererat, sine dolore ærumnas meas ferebam; vterq; enim alteri consolationem afferebamus; neq; illum orbitas frangebat, neq; viduitas ipsa tantùm, illo viuo, me onerabat. Et viri quidem calamitatem filij expectatio paulatim à memoria subtrahebat, sed consolationem meam hanc mors acerba statim conturbauit, & hilaritatem magnam in dolorem intolerabilem conuertit. Quàm diuersa sunt euenta ipsa ab ijs, quæ mihi proposueram. Quotidie eius nuptias expectabam, sed pro thalamo nuptiali sepulchrum construxi. Quo tempore de nuru cogitabam, tunc monumentum paraui. Cùm de nuptiali conditione tractabam, tunc testamentum eius consignatum accepi; & filius matrem hæredem scripsit, quæ filium hæredem constituere debebam. Cùm vestem nuptiis congruentem parare coepissem, tunc funebribus vittis, & indumentis eius cadauer astrinxi. Quàm diuersa sunt hæc ab ijs, quæ mihi proposueram. Non est dolor aliquis cum doloris mei acerbitate conferendus; nulla calamitas meæ calamitati par est. Nemo vlcus meum sanare poterit; nemo vulnus curabit; nemo talis, ac tantus medicus in vrbe hac est; non est, inquam, non est. Sed num aliquem apud vrbis portã inuenero?

Cùm adhuc mulier loqueretur, Medicus, qui desiderabatur, præsto erat; Ille viduarum Patronus viduæ occurrit? Pater orphanorum adolescentulum vocauit; vitæ largitor mortuum in vitam restituit; & orbatæ matris lachrymas misericordiarum amator Deus repressit. Cùm enim ad ciuitatis Naim portam Dominus appropinquasset (vt dicit Euangelista) ecce efferebatur mortuus filius vnicus matris suæ. Mortuus egrediens ingredienti vitæ occurrit. Cùm'que flentem matrem ipse Dominus vidisset, misericordia illius commotus est, eiq; dixit: Noli flere; mors enim, quæ te impugnauit, expugnata nunc

est. Noli flere; nam inferna sedes coacta filij tui animam à me repetitam restituet. Gaudebat quidem satanas, vt prædam deuoraturus, sed ingemiscet voti compos non factus. Et vt discas verum esse, quod promitto, re vera filium tuum resurgentem aspicies. Tum dixit: Adolescens, tibi dico, surge. Et sedit, qui mortuus fuerat, & cœpit loqui. Adolescens, inquit, tibi dico, surge. Sed cur nam addidit, Tibi dico? Simplicius enim dicere poterat: Qui mortuus es, resurge. Eius rei causam hanc esse arbitror, quòd Saluatoris vox summam vim habens & alios mortuos in vitam excitatura erat; propterea illud addidit, Tibi dico, vt gratiam suam huius adolescentis resurrectione circunscriberet. Hoc idem fecit & in Lazaro; non enim dixit: Qui mortuus es, veni foras: sed nomine mortuum vocans: Lazare, veni foras. Itaque id fecit, ne vox illius, qui vitæ auctor est, simpliciter pronunciata multos mortuos excitaret. Sedit mortuus, & cœpit loqui, illud nimirum: Nisi Dominus adiuuisset me, paulominùs habitasset in inferno anima mea. Item illud: Dominus eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fecis; & statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos. Hoc igitur & nos in tentationum fluctuationibus clamantes, canamus gloriam Patri, Filio, & Spiritui sancto nunc & semper, & in æterna seculorum secula. Amen.

MARTYRIVM SANCTI BONIFACII.

SVMMVS ille, & humani generis amantissimus Deus hominum saluti prospiciens, qui per prophetam suum ait: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat: quiq; in Euangelio dixit: Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam, ille, inquam, qui ad misericordiam suam impartiendam celerrimus, & multus est; qui dixit: Cùm conuersus ingemueris, tunc saluus fies: salutis exempla nobis ostendit, vt ad eum conuertamur. Ipse enim propria sua bonitate nobis prouidet, ne aliquando de nostra salute desperemus, cùm ab inimicissimo, atq; immani illo hoste in peccatis irretiti fuerimus, sed in eius bonitate, & singulari misericordia spem nostram collocemus. Multi enim cùm peccatis oppressi, & grauissimis scelerum iaculis confixi essent, resipiscentes, & sua peccata recognoscentes, victoriæ coronas receperunt. E quorum numero fuit beatus hic Bonifacius cum sua domina, de quibus sum vobis narraturus.

Erat in vrbe Roma fœmina quædam, Aglais nomine, filia cuiusdam Acatij, genere claro, & proconsulari, quæ multarum facultatum possessione abundabat, & multos rei suæ curatores habebat. Horum primus, & summus erat vir quidam, nomine Bonifacius, omnibus sceleribus refertissimus; erat enim ille temulentus, adulter, & omnium illarum rerum amicissimus, quæ Deo sunt inuisæ. In his tot, & tantis malis hæc habebat, quæ laudari poterant; erat enim hospitalis, & facultates suas ægrotis impertiebat, misericordiaq; multa calamitosos homines prosequebatur. Itaq; si quando aliquos iter facientes, & peregrinos vidisset, eos apud se accipiebat, & omne studium, atq; animi alacritatem adhibens, illis ministrabat; singulis autem noctibus per vicos, & plateas percurrebat, vt ijs, qui egentes erant, vitæ adiumenta suppeditaret.

Temporis interuallo fœmina illa, cui Bonifacius seruiebat, eum ad se accersitum his verbis allocuta est: Frater Bonifaci, scis quantis in peccatis nos inuoluti simus, neq; cogitamus, quòd Deo ipsi assistere, & de omnibus, quæ in vita nostra egerimus, rationem reddere debeamus. Nunc autem audiui, cùm Christiani dicunt, si quis ministrauerit sanctis viris, qui pro Christi confessione certamen sustinent, eorundem bonorum, quibus & Martyres fruentur, eum participem futurum in illo terribili die, quo Dominus noster Iesus Christus iusto iudicio humana facta examinabit. Audiui etiam nunc Christi seruos in Orientis partibus contra diabolum certamen sustinere, qui sua corpora

cruciatibus offerunt, ne Christum ipsum negent. Illuc igitur profectus, sanctorum martyrum reliquias ad nos afferas, vt illis ministerium præbeamus, & sacra templa illorum certaminibus digna ædificemus, vt per ipsos nos quoque cum alijs multis salutem assequamur.

Cùm Bonifacius eius mulieris seruus, quam diximus, hæc audiuisset, multum auri secum attulit, vt partim sanctorum martyrum reliquias emeret, partim pauperibus distribueret. Secũ etiã duodecim equites habebat, tresq́; lecticas secum ferebat, & multa, variaq́; vnguenta, vt sanctorum Martyrum corpora illiniret. Abijt igitur, & cùm è domo egrederetur, heram suam compellans; Agè, inquit, dic: Si Martyrum sanctorum reliquias non inueniam, num reliquias meas, si ad te venerint, non accipies? Ad hæc eius hera: Missam facias ebrietatem, & stultam istam orationem, & abi, futurum sciens, vt sanctorum Martyrum reliquias allaturus sis; ego verò scelesta mulier ipsas expectabo. Deus autem ille, qui propter nos formam serui accepit, qui sanguinem suum pro salute humana effudit, ipse mittat Angelum suum coràm te, & sua multa misericordia vsus, dirigat gressus tuos, neq; peccata mea respiciat, quominùs desiderium meum expleat.

Bonifacius igitur illinc egressus, secum in via iustum esse cogitabat, vt neque carnes [1] neq; vinum gustaret. Ita enim fieri posse censebat, vt, quamuis indignus esset, & in peccatis viueret, sanctorum tamen Martyrum reliquias gestare posset. Erectis igitur in cœlum oculis, ait: Domine Deus vnigeniti filij tui Pater, veni, & affer mihi auxilium; da, vt via hæc prospera mihi sit, quam ego nunc ingredior, vt nomen tuum sanctum omnibus seculis celebretur. Cùm Bonifacius preces compleuisset, pergebat iter facere. Cùm igitur in vrbem Tharsum venisset, & sanctos Christi Athletas pro Domini nostri Iesu Christi nomine certamen illic sustinere didicisset, his, qui cum illo erant, ait: Eamus, fratres, & hospitium, in quo diuersemur, nobis paremus, vt vos illic iumenta collocetis, ego verò illos visam, quos maximè cupio. Accessit igitur in stadium, & ascendit ad populum; quo loco vidit sanctos Martyres tormentis cruciari, alium capite in terram verso pendentem igne supposito cõburi, alium ore mutilatum, alium quatuor lignis protensum, alium à carnificibus dissectum, alium in feruentem aquam coniectum, alium truncatum manibus, alium palo alligatum & per terram distractum, alium, manibus, & pedibus fractis, & in terga ipsa reflexis, à carnificibus laniatum, alium truncatis manibus, & pedibus in terram deiectum, ac volutatum, aliosq́; alijs tormentis affectos. Tales profectò, & tanti cruciatus spectatoribus ipsis magnam anxietatem afferebant; quinimmò licebat videre diabolum ipsum victum, & Dei seruos coronatos.

[1] Vides quomodo hic principium conuersionis ab abstinentia, & ciborum delectu sumpsit?

Cùm igitur Bonifacius illuc accessisset, sanctos illos Martyres in tormentis positos deosculabatur (erant autem numero viginti) quos cùm exoscularetur, clara voce, Magnus, inquit, est Deus Christianorum, magnus Deus sanctorum martyrum; oro vos Christi seruos, vt pro me apud Deum intercedatis, vt & ipse, absoluto contra diabolum certamine, vestræ sortis particeps fiam. Hæc dixit, & ad sanctorum Martyrum pedes se abiecit, eosq; amplexus, ac deosculatus; Agitè, inquit, fortes Christi milites, & Martyres, pugnam bono animo sustinete, diabolum conculcate, paulisper cruciatus sufferte; exiguus est labor iste, requies autem multa; parua quidem tormenta, sed munera, & Dei benignitas immensa vobis proposita est; corpus vestrum ab ipsis carnificibus in terra torquetur, & in futuro illo seculo ab Angelis coronabitur.

Cùm hæc ille diceret, & Præses in turbam intuens illum vidisset, quæsiuit, quisnam esset ille, qui & ipsum, & Deos contemnens talia diceret, ac, Sistatur,

inquit, ante tribunal. Id quod cùm factum esset, Age, inquit, dic: Tu quis es qui iudicium nostrũ cõtempsisti? Ille autẽ: Christianus ego sum, qui Dominum Iesum Christum mecum habens, & te, & tribunal tuum contemno. Tum Præses; Dic, inquit, quo nomine appelleris. Ad hæc ille: Iam dixi tibi me Christianum esse; quòd si vulgare nomen meum scire vis, Bonifacius appellor. Tum Præses; Priùs inquit, quàm latera tua lacerari iubeam, accede, & dijs sacrifica. Respondit Bonifacius: Dixi, me Christianum, & Christi seruum esse, neq; dæmonibus sacrificare. Quicquid igitur libet in me facias. En propositum est tibi corpus meum. Hæc audiens furore multo exarsit Præses, & illum capite in terram deuoluto suspendi iussit, ferreisq; pectinibus constanter lacerari; quem eò vsq; carnifices laniarunt, quoad ossa etiam ipsa detecta sunt. Beatus verò ille martyr nihil respondebat, sed oculos ipsos ad sanctos martyres, quos supradiximus, intentos tenebat.

Iussit igitur Præses illum dissolui; cùmq; horæ vnius spatium præterijsset, Præses ipse his verbis eum affatus est: Sacrifica, miser, & tua ipsius misericordia te commoueat. Ad hæc sanctus Bonifacius; Nonne, inquit, te pudet semper hoc dicere: Dijs sacrifica: cùm ego de scelestis, & perditissimis vestris dijs nihil audire possim. Furore accensus Præses acuta quædam spicula fieri iussit, & illis ipsis eius vngues transfigi. Ille verò sanctus vir cùm in cœlum oculos erexisset, facilè dolorem omnem sustinebat. Itaq; cùm Præses vidisset tormenta illum non sentire, iussit eius os aperiri, & plumbum liquidum infundi. Beatus verò ille Christi Athleta iterum erexit oculos in cœlum, & his precibus Deum orauit: Gratias tibi ago, Domine Iesu Christe fili Dei; te precor, vt venias mihi adiutor, & leues me laboribus his, neq; permittas me superari ab hoc scelesto Præside; scis enim quòd propter nomen tuum hæc patior. Cùm preces compleuisset, clamans viris illis sanctis dixit: Precor vos, serui Christi, intercedite pro me apud Christum, cuius causã certamen sustinetis. Tum sancti viri quasi ore vno dixerunt: Dominus noster Iesus Christus ipse mittat Angelum suum, & liberet te ab hoc scelestissimo Præside, vt cursum tuum celeriter perficias, quoniam ipsi conuenit gloria in secula. Amen. Cùm dixissent, Amen, consecutus est multitudinis illic stantis eiulatus voce vna clamantis: Magnus est Deus Christianorum, magnus, inquam, est Deus iste, & in eos benignus, qui seruiunt illi. Iesu Christe fili Dei, da salutem & nobis ipsis, omnes enim tibi credimus, & ad te confugimus.

Hæc cùm dicerent, totus populus impetum fecit, & idolorum aram euertit, Præsidemq; ipsum lapidibus insecutus est. Ille verò tumultum metuens, & turbam formidans subterfugit. Postero autem die cùm sedisset in tribunali, iussit sanctum virum Bonifacium ad se duci, quem sic allocutus est: Quare miser ita insanis, spem tuam in homine collocans? in eo præsertim, qui vt maleficus à Iudæis in Cruce suffixus fuit? Ad hæc Christi martyr; Obmutesce, inquit, scelestissime, neq; fœdissima labia tua sic aperias tu, qui mentem obscuratam habes; Dominus enim meus Iesus Christus hæc sustinuit, cùm humano generi salutem afferre vellet. Furore accensus Præses iussit lebetem pice impleri, eaq; liquefacta, sanctum Bonifacium capite deorsum reuoluto in picem illam immergi. Itaque sanctus Christi martyr cùm a signo Crucis se muniuisset, coniectus fuit in lebetem illum. Angelus autem Domini descendit de cœlo, & lebetem tetigit, qui statim vt cera quædam dissolutus est, & ex iniquis hominibus, qui stabant in eo loco, combussit circiter quinquaginta.

a Sãctus Christi martyr cùm signo Crucis se muniuisset.

Tum Præses Christi potentiam extimuit, & Martyris patientiam admiratus, securi Bonifacium percuti iussit, hæc dicens: Virum istum Imperatoris legibus aduersantẽ, neq; meo iussui obedientẽ nostra potestas iubet securi percuti.

Satellites igitur, omni studio adhibito, hominem è tribunali submouerunt. Ille verò carnifices rogauit, vt horæ spatium sibi concederent, quo Deum orare posset. Oculos igitur ad orientem solem conuertens sic orauit: Domine Deus omnipotens Pater Domini nostri Iesu Christi, veni adiutor seruo tuo, & accipe animam meam in pace, ne impediat me nefarius, & letalis draco, ne prauitate sua me vulneret, ne'ue fallacijs suis me circumueniat; sed fac, vt quiescam in choro sanctorum martyrum tuorum; & libera populum tuum ab omnibus angustijs, quoniam gloria, & adoratio tibi conuenit, & vnigenito Filio tuo, & Spiritui sancto in secula seculorum. Amen. Cùm precibus finem imposuisset, à carnifice securi percussus fuit, atque ex eius vulnere exijt sanguis, & lac, ita vt omnes clamarint: Gloria sit tibi Iesu Christe, à quo talis gratia his confertur, qui te diligunt. Eaque re factum est, vt viri ferè quingenti ad Christi fidem conuersi fuerint.

Serui autem illi, qui vnà cum Bonifacio missi fuerant, vagabantur, & huc, atque illuc errabant ipsum inquirentes. Quem cùm non inuenirent, inter se dicebant: Ille nunc in lustris est, aut in caupona discumbit, & se ipsum exhilarat, nos verò huc, & illuc vagamur, hominem'que illum inquirimus. Cùm autem hæc inter se colloquerentur, accidit vt eis occurreret frater illius viri, qui actis scribendis præsidebat; quem interrogarunt, num hospitem aliquem illic vidisset. Ipse autem respondit, hesterno die peregrinum quendam Christi causa martyrem factũ se vidisse, eius'que caput abscissum fuisse. Illi ampliùs quæsiuerunt, vbi'nam esset. Respondit ille, in stadio eius corpus positum esse. Quæsiuerunt, cuius'nam formæ vir esset; & ab illo, pinguem, flauum, & crispis crinibus eum virum fuisse audiuerunt. Hæc omnia verè illum esse, qui quærebatur, demonstrabant, qui & martyrium Christi causa susceperat. Cæterùm illi; Vir, inquiunt, quem nos quærimus, adulter est, ebrius, neque martyrio suscipiendo aptus erat. Respondit frater illius, qui actis scribendis præfectus erat: Quid obstat, quominùs vos vsque ad stadium proficiscamini, & ipsum, quem dico, spectetis?

Cùm hæc audiuissent, eum vsque ad stadium secuti sunt à quo cadauer illic positum ostensum est. Tunc serui, quos supradiximus, petierunt ab eo viro, vt eius hominis caput ostenderet. Abijt ille, & Martyris caput attulit. Eius autem sancti viri aspectus, cùm conseruos suos vidisset, illis arrisit, Spiritu sancto id efficiente. Quem cùm serui cognouissent, lachrymas fundentes dixerunt: Te rogamus, ne 3 memor sis eorum, quæ contra te locuti sumus, neque peccatum nobis hoc imputetur. Tunc ei, qui caput ostenderat, dixerunt, eum esse virum illum, quem quærebant; quem & sibi dari precabantur. Tum ille; Ego, inquit, gratis reliquias istas vobis dare non possum. Itaque illi quingenta numismata dederunt, ac sancti martyris reliquias acceperunt; quas cùm vnguentis 4 perfudissent, & velis, ac linteis inuoluissent, in lectica reposuerunt, atque hilares itineri suo se dederunt, & Deum ipsum, qui Bonifacium sanctum martyrem fecerat, gloriosè celebrarunt.

Angelus autem Domini cùm apparuisset mulieri, quam Bonifacij dominam fuisse diximus; Accipe, inquit, eum virum, qui olim seruus tuus fuit, nunc autem Christi martyr factus est. Itaque eum fratrem nostrum, & comministrum effectum nunc vt dominum accipias, & optimè 5 reponas; per ipsum enim omnia peccata tua tibi remittentur. Surrexit Aglais tota contremiscens, & religiosos clericos conuocauit, vt cùm litanijs, & cereis venirent. Itaque sanctis reliquijs obuiam prodijt, eas'que reposuit quinquaginta stadijs longè ab vrbe Roma, cùm templum sacrum construxisset dignum eius martyris certamine; in quo vsque ad hodiernum diem dæmones expelluntur, & intercessione martyris

3 Ergo Sanctorum animæ sciunt, quæ circa nos aguntur.

4 Vide quantam curam exhibeant sancti martyris reliquijs.

5 Angelus mãdat Martyris reliquias optimè reponi; & Aglais clericos conuocat, vt cũ litaniis, & cereis veniant ad eas decenter cõdiendas. Nostri autẽ temporis hæretici illas despiciunt. Vide quãta disparitas, & cui magis credendum.

Bonifacij omnes morbi curantur.

Beata verò Aglais mundo renunciauit, cùmq; omnia sua bona pauperibus distribuisset, exercebat se cum puellis suis in omni temperantia, & continentia. Qua in re ita præstans fuit, vt expellendorum dæmonum gratiam à Deo acceperit. Cùm verò quindecim annos in illa exercitatione transegisset, diem suum obijt; intercessit 6 enim pro illa sanctus martyr Bonifacius, qui certamen pro Christi nostri Dei veri nomine pertulerat. Ipsi gloria in secula seculorum. Amen.

6 Ecce quomodo Sãcti post mortem intercedũt pro nobis.

MARTYRIUM SANCTI VINCENTII.

VICTORIAM, quam sanctissimus martyr Vincentius de hoste reportauit, maximè probatam fuisse ex hoc ipso intelligi potest, quòd bonarum rerum inimicus diabolus eorum certaminum, quæ martyr ille sustinuit, ac perpessus est, venerandam memoriam silentio interim obruendam curauerit. Sed nos ordine singulas res, vt gestæ sunt, in apertum proferemus, certissimamq; earum rerum fidem sequentes, inuiolatam Martyris confessionem, & tolerantem constantiam vsq; ad extremum spiritum seruatam, simulq; incredibilem Iudicis immanitatem narrabimus.

Is cùm Christianorum vastationem, vt quiuis alius, sitiret, in Hispaniam profectus est, vt illius prouinciæ administrationem gereret, quæ à Romanis Imperatoribus commissa ei fuerat. Erat Iudex ille Græcus, scelere, furore, & diaboli peruersitate; arteq; compositus, & malitiæ illius minister valde idoneus; vocabatur autem Datianus. Cùm igitur ad eius regionis vrbem omnium primam venisset, cui nomen erat Augusta, tanquam lupus quidam vorandi sanguinis multùm appetens, simplicissimas Christi oues adortus est. Nam etsi earum synceritas, constantia, & firmitas Christianæ fidei testimonium præberet, ab illis tamen furorem suum non temperabat, sed cùm esset sacrilegus, & Græcæ superstitionis amantissimus, summam in Christianos acerbitatem exercebat. Itaq; cùm magistratum inijsset, se omnia ex animi sententia consecuturum arbitrabatur, si furoris, & insaniæ, quæ illum exagitabat, manifesta indicia ostenderet; nefariæ enim crudelitatis, & noui furoris rabie accendebatur. Quamobrem sui spiritus fœditatem, ac vehementiam, quamprimùm potuit, effundere cœpit, Episcopos, & omnes clericos, ac viros sanctos iniqua diaboli tentatione inuadens; quanquam potiùs factum id fuit, vt qui probati essent, manifesti fierent.

Hæc cùm ita se haberent, Vincentius in Leuitarum ordine constitutus sub Valerio Episcopo magnæ existimationis & modestiæ viro, animi alacritate multa erectus, ad celeberrima illa, & salutaria certamina properabat. Eiusmodi autem tentatio multis quidem videbatur perniciosa, sed non viris Deum verè amantibus, quippe qui futurum sperabant, vt tali certamine proposito beati efficerentur, siquidem rectè factis consecrati fidei coronam assequerentur. Itaq; artificiosus ille, & animo, ac sententia multiplex Datianus, existimans fieri posse, vt Christiani homines, quos non poterat cruciatibus ad sententiam suam

perducere, itineris longitudine, & corporeis ærumnis defatigati, afflictiq; eius voluntati se subijcerent, mandauit sanctos viros Valerium Episcopum, & Vincentium Diaconum multis cum iniurijs duci in vnam quandam illius prouinciæ vrbem, Valentiam nomine, quos statim iussit in carcere quodam obscuro, & malè olenti concludi, maximisq; cruciatibus affligi, fame, inedia & cathenarum angustijs, & ferreis quibusdam ponderibus à collo ad manus vsq; protensis, toto (vt summatim dicam) corū corpore mortiferis calamitatibus afflicto. Sed quamuis tot, tantæq; calamitates illorum corporibus adhiberentur, omnia tamen viri sanctissimi tormenta, vt res leuissimas, perferebant, ad futura illa bona, quibus compensandi essent, animos erectos, intentosq; habētes.

Cùm verò peruersus ille, & deprauatæ mentis homo Datianus existimaret eos viros defatigatione, atq; ærumnarum iugo nimium grauatos esse, ac vereretur, ne fortè, si eorum res obliuisceretur, antea mortem illi obirent, quàm ipse propriam in illorum sanguine fundendo, & membris lacerandis sæuitiam exerceret, iussit illos educi è carcere. Opinabatur enim, eò quòd diuturno carcere vexati, & à lumine, communiq; hominum consuetudine remoti fuissent, nihil virium ampliùs reliquum habere. Nolebat autem illos mori, priusquàm cruciatibus afflicti essent, quandoquidem futurum sperabat, vt multiplici, ac diuturno cruciatu eos flecteret. Cùm igitur viri illi sancti educti è carcere ante tribunal Iudicis stetissent corporibus, & viribus integriores, aspectuq; ipso multò hilariores, quàm antea fuerant, Datianus Præses amens factus, & stupore perculsus, atq; insania excæcatus fuit, eorum videlicet, qui à Deo seruati fuerant, robur, & vires obstupescens.

Cùm verò ab illis se vinci non pateretur, & ab impuri spiritus peruersitate agitaretur, ad carceris custodem conuersus; Cur'nam, inquit, cibo, & potu homines istos recreasti? Cur ita pingues fieri curasti? Mox feroci quadam voce fremens, & orationem suam ad sanctissimum Episcopum conuertens ait: Quid'nam tu de te ipso dicis, Valeri, qui per religionis speciem, ac simulationem Imperatoribus aduersaris? Opinabatur enim impius ille, facilè fieri posse, vt si caput ipsum, hoc est Episcopum, abscinderet, reliqua etiam membra, clerum videlicet, & populum facillimè demoliretur. Sed benignissimus Deus, qui superbos homines ex alto, & sublimi gradu in imum præcipites detrudit, & humiles infimo in loco iacentes in altum extollit, voluit superbum, & nefarium illum hominem non ab Episcopo, sed ab inferioris gradus illius cleri viro superari, vt se imbecillum esse cognosceret, neq; quicquam se contra Episcopum facere posse, quippe qui à Leuita longe inferiore, tum ordine, tum dignitate, victus, prostratusq; fuisset.

Etenim beatus martyr Vincentius sancto Spiritu plenus, excitatusq;, & victoriæ coronam iam iam cōprehensam habens, dum Episcopus Valerius quieto, & sedato animo responderet, Vincentius sic eum allocutus est: Cur'nam, ò pater, ita susurras, vt qui metu detenti sunt, & contra canem istum sic mussitas? Clama voce magna, & Christi potentiam adiutricem implora, vt huius Tyranni rabies voce libera, & cum auctoritate prolata refrenetur, & eius contra sancta Christi mysteria ferocitas comprimatur. Hic enim ille est, ò pater, pestifer serpens, qui aduersus hominis primò formati gloriam, quæ in omnes homines transitura erat, inuidia excitatus se armauit. Nam cùm ea gloria ipse frui non posset, statim insatiabili quadam perdendorum hominum cupiditate accensus est, & contra illos maximè inuidiam exercuit, quos benignus Deus mori sempiterna morte prohibuit. Hic ille est, quem diuini nominis inuocatione sæpè ab humanis corporibus nos expulimus. Itaq; si viribus suis confidit, omnes pugnæ machinas in me commoueat; videbit enim me

tormentis cruciatum plus quàm se cruciantem valere, & quò magis putabit me afflictum iri, eò grauiùs ipse affligetur. Quamobrem omnino gaudeo, exultoq́; quòd diabolus maximis de rebus conuincendus sit.

Ad hæc ille diaboli minister Datianus aduersus Christi fidem magis, magisq́; inflammatus est, quippe quòd se ipsum valde contemni animaduerteret. Itaq; diaboli ministros sic affatus est: Abducite hinc Episcopum; at istum, qui ad iudicij, & Imperatorum contumeliam huc venit, ante nos sistite, & ad ipsius durum, ac pertinacem animum reprimendum tormenta, & cruciatus adhibete. Hæc cùm diceret, maxima quæq; supplicia contra Martyrem excogitabat quidem, sed illud tamen secum animo reuoluebat, quòd quicquid, quamuis asperum, & acerbum, inferret, fortis ille Martyr pro nihilo facere videretur; Fortasse, inquiens, futuræ gloriæ causa omnia sibi perferenda proposuit. Excogitauit igitur tormentorum machinas diabolus; sed quas in viros illos iustos pœnas se illaturum cogitabat, eas ipse, vt nolebat, passurus erat. Sed quid'nam ait iniquus ille? Agitè, inquit, suspendite hominem istum in ligno, eius'q; membra discerpite, ac totum corpus contundite, vt priusquàm aliis cruciatibus affligatur, se laceratum, & consumptum videat.

Cùm igitur Martyr ipse multis horis dilaniaretur, sic eum Datianus alloquebatur: Quid ais, Vincenti? An non vides, quàm miseris modis corpus tuum miserabile dilaniatum sit? Tum illi subridens Vincentius; Hoc, inquit, est, quod ipse toto animo expetebam; itaq; nemo mihi vnquam, credas velim, optabilior te ipso fuit, neq; animæ meæ beneficium maius contulit; nam licet hostili animo id facias, tamen summum beneficium in me confers. En vt ad sublimiora ascendo. En vt cœlestes res attingo. En vt Imperatores tuos magis contemno. Tu igitur ab ista tua crudelitate ne desistas; mihi enim eò cumulatiorem victoriam afferes, quò maiora tormenta perferendo, te ipsum superabo. Esto, quæso, in me magis, magisq; concitatus, & nefarij tui spiritus peruersitate quantumuis debacchare, nequo modo gloriam meam imminuas, & nostris laudibus damnum afferas. En ego Christi seruus paratus sum omnia sustinere pro nomine eiusdem Domini mei Iesu Christi. Quibus autem minis, & cruciatibus me vexandum esse opinaris, illis tu ipse acerbiùs vexaberis.

His verbis auditis, Datianus furore quodam, & rabie inflammatus, & clamores præ insania tollens, lignis, ac virgis carnifices verberabat, quòd segnes essent in Martyre cruciando, magis'q; contra carnifices, quàm contra virum illum sanctum excandescebat, domesticos, & familiares suos priusquàm Martyrem verberans. Cùm autem Iudex ipse in suos magis fureret, tunc athleta Vincentius (Eius autem nomen si quis Græcè interpretetur, inueniet idem valere, ac si Nicetem, hoc est Victorem, dicat) in ligno pendens, sceleratum Iudicem sic affatus est: Quid ais, Datiane? En pœnas recipio ab his, qui me cruciant, & tu contra tuos homines vltorem te mihi præbes.

Hæc cùm Martyr diceret, Iudicem ipsum magis, magis'q; cruciabat. Quamobrem cœpit plus furere, & clamare, & dentibus fremere, vltra modum se magis quàm Martyrem crucians. Adhæc carnifices ipsi, cùm in eo lacerando essent defatigati, tanquam exanimati iam torpuerant, eorum'q; manus, tanquam mortuæ, circa Martyris latera obriguerant; cùm'q; expalluissent, sudore multo totum eorum corpus irrigabatur; omnibus deniq; membris dissoluti erant. Itaq; eos videre licebat cruciatibus magis affectos, quàm Martyrem, ac propemodum mortuos; quinetiam Datianum ipsum ore pallido exanimem, trementem, oculis caligantem, & tanquam morte correptum, atq; immobilem factum, rursus incompositum, insanientem, & contra carnifices vociferantē:

Quid'nam vos agitis? An non mihi notæ sunt manus vestræ? Sæpè homicidarum sæuitiam à vobis prostratam cognoui. Frequenter latronum, & parricidarum ferocitatem manibus vestris expugnastis, & veneficorum arcana in intimo eorum corde latentia sæpenumerò extraxistis; quiq; nefariè intemperantiam suam effuderunt, eorum intestina dilaniastis; atq; (vt summatim dicam) quis'nam ita inexpugnabilis fuit, qui cùm in manus vestras inciderit, non facilè interfectus fuerit? Quid igitur est, milites mei, quòd hominem istum scelestum magna cum temeritate Imperatores nostros contemnentem reprimere non possumus? Saltem nos moueat dedecus, & turpitudo, ne quid grauius dicam. Alios negantes crimina, & mortem ipsam irridentes, nondum morte illata, perterrefecimus, & istius debacchantis, atq; Imperatores ipsos, leges, & deorum iura reprobantis linguam procacem continere non possumus?

Ad hæc hilari vultu beatus Vincentius subridens respondit. Hac in re diuinum illud oraculum impletur: Videntes non vident, & audientes non audiunt. Tu'ne, omnium hominum crudelissime Tyranne, cogis me illum Deum negare, quem vniuersarum rerum opificem, ac Saluatorem esse testor? Hunc ego verum Deum esse confiteor. Atqui meritò cruciatibus afficiendus essem, si vanũ aliquid, aut falsum dixissem, si Imperatores deos esse affirmassem. Tu verò diutius me crucies in huiusmodi confessione permanentem; neq; crudelitatem istam exercere contra me desinas; ita enim probatissimam Christianorum veritatem magis cognoscere poteris, si tamen parumper impurus spiritus à te discesserit. Hæc cùm sanctus martyr Vincentius diceret, & Iudex se irrideri putaret, magis magis'q; insaniebat, toto pectore anhelans, & collo intumescens, toto'q; vultu immutatus, & ab oculis radios instar scintillarum emittens; qui turbato aspectu sanguinis colorem præseferente tunc æstuabat, cùm carnifices ipsos non solùm Martyris latera, sed totum corpus, & intestina, compages quoq; corporis, & iuncturas ita dilacerare videret, vt non ampliùs posset carnifices accusare, quòd negligentes forent. Itaq; stupore afficiebatur, quòd illius athletæ animum ita magnum, & excelsum videret.

Cùm verò acerbus, atq; immitis ille Tyrannus à Martyre se victum cognosceret, pestifer homo alia quadam via Vincentium aggressus est, credens fieri posse, vt misericordia, & lenitate, viri iusti mentem, ac voluntatem alliceret. Aiebat igitur: Miserere, Vincenti, iuuentutis tuæ, neq; ætatis florem in primis annis decerpi patiaris, atq; longioris vitæ spatiũ ne tibi præcidas. Parce tibi ipsi. Ne committas, vt cruciatu maiore lacereris. Saltem serò sapias, & resipiscas tandem, ne reliqua tormenta patiaris. Cùm hæc Iudex dixisset, beatissimus martyr Vincentius à Spiritu sancto edoctus dolos præsensit; itaq; his verbis vsus est: Non displicent mihi cruciatus, quos afferre studes, sed illud me perterrefacit, quòd misericordiæ verba te simulantem audio. Exerceantur igitur contra me tormenta omnia, & multiplices cruciatus, quantumuis graues, afferantur, ac si quid prodigiosis, & maleficis viribus tuis confisus, inuenire contra me poteris, ne desistas pestiferam istam immanitatem tuam in me inferre. Experire Christianorum vires; neq; abstineas à verberibus & tormentis, non à ferro, igne, atq; incendio; sic enim in omnibus his te victum fatebere, magis'q; erubesces.

Cùm hæc audiens Datianus valde cruciaretur, & athletæ illius constantiam sibi dedecori esse non pateretur, cohorti hæc iussit: Ducatur iste ad iudicium, & legum examen, & his pœnis, ac supplicijs subijciatur, quibus parricidæ, scelerati, & nefarij homines sunt obnoxij, vt cùm eius animus cruciatus graues diutiùs ferre paratus sit, membra ipsa omnium generum tormentis consumantur. Quandiu enim iste supererit, fieri non potest, vt ego victoriæ cõpos

ftam. Hæc ait Datianus. Athleta verò ille fortissimus aduersarium his verbis alta voce insequebatur: O' me beatum, & verè felicem, atque hilarem factum, quandoquidem istæ tuæ calumniæ, & minæ, meæ sunt perfectissimæ laudes. His verbis Datianus ad insaniam concitatus, statim iussit crucem componi, & in illa Vincentium suffigi, ac membratim cædi. Cùm igitur crux ipsa in terra defixa esset, Martyrem in ligno suspenderunt nefarij homines, & satellites diaboli, Datiani iussa exequentes. Postea verò eundem multa cum celeritate è ligno detraxerunt. Qui cùm à vinculis solutus esset, & in terra vir sanctissimus constitisset, Spiritus sancti ope adiutus, se ipsum à carnificibus abstraxit, & ad crucem illam cucurrit; in quam cùm insiliret, hostem ipsum perterrefecit. Itaque eos, à quibus cruciabatur, & tormenta cumulabantur, increpans; Cur'nam, inquit, tardiores, & in me ipso ad tormenta ducendo facti estis imbecilliores? Agitè quàm celerrimè vestri principis crudelitatem exequamini, vt in omni re quamprimùm se ridiculum faciat.

His verbis nefarium Iudicem ferociorem factum tanquam iaculis quibusdam confodiebat. Quamobrem magis magisque in Martyrem exardescens, grauiora in eum tormenta excogitabat. Statim igitur beatus Vincentius torquebatur, diuersisque flagellis, & ferreis vnguibus assiduè lacerabatur, atque eius latera continuis flammis comburebantur. Deniq; membra ipsa ita distenta, distractaque sunt, vt totus eneruatus esset. Deinde cùm ferreas virgas carnifices in igne diu tenentes ignitas effecissent, mox in eiusdem Martyris pectus eas coniecerunt, quoad candentibus illis virgis combureretur. Corporis enim superficies, ac pellis flamma illa comburebatur, vulneraq; vulneribus addita renouabantur, & lacerationes lacerationibus nouis augebantur. Alij carbones accensos in eius corpus inijcientes diuturnis flammis ipsius membra comburebant; in quo cum nullæ ampliùs superessent carnes, flammæ ipsæ deinceps ad intestinas vsq; partes penetrabant, & cùm superioribus vulneribus additæ essent, nouo cruciatu Martyris corpus affligebant; cuius etsi nulla pars sana relicta esset, nihilominùs tamen mens ipsa cruciatus illos fortiter perferens robustior efficiebatur, idq; non immeritò; diuino enim præsidio, quod humana cogitatione comprehendi non potest, vndiq; communiebatur. Datianus verò insania multa, & furore agitatus pergebat illam tormentorum copiam inferre, nimirum expectans contrariam Martyris confessionem audire.

Interea cohors militaris constantia Martyris perculsa, retulit Datiano carnifices ipsos defatigatos esse, & in tormentis infligendis ad extremum spiritum redactos, athletam verò illum multiplicem tormentorum copiam, ac certamen egregiè superasse. Tunc Datianus spe deceptus, & tenebris mentis oppressus; Heu, inquit, victi sumus; sed quamuis tam multis cruciatibus eius mens victa non sit, cùm fortiter corpus ipsius flammas pertulerit, nihilominùs tamen demus operam, vt eius animus talibus crucietur pœnis, quibus nullum remedium adhiberi possit. Exquirite igitur locum omni ex parte obscurum, ac tenebricosum, vt sempiterna quadam nocte puniatur. Locum verò illum, in quo eius corpus constituendum est, testis fractis sternite ex vtraq; parte acutissimis, & aculeatos angulos habentibus, vt compungatur, & in quancunque partem latera sua conuerterit, dilaceretur. Posthæc vt membrum nullum remissionem habeat, aut recreationem, sed totum eius corpus assidua tormentorum renouatione affligatur, super huiusmodi testas hominem istum prosternentes pertrahite, vt membratim variè laceretur, & animam, ac spiritum emittat is, qui contra nostros Imperatores certamen suscepit. Deniq; concludite ipsum in loco illo tenebricoso, & illic derelinquite, vt ne minimam quidem lucis partem oculis suis aspiciat; neq; quisquam illuc accedat, omnisq; consolationis ratio,

ac spes ab eo remoueatur. Ianuas ipsas vndiq; claudite, & vectibus eas communite; hocq; diligenter curate, vt, quamprimùm animam efflauerit, mihi referatis.

His ita factis, vt nefario impij Datiani edicto præscriptum fuerat, & eo in loco Martyre incluso, aduentante nocte, statim custodes ipsi alto sopore oppressi sunt. Itaq; quod Datianus contra sanctum Martyrem excogitauerat, id ipsum in sanctissimi viri iucunditatem, ac gloriam conuersum fuit. Terribilis enim, & illustris angelorum cohors illuc accessit athletam curans, & à langoribus eripiens, ac recreans, ita vt locus ille obscurus, & nocturnæ tenebræ nouo quodam, & admirando lumine illustratæ sint. Repente igitur custodes experrecti existimabant Martyrem ipsum è carcere aufugisse. Itaq; illis valde perturbatis, ac metuentibus dixit vir sanctissimus: *Nolite*, quæso, milites, turbari, neq; clamare, aut metu aliquo affici; nunquam enim ego aufugerem, neq; repositas mihi coronas amitterem. Sed quàm celerrimè potestis, huc introite, & videte seruum Dei per Angelicum ministerium admirabili quadam consolatione recreatum, vt quo loco vos obscurissimas tenebras reliquistis, illic cœleste lumen aspicientes gaudeatis.

His verbis athleta ille vsus est. Postea verò quàm Datiani satellites ingressi sunt, eos adhortatus; Abite, inquit, & domino vestro renunciate, quali, & quanta luce ego hîc perfruar; itaq; si quid potest acerbius excogitet, & ad meas laudes illud accumulet. Cùm igitur custodes omnia, quæ in carcere viderát, Datiano retulissent, repente ille exanimatus expalluit, & secum pessimè agi animaduertit, quandoquidem Martyris lacerationes & vulnera in eius ipsius ignominiam, ac dedecus conuertebantur. Quamobrem acerbitate quidem magna contra Christi athletam Vincentium commouebatur, sed mitiùs tamen se gerere simulabat. Itaq; dicebat: Quid est quòd amplius pugnemus, cùm maximè ab hoc homine victi simus? Gestetur igitur in lecto aliquo, & stragulis delicatissimis; non enim patiar, vt in cruciatibus moriatur. Tollant ipsum in lecto positum homines aliquot hilares, & exultantes. Sint & alij, qui eius vestigia, & dilaniatum corpus totum exosculentur; quinetiam sanguinem ex vulneribus defluentem colligentes, ad suæ valetudinis recuperationem illum adhibeant. Talium virorum satellitio vtatur probatissimus Christi minister Vincentius, dignus certè qui ab inimicis etiam colatur, non solùm ab amicis, & Christianis obseruetur.

Hæc versutæ mentis homo Datianus faciebat, multùm animo perplexus, quippe qui modò infirmitatem suam confitebatur, modò gloriosi martyris Vincentij tolerantiam, ac fortitudinem laudibus extollebat. Quandiu verò doloso animo talia machinabatur, prouidit Deus, cuius bonitas omni ex parte perfecta est, vt Tyrannus ille omni spe deceptus superaretur. Ipsius enim martyris animam victricem ex caduco, & fragili corporis tabernaculo ad cœlestem regionem traduxit. Quare diabolus valde confusus fuit. Equidem non temere factum arbitror, vt sanctissimus vir eo tempore mortem obiret, quo Datianus ipse curatione illa, vel insidijs potiùs Martyrem aggredi volebat. Dicturus enim fuisset, eius cura, & studio athletam Vincentium seruatum esse. Cùm igitur victorem martyrem obijsse Datianus accepisset, cœpit vltra modum insanire, & ait: Si viuum hominem istum superare non potui, saltem mortuum superabo. Non ampliùs superest in eo spiritus, qui mihi aduersetur, neq; hominis mortui membra mecum ampliùs pugnare poterunt. Proijciatur igitur in campum eius cadauer, neq; arborum folijs, aut alia re contegatur; sed feris, & volucribus in escá propositum sit. Quicquid enim contra mortuũ istum efficere potero, non omittam, vt careat funere, ac sepultura.

Itaque pretiosissimæ 1 Martyris reliquiæ nefario Tyranni edicto proiectæ sunt, illis assidente, easque custodiente carnifice, pessimisque illius Datiani amicis quibusdam. Nemo autem Christianorum religiosi martyris corpus à Tyranno petere audebat, vt scilicet optabilem illum martyrem secum habere posset. Coruus autem quidam, ales, inquam, ille ignauissimus, & maximè segnis è propinquo loco aduolauit, & sanctum illud corpus custodire cœpit; qui nigris pennis, & colore atro, tanquam pulla quadam veste indutus, quodammodo 2 luctum præseferebat, aliasque volucres grandiores volatu magno illuc ir⸗ruentes impigrè persequens, è loco illo facilè abigebat. Quinimmò lupum quendam repentino cursu eò venientē ita repulit, vt ille terga vertens, non corui quidem impetum, sed iacentis illius sancti corporis aspectum extimescere prætulerit, ac stupore perculsus repente subterfugerit. Equidem feram illam Angelica præsentia perterrefactam illinc aufugisse arbitror. Vetere historia nobis traditum est, beatum Eliam Israëlitarum impietatem fugientem, cum desertis locis, & speluncis prauam eorum hominum, qui tunc erant, consuetudinem permutasse, eoque tempore quotidie manè, ac vesperi Prophetam illum à coruo sibi oblatum cibum accepisse. Et nunc igitur diuino iussu, quemadmodum & olim, coruus excitatus, Vincentio martyri congruentem operam, curam'que adhibebat.

1 Nota, Pretiosissimæ Martyris reliquiæ.

2 Mira res: Irrationalis auis Sancti Martyris reliquias veneratur, & defendit; noui autem hæretici illas dehonestant, & aspernātur.

Quo miraculo perculsus Datianus clamare cœpit: Heu quid'nam hoc est? Ne mortuum quidem hominem istum superare possumus? Quinimmò quò maiore acerbitate in eum vtimur, eò efficitur gloriosior? Quoniam igitur fieri non potuit, vt in terris consumeretur, in altum mare demergatur, vt huius victoriæ magnificentiam mare ipsum obruat, ne quotidie omnibus ridiculus fiam. Deijciatur autem, quemadmodum parricidæ solent, in vtre ex bouis pelle confecto inclusum, saxis'que magnis illigatum eius cadauer in altum mare demergatur; cum'que nautæ ipsi multum maris spatium tranarint, in vndas profundissimas istius hominis cadauer deijciant, vt si quod Vincentij membrum reliquum est, illud pisces consumant, & deuorent. Itaque pretiosæ Martyris reliquiæ, sicut Datianus iusserat, conclusæ sunt.

Cùm verò athletæ, & martyris corp⁹ ita cōclusum fuisset, mox venit cū nautis homo quidam, Eumorphius nomine, pessimis moribus, & animo sacrilego, qui promiserat Tyranno illi nautas se adhibiturum, qui ad execrabile scelus committendum idonei, eius voluntati facilè obtemperaturi essent. Itaque nautæ illi pretiosissimas Vincentij martyris reliquias in scaphā coniecerunt, & eò vsque in altum mare nauigarunt, vt littora, & montes oculorum aciem fugerent; cùm'que id facere vellent, quod iussi fuerant, sanctas reliquias in mare proiecerunt, & hilari vultu ad Datianum reuertebantur, quasi læti illius nuncij præmium relaturi essent, impijs, & incompositis vocibus, atque irrisionibus vtentes, exultantes'que eò quòd Vincentij corpus perditū fuisset. Sed priusquàm in aridam terram reuersi essent, qui Martyris corpus in mare proiecerant, illud ipsum, quod proiectum fuerat, Christi manu ad terram appulsum fuit, quod'que arbitrabantur in altum, & immensum pelagus demersum fuisse, illud cùm ante oculos suos expositum vidissent, quasi debitum sepulchri honorem postularet, stupore, & metu correpti, illis ipsis reliquijs derelictis, abierunt.

Iam verò sanctus martyr Vincentius viro cuidam in somnis reliquias suas ex alto mari in terram expositas esse significauit; quinetiam locum, in quo reliquiæ ipsæ positæ erant, eidem patefecit. Quoniam verò Præsidem timens vir ille ad Martyris reliquias inquirendas segnem, & parum alacrem se præbuit, ille ipse Martyr in somnis apparuit fœminæ cuidam viduæ, quæ vt ætate prouecta, ita & morum sanctitate prædita erat. Illam cùm similiter admonuisset,

eidem signa quædam eius loci patefecit, in 3 quo sanctum illud corpus iaceret, quod videlicet lateret sub arena; quam lenis, & tranquilla vnda in reliquias illas sanctas sic infuderat, quasi arena ipsa Martyris sepulturæ deseruiret.

Sepultus igitur fuit generosus Christi athleta primum in littore sub arena. Mox anus illa, fœmina valde religiosa, & vidua, quam supradiximus, perlustrabat littora, inquirens signa illa, quæ in somnis ei patefacta fuerant; cùmque inuenisset, quod quærebat, & Martyris reliquias in ædem illis dignam tulisset, eas 4 sanctè, ac religiosè condidit. Itaq; sumptuosis exequijs adhibitis, sacræ illæ reliquiæ Deo ipsi dicatæ sunt in illius templi ara, quod sancti martyris Vincentij nomine appellatum fuit. Hæc est sanctissima martyris confessio, hæc illius certamina, qui martyrium suum compleuit in gloriam Christi Dei nostri, nunc, & in secula. Amen.

3 Tanta cura circa Martyris corpus sepeliendum diuina prouidentia exhibita, sepulturam non negligendã, sed curandã esse, fideles admonet.

4 Nota beati martyris reliquias sanctè, & religiosè conditas. Nota etiam sumptuosas exequias illis adhibitas. Nota demũ templũ sancti Vincentij nomine appellatum.

SANCTI

SANCTI PA-TRIS NOSTRI, ET CONFESSORIS THEODORI STV-DITAE ORATIO FVNEBRIS IN SANCTVM PLATONEM PATREM SPIRI-TVALEM.

ORATORVM quidem, & Sophistarum omne studium est, non vt ad scribendum se conferentes, quod verum est assequantur, sed vt dictioni splendorem adhibeant, & poëtarum versus concidentes, verbis illinc sumptis narrationem suam ornent, ac sublimem reddant, & eorum aures, à quibus audiuntur, orationis suauitate oblectent. Verborum enim concinnitate auditores demulcent, & probabilitate decipiunt, parum curantes, vt vera dicant, quippe qui opiniones captant, & studio placendi hominibus omnino seruiunt. Quos verò amor veritatis tenet, illi vnum hoc curant, vt, quæ sunt, ea dicant, & veritatem ipsam honorent, quamuis oratio concinnitatem, & elegantiam non sit habitura. Cùm enim veritatis pulchritudinem expetant, comptis dictionibus, quæ stragulis quibusdam pictis similes sunt, multam salutem dicunt; id enim veræ sapientiæ proprium est.

Ita certè & ego, qui mente sum exigua, oratione, & spiritu valde tenui patrem meum laudabo, non vt illi hac laudatione gratum faciam. Quæ enim gratia illi hæc esset, qui nulla re ex his, quæ hîc sunt, delectatur, cùm cœlestem conditionem sortitus sit, cuius qui compos fuerit, præsentia hæc irridet, cùm nihil in eis stabile sit, neq; beatum, sed tanquam vmbræ prætereant, & vt verni flores corrumpantur? Ad hæc si, cùm in terris esset, indignum se arbitrabatur, qui vel in monachorum numero censeretur (quæ res summam eius modestiam atq; humilitatem, sanctæq; illius animæ præstantiam indicabat) quomodo nũc cùm hinc ad ea migrauerit, quæ incorrupta sunt, quo loco falsæ gloriæ nulla est appetitio, hanc nostram laudationem ille appeteret? Sed hoc mihi faciendum proposui, quòd iustissimè, vt quiuis alius, hoc illi debeo, tum pro alijs ipsius in me officijs, tum maximè pro oratione ipsa, quæ qualiscunq; sit, illius labore, ac diligentia in me exorta est, vt tanquam mercedem quandam orationis parenti hanc referam.

MM iij

Quamuis autem intelligam paternam laudem ad filij gloriam redundare (vt est à sapiente illo dictum: Gloria hominis ex honore patris ipsius) non obid tamen, vt aliquis opinari posset, illum laudabo, cùm sciam, vnumquenque, si è domo, & ex se ipso gloriam habeat, gloriosiorem quidem esse à Patre etiam ipso splendorem accipientem; sin minus, paternos honores nihil prodesse illi, qui est inglorius, & honoris expers, qualis ego haberi possim: Sed quòd fas non sit eius vitam cum virtute actam, velut lucernam quandam semper lucentem, silentio, & tanquam sub modio aliquo occultari; immò in rationali candelabro effulgentem, non vni, aut alteri, sed omnibus (hoc enim audeo dicere) qui sunt in Dei ecclesia, proponi debeat. Quoniam igitur ostensum est orationem ipsam conducibilem esse, ac nobis necessariam, quæ non veritatem solùm, sed vtilitatem etiam magnam in se contineat, agè illinc, vnde conuenientissimum est, laudationem aggrediamur.

Beati Platonis parentes fuerunt Sergius, & Euphemia, quorum nobilitas insignis, & mores non ignobiles extiterunt; ita enim se gesserunt, & diligenti domus suæ gubernatione rem familiarem præter cæteros ita auxerunt, vt etiam consanguineis æmulationem sui concitarint. Quibus ad alias laudes ea quoque accessit, quòd bonorum filiorum parentes esse datum illis fuerit. Post duas enim filias, velut germen quoddam rectissimum & illum genuerunt, quem nunc laudamus; quamuis neque filiæ ipsæ sine gloria vixerint; illarum enim res gestæ multæ, & præclaræ narrari possunt; è quibus vna in communi vita, qua vsa est, ita se gessit, vt excelluerit; altera, ex qua & nos geniti sumus, monastico ordine illustrem se præstitit.

Quoniã verò illis temporibus cœlestis ira inflicta est (Res enim me admonet, vt & de hac dicam, quippe quæ publicam intulerit calamitatem, non in paucis aliquibus regionibus, ac ciuitatibus versans, sed velut Aegyptiacum quoddam flagellum ex alia in aliam ciuitatem transiens) ac vel maximè in Regia Vrbe Byzantio malum illud fuit, hi viri, quos diximus, semper memorabiles è vita excesserunt. Non alienum autem fortasse fuerit vtilitatis caussa mortis etiam ipsius genus conscribere. Narratio enim hæc talis est, quæ illorum animos terrere possit, qui prudenter eam intellexerint. Repente in singulorum vestibus salutaris Crucis signum cœruleo colore velut à manu aliqua pulcherrimè pingente, vel Dei potiùs digito, & superna manu expressum cernebatur. Quicunque verò talis deprehensus fuerat, diuulgabatur, ac statim mors illi afferebatur. Eodemque die aliquis mortuum efferebat, & ipse mortuus efferebatur. Duo simul in feretro, quatuor in iumento portabantur, onera corporum miserabilium semper recens cumulata. Lamentationes vbique, & voces miserabiles vndique resonantes. Qui mortuorum cadauera efferebant, tam multis oneribus sufficere nõ poterant, itaque deerant, qui tot mortuos sepelirent. Claudebantur domus; vrbis regiones inanes fiebant; sepulchra ipsa implebantur, cùm intra duos menses Vrs celeberrima, & multis millibus hominum habitata, iam deserta, & talis ferè sit facta, vt si à nullis habitaretur. Hæc illius impij Constantini temporibus acciderunt, à quo imago Christi contumeliosè spreta, & à nefariò illo homine, ac populi corruptore simulachrum erroris nominata; immò verò Christus ipse noster Deus ab eo despectus fuit. Siquidem honor 1 imaginis ad eum refertur, cuius est ipsa imago; vt diuinus Basilius quodam loco ait. Hæc Dei virga, vt aliquis diceret, pœna fuit iustissima, qua peccantes homines instruerentur, nosque à summa nostra malitia reuocati emendaremur; ira, inquam illa, quæ ad salutis viam his viris dux est, qui eius correctionem prudenter, & æquo animo accipiunt. Sed ad Platonem ipsum nostra redeat oratio.

1 Vide rationem cultus Imaginum.

Cùm esset ille orbus parentibus, & cum sororibus in ætate valde puerili relictus, ab vno quodam consanguineo suo acceptus est, & ad ætatem vsq; pubescentem educatus. Ac statim quidem, vigente illius iuuentute, tanquam rectum quoddam germen optima rerum intelligendarum perspicentia effloruit; quam difficilè præstare possunt, qui sunt in orbitate educati, cùm neminem habeant, qui tantum diligentiæ illis educandis, quantum parentes, adhibeat. Suo igitur studio, & honesta æmulatione notitiam eius artis, quæ notariorum dicitur, ita fuit assecutus, vt nondũ aliquis eorum, quibus de paterna diligentia prouisum fuit, illam assequi potuit. Cùm enim ponderibus præfectus esset apud auunculum, qui regias pecunias custodiebat, & in ea re tam probatus extitisset, vt auunculus nomen tantùm muneris illius haberet, ipse verò munus illud re ipsa exerceret, ob idq; in conseruandis pecunijs regijs valde insignis esset, tam optimatibus, quàm Cæsari erat vir ille notus, atq; optabilis.

Cùm igitur talis esset, atq; arbitrij libertate vteretur, non incontinentibus iuuentutis affectibus mentem tradidit, vt aliquis licentiosior, & fractæ mentis homo faceret, sed velut optimus quidam equorum domitor ipse sibi existens, ab insipientium virorum consuetudine se abstinebat; cum illis autem, qui eruditi erant, vnà versabatur, cum honoratioribus, non abiectioribus viris se coniungens, hisq; adhærens, qui ætate præstabant, non qui natu minores erant. Qua diligentia, & virtutis exercitatione, animi nobilitatem ab externis honoribus ad honestam virtutis viam dirigebat. Non enim conuiuarum, & sodalium communibus compotationibus se ipsum tradens, vt aliquis eorum, qui adolescentes sunt, in epulis versari consueuit, neq; iis talorum ludo, & ebrietatibus pecuniam consumebat, vt luxuriosi homines faciunt; sed laboriosis vacationibus ponderandæ pecuniæ dans operam, ex ea re diuitias sibi cumulauit, easq; sic auxit, vt, præter paternam hæreditatem satis amplam, sibi aliàs etiam facultates comparauerit; quæ nunquam accedere potuissent, nisi vir ille continentia, & frugalitate in omni re vsus fuisset. Quare honesti appetens iuuenis ille temperantiæ ornamentum assequebatur, & prudentia insignis erat, in quo morum comitas inerat. Iuueniles appetitus à se longiùs remouebat, quibus capti qui fuerint, tantùm abest, vt bona, quæ non habent, adipiscantur, vt etiam illa, quæ habent, exinanire soliti sint.

Sed quidnam deinde consecutum est? Prudentia tam insignis vir ille, & in his bonis, quæ ad vitæ commoditates pertinent, talis euasit (quæ res ab eis appetitur, qui terrenis rebus delectantur, & ab his studiosè quæritur, qui filias viris collocant) vt alius aliunde vel ex eorum numero, qui nobiles, & locupletes erant, ad vitæ communionem illum ad se inuitaret. Sed diuinarum rerum appetitio, quam meliori consilio vsus in animo accensam habebat, non permisit, vt in multo vitæ huius cœno infigeretur. Etenim pro ludo diuinas lectiones, quibus attentus erat, pro theatris, & spectaculis Ecclesias frequentabat, pro inhonestis diuersorijs honesta collegia, quodq; laudabilius est, occultas mentis cogitationes, & acta cuidam eorum, qui præerant, sæpiùs a confitebatur. Quæ res magnum religionis illius erat indicium; idq; cùm perfectè facere solitus esset, ei, qui confessionem ipsius audiebat, admirationem, ac stuporem afferebat.

a Vide hîc Cõfessionis sacramentalis vsum, qui in tota Ecclesia obseruatur. Vnde nõ est nouitium inuentum.

Itaq; factũ est, vt cùm ille mentis oculos ad sempiternarũ rerum contemplationem erexisset, & earum desiderio allectus, atq; alacrior factus, eorum, quæ in terris sunt, cupiditatem extinxisset, fecit vir ille admirabilis, quod diuinus Antonius ante fecerat. Cùm enim omnia, & paternam etiam domum vendidisset, pauperibusq; pecuniam distribuisset, ac seruos ipsos libertate donasset, & duabus sororibus pauca quædam reliquisset, exijt è loco, in quo erat, eo

proposito, quo Abraham olim exierat, non vt in villis, quæ prope erant, diuinam exercitationem obiret, sed longiùs aufugiens ad Olympi partes, ad eum peruenit locum, ac virum, qui diuinitus monstratus ei fuerat, ad quendam, inquam, Archimandritam ex eorum numero, qui erant in regione illa. Locus, quem dicimus, Symbolus appellabatur; vir autem Theoctistus, cuius mores boni, genus perspicuum, & finis sanctus fuit.

Sed qualem eius secessum fuisse putamus? Ille quidem, & mihi maximè memorabilis est, & auditoribus compunctionis occasionem afferre potest. Cùm enim è patria migrasset, famulo quodam sibi gratissimo vsus comite, & ad eum locum venisset, qui Regum nomine appellatur, in densam quandam syluæ partem ingressus, eius manu, qui eum sequebatur, comam sibi totondit, & pulla veste, tanquam purpurea quadam, se induit. Quod verò secutum est, quale spectaculum fuisse putamus, cùm comes ille iussus fuisset ab eo discedere, domumque vnà cum vestibus, quibus se ipsum exuerat, redire, ob idque luctibus, quia domino priuatus erat, repleretur, ipse verò solus cum Deo tantùm relictus esset, cuius causa, & propter quem id ille agebat? Talis est amor diuinus, qui sui amatorem ab omnibus alijs rebus seiungit, eiusque animum sui desiderio inflammatum ad se vnum contrahit.

Postea verò quàm ad magistrum veniens ab eo interrogatus est, quis'nam esset, & vnde veniret, & qua de causa peregrinationem illā suscepisset, singulis interrogationibus apta quædā, & iusta responsa reddebat. Ille autē cùm patriam, genus, & educationem audiuisset; Nondū, inquit, in hac loci regione, quæ non mediocrē vitæ duritiem in se habet, monachi laborem sustinere poteris. Cui respondit Christi pugil: Omnia tibi, pater, trado, mentem, voluntatem, & corpus; vtere famulo tuo, vt vis, in omnibus tibi obtēperante. O' admirabilem propositi, & eius volūtatis demonstrationē, sed longè admirabiliorē monasticæ professionis materiam; quarū vna in eo apparuit, quòd in ipso ætatis flore, cùm res prosperæ illi, & ex animo succedebant, ac meliores spes subijciebantur, diuitijs propositis, gloria effulgente, corporis habitudine vigente, atque ad hæc omnia accedente propriæ voluntatis potestate, omnibus tamen his potiorem habuit Dei amorem; altera apparuit in eo quòd optimè de his rebus deliberauit, neque vt multi ex his, qui nunc in superficie, vel (vt veriùs dicam) aliter quàm professio requirit, profiteri soliti sunt, sed vt vera professionis ratio postulabat, ipse professus est.

Isti enim nescio quomodo obliti, quod Dominus dicit: Qui non renunciauerit omnibus his, quæ possidet, non potest meus esse discipulus: itē alio loco: Vende omnia, quæ possides, & habebis thesaurum in coelis, & veni, & sequere me: horum, inquam, omnium obliti erigunt sibi ipsis tēpla, & monasteria. Deinde professioni, quam susceperunt, multam salutem dicentes, proprijs bonis potiuntur, ac dominātur, seruos, & diuersas materias ad se attrahentes, heri, & nudiustertius professionis expertes, & hodie tanquam in ea veteres aliorum duces; heri tales, qui nescirent prudenter alijs ducendos se præbere, & hodie aliorum duces esse imperitè sibi proponentes; quibus non virtus, sed eorum, quæ habent, possessio principatum dedit; quique cùm multos annos debuissent discere, quomodo primùm rectè imperio parere, deinde sic ad imperandum alijs ascendere deberent, antequam illud, quod prius est, experti fuerint, quod posterius est, periculosè sibi assumunt, tales eos, quos sub manu habent, efficientes, quales nimirum & ipsi sunt.

Non autē sic ille fecit, sed posteaquàm verè terrenis rebus renunciauit, tunc & obedientiā non adulterinam, sed germanā, & legitimam præstitit. Illud enim antecedit, hoc sequitur, vt fulgur tonitruo, & vt sole oriēte lucifer priùs apparet,

Nam qui optimè facultatibus, quas possidet, renunciauerit, optimè videlicet & obedientiam præstabit; at qui non rectè in alterutro se gesserit, in altero videlicet is claudicet necesse est. Multa quidem sunt virtutis exercendæ studia, extenuatio corporis, quæ continentiæ propria est, sobrietas in vigilando, macies, quæ à lachrymis proficiscitur, in precibus alacrem esse, humi cubando se affligere, tenui veste indui, proprijs manibus operari, crebrò genua flectere, mortem meditari, psalmos constanter canere, stationis tolerantiam ferre; sed nihil tale viro illi, qui obedientiam profitetur, quale est confessionis studium, & obedientiæ munus perfectum præstare, quibus rebus anima illuminatur, & propriæ voluntatis affectus extinguitur, perfectaq́; eius, qui per spiritum nascitur, in eum, à quo gignitur, adoptio efficitur. Nam qui non hæc alijs rebus prætulerit, is ad obedientiam præstandam imbecillis existet, & quibus rebus videtur salutem suam procurare, his deceptus perniciem, & exitium patietur. Continentia enim, vigiliæ, & vnaquæq; earum rerum, quas supradiximus, ipsa quidem per se laudabilia esse concedet aliquis; sed nihil tamen expedire, immò verò, & ruinæ causam illi esse affirmamus, qui suo arbitrio in his faciendis vtitur, nisi eius, qui præest, ductu, & regula dirigatur. Quamobrem qui confessionem cum obedientia coniunctam exercuerit, alijs, quæ supra diximus, secundas partes tribuet, duobus his, quæ paulò ante dicta sunt, omnia concludens.

Ecce quæ, & qualia sint bonorum virorum exercitia.

Hæc cùm beatus ille ita præstitisset, vt nescio si quis alius vnquam præstitit, bonum fundamentum sibi iecit, atq; in eo firmũ ædificium construxit, omnem cogitationem suam subijciens, & in omnibus obedientem se præbens, ob idq́; (vt illud dicam, quod in literis diuinis scriptum est) dilectus erat in cõspectu patris sui. Tanta enim fuit in viro illo tolerantia, vt adamanti ferè similis videretur. Idem in ministerijs obeundis erat admodùm dexter, & inter multos certaminum, & laborum socios valde insignis, atq; illustris, à quibus non longè aberat, quòd ad cœnobij vitam pertineret, seorsum verò cum vno quodam iisdem moribus prædito quietè versabatur, cum Theoctisto, inquam, illo semper memorabili, modò exercitationi domi vacans, modò communiter versans, cum in psalmis canendis, tum in cibo sumendo, & opere perficiendo, atque (vt ita dicam) promiscuè, communiterq́;, & in omnibus modestissimè se gerens. Non enim, quia genere insignis erat, quòd ad corpoream nobilitatem pertinet, propterea vnà cum agrestioribus vitam ducere, neq;, quoniam famulorum antea ministerio vtebatur, propterea ignobiliora officia tractare alienum à se putabat, aut ægreferebat. Quamobrem & fimum humeris portabat, prædiumq́; stercorare, atq; irrigare iussus, id facere non grauabatur. Idem farinam patienter subigebat; eaq́; omnia faciens multum studij, ac diligentiæ libris scribendis adhibebat.

Vultis dicã & alia illius obedientiæ egregia facinora? Increpabatur quidẽ à patre ipso præsentibus hospitibus, ille, inquam, qui ea, quæ supradiximus, optimè faciebat; sed increpationem ipsam velut laudem quandam accipiens laudatissimus ille vir nihil mouebatur. Ad hæc cùm fratribus audientibus legeret, idq́; rectè faceret, increpatus, tanquam perperam legisset, vir prudentissimus verecundè, ac timidè se gerebat; cùmq́; à seruili genere se ortum esse audiret, vrbano quodam more annuens patri assentiebatur, generosus ille tam animo, quàm corpore; qui cùm in manuum suarum opere faciendo esset tolerantissimus, & multum lucrifaceret, erat tamen ita modestus, & humilis, vt si nulla in re vtilis fuisset, vir & disciplinæ acquirendæ cupidissimus, & diuinæ pietatis amator ardentissimus.

Cùm igitur aliquãdo ad patris pedes flexis genibus se deiecisset, ab illo ipso

corrigebatur, quasi ad idem erratum relapsus fuisset; ille tamen non repugnabat, sed pergebat veniam petere. Itaq; defessus erat, qui consultò eum virum increpebat, & conuicia in eum conijciebat; quibus saturabatur qui per voluntariam illam ignominiam gloriam sibi comparabat sempiternam. Dicam aliquid ex his, quæ professionis propria esse non videntur, consentanea tamen ei rei sunt, si rectè fiant. Idem ille tanto humilitatis desiderio tenebatur, vt precibus ab alijs peteret, vt pugnis, & alapis cæderetur. Cùmq; id impetrasset, & à quodam viro, cui pater id præceperat, verberaretur, muneris loco accipiens verbera, lætabatur. Quæ res erat valde admirabilis, cùm alter inuitus id faceret, quod indecorum videbatur, alter læto animo id pateretur propter vtilitatem, quam ex ea re percipiebat. Erat etiam id videntibus, & audientibus admodum vtile, vnum aliquem inueniri, qui voluntariè illa patiēs, Christum imitaretur. Num igitur talis, ac tantus vir poterat non diligi, & amari? Quæso, quomodo rationi consentaneum fuisset, eum, qui totum obedientiæ legibus, tanquam filium, se tradiderat, non patri optabilem esse, & ex animo ab eo diligi? Propterea, vt dictum est, valde amabatur.

Itaq; propter virtutis splendorē eius fama peruagata vbiq; celebratur, quippe qui patri suo talem se præbebat, vt esset instar omnium rerum, nam vt oculus dexter omnia videns, vt manus rectè operans, vt pes benè incedens, in omnibus deniq; omnis erat illi consiliarius, & socius admodum egregius, & in colloquendo lautus, eorum, quæ intus erant custos fidelissimus; quæ autem foris erant, ea diligentissimè obseruabat, partim discipuli, partim fratris faciens officium. Illud quoq; addiderim, eum virum etiam patris munere functum fuisse. Deniq; tantus in vtraq; re ille fuit, vt si quando aliqua de causa necesse fuisset laudatissimum illum Platonem aliquò proficisci, vir semper memorabilis Theoctistus ob eam rem tristis esset, neq; recreationem haberet, vt Apostoli sententia vtar, propter eius hominis absentiam, qui tam optabilis illi erat. Quis enim illo ad res futuras prospiciendas, & coniectura colligendas prudentior? Quis ad tristitiam leniendam, curandamq; accommodatior? Quis ad res necessarias comparandas expeditior? Quis ad honorem multifariam impartiendum peritior? Talem denique ad perfectam, veram'que in patrem beneuolentiam ostendendam se præstabat, vt cùm paterna quidem omnia officia in potestate haberet; animum ipsum à terrenarum rerum amore sic alienum seruaret, vt ne oboli quidem vnius esset dominus. His autem ipsis quis'nam finis, quod'ue præmium fuit? Paterna scilicet benedictio in spiritualem Iacob profecta, ex quo Patriarchæ sacrarum rerum, & gregis duces extiterunt, ex quibus multi Deo grati filij & nunc sunt, & plures erunt (certè scio) ex semine illo tanta benedictione prædito. Talis fuit vir ille, qui sanctitatem verè amauit; talem'q; finem habuit egregia illius obedientia, quam, velut adumbratione quadam ad perfecti coloris characterem, & formam direxit.

Postea verò quàm ad cœlestem Dominum Theoctistus eius dux transmissus est, ad illius locum, ac mores se transtulit, & quietem ipsam legitimè amplexus fuit, non quemadmodum multi ex his, qui nunc sunt, periculosè illam aggredientibus, quippe qui priusquam carnem spiritui subiecerint, audent cum nequitiæ spiritibus singulari certamine congredi, sed cùm tempus vincendi est, palæstram meditantur. Nam qui non priùs obedientiam didicit, quomodo ille hostiles affectus subijciet? Qui'que obediendi regulam integram non seruauerit, quomodo ille ad quietis montem ascendet? An non manifestum est eum, qui extra tempus eam rem attigerit, lapidibus feriendum, aut telo in se iacto percussum animæ interitu periturum, vt aiunt quodam loco diuinæ literæ? Sed non ita fecit is, de quo nunc sermo habetur. Cùm enim

obedientiā Deo placentem verbis, ac moribus præstitisset, iure, atque aptè ad quietem se contulit; & prope Deum accedens, mentem purgauit, eiusq; contemplationibus delectabatur, mente ipsa in rebus sublimibus versans, quando quidem nihil suauius est, quàm Deum contemplari, qui cùm sit suauitas ipsa, omni ex parte appetendus est his, qui eius gustum, & singularem charitatem aliquo modo senserunt, cuius satietas nulla est, ita vt qui hæc ipsa gustauerunt, vel ipsius cibi appetitum ferè obliuiscantur. Hæc igitur in se ipsum attraxit, de virtute in virtutem transiens, & ascensiones in corde suo disponens.

Quoniam verò non satis illi erat res suas considerare, cùm charitas ipsa & aliorum vtilitatem requirat, patris loco, vel potiùs tanquam lumen quoddam, fratrum, quos supradiximus, societati præfectus est, quæ virum hunc beati Theoctisti successorem, ac ducem habuit; quam societatem vterq; & spiritu, & corpore ad eam conditionem, & statum prouexerunt, vt mansio illa sanctissima & esset, & nominaretur. Duorum autem discipulorum dux separatim fuit, à quibus ministerium ei præstabatur, quosq; contubernales quidem, sed non sodales habebat. Eorũ verò vnus adhuc superest, Antonius nomine, qui nobiscum vnà vsq; ad senectutem obedientiæ subiectus vixit. Ipse nobis suggerat, quæ hoc loco in his, quæ non dicemus, desiderabuntur. Panis 4 erat nostro illi patri esca, vt aiunt, & fabæ cum oleribus, & summis herbis. Talis, inquam, erat illi quotidianus cibus olei expers, ac nona diei hora sumptus, nisi Dominico, & festo aliquo die; his enim diebus solitus erat vnà cum fratrum societate cõmuni mensa vti. Potus erat is, quẽ fontes emittũt, & quo mens ipsa colligitur, nõ vinolẽtiæ copia dispergitur. Neq; hic ipse quotidianus semper erat, sed interdũ vltra diẽ vnũ, interdũ in tota hebdomada bis, vel decimo quoq; die sumptus, potus sumendi tarditate, vel vt ita dicam, bibẽdi ieiunitate cum temperanti appetitu coniuncta, vel ex naturali temperatione ad habitum redacta, atque constituta. Vestis erat 5 tenuis, ac vilis, calefaciendi corporis causa tantùm adhibita, non tenuibus filis contexta, neq; coloribus varijs, ac florentibus elaborata, quam, qui nimia elegantia se ornant, non monasticæ vitæ cultores sectari student. Orationem, & lectionem laboriosiùs exercebat, quas certis horis obire consueuerat; & pro delicijs, ac suauibus condimentis, eo cibo delectabatur. Flectendorum 6 genuum crebritas à patribus tradita, & callum, quod eius manus contraxerant, ac terra, in qua genua sua ponebat, hucusq; virtutem illius manifestè prædicant. Stratum, non mollis, aut diffluens lectus, sed qui corpus affligere, & ad spiritalia ministeria firmum seruare posset. Ad hæc manibus proprijs aliquid 7 operari studebat; hoc enim ex illius rectè factis, præter cæteros, ne dicam omnes homines, insigne admodùm habebatur; vel, vt magis propriè loquar, cum sacro Apostolo illum id commune habuisse dixerim: Necessitatibus meis, & his, qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ: quoniam non gratis panem comedit.

4 Vide parcitatem victus, & potus sancti viri.

5 Vide etiam tenuitatem, atq; vilitatẽ vestitus.

6 Nota quòd flectẽdorum genuum crebritas à patribus est tradita.

7 Ecce opus manuum in monachis.

Quis enim concinniùs, aut rectiùs, quàm eius dextera, literarum figuras scribebat? Aut quis laboriosiùs, quàm ille alacriùs, ac studiosiùs id, quod dixi, vel quoduis aliud opus accidisset, tractabat? Quomodo posset aliquis eos enumerare, qui eius labores, hoc est libros, ex diuersis sanctorum Patrum scriptis, tanquam flores quosdam collectos seruant? Quos qui possident, tantum vtilitatis percipiunt, quantum eis satis esse possit. Nostris autem monasterijs vndenam tanta librorum abundantia suppeditata est? An non ex illius sanctis manibus, & laboribus? quos adeuntes, & animo illustramur, & eius manum admiramur, cùm eam talem fuisse perspicimus. Sed orationis nostræ progressus quædam tacita præterijt. Redeat igitur ad ea, quæ prætermissa sunt, enarrãda.

Erat temporibus illis summa quædam impietatis tempestas. Constantinus

Ille impijs cogitationibus feruens, malitiæ domicilium, multorum cap itum du... eo, eius hæresis propugnator, quæ sanctis imaginibus bellum indixit, monastici ordinis acerbissimus persecutor tunc regnabat; à quo quis'nam nostrorum Naziræorum non fuit exterminatus? aut quis latens non in medium prolatus est? Quis'ue eorum, qui ei resistebant, non ad impietatis barathrum detractus? ita vt sicubi aliquis eorum, qui insignes erant, relictus fuisset, tanquam scintilla quædam in occulto, & obscuro loco iacens, ita latuerit, vt pro mortuo haberetur apud eos, qui adhuc supererant. Talis fuit noster Elias à Domino ipso seruatus ijs in locis, in quibus exercitationi monasticæ operam nauabat, non eius manibus captus, qui nouus Achab dici poterat, neque eius impietatis particeps factus, vt post caliginis tanquam nocturnæ cuiusdã pugnæ tempora, velut lucifer quidã denuo nobis exoriretur; id quod factũ vidimus. Dehinc enim necessarijs quibusdam de rebus Byzantium ingressus est. Quo tempore videre licuit monachos ipsos, qui superfuerant, tanquam lumina quædam, ab ijs, qui in vrbe Byzantio erant, conspectos fuisse.

Tunc & beatus ille, qui mortuus antea putabatur, rediuiuus agnitus est; neque enim à cognatis superesse credebatur; ex eo'que non solùm consanguineis hominibus, sed toti Byzantio celeberrimus factus est, alijs aliunde illum attrahentibus, ac iucundissimè amplexantibus, & benignè eius dexteram apprehendentibus, denique nobili ipsius doctrina libentissimè fruentibus. Erat enim vir ille oratione quidem suaui, ac moribus longè suauioribus, forma'que tali, qualem vitæ monasticæ exercitatio commendat. Habebat & multiplicem docendi viam omnibus omnia factus, vt, quod est ab Apostolo dictum, de illo etiam ipse dicam. Erat idem & coniugatorum hominum moderator, & earum, quæ virginitatem exercebant, propugnator. Quorum manibus imperia tenebantur, eos adhortationibus suis reprimebat. Infirmorum animos, tanquam bonus medicus, sustentabat. Patribus filios concordes reddebat; patres'que filijs reconciliabat. Precabatur seruos, vt dominis suis essent beneuoli; dominos verò, vt seruis se beneficos præberent. Alia denique omnia faciebat, quæ qui facit, ac dicit, diuinus esse cognoscitur.

Vnum illud ad iam ad ea comprobanda, quæ dicta sunt, vt orationi fides habeatur. Quandiu cum ijs, qui in Vrbe Byzantio erant, versatus fuit, domos totas in aliam vitæ formam mutauit, & ad virtutis statum conuertit. Quid'nam hoc est, quod dico? Suæ, inquam, linguæ admonitionibus iurandi consuetudinem ab eius loci hominibus abstulit. Nimios ornandi corporis cultus modesta sua doctrina repressit. Sæpius de morum probitate disserens, vt charitatem in pauperes exercerent, hominibus persuasit. Qua re factum est, vt pecuniæ abundè conferrentur, & in ea loca, in quibus pietas exercebatur, publicè distribuerentur. Eosdem ad lectionem compositè exercendam instituit, & ad quoduis aliud bonum opus reduxit. Quæ omnia noctes, & dies, magno studio labore, tolerantia, ac vigilijs perficiebat; pedibus'que iter faciens, amicorum, & consanguineorum illecebris labores, quos ipse patiebatur, libenter præferebat, re, ac factis illud Apostoli dictum obseruans: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.

Itaque in Vrbe illa regia, tanquam vexillum quoddam, erexit orationem spectatæ vitæ testimonio comprobatam. Adde quòd tenui, ac modesto habitu indutus, aspectu ipso eos, qui eum videbant, ad virtutem hortabatur. Quòd si cum politico aliquo viro negocium illi fuisset, orationem suauem adhibebat, ad eorum mores, qui eum audiebant, se componens. Neque quisquam hac in re ipsius institutũ accuset, sed vtilitatem inde proficiscentem consideret. Et quænam, inquiunt, hæc est? Peccantium hominum poenitentia, & vitæ renun

ciantium

ciantium multitudo. Primus enim, & solus ferè (vt ita dicam) is apparuit, qui nostri generis homines, & alienigenas ad virtutis exercitationē suscipiendā alacres reddidit; primus, inquam, nobis, vt sanctè viueremus, hortator diligens extitit. Quamobrē & monasterio cuidam, quod in Vrbe erat, præesse cogebatur quidē, sed noluit tamen. Quinetiā Nicomediensium Ecclesiæ præsidere eū hortabatur, qui tunc præsidebat; sed assentiri noluit, clerum fugiens is, qui clero erat dignus, & sacerdotij fastigium metuens, qui virtute sublimis, & præstans erat.

Itaq; ad iucundam sibi quietē reuersus est, vbi quædā memoratu digna constituit, pauperū se patronū præbens, & eorū, quibus iniuria fieret, propugnatorē. Ad hæc consolabatur eos, qui ærumnis premebantur, & quibusuis angustijs afflictos subleuabat, partim lingua, partim scriptis, vbi non habebat, quo alio remedio posset se adeuntes iuuare (literæ enim ipsæ muneris loco erāt, cùm eius viri tanta esset reuerētia, vt ad misericordiā eos flecteret, qui possent misereri) partim verò quarū rerum facultas ei suppetebat, eas alijs impartiebatur, cùm in eius potestatem multa cōferrent ij, qui bona sua benè exhauriebāt, vt inexhausta, & sempiterna bona participarēt. Quòd si eiusmodi rebus alios iuuare nō poterat, consolatione saltē mœrorē adimebat, & lōgiore disquisitione ferociores animos eius, qui tristitia laborabat, mitiores efficiebat. Quid igitur mirū, si & ipse cum celeberrimo illo Iob hæc dicere poterat? Seruaui pauperē de manu potentis, & orphano, cui non erat, adiutor opem tuli. Os verò viduæ mihi benedixit; & causam, quam non noueram, inuestigaui. Quibus de causis patris loco ab eis habebatur, & vt eorū patronus magnifiebat. Deniq; vt hominū curator beatus prædicabatur, à multis visebatur, eidē venienti homines occurrebāt, eundē hospitio tā monachi, quàm cōiugati accipiebāt, cùm eius viri fama vltra eā, in qua versabatur, regionē peruagata esset, ac Platonem illū, velut magnū quempiā, & admirabilem virum, omnes in ore haberent; quem certò scio neq; in posterum silentio, aut obliuioni traditum iri, siquidem virtus ipsa immortalis res est.

Postea verò quàm cœpit regnare Christi cultrix Irene, quæ pacē ipsā vt cognomēto, ita & re attulit, in cuius regno cū alijs bonis, & monasticæ vitæ adeundæ facultas, & ianua patefacta est, quæ olim ab impio Imperatore clausa fuerat, quemadmodū ab ijs Imperatoribus, q Græcorū superstitionē sequebātur, Christianæ fidei aditus præcludebatur; ex eo, inquā, tempore, quo Irene ipsa regnare cœpit, nostra tota eorū, qui rebus terrenis renūciauerant, familia monasticæ vitæ obedientiā profitebatur; cui vno omniū ore laudatus pater ille post solitudinis quietē præfuit, nō quòd vellet, aut cuperet dominari (Quomodo enim rerū minimarū desiderio capi potuisset, q maximos fugerat principatus?) sed partim à cognatis hominibus victus (dicā enim q verū est, etsi oratio ipsa incōcinnior videtur) partim sperans etiam in principatu ipso eandem seruaturum se quietem. Quod nequaquam fieri potuit; neq; enim quod quæsiuit, ac sperauit, illud assecutus est. Ex quo multæ in eum tentationes allatæ sunt; à quibus verò, & per quos homines id factum fuerit, dicere omittam, vt eorum, qui hoc fecerunt, honori consulam. Illud tamen dicam, quòd tristem, & inæqualem, suæq; institutioni minimè consentaneam vitam ducebat.

Sed quid'nam fecit generosus ille, & recti consilij vir? Cùm se captū ad præfecturā illam exercendā vidisset, neq; sine periculo eā se fugere posse animaduerteret, quāuis sæpè id cogitasset, tūc tñ vt prudens aliquis gubernator clauū tenēs in media fluctuatione nimiū æstuāte, segnitie omni ab animo remota, & mētis lumine in altū erecto, atq; intēto, beatorū virorū res gestas, ac vitas inuestigare cœpit, nō ad recētia exēpla, quæ praua, & corrupta erāt, sed ad exēplar, & Apostolicæ vitæ imaginē oculos erectos habens; id q facere oportet omnes, qui virtutis sunt imitatores, si vitam patrijs moribus cōuenientem, ac salutarē ducere velint.

Primum igitur dedit operam, vt studiosè magni, & diuini Basilij constitutiones legeret; ex quibus sui temporis consuetudinē à monastica cōstitutione alienam esse didicit. Cùm enim fœminarum cœnobia gubernarentur à seruis maribus, atq; ex ea re multa absurda gignerentur, & magnæ animarum iacturæ fierent, audite, quæso, quid ille vir egit. Cùm benè peritorum hominum sententias antea quæsiuisset, vt, quod bonum erat, exploratum haberet (erat enim ab arrogantiæ studio satis abhorrens, neq; quicquam sine aliorum consilijs faciebat) illegitimas traditiones abscidit, vt pestilentes hæreses, suumq; monasterium cōstituit remotis seruis, ac 8 mulieribus, omniq; alio mercaturæ censu; quæ cauponantium lucra idē diuinus Basilius appellans, fugienda esse præcepit. Id autem perfectum est non sine labore; cùm difficile fuerit his, qui eiusmodi exercitationi assueti non erant, alijs etiam extrinsecus non paucis rebus proposito illi aduersantibus. Neq; id mirum est, cùm consuetudo ipsa facilè, & sinè labore auferri non possit, neq; quicquam ex ijs, quæ cum laude fiunt, inuidia careat. An non excelsæ, atq; erectæ mentis est, à perniciosa consuetudine sese auellere, & rectum exemplar se illis proponere, qui non solùm nomine, sed etiam re monasticam regulam sequuntur, & opus vitæ suæ consentaneum habere cupiunt? Quomodo enim fieri potest, vt ille sit verus monachus, qui seruos habeat, à quibus, tanquam dominus, timeatur? Quomodo non visu allectus, & captus fuerit is, qui exercitationi monasticæ addictus mulierem aliquam sibi ministrantem contemplatur; cùm illud euenire solitum sit, vt quamuis à muliere aliquis longè absit, intestino tamen bello vexetur, & aliquando capiatur. Quamobrem factum illud his, qui prope erant, desiderium attulit, vt idem & ipsi facerent; & diuinos homines pietatis studiosos ad eam rem imitandam prouocauit. Vnde sempiternam gloriam pater ipse assecutùs est. Quòd si alium quempiam adiutorem, & in ea re socium habuit, eum inquam, qui hæc dicit, & scribit, totum id patri nostro acceptum referendum est; decet enim filium in omni re patrem imitari, seq; totum parenti tradere.

8 Sanctus pater mulierū ministeria à suo monasterio amouit.

Iam verò à societate illorum, qui in Vrbe versabantur, & cognatorum congressu, atq; nō Principū cōsuetudine se disiunxit, intra spiritualē aulā se continēs, & gregi rationali præsidēs, doctrinæ cibo illū nutriens, & eruditionis potum abundè illi suppeditās. Ex quo factū est vt Lia ipsa floreret, & grex cresceret, ac celebrior fieret, Deusq; gloriosiùs laudaretur, à quo in omnes omne opus perfectū proficiscitur. Sed quale illud est, q interea hæc dicens imprudens ferè præterij.

Cùm iam regnaret pia illa fœmina Irene, multaq; disceptatio de venerandarum imaginum argumento facta esset, idem pater ante multos alios, & cum paucis quibusdam libera oratione imagines prædicabat, cumq; ijs, qui contra eiusmodi venerationem bellum gerebant, quantum poterat, ipse pugnabat, quandoquidem ad disputandum de dogmatibus idoneus non erat; nam simplicem quidem orationem habebat, at amplam tamen, & nomini suo congruentem, & auditoribus probabilem. Cuius rei argumentum illud fuit, quòd in cathedra vrbis metropolitanæ Epiphanorum in synodo illa, quæ in Apostolorum templo habita fuit, à Præside, qui tempore illo erat, prouocatus est is, qui neque antea hæreticorum militaris ordinis impetum timuit. Quo tempore ad magnum illud templum festinauit, aduersus Præsidem clamans, & fallacem illum cœtum contra venerandas imagines coactum vituperans. Et paulò post cùm concilium illud falsum dissolutum fuisset, tam cœtus ille veritatis propugnator, quàm Regina ipsa è medijs leonibus erepta fuit. Tunc sine sanguine (vt ita dicam) martyr apparuit noster præceptor, Pontificem ipsum sequens, neq; quicquam ob ea, quæ ausus fuerat, veritus. Parum enim est, quòd in ea synodo, quæ iterum in vrbe Nicæa habita est, inuentus fuerit, eò quòd tunc

immitis, & durus ille populus de medio sublatus fuerat.

Postea verò quàm hæc ita se habuerunt, & rectæ fidei trophæum erectum est, pater ipse in suum monasterium reuersus est, præsidendi munus exercens. Quo tempore morbo detentus, qui vitæ desperationem significabat, id'q; pro lucro ducens, atq; appetens, præsidendi officium in nos transtulit, qui neq; digni eramus, quibus ille præsideret. Inuenit igitur humilitatem illam, quam optabat, & molestiarum velut inducias quasdam accepit, & à vexationibus, quæ illum detinebant, liberatus est, talis existens, qualis olim fuerat à pecuniæ, & possidendi cupiditate alienus, neq; curiositatis amator. Non ampliùs autem aliquorum odia locum habebant ad eius virtutis splẽdorem contegendũ. Nam & viri iusti affliguntur, vt, cùm rebus aduersis, velut igne quodam, probati fuerint, eorum animi illustriores fiant, rectè'q; incedentes minimè delabantur, discant'q; benè agendi facultatem omnem à Deo se habere.

Tempus igitur, quo præsidendi munus pater exercuerat, iam absoluimus. Orationem deinceps ad id, quod celebrius est, conuertemus. Sed in mentem mihi venit ingemiscere, quæ vera sunt dicere aggredienti quidem, sed harum tamen rerum narrationem recusanti, eorum causa, qui ea fecerunt. Verùm cùm fieri non possit, vt aliter manifesta fiant, quæ occultari non debent, quamuis vbiq; ea vulgata sint, veniam tamen ad eorum narrationem, non quòd velim his, qui hæc egerunt, obtrectare, sed vt viri beatissimi virtutem monumentis literarum consignem. Væ tibi, ciuitas (inquit Salomon) cuius Rex iunior est. Id quidem à literis diuinis olim audiueram, nunc etiã expertus sum.

Cõstantinus Irenes filius, cuius fides quidẽ recta fuit ex materna pietate formata, vita verò peruersa ex imperij potestate, intemperantia, velut stimulo quodam excitabatur. Cùm enim pubescente ætate nuper imperium habere cœpisset, partim maternæ reuerentiæ, & custodiæ freno abiecto, partim diuinis legibus pro nihilo habitis, vxorem legitimè sibi copulatam eiecit, & Herodis exemplo mœchus factus est. Sed quorsum'nam hæc spectat historia? Vt nostrum hunc magistrum præcursoris illius Ioannis imitatorem quodammodo fuisse intelligatis. Cùm enim omnes ferè iniquo illi facto assentirentur, solus hic (vt ita dicam) cum suis pueris, hoc est discipulis, stabilis permansit. Ob id'q; quot, & qualia per totum annum certamina eum subijsse putamus? Nuncia nuncijs, minæ minis addebantur; flagella, exilia, membrorum mutilationes proponebantur. Cùm verò nihil eorum, quæ Cæsar ipse studebat perfici posset, ali; nam verbo quidem alij eum persequebantur, re autem vera Imperatoris manus illi erat infesta. Nostis monachos illos, & literas ad eum missas. Postremò cùm ea ipsa inania, atq; infirma deprehẽsa essent, viro illo sancto, quod decebat, faciente, & contrarias literas mittente, tunc Imperatoris persona detecta fuit, cùm non ampliùs ficta species locum habere potuisset. Rem enim apertè ostenderũt quæ à duobus illis exercit⁹ ducibus ab eo, velut hostibus quibusdã, ad inermẽ Christi monachũ sola diuina lege armatũ missis facta sunt.

Pastor igitur è medio sublatus est, & oues gregis dispersæ sunt, aliis verberatis, alijs in exilium missis, alijs persecutores fugientibus. Quod'q; miserabilius est, regium edictum prohibebat, ne quis eorum, qui Dei causa persecutionem patiebantur, alicubi reciperetur. Eiusmodi edicto monasteriorum præfecti obtemperauerunt; ac quotusquisq; inuentus est, qui virum illum accipere ausus fuerit. Interea Christus dormiebat ob eam, quam ipse nouit, rationem, probans, & explorans aliorum animum, num firmior esset, aliorum verò inhumanitatem patientia sua flectens ad misericordiam, & ad pœnitentiam prouocans. Ille igitur Christi athleta sponte à proprijs membris abscinditur, atq; omnino solus relinquitur, animam pro ouibus suis exponens, verè bonus pastor,

vt in Euangelio dicitur. Idem ad Cæsarem Briarei manu ductus, coram ipso stetit (audeo dicere) velut præcursor Domini Ioannes, nisi quòd ille vltro, hic ab alio ductus id fecit.

O fortem illius viri mentem, & animum, qui non imperium formidauit, non minis cessit, non illecebris fractus est, cùm præsertim cognata illi esset fœmina, quæ Herodiadis mentem habebat; quinimmò intrepida oratione vsus, ac nihil veritus id, quod verũ erat, cõfessus fuit. Nõ licet tibi, inquit Præcursor, habere vxorẽ Philippi fratris tui. His similia, & Præcursoris imitator ei dixit, qui Herodis erat similis. Non ille quidem fuit securi percussus, quoniam noluit Cæsar ipse Martyrem eum virum esse, qui animo, & proposito iam fuerat, & ijs, quæ dixerat antea, se certasse satis ostenderat; sed imprudẽs tamen Christi confessorem eum esse probauit, cùm in cellula quadam, vt maleficum hominem, illum veritatis thesaurum conclusisset, clauibus aliis alias addens, ac cibum per foramen quoddam ei dari iubens, vt à nullo prorsus videri posset, qui à Deo ipso videbatur. Hæc vnà cum Cæsare agebant monachorum præfecti quidam, quos pudet me nominatim proferre; quodq; miserabile est, carcer erat monasterium Imperatoris palatio adhærens; & eiusmodi custodiæ princeps erat is, qui adulteros coronauerat. Hei mihi (vt cum Propheta clamem) quoniam perijt vir Deum timens à terra; & qui rectè faciat in hominibus non est.

Quid dicam de illo, qui sanctum virum custodiendum ei tradidit, qui adulteros ipsos coniugauit? Quid de illo, qui mandato Imperatoris virum nullis rationibus reddendis obnoxium, tanquam reum conquisiuit? Quid eos in medium afferam, quos Cæsar ipse sacrorum ministros insignes in carcerem misit ad persuadendum iusto illi viro, vt verbo tantùm assentiretur ijs, quæ fiebant, si à carcere dimitti vellet, & omnibus suis dominari? Quid deniq; illos proferam, qui ei valde illudebant, atq; obtrectabant, tam consanguinei, quàm alieni, tam qui eodem, quàm qui diuerso habitu induebantur? O rem absurdissimam, immò verò ò factum contra veritatem iniuriosum. Insimulabant generosum hominem adulteriorum comprobatores, quòd mente delira esset. Falsæ gloriæ studiosum esse iactabant eum, qui pro Christi gloria certamen subierat. Illi nimirum homines hæc dicebant, qui cùm ad Cæsaris voluntatem omnia loquerentur, & facerent, à Deo ipso Domino exciderant. Eius temporis calamitosam inhumanitatem, Christi cultor ferebat, veritatem ipsam solùm propositam habens, & quæ veritatem defendenti retribuenda sunt secũ cogitans. Itaq; ærumnas illas ita transegit, vt si cum tranquillitate in aliquibus locis occultus requiesceret. Cuius enim viri studium Deus est, eius religionem, & in Deum charitatem nihil superare potest.

Breue tempus intercessit, & adulterum illud Imperium, quod noluit intelligere vt benè ageret, de medio sublatum fuit, vt & Imperatores ipsi discerent diuinas leges non violare, neq; iniquas persecutiones, & carceres struere, quamuis purpura nimirum efferantur. Tunc fidelissimus ille diuinarum legum custos, confessionis brauio recepto, à carcere ipso, tanquam victor, exijt, multisq; laudationibus, & carminibus celebratus felix dicebatur, eorum testimonijs comprobatus, qui antea ipsi obtrectabant, atq; illudebant. Solent enim (vt est à Gregorio Theologo dictum) hominis alicuius virtutem vel hostes ipsi admirari, cùm, furore extincto, res ipsa per se probata fuerit. Licet hoc loco diuerso modo res se habeat, ac dici possit. Cùm enim Regina illa, quæ pacis nomen habens Irene dicta est, rursus imperare cœpisset, & reuerentia virum hunc, tanquam martyrem prosequeretur, tunc, instar fluuij retrofluentis, si quis inimicus antea fuerat, in amicum, & laudatorem conuersus est, ita vt custos carceris in terra prostratus sibi veniam dari supplex petierit. Sed vir ille

factis,

factis, aut dictis tam motus fuerat, quàm lapis sensus expers.

Postea verò quā ab exilio reuersi sumus, alijq; ex alijs locis, tanquam volucres quidam, aduolassent, factum illud pijs hominibus admirationi erat, & cum capite ipso membra copulabantur. Diceret fortasse & hoc loco (quamuis verbum hoc audax sit) clarissimus ille vates Esaias: Leua in circuitu oculos tuos, & vide congregatos filios tuos; veniunt omnes filij tui de longè; videbis, & gaudebis, & metues, atq; obstupesces corde. Ille quidem Propheta hæc diceret; ego verò addiderim, illum etiam, qui sacris præsidebat, & in ea re principem locum tenebat, ita fuisse affectum, vt eum, de quo dicimus, reuerentia prosequeretur, qui cùm se illi purgasset, ad concordiam etiam ipsum inuitauit. Quod factum fuit, eiecto illo, qui adulteros coniugatos coronauerat, vt dissidium remoueretur, quod beatus ille vir maximè fugiebat. Quo facto, victoriæ præmium apud vniuersos, qui conuenerant, assecutus est. Quid enim aliud Deo ipsi concordia, & coniunctione charius, modò coniunctio ipsa hominem à diuinis præceptis non seiungat? Sed quid'nam postea factū fuit?

E' priore monasterio gentis illius causa Byzantium migrauimus. Quo loco pater ipse virtutis appetens, ne monasterij gubernationem sustineret, intra cellulam se claudens, eam vitam amplexus est. Sed vide etiam hîc admirabilis rei studium. Tam multa eius erat humilitas, vt cùm fratrum societas sub duobus principibus esse non posset, se ipsum vir ille Dei studiosus, atq; imitator, obedientiæ 9 legibus subiecerit. Idq; fecit, illis ipsis præsentibus, & eius rei testibus, qui eòdem conuenerant. An'non peregrinum, & alienum hoc est, filium dici eum, qui antea pater dicebatur, eius, inquam, filium, quem ipse in spiritu genuerat? Quid quòd ei subiectus erat, cui olim imperauerat, cùm præsertim tot essent illius egregia facta, vt satis illi ad laudem esse posit, si tantarum rerum gloria non elatus, modestè se gesserit? Sed admirabilis ille vir facilè, & nullo negocio hoc perfecit, non fictè quodammodo, & adulterinè, vt verbo tantùm imperanti subiectus esset; sed syncerè, atq; eo modo, quo Deus postulat, idipsum faciebat. Vbi enim confessio est, illic & fiducia; vbi fiducia, illic propriæ voluntatis remotio; vbi voluntatis remotio, illic & obedientiæ perfectio esse solet. Rectè factorum testes illi sunt, quorum causa petitiones aliquot extiterunt. Supplicabat pro aliquo propinquo, & cùm petitionem assecutus esset, eius causa, qui petitionem obtinuerat, ipse gaudebat. Quòd si petitionis compos non fuisset, sed re infecta discessisset, nequaquam id molestè ferebat, vnum illud propositum habens, vt re aliqua egenti vtilitatem afferret, non vt voluntatem suam expleret.

9 Ecce quanta obedientiæ virtus apud priscos monachos.

Hei mihi, pater (vt Prophetæ voce vtar) quem'nam me genuisti? Patrem te vocare non erubesco, qui dignus non sum qui filius tuus nominari possim. Quorsum me ad hanc dignitatem extulisti, qui neq; imperio parere aptus sum? Nouit Deus, quemadmodum & tua sancta anima, huius rei rationem, quòd scilicet amicitia ipsa, vel obedientia potiùs etiam illa, quæ supra vires sunt, ferre potest; vt breui oratione defensionem meam comprehendam, & hoc loco finem faciam; redeundum enim nobis est ad id, quod proposuimus. Clausus erat Pater ipse in loco quidem angustissimo, qui æstate ita calefieri solitus erat, vt alter Chaldaicus caminus esse videretur plumbei tecti inflammatione æstuans. At ille non solùm eam rem non molestè ferebat, sed etiam talem in posterum sibi requiem reseruari votis expetebat, desiderio ipso laborem leuante, & spe difficultatem faciliorem reddente; ex quibus fit, vt magnæ aliquæ virtutes, atq; institutiones vires habeant. Neq; his rebus vir ille laboris studiosus, contentus erat; sed constanter, ac diligenter manibus laborabat, multam vim adhibens, diuinæ verò meditationi multò diligentiorem dans operam, & vbiq;

aduersus hostem diabolum pugnans, & fratrum necessitati paratum se præbens, alios tristes consolans, alios animo deficientes recreans, ac sustentans, multos lapsos erigens, quiq; acerbitate aliqua affecti erant, illorum mœrorem leniens. Deniq; multiplex ille animarum medicus ad eorum, qui aliquid patiebantur, habitus se accommodabat, vt laborantes ipsos optimè curare posset.

Non silentio prætereundum mihi videtur, quod est admodùm memorabile. Cùm ferrea quadam cathena valde graui pedes circundedisset, eiusmodi laborem fortiter sustinebat. Quàm verò laboriosum fuerit cathena illa indutum dormire, vigilare, & opus facere, licet eam rem considerantem intelligere. Neq; id faciebat, vt se clausum ostentaret, neq; tanquam virtutis officinam, instar Chironis illius in Thessalico antro habitantis, factum illud iactitabat; ab eo enim affectu athleta ille multum aberat; sed virtutem suam extenuabat, quasi eam non coleret, vt par erat; cathenam verò illam submissione quadam artificiosè ita occultabat, vt omnibus ferè ignotum esset, quod diximus, quoad à cella progressus rem ipsam vel inuitus patefecit. Sed de his rebus satis diximus, cùm & auditor mediocritatem amet, & scriptor copiosiùs res ipsas enarrandi facultate non abundet.

Cùm verò è vita excessisset diuinus ille vir, qui tunc Episcopatui præsidebat, quis'nam Patriarcha futurus esset, suffragijs quærebatur; quæ quidem de multis ferebantur, cùm pleriq; alius alium cooptaret, prout beneuolentia, aut veritate ducebatur. Quæsitum est & patris nostri suffragium non solùm ab his, qui sacerdotio insignes erant, sed ab ipso etiam Imperatore. Quid igitur (vos quæso) faciendum illi erat? An'non decebat eum, qui bonarum rerum causa certauerat, & accuratæ vitæ legem omnibus se proposuerat, liberè, ac verè sententiam suam proferre, id, quod ad communem vtilitatem spectaret, considerantem? Minimè, inquiunt eius irrisores, & obtrectatores, sed vel ignorationem simulare, vel ambientibus suffragium illud concedere oportebat; quorum alterum mendacium habet, alterum simulationem, vtrunq; certè respuendum. Ille igitur suffragium suum misit. Cui autem illud detulerit, omitto dicere. Misit tamen, Deo ipso teste. Quod & illi libenter acceperunt, nescio quomodo, quod scriptum fuerat, confirmantes. Qui enim suffragium ipsum accepit, reuoluit calculos ipsos, ac peruertit. Et Plato quidem ipse, quoniam necesse erat, vt pro capite proponendo singula membra suo fungerentur officio, ad quendam eorũ, qui eodem habitu induti erant, Cæsaris ipsius propinquum, communis vtilitatis causa egredi ex eo loco, in quo erat, nequaquam veritus, nocte adijt; cui cùm ea dixisset, quæ decebant, in cellam celeriter redijt. Ille verò cùm hæc audiuisset, in furorem versus est, ac paululum moratus, quantum ad id, quod consultauerat, perficiendum satis esset, sanctum illum virum, & nos vnà cum illo comprehendit, & quatuor, ac viginti dies munito quodam in carcere detentos domum postea redire permisit.

Quid opus est dicere quot iniurijs virum illum, vel potiùs veritatem ipsam affecerit, fratrum societatem furiosè oppugnans, atq; conturbans, & alios quidem in carcere seruans, alios ad iudicia, tanquam reos, trahens, quamuis in omnibus alijs rebus imbellis, & ridiculus existeret? Quæ omnia erant apparatus quidam malitiæ, quam ille meditabatur, & velut iniquitatis cuiusdã exordium, necnon eius hominis nugarum, & apertæ petulantiæ significatio. Propediem vexatio ipsa illata est, eiusq; causa fuit Ioseph ille, qui adulteros, quos diximus, coniugauerat, clandestinum, inquam, malum illud, & Ecclesiæ ipsius perturbatio. Cuius quoniam, tanquam serpentis cuiusdam venenum, canonicè communionem effugimus, à Cæsare ipso minæ nobis proponebantur; quiq; instabant, parati erant. Sed quî possum paucis verbis comprehendere, quam

multos terrores, quot certamina, & tentationes nobis attulerit, quàm sæpè nos abducendo vexarit? Scit hæc tam qui ea passus fuit, quàm qui prope illum, qui hæc patiebatur, tunc erat. Profectò militaris phalanx locum, in quo manebamus ita cinxit, vt neq; aliquem hiscere, aut omnino caput efferre permitteret. Intus timores, foris terror, ac minæ proponebantur. A quibus autem hæc proposita fuerint, non dicam, eorum, qui hæc fecerunt, personam reueritus. Heu quanta fuit temporis illius calamitas. Nemo ferè impetum illum ferre potuit; nemo fuit qui recta consuleret, & diuinas partes sustineret. Quinimmò optabile erat, ne quis iracundiam Principum magis excitaret. Hæc, & his miserabiliora faciebant, qui eiusdem ordinis erant participes. Postremò (vt summatim rem perstringam) fratrum societas noctu abrepta est, & in carcere conclusa. Quo facto, synodi constitutus fuit dies; in quo vir ille sanctissimus à militari manu vnà cum tribus alijs, velut maleficus quispiam, ad ipsam synodum ductus fuit. Miserabile certè spectaculum erat, senem videre propter imbecillitatem ingredi non valentem, sublatum portari cathena vinctum, qua ipsius pedes circundabantur, & ab alijs humeris in alios velut piaculum quoddam indecora traiectione transmitti. Hei mihi; hæc'ne fuit ordinationis synodo congruentis ratio? Hæc'ne Imperij Christiani existimatio? Quæso, qua in re sunt hæc illis inferiora, quæ latrocinantium insidijs, & tyrannicè imperantium violentia olim patrata sunt?

Sed, vt quæ in medio sunt, ea velut ludicra quædam prætermittam (illa enim historiæ modum implere possunt) exilium iam decretum fuit, & pater ipse circunscriptus est in vna quadam insula ex his, quæ ante vrbē sunt, quemadmodum & frater noster in alia quadam valde aspera, munito quodam carcere ad exilium accedente. O rerum mutationem. Monachis ipsis humaniores extiterunt hi, qui communi vita vtuntur, & priuati homines veriti non sunt iustum ferre iudicium, quod iudices debuissent; manifestū enim erat iniquum illud facinus. Missum facio balneum illud, in quo Imperator ipse militari acie omnium fratrum societatem inuadens, cùm ex monasterio illo singulos suæ voluntati subijcere conatus esset, spe deceptus est; suo enim imperio valentiores illos esse cognouit, qui diuina lege nitebantur. Missos facio carceres in monasterijs constitutos, & monasteriorum Præfectos carceris duces factos, hisq; quos clausos tenebant, plura quàm iussi fuerant, tormenta inferentes. Prætereo quæ postea consecuta sunt; quo tempore multi abducti, & in alium locum translati persecutiones, inquisitiones, disiunctiones, atq; exterminationes pertulerunt; quo tempore multæ, atq; ingentes minæ, iræ, interrogationes, & responsa, multaq; per omnes vrbes inuestigatio facta est, necubi aliquis fratrum lateret, adeò vt nonnulli timore persequentium in terræ foraminibus se se abdiderint, quò seruari possent. Hæc autem omnia eius rei causa facta sunt (rursus enim præ admiratione eadem tractare cogor) vt qui adulteros illos contra Euangelium, & præcursorem Ioannem coronauerat, quasi salutarem aliquam dispensationem Ecclesiæ attulisset, impunè rebus sacris præesse posset; qui q; illum Euangelicis præceptis obtemperantes non admitterent, exleges, & à Deo alieni haberentur. O diuinas leges contemptas. O persecutorem acerbissimum, Christiani hominis appellationem habentem, & Christi leges conculcare gestientem. Quid ita insanus factus es, stolidus, atq; immitis vnà cum Leone tibi compare? An non vides contra inuictas Dei leges te armari, quas nemo ex his Imperatoribus, qui vnquam fuerunt, superare potuit? Quinimmò quicunq; se, vt tu nunc, his ipsis legibus aduersarium ostendit, iure optimo perijt.

Sed quo'nam modo Dei seruus abductus est? Ad illum enim ipsum redeo.

Rursus translatus, rursus distractus, & à duobus hominibus huc, atque illuc protrusus, eò quod non amplius progredi posset, trahebatur, & ita distractus vexabatur, vt iniquum illud facinus vel ipsis lapidibus sensus expertibus lachrymas mouere posset. Huius rei testis est celebris illius martyris Mamantis regio; testis est & abrupta illa insula, quæ post primam fratris iam dicti custodiam pietatis hunc custodem detinuit. O immites, & doloris sensu carentes illorum animos. Sed nescio certè, quo nomine ipsis congruente illos appellem, qui eadem opera monachi, & milites, & carceris erant custodes; qui iustum illum virum omnino desertum, tanquam in lacu profundissimo, in cella quadã concluserunt, hominemq́ iam senio confectum, & morbo vexatum, sub vnius cuiusdam serui potestate, illi rerum terrenarum, & Cæsaris serui reliquerunt, vt sanctus vir semel in die, vel bis à ministro viseretur. Quo tempore senex cum rogabat, vt ad necessarium vsum corporis duceretur, & iniquus ille seruus id ei exprobrabat. Petebat aliquid imbecillitati suæ cõsentaneum, & peruersus ille fores claudebat. Cùmq́ hæc pateretur, nihilominus tamen stabilis permansit; quodq́ coram Deo, & hominibus confessus fuerat, nunquam denegauit.

Postea verò quàm eius carceris causa eum in letalem morbum incidisse Cæsar audiuit, animi duritiam leniorem faciens, in vrbem Byzantium ipsum transtulit; cùmq́ illum eò transtulisset, parabat se ad id, quod malefactum fuerat, corrigendum. Sed quoniam non recto proposito, ac sententia mouebatur, quod proposuerat, ad finem non perduxit. Illum enim diutius arrogantia, ac temeritate suspensum cùm fortis Dei manus ad Scythas exterminasset, illic cum toto exercitu perdidit; vt posteris narratio quædam terribilis, & dictu horrenda, Deiq́ iudiciorum, quæ comprehendi non possunt, eiusdemq́ sapientissimæ prouidentiæ exemplum relinqueretur. Eum verò, qui antea nobiscum vnà clausus tenebatur, cùm eorum, qui tunc Imperio potiebantur, & piè se gerebant, gratia proprio gregi restituisset, Confessorem ille se ipsum esse probauit; idq́ quomodo factum sit, dicemus; neq; enim hoc præterire consentaneum est.

Eorum cura, qui res nostras beneuolo potiùs, quàm inimico animo disponebant, de medio sublatum fuit scandalum; quo remoto, & dissidium, quod illi cum Episcopo intercesserat, sublatum fuit, cùm Principes ipsi hoc ei persuasissent. Itaq; sanctissimus Patriarcha se purgauit, quòd quæcunq; acciderant, Imperatoris violentia facta fuissent. Tunc igitur vnà conuenerunt, & vicissim sibi satisfecerunt (quandoquidem Deo ipsi nihil ita charum est, vt pax, & concordia; modò concordia 10 ipsa non sit fidei dissensio, neq; diuini præcepti violatio, non deniq; Canonis alicuius reprobatio, quemadmodum præsens coniunctio se habuit) quantùm ad nos pertinebat ea, quæ interea facta fuerant, prætermittentes, vt illis similia, quæ diuinorum patrum memoria facta, & similiter dispensatione quadam neglecta fuerant; immò verò perfecta earum rerum examinatione in futuro illo seculo illi iusto, atq; incorrupto Iudici reseruata.

10 Nota tu, qui cupis cõcordare res, super quibus disputat inter catholicos, & hæreticos.

Sed quid'nam consecutum postea fuit? Non ampliùs pater ipse clausum se detinebat, quoniam propter infirmitatem non ampliùs corporis necessarium vsum per se ipsum explere poterat; sed modò in lectulo recumbens superioris exercitationis, & certaminis, atq; laboris relaxatione, modò in humili aliqua sede requiescens, Dauidis psalmos pronunciabat, & mente Deum ipsum precabatur; quæq; ad fratrum societatem adiuuandam pertinebant, omnia conferebat, salutaria consilia, admonitiones, correctiones, adhortationes pro vetere, & paterna beneuolentia, qua vti in eos consueuerat. Non tamen valebat opus facere, neque genuflectere, neque lectionibus vacare, nisi quantùm ministri

alicuius

alicuius ꝑpe se legẽtis opera vtebatur; nihilomin⁹ his rebus dolebat, & tristis erat, quasi animam perdidisset, eò quod diuina, & sacra ministeria nõ ꝑbiret, sed à corporeis laboribus vacaret. Ac si quem cibũ sumebat morbo congruentem, vel lauachro, vt iussis pareret, vtebatur, Deo quidem ipsi gratias agebat, sed ægreferebat tamen, quod remissiùs viueret. Itaq; verè stadium ipsum celeberrimus ille vir, & diuinum cursum exegit, quod dicitur, cum obedientia exoriens, & in obedientia desinens; duodecimo enim, ac diurno horarum ambitui cùm parem annorum circulum in singulis certaminibus perfecisset, vitam illam sempiternam, & perenne lumen habiturus hinc migrauit. Numera certamina ipsa, & inuenies annos octo, & quadraginta; adde duodecim illos antequam terrenis rebus renunciasset, ad illa quatuor certamina, quæ in persecutionibus, decem item & nouem annos, quos in infirmitate corporis transegit, & celebrem virum vndeoctogesimo anno hinc migrasse inuenies.

Sed quomodo sine lachrymis eius viri finem enarrabo? Iacebat senex ille senio admodùm honorato, ad migrationem ipsam animum habens paratissimum. Illic & fratrum societas circunfusa sanctarum eius orationum donum postulabat. Cùm igitur singulis benedixisset, eosdem amplexatus ad sepulchrum abijt admodùm lætus, quod iampridem videre concupiuerat, quamuis voti compos antea factus non fuisset, cùm non pridem assecutus esset, quod volebat. Cùm igitur valde hilaris sepulchrum suum vidisset, Deo gratias agens; Hæc, inquit, requies mea in seculum seculi; eamq; vocem adiunxit: Voluntatem timentium ipsum faciet Dominus. Mouit & eorum, qui foris erant, non paucos, qui nullam temporis rationem habentes (erat enim sacrorum ieiuniorum periodus) concursu ad eum venerunt tam monachi, quàm in communi vita versantes. Quibus cùm ille benedixisset, reuersi sunt sanctam illius commendationem, velut bonum quoddam viaticum, accipientes. Quinetiam sanctissimus ille Patriarcha cùm ad eum venisset, eius orationum se participem fieri postulauit; quarum compos factus, amplexus illum fuit. Itaque omnis discordiæ suspitio remota est, cùm olim tristia illa, quæ inter eos acciderant, impedimento fuissent, quominus id credi posset. Omnes igitur admonuit, pro omnibus Deum orauit, vniuersis veniam dedit, qui inimicè se in illum gesserant, qui eum persecuti fuerant, & molestijs affecerant. Hæc fecit diuinus ille vir, qui Christum ipsum etiam moriens imitatus est.

Quoniam verò & testamentum disponi oportebat, dicam, quod'nam hoc fuerit; Orthodoxa, inquam, fides, & legitima vitæ institutio; hæc enim & viuens, & moriens seruauit. Hoc autem, vel illud distribuere ad eum minimè pertinebat, quoniam neq; de amictu ipso quicquam disponere in potestate habebat. Tunc & à me miserabili homine rogatus, an aliquid haberet, quod diceret, manu vestem meam apprehendit, eamq; concussit, symbolum quoddam, hoc est obedientiæ omnino liberæ, ac promptæ indicium relinquens, vocemq; valde summissam emittens, dixit, se nihil habere. Quo dicto ad humilitatem meam omnia referebat. Minimè autem illud prætermittam, quod prædictionis apertam habet significationem. Ipse funebre canticum sibi ante mortem modulatus est. Cùm enim thoracis morbo teneretur, & assiduo anhelitu laboraret, labia ipsa ex consueta diuinorum eloquiorum meditatione commouebat, summissaq; voce illam præcipuè cantici partem canebat: Resurgent mortui, & exurgent qui sunt in monumentis, & lætabuntur qui sunt in terra. Quem versum hortabatur, vt secum vnà canerent, qui præsto erant, quoad loqui potuit, & vocem tenuissimam emittere. Canticum autem illud eius obitus consecutus est, qui iusti Lazari, eius'q; diei festi memoriam aduentantem antecessit; ad quem Lazarum canticum illud referebatur, quo cum partem

habiturus erat pater hic, cuius vitam scribimus. Postremò cùm insusurrasset, & Deum precatus esset, vt saluus fieret, decoro habitu iacens, caputq; ad dexteram inclinans ita leni, & tacito corporis motu, tanquam in proprium locum migrandum sibi proponeret, cùm oculos ea hora clausisset, qua sol occidit, sanctam animam Angelis tradidit, qui eam ad iustitiæ solem perducerent.

11 Vide animas Sãctorũ post hanc vitam esse in cœlo.

Et nunc ille quidem in 11 cœlis est non solùm eo ordine, ac statu (audeo hoc dicere) dignus habitus, qui viris exercitatione præstantibus assignatus est, sed in eorum choro numeratus, qui Confessores extiterunt. Quorum enim certamina perpessus est, eorundem sortis manifestum est participem factum fuisse. Vel, si placet, cum ijs, qui terrenis rebus renunciarunt, numeretur, qui ea re probatissimus fuit, & multæ obedientiæ causa coronatus; cum his, qui vitam quietã egerunt, ille, qui legitimã quietẽ exercuit; cũ doctoribus doctor modestus; atq; compositus; cum ijs, qui latentẽ vitã exercuerunt, ille, qui non solũ clausus mansit, sed tunc etiam obedientiæ subiectus fuit; quodq; admodùm honorandum est, cum Confessoribus certus Confessor, re ipsa orationem comprobante.

12 Ecce quomodo sanctum patrem inuocat, & quomodo ostendit eum curam habere de monachis suis, & tam multa posse post mortem.

Ego verò miser bono illo patre orbatus, & animo fluctuans, vbi nam consistam? Quem admonitorem inueniam extra rationem me gerens? Quomodo praui dæmonis impetum fugiam, cùm eius admonitoris, ac doctoris copia mihi non adsit? Sed ò 12 diuinum, & sacrum caput, tu me ex alto propitius respicias, & cadentem erigas, gradientem dirigas, incolumem conserues, & vnà mecum gregem hunc agas, & pascas, quem multis laboribus, & solicitudinibus constituisti, vt vestigia tua sequatur, vt diuinorum mandatorum seruitas teneat. Protegas, foueas, & tam magnos, quàm paruos greges tuos defendens, eorum esto propugnator, sicut tuæ migrationis tempore pollicitus es (Tui enim greges sunt omnes, quorum duces sunt filij tui, & filiorum progenies) vt te propugnatorem, ac defensorem vniuersi coram Deo, & ad Deum habentes, incolumes permanere possimus, nullis hostibus corporeis, aut incorporeis nobis nocẽtibus, vt neq; timoris causa nos à recta fide vel paululũ subtrahamus, neq; à diuinis mandatis deuiemus, neq; ignauiæ, aut perniciosis affectibus aditum patefaciamus, non denique exercitationem ipsam, cui studemus, vllo vnquam tempore negligamus, in Christo Iesu Domino nostro; Cui sit gloria, honor, & imperium cum omnipotente Patre, & vitæ auctore, ac sanctissimo Spiritu, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

HISTORIA MALCHI MONACHI VIRI SANCTI, ET CAPTIVI, A' QVODAM ALIO MONACHO SCRIPTA.

EST vicus quidam Maronias appellatus, triginta milliaribus distans ab Antiochia Syriæ. Eo in loco erat senex quidam monachus, nomine Malchus, vir admirabilis, & sanctus. Tempore illo ego à parentibus meis secesseram, & ad Euagrium quendam Presbyterum me cõtuleram. Cum verò de sancto illo homine Malcho audiuissem, eumq; videre cuperem, ad illum accessi; qui cùm libenter me accepisset de monachorum institutione mihi quædam narrare cœpit, & quomodo Deum timere oporteat. Eius religiosis sermonibus, & doctrina cùm ipse valde lætarer, eum rogaui, vt eiusmodi sermonibus ampliùs me confirmaret. At ille; Ex ijs, inquit, ò fili, tentationibus, quæ propter arrogantiam, & temeritatem meam mihi acciderunt, vt ipse ediscas, & cautiùs viuas, exponam tibi Dei benignitatem, atq; gratiam, qui me rexit, ac seruauit, quiq; permisit hæc mihi accidere, vt multi corrigantur, & exemplo meo discant, sanctorum patrum admonitiones non contemnere, cùm ipsius obedientiæ violatio mortis causam afferat. Cùmq; hæc dixisset, ita narrare cœpit.

Ego in vico quodam, qui dicitur Seuennia, natus sum vnicus parentibus meis; qui, cùm velut germen quoddam à se ipsis productum me haberent, seruabant, & in ætate progressum studebant me cum vxore coniungere. Ego verò illis repugnabam, & dicebam, oportere me monachum fieri, & Deo seruire. Hæc cùm illi audiuissent, contra me indignabantur, & pater quidem dabat operam, vt minis me cogeret, mater verò illecebras afferens, hortabatur, vt id facerem. Illorum igitur propositum videns ego, insidias quasdam esse, & meæ erga Deum conuentionis impedimentum, illis relictis, & tota paterna domo contempta, paucos nummos in via mecum ferens, volebam ad Orientis monasteria proficisci. Cùm verò illis temporibus Romani in Persas incumberent, & ad eos oppugnandos se armarent, sententia mutata, cogitaui ad Occidentem ire. Id autem cogitans didici in deserta illa regione, inter Chalcidem, & Berœam monasterium esse. Ita, omisso priore consilio, illuc abij, & ad eos monachos profectus, apud illos mansi, educationi castæ, monasticæq; vitæ, prout diuina illorum institutio exigebat, studens, & diuina ope adiutus, benè in illis proficiens.

Cùm verò multos annos sine reprehensione in eiusmodi virtutum studio apud monasteriũ illud pseuerassem, & fratres oẽs gauderẽt, quòd me sanctæ illius vitæ moribus proficientem viderent, inuidus diabolus cogitationes quasdã æquitatis speciem præseferentes mihi suggessit; Patre, inquiẽs, tuo iam mortuo, domũ redeas, & quoad vixerit mater tua, illã recrees. Cùm illa autẽ mortua fuerit, vende quæ habes, & partim da pauperibus, partim serua, & ex illis ipsis monasteriũ cõstrue, ac tu etiã esto monachorũ pater. Et vt quæ vera sunt, tibi, fili, enarrẽ, auaritiæ, ac pecuniæ seruãdæ studiũ mihi suggerebat; Serua, inquiẽs, in senectutẽ tuam, vt habeas requiẽ in monasterij tui secessu. His cogitationibus singulis diebus obsessus, coactus sum spirituali patri meo talem animæ meæ morbum aperire. Quod cùm sanctus Abbas noster audiuisset; Ne audeas, inquit, fili mi, ne, inquam, id facere audeas. Hic est diabolicæ fraudis laqueus, hæc fallacia multos monachos, velut canes, ad proprium vomitum inimicus, & hostis diabolus reduxit, ac perdidit, semper bonam spem suggerens, & sibi obtemperantes in barathrum detrudens. Etenim & Adam ipsum ex tanta illa celsitate, fallacia, & fraude adductum ad profundas inferorum partes detrusit. Dominus etiam ipse ei, qui manum suam ad aratrum miserit, præcepit ne retro respiciat.

Cùm igitur talia ex diuinis literis testimonia diu proferens, mihi persuadere non posset, deinceps ad pedes meos se abijciens, me obtestabatur, ne ipsum derelinquerem: Cùmq; misericors, & sanctus pater ille meæ salutis causa hæc faceret, inimicus ipse mihi eam cogitationem in animum iniecit, quòd Abbas ea faceret, non quia mei curam haberet, sed quòd se ipsum, & monasterium suum fratrum multitudine honestius reddere vellet. Cùmq; prauus ille consiliarius hæc mihi suggereret, fecit, vt malam victoriam reportarem; ita enim à monasterio ipso me expulit. Monasterij verò pater, tanquam ad interitum me ruentem videns, his verbis vsus est: Video, fili, te diaboli signo notatum, ouis enim sine pastore ex ouili egrediens, statim ferarum præda efficitur. Hæc cùm ille diceret, eum ego dereliqui, & à Beroea in Edessam, regiam viam ingressus, cùm suspectam haberem illorum locorum regionem, quæ vndiq; patebat, & exposita erat Sarracenorum inuasionibus, comitatum expectabam, vt ab eo timore tutior essem.

Cùm igitur septuaginta tã mulieres, quã viri nobiscũ vnà collecti essent, ac sine timore viam ingressi essemus, repente Sarraceni nos adorti omnes arripuerunt. Tunc ego sancti patris mei admonitiones memoria repetens, mecum dicebam: Hæ sunt illæ magnæ diuitiæ, quarum hæreditatem captans è monasterio miser exij. Hæ sunt inimici diaboli fallaces, & animorum corruptrices promissiones. Me igitur, & mulierẽ quandã vnus ex illis cùm cœpisset, super camelũ imposuit. Cùmq; per desertam, & formidolosam regionem velocissimo cursu veheremur, metuentes ne à camelo decideremus, coacti sumus vicissim nos amplecti, neq; id solùm factum est, vt pertinacis animi mei contumacia redargueretur, sed carnes etiam ipsas edendas mihi, & lac cameli bibendũ porrexerunt. Cùmq; ille, in cuius manu eramus, in tabernaculum suum duxisset, me iussit pronum eius vxorem adorare; Hæc, inquit, est domina vestra. Ad hæc & nudam eorum figuram ego verecundus monachus aspiciebam, vt mentis meæ pertinacia, & auaritia dignas pœnas reciperem. Iussit etiam me oues suas pascere; quæ res ærumnarum, quibus affligebar, consolatio quædam erat, quoniam à dominorum meorum, & aliorum, qui vnà seruiebant, liber eram; neque ob eam tantùm causam ea res mihi consolationem afferebat, sed etiam quòd Abel, & Iacob Patriarcham, eiusq; filios, sanctum Mosem, & Dauid Regem, ouium pastores fuisse cogitabam.

Itaque gaudebam, quòd oues in deserta illa regione pascerem, Deum pre-

cando, & psalmos canendo, quos in monasterio didiceram. Comedebã autem recentem caseũ, & lac bibebã, Deiq́ gloriã laudabã, quòd pertinaciæ meæ præmiũ, eò quòd captiuus erã, iam recipiebã. Cùmq́ Apostoli dictũ illud recordarer: Serui vestris dominis beneuolentiã seruate, non tantùm bonis, sed etiam discolis: omne studium adhibens oues illas custodiebam. Hæc cùm nõ fugerent bonarum rerum inimicum diabolum, ille mihi alias insidias machinatus est. Dominus enim ipse cùm me sibi beneuolum esse videret, eiusq́ rei gratiam mihi referre vellet, voluit me vxorem ducere illã ipsam mulierẽ, quæ mecũ vnà captiua ducta fuerat. Cùmq́ ego illi non assentirer, quòd ipse 1 monachus essem, neq́ liceret mihi hoc facere, quòd'q́ mulier illa virũ haberet, qui nobiscũ vnà captiuus ductus alium Dominum sortitus fuerat, ille iratus, stricto gladio, ad me feriendum irruit; quem percussisset, nisi accurrens mulierem illam manu apprehendissem.

1 Vides quòd nõ licet Monacho vxorem ducere?

Cùm igitur eam mecum coniunxisset, in speluncam quandam vnà cum ipsa me introduxit. Tunc ego cũ animam meã captiuã factam cognouissem, in terram me abieci, & meæ virginitatis imminentẽ mortem flere cœpi; cùmq́ lamentarer, ac dicerẽ: Væ mihi peccatori: Ad hoc seruatus sum, vt qui 2 virginitatẽ vsq́ ad prouectam ætatem seruarim, nunc mulieris vir fierem? Vbi nunc mater, & vana illa bona mea, quæ cùm appeterẽ, à Christi seruis me separaui? Ob id enim Dominus ipse me dereliquit, & hæc patior. Quid facies, anima? Tu quidem perijsti; nam si per patientiam vicisses, Dei manum tibi succurrentem habere potuisses. Nunc à peccato impugnanda, & obsidenda es. Conuerte in corpus tuum gladium, vt mortem æternã fugias. Contẽne vitam hanc breuem, vt temperantia conditionem suam seruet, idq́ testatum relinquat, quòd sis Christi Martyr in solitudine, peccatum vincens. Ipse ero mihi persecutor, & martyr. Cùmq́ manu mea gladium accepissem, hæc dixi: Salua sis, mulier infelix, habeas me martyrem potiùs, quam virum; ego enim ne cum muliere copularer, parentes meos fugiens dereliqui.

2 Qui dicunt, seruare virginitatẽ esse impossibile, cognoscãt se mendacium dicere, cùm hîc eam vsq́ ad prouectã ætatem seruauerit.

Mulier verò illa cùm in tenebris gladium fulgentem vidisset, ad pedes meos se deiecit, & ait: Obtestor te per Iesum Christum Dominum gloriæ, ne mea causa te ipsum interficias; quòd si hoc facere malueris, priùs in me gladium conuerte. Quid enim est (dicas quæso) quamobrem te ipsum velis interficere? An vt me vxorem non habeas? At scito castitatis Christo seruandæ me appetentiorẽ esse, quam te; atq́ eam castitatẽ non solùm nõ paterer à te violari, verùm etiam si legitimus meus vir ad me veniret, seruarem castitatem, quam seruitus mea docet me; nam præsentes angustiæ erudiũt nos ad Dominũ ipsum confugere, vt tutiores esse posѕimus. Habeas igitur me tẽperantiæ tuæ coniugẽ, spiritualiq́ affectu nos vicisѕim diligamus. Ita inter nos versemur, vt cùm nostri domini nos viderint, has nuptias coniunctionem carnis esse cogitent. Sed cordis cognitor Deus seruorum suorum spiritalem, & fraternum amorem cognoscet. Facilè autem illis persuadebimus rem ita se habere, si hoc modo nos viderint mutua charitate teneri.

Eius mulieris prudentiam, & rectum consilium tunc ego admiratus, libenter illud accepi, ac deinde vt spiritalem coniugem temperantiæ meæ conseruatricem dilexi. Nunquam tamen eius corpus nudum vidi, vel attigi, metuens ne fortè cùm in bello strenuè me gesѕissem, pacis tempore inimici diaboli cuspide percussus letalem plagam acciperem. Hac ratione diutius à nobis illi decepti, non ampliùs suspicabantur futurum, vt nos ab eis aufugeremus. Nimirum sæpisѕimè accidebat, vt mensem totum solus in diserta illa regione degerem, & dominus meus veniens inueniret me oues ipsius benè pascentem, ac seruantem, lætusq́ domum suam rediret.

Quodam igitur die, vt consueueram, sedens in illa solitudine, cœpi cogitare quanta cum pace fratres in monasterio degerēt; & sancti illius patris imago mihi ante oculos obuersabatur, quanta misericordia, & perfecta in Christo charitate erga me ipsum ille vsus fuerit, quomodo omnem operam dederat, ne ab eo discederem. Cui cùm ego non obtemperassem, ipse diuina quadam reuelatione doctus, quæ mihi euentura erant, prænunciauit. Hæc cùm cogitarē, & valde tristis essem, vidi formicarum nidum, & earum multitudinem diuersis modis sedulò ad opus incumbentem, omnesq; per quandam angustam viam ingredientes, & egredientes, neq; se tamen impedientes. Aliæ enim ex ipsis ferebant tritici grana, quæ hyberno illarum nutrimento satis esse possent. Aliæ alia quædam onera proprijs corporibus maiora portabant. Aliæ eas, quæ ferendo defatigatæ erant, adiuuantes, se ipsas oneribus subijciebant. Aliæ subleuantes illas, quæ debilitatæ erant, in suos nidos reducebant. Aliæ ex interiore parte, quæ reposita erant, exportantes, tenuissimis dentibus intercidebant, nè fortè hyeme semina ipsa humidiora facta, & in herbam conuersa, facerent, vt ipsæ fame corrumperentur. Aliæ deniq; terrā ferentes propter hybernas aquarum irruptiones, nidi sui aditum benè obstruebant. Eratq; spectaculum illud admiratione dignum, tanto studio, & ordine à minutissimis illis animantibus adhibito. Toto igitur die formicas illas spectans, & in angustijs meis ea re oblectatus, hæc dicebam: Iure Salomon nos hortatur, vt formicas imitari velimus, quò segnem, & ignauam mentem nostram hac ratione ad salutis exemplum excitaret, & alacrem redderet.

Hæc cogitans cœpi me ipsum deflere, quòd inertis, & ignauæ mentis meæ causa diabolus, ignauis cogitationibus meis blandiendo, ab honesta illa, ordinata, & omni perturbatione libera fratrū societate me abduxerat, captiuumq; in tam magnas tentationes impulerat, qui formicarum more antea, sicut diuina gratia postulabat, benè, ac rectè ducebar. In omnibus enim monasterijs, qui Christo seruiunt, se ipsos ei toto animo offerentes propter iustam 3 mercedem, quam Deus pater illis reddet, student sine culpa vitam suam custodire, necessitatibus, & mutuis ministerijs sine segnitie, & affectu aliquo, quàm maximè possunt, seruientes, neq; quicquam proprium ducentes, aut nominantes, sed omnium omnia, vt institutionem illam imitentur, quam in Actis sanctorum Apostolorum scriptam legimus, quòd videlicet nemo ipsorum sibi proprium aliquid esse dicebat, sed omnia erant ipsis communia, qui tanquam nihil habentes, omnia possidebant, non vt propria hæc propriè tenerent, sed vt Christi bonis cum timore, & gratias agendo, quantum satis esset eorum vsui, fruentes, Dei gloriam celebrarent, qui diuinę manu in omnibus rebus omnes regit.

3 Nota valere etiam illa opera ad coronam, quæ æternæ beatitudinis respectu peraguntur.

Cùm his cogitationibus cor meum excitassem, multorum dierum interuallo ad mulierem veni, quæ cùm me tristem vidisset, eius rei causam scire cupiens, me rogabat, vt dicerem, quidnam esset. Cùmq; confessus fuissem, optimæ fratrum institutionis recordatum me decreuisse aufugere, & ad monasterium illud, è quo me inimicus expulerat, redire velle, hortabatur me illa, vt id facerem, rogabatq; vt ipsam quoq; ducerem, & monasterio traderem. Cùm igitur id inter nos constitutum haberemus, plorantes Deum precabamur, vt ad id, quod propositum nobis erat, adiutor esset, & è gente illa impia nos liberaret. Itaq; cùm ad Dei auxilium omnem spem meam coniecissem, deinde cogitabam de fuga. Cùmq; duos hircos magnos haberem, eos nocte iugulaui, & ex eorum pellibus vtres composui, & carnes ipsas ad cibum attuli; mulierem verò mecum accipiens discessi. Tota igitur nocte iter facientes ad fluuium venimus, qui erat valde magnus. Cùm verò vtres ipsos inflassem, mulieri vnum dedi, & ita nos ipsos manibus tenentes, & pedibus pro gubernaculo vtentes,

fluuium tranauimus. Scientes autem desertam illam regionem, per quam transcundum nobis erat, aquis ipsis mirum in modum carere, cibum sumpsimus, & aquam è fluuio bibimus, & illinc exurgentes cucurrimus assiduè retro aspicientes, eò quòd aliquorum insequentium nos aduentum timebamus, vel ne ab illis liberati, alibi in alia mala his similia incideremus. Itaq; ob eum timorem, & nimium solis æstum coacti sumus noctibus etiam ipsis ambulare.

Timore autem multo, & solicitudine detenti, assiduèq; circunspicientes, post tres dies repente vidimus dominum nostrum, & seruum vnum in camelis velocibus sedentes, qui nudos enses manu tenentes nos insequebantur. Multo igitur timore affecti mortem ipsam præ oculis habere videbamur, & solem ipsum, tanquam nocturnas tenebras, existimabamus. Ea igitur solicitudine oppressi, & aspicientes quo nam fugeremus, eius Domini prouidentia, qui desperatorum spes, & eorum, qui auxilio destituti sunt, subsidium esse solet, ea loca circunspicientes, subterraneam quandam speluncam, & terribilem inuenimus, in quam omnia reptilia, & feræ illorum locorum, aspides, viperæ, ac serpentes propter Solis ardorem congregabantur. Trementes igitur in illam speluncam ingressi sumus, & in angulo sinistræ partis nos ipsos occultauimus, ita dicentes: Si humilitati nostræ Deus opitulatus fuerit, spelunca hæc salus nobis erit; si verò vt peccatis grauatos dereliquerit, sepulchrum.

Cùm igitur vestigia nostra obseruantes, qui nos insequebantur, ad eam speluncam venissent, è camelis descendentes, ante ipsius speluncæ aditum steterunt. Nos verò cùm dominum vidissemus, tali timore oppressi fuimus, vt ne linguas quidem ipsas ad loquendum mouere possemus, ac ferè mortui præ timore illo videremur, antequam plagam aliquam accepissemus. Ille stans extra speluncam nos vocabat. Cui cùm ipsi respondere non valeremus, ipse camelos detinuit, & seruum suum iussit ingredi, & nos illinc extrahere. Ille autem stricto gladio nos expectabat, vt propria manu interfeceret, ferocemq; insaniam suam recrearet. Seruus igitur ille ingressus, quinq; ferè passibus à nobis distans nos minimè aspiciebat; ipsi tamen illum prope stantem videbamus, Cùmq; nos videre non posset, vt vocibus nos perterrefaceret; Exite, inquit, mali serui, morte digni, exite fugitiui carnifices. Quid cessatis? Expectat vos foris dominus noster. Hæc illo dicente, vidimus leænam à dextra parte speluncæ illius exurgentem, & ad ipsum accurrentem, quæ ipsum adhuc loquentem gutture corripuit, & statim suffocauit, atque in latebram suam tulit; illic enim catulum habebat.

Cùm igitur inimicum nostrum mortuum vidissemus, valde læti Domini gloriam collaudauimus. Eius autem serui dominus cùm rem ignoraret, & seruum morantem videret, atq; opinaretur vnum illum duobus nobis inferiorem esse, cùmq; iracundiam ipsam non cohiberet, nudum ensem tenens venit ad ianuam speluncæ, iratusq; seruo dixit: Affer citò homines istos violenta morte puniendos. Hæc illo dicente, leæna exilijt, & ipsum loquentē pariter dilaniauit. Nos his beneficijs à Deo acceptis, quæ tanta sunt, vt neq; narrari, neq; exprimi possint, eius gloriam celebrantes exultabamus, quòd in tantis angustijs nobis præsto fuerat, & eius iussu fera illa inimicos nostros interfecerat. Cùmq; leæna ipsa ante nos versaretur, existimantes illam velle nos etiam interficere, ob idq; prope nos venisse, de superiore miraculo gratias Deo agentes dicebamus: Quoniam à scelestis illis inimicis nostris Dominus Deus nos liberauit, de cætero si leænæ tradere voluerit, Dei gloriam laudabimus, & ei gratias agemus.

Cùm hæc nos ipsi cogitaremus, leæna catulum ore suo tollens, è spelunca exijt, & de loco illo nobis concessit. Postquā igitur leæna exiuit, mansimus in

ſpelunca diem illum. Cùm verò dies alter illuxiſſet, egreſsi camelos inueni-mus portantes quæ tam dominus, quàm ſeruus pro viatico ſuo attulerant. Ex illis igitur cùm cibum, & potum ſumpſiſſemus, & pro omnibus ijs Domino gratias egiſſemus, in camelos aſcendimus, & decem dies per deſertam regio-nem tranſeuntes, ad Romanorum caſtra peruenimus; & Tribunum, qui ca-ſtra ſeruabat, adeuntes, omnia, quæ nobis acciderant, illi retulimus; qui ad Abianum nos miſit tunc ducem Meſopotamiæ. Ille, vt res noſtras audiuit, camelos à nobis accepit, & eorum pretio nobis dato, dimiſit nos, vt quieti ad noſtra loca reuerteremur. Accidit autem, vt ante reditum noſtrum ſanctus Abbas obiret.

Ego mulierem illam, quæ conſilij, & bonorum operum ſe mihi adiutricem præbuerat, in monaſterium virginū tradidi, & ipſe in monaſterium ad ſpirituales fratres meos reuerſus, quò ab initio dominus Deus me duxerat, omnia, quæ acciderant, illis aperui, & confeſſus ſum, eò quòd admonitionibus ſancti patris obedire nolueram, propterea Dominum permiſiſſe, vt ad multorum e-mendationem tentationes illas paterer.

Hæc omnia tibi, fili, expoſui. Tu caue, ne obedientiam negligas, ſed o-bedientiæ patientiam adiunge, & multam ſalutem à Deo percipies. Diuinis enim præceptis obedire æterna vita eſt; & perfecta patientia ſalutem ſempiter-nam conciliat. Qui enim perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit: di-cit Dominus.

Hæc mihi adhuc iuueni ſanctus ille ſenex Malchus expoſuit, quæ ego vobis, filij, propter fraternæ charitatis legem, vt tuti eſſe poſsitis, tanquam ſancto-rum ſenum temperantiæ monumenta, expoſui; quæ & ipſi poſteris narrate, vt diſcant eos, qui [4] virginitatis caſtitatē puram, & inuiolatam Chriſto ipſi ad fi-nem vſque ſeruarint, omnibus tentationibus inimici & hoſtis diaboli ſuperiores euadere, Chriſto ipſo victoriam eis largiente, gratia, & benignitate eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti; Cui gloria, & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

[4] Vide & hic Virginitatis caſtitatē puram, & in-uiolatā Chriſto ad finem vſq; vitæ ſeruari poſſe.

SEPTIMI
TOMI
PARS
TERTIA.

ALOYSIVS LIPOMANVS EPISCOPVS VERONENSIS

SYNCERO LECTORI.

LIBER hic, quem in tertia huius septimi Tomi parte legendum exponimus, Pratum spirituale nominatur, ex Græco Latinus per doctum virum Ambrosium Camaldulensem monachum redditus, quem adhuc typis excusum non nisi vernacula, atque ea Italica lingua habuimus. Tanta autem spiritualium flosculorum amœnitate refertus est, vt in Paradisi deliciis ortus esse videatur. In eo siquidem antiquorum monachorum, & aliorum patrum Deo ex intimis præcordijs seruientium redolet vitæ splendor, regularis disciplinæ obseruantia, pudicitiæ, & continentiæ norma, victus, & vestitus parsimonia, contra hæreticos inuicta constantia, in ieiunijs, vigilijs, & orationibus asidua perseuerantia, & erga Dominum Iesum Christum eximius, & inæstimabilis amor; quinetiam admirabilia quædam, ac Spiritu sancto plena responsa, quæ legentium mentes spirituali quadam dulcedine perfundunt; sanctarum denique mulierum inuicta fides, castitas incomparabilis, & felix earum in Deo consummatio. O si tales modò inueniremus milites Christo seruientes, quàm illustris, quàm splendida, quàm decora esset Ecclesiæ nostræ facies, quam adeò deiectam, & obsoletam, ac supra pelles Salomonis, atque Moysi Aethiopissam (proh dolor) denigratam conspicimus. Quòd autem libro huic integra fides præstari posit, nec inter apocrypha censeatur, facit duorum amplissimorum Patrum Græcorum testimonium, quorum alter est Photius Patriarcha Constantinopolitanus, alter Ioannes Damascenus, qui in fine primi libri, quē pro imaginibus scripsit, quoddam mirabile factum, quod in hoc libro describit, narrat, hac nota præmissa, ἐκ τοῦ λειμωναρίου τοῦ ἁγίου πατρὸς ἡμῶν Σωφρονίου ἀρχιεπισκόπου Ἱεροσολύμων, hoc est, Ex paruo prato sācti Patris nostri Sophronij Archiepiscopi Hierosolymorum.

Ioannes præterea Diaconus, postea Romanus Pontifex, in quarto libro,

quem de Beati Gregorij vita scripsit, cap. 63 huius voluminis mentionem fecit, dum mirabile illius sancti Pontificis factum recenset, sic inquiens: Sed ne solis verbis tanti praesulis humilitas inculcari credatur, superest, vt ex Graecorum relationibus ad me nuper interpretatis eadem patris humilitas viuis operibus demonstretur; in quibus videlicet ita refertur: Enarrauit nobis Abbas Ioannes Persa, sanctus, & venerandus vir existens: & caetera, quae sequuntur, prout in Prato hoc spirituali capite 151 habentur.

Sed quod his omnibus maius est, in secunda Nicaena synodo, quae pro cultu venerabilium imaginum contra Iconoclastas celebrata est, Actione quarta ita legitur: Eustachius venerabilis monachus, presbyter, & Praeses mansionis Maximi dixit: Et ego, patres, sancti Sophronij patris librum affero continentem multorum sanctorum vitas; & si placet, adducatur. Sancta synodus dixit, legatur. Stephanus itaque monachus, accepto librum legit. Eiusdem patris nostri Sophronij è Limonario. Dixit Theodorus Abbas Aelioces, quòd erat quidam inclusus; & caetera. Vbi totum caput 45, quod in hoc libro habetur, ad verbum redditur. Nihil est ergo, quòd de fide libri ambigere posis.

Verum, scio, statim moueberis, & dices: Quae adduxisti pro libri commendatione, magnum scrupulum menti iniiciunt; nanque tam Damascenus, quàm Synodus librum Sophronio Patriarchae Hierosolymitano inscribunt, tu verò sub nomine Ioannis cuiusdam Euirati ad Sophronium Sophistam illum scribentis euulgas. Quomodo ergo haec conuenire possunt inter se? Dubium sanè haud contemnendum, & quod me ipsum quoque prima facie valde commouit. Sed profundiùs postea cogitanti omnis dubitationis caligo perfacilè dimota est. Scriptor libri prorsus Ioannes Anachoreta fuit. Id tibi ex capite 77 voluminis ipsius liquidò constare poterit. Photius quoque hunc ipsum auctorem libri Ioannem Moschum (natione fortasse) fuisse asserit, cuius cognomen Interpres Latinus forsan Euiratum reddidit. Verùm Sophronio his de causis attribuitur. Vel quia ad ipsum per charissimum socium inscribitur, vt quemadmodum & Rhetoricorum Ciceronis ad Herennium, & eiusdem ad Atticum epistolae, ad Herennium, & ad Atticum libri nuncupantur, sic Sophronij liber hic dicatur, quia ad Sophronium dirigitur, atque ex eo maximè quòd ad vsum illius imprimis conscriptus est. Nanque auctor ipse in epistola, quam libro praemittit, fatetur se ex hoc prato coronam Sophronio contexuisse, ac per eum alijs deinceps obtulisse. Seu quia in hoc libro dicta, & gesta ipsius Sophronij pro maiori parte continentur. Nam is totius itineris libri huius auctoris fuit indiuiduus comes; & quaecunque ambobus ambulantibus occurrerũt, vel quaerentibus responderi contigit, diligentissimè descripta sunt. Quare etiam haec verba saepissimè iterata videbis: Venimus ego, & Dñs meus Sophronius Sophista ad Abbatem talem: & caetera. Et ideo semper etiam plurali locutione vtitur dicens: Perreximus, accessimus, Vidimus, Narrauit nobis senex monasterij dux. Per quae omnia conspici datur, scriptorem nunquam solum fuisse in his, quae narrat, perquirendis. Sicut ergo Platonis Phaedrus, Timaeus, Gorgias, & Parmenides, & Tullij liber de senectute, Cato maior inscribuntur, à personis, quae ibi colloquentes, & disputantes inducuntur, quid obstabit huic libro, quin Sophronij dicatur, cùm in eo is ambulans, visitans, operans, interrogans, & respondens, vbique ferè asseratur? Aut demum ex illa causa Sophronio ascribitur, quoniam vnà cum Ioanne praedicto conscriptor (vt ita dicam) fortè eiusdẽ libri fuit. Lege huius voluminis caput 77, & in eius principio ita scriptum reperies: Ego, & Dominus meus Sophronius perreximꝰ ad Philosophi Stephani domũ doctrinae gratia: & caetera. Deinde in fine eiusdem capitis hoc modo scriptum legitur: Ista cùm audiuimus, innuit

mihi

mihi dominus meus Sophronius, & recessimus; & dixit mihi: Verè, Abba Ioannes, hodie nihil vltra studeamus; satis enim ædificati sumus. Hæc ergo scripsimus, vt & vos pariter ædificemini. Vna ergo ex his rationibus, seu potiùs omnibus simul accedentibus, iurè, meritòq; liber iste Sophronij nomine inscriptus videtur.

Nec te moueat, quòd in hoc libro Sophronius hic non appellatur Hierosolymorum Patriarcha, Sed Sophista. Nam vocabulum hoc non in malam olim partem, sicut fit modo passim, sed in bonam accipiebatur, nec aliud designabat, quàm sapientem, & prudentem hominem; qualis fuit & Libanius ille, ad quem multæ Magni Basilij epistolæ directæ fuerunt, ipsum maximis præconiis efferentes. Potuit ergo vir iste priùs & monachus esse, & Sophista nuncupari, inde verò ad sanctam Hierosolymorum sedem assumi, ex qua, tanquam digniori loco, postea denominationem acceperit.

Quo autem tempore viri hi, qui librum conscripserunt, claruerint, pro certo non habetur. Verùm cùm magni Gregorij Romani Pontificis huius nominis primi factum narrêt, & synchronorum Cæsarum, videlicet Anastasij, Tyberij, Mauritij, & Zenonis mentionem faciant, & in sexta Synodo hic liber adducatur, coniectura assequi possumus, circa annum Domini sexcentesimum, illum fuisse conscriptum.

Lege ergo lubenti animo, & fide certa opus istud, candide lector, cuius exemplum ex Apostolica Bibliotheca accepimus, & ita mores, & vitam tuam ad eius lectionem compone, vt talium, tantorumq; virorum, quos hîc descriptos inuenies, dignus æmulator existas, postmodum verò eorum consortio in æterna beatitudine feliciter adiungare. Quod tibi, & mihi Dominus præstare dignetur, & omnibus, qui Dominum Iesum diligunt in synceritate. Vale.

O O

IOANNES EVIRATVS DILECTO SVO IN CHRISTO SOPHRONIO SOPHISTAE.

PRATORVM faciem verno maximè tempore esse iucundissimam, fili charissime, perspicuum omnibus est, quam scilicet omnigenum florum grata varietas efficit, intuentium in se prouocans aspectum, ac prætereuntes detinens, ipsosq; variè pascens. Nanq; arridet oculis, ac mulcet olfactum. Huius verò prati pars rosarum rubore vernat, pars item albescens lilijs, ab aspectu roseo intuentes ad se facilè aduocat. Alia item ex parte violæ rutilant, colorèq; suo purpuram Regis imitantur. Prorsusq; varius, ac differens florum innumerabilium aspectus, atq; fragrantia, vndiq; gratiā pullulat. Huiusmodi præsens quoq; opus arbitrare, sancte, ac fidelissime fili Sophroni. Quippè reperies in eo virtutes sanctorum virorum, qui temporibus nostris claruere, ac iuxta Psalmistæ sententiam, Secus decursus aquarum plantati sunt. Qui cùm omnes Deo accepti maximè, gratiq; fuerint, alius tamen alio virtutis genere magis decoratur; atq; ex hac suaui varietate virtutum, grata venustas, amœnaq; facies surgit. Ex his ego flores pulcherrimos decerpens, coronam tibi ex immarcessibili, ac perenni prato contexui, fidelissime fili, eamq; tibi, ac per te omnibus offero. Quamobrem præsens quoq; opus Pratum appellare placuit, propter oblectationem, suaueolentiam, & vtilitatem, quam ex eo legentes capient. Virtus enim, vitæ, morumq; honestas est, ad quam non sola diuinarum rerum meditatio, fidesq; recta ducit, verùm & aliorum conuersatio, vitaq; virtutibus plena in scriptis tradita. Quocirca hoc mihi negocium assumpsi confidens in Domino, fili charissime, idq; vestræ charitati persuasum esse cupiens, quia apis in morem, vtilia quæq;, ac vera prosecutus, sanctorum patrum rectè facta pro animarum lucro descripsi.

VITA SANCTI SENIS IOANNIS, ET DE SPELVNCA SAPSAS.

CAP. I.

ERAT SENEX quidam habitans in monasterio Abbatis Eustorgij, Ioannes nomine, quem sanctus Elias Archiepiscopus Hierosolymorum voluit Ducem monasterij cõstituere. Ille verò non acquiescebat dicens: In montem Sina orationis causa pergere volo. Archiepiscopus autem cogebat eum, vt prius Abbas fieret, & postea pergeret, quò vellet. Cùm verò senex non acquiesceret, dimisit eum spondentem, se, postquàm reuersus esset, suscepturum regiminis curam. Et ita, salutato Archiepiscopo, iter arripuit, vt ad Sina montem proficisceretur, assumpto secum & discipulo suo. Transuadatoq; Iordane fluuio, cùm vix vno lapide processissent, cœpit senior rigore detineri, ac post paululum inuasit eum febris. Cum verò in tantum excresceret ardor febris, vt ambulare non posset, inuenerunt speluncam paruulam, in quam ingressi sunt vt requiescerent. Cùm verò febris ita inualesceret, vt se vix mouere posset, in ipsa spelunca tres dies commorati sunt. Tum senex in somnis aspexit quendam astantem sibi, & dicentem: Dic senex, Quò ire vis? Respondit: In montem Sina. Dicit ei: Ne, quæso, ne recedas hinc. Cùm verò seni id persuadere non posset, abscessit. Febris verò seni acriùs infesta erat. Rursus nocte sequenti idem seni astitit eodem habitu, & ait: Quid, senior, affligi vis? Audi me, & nusquam hinc proficiscaris. Ait illi senex: Tu quisnam es? Respondit is, qui apparuerat: Ego [1] sum Ioannes Baptista; & ideo tibi iubeo, vt nusquam recedas. Nam spelunca ista breuis, maior est monte Sina. Quippe in hanc sæpius Dominus noster Iesus, cùm me visitaret, ingressus est. Pollicere ergò mihi, quòd hîc habitabis, & ego mox tibi [2] sanitatem restituo. Quod senex audiens, libenter spopondit, se in eadem spelunca permansurum. Et continuò sanus effectus perseuerauit ibidem toto vitæ suæ tempore. Speluncam verò illam fecit Ecclesiam, congregauitq; fratres. Appellatur autem locus ille Sapsas.

[1] Si Sãcti apparent hominibus, non sunt mortui, vt quidam dicunt, sed maximè coram Deo viuunt.

[2] Et ego mox tibi sanitatem restituo. Vides, quòd Sancti in virtute Dei miracula faciunt, & sanitates conferũt?

DE SENE, QVI IN PROPRIA SPELVNCA PASCEBAT LEONES

CAP. II.

FVIT in eodem loco Sapsa, commorans in speleo senex alius tantæ virtutis, vt leones secum in eadem spelunca susciperet, atq; cibum eis in suo sinu præberet.

VITA CONONIS PRESBYTERI MONASTERII PENTHVCVLA.

CAP. III.

CVM in monasterium sancti patris nostri *Sabæ profecti* fuissemus ad Abbatem Athanasium, narrauit nobis *senex dicens*: Cùm essem in monasterio Penthucula, presbyter quidam erat ad baptismi ministerium, Conon nomine, Alexandrinus genere, quem pro vitæ merito Patres iusserant, vt baptizaret accedentes. Ipse igitur 1 sancto Chrismate vngebat, & baptizabat eos, qui ad hoc veniebant. Quoties ergò mulierem inungeret, scandalizabatur, atq; ideo ex monasterio abscedere volebat. Cùm autē ea cogitatione pulsabat, assistebat ei sanctus Ioānes Baptista dicēs: Tolera, & perseuera, & ego te ab hoc bello liberabo. Quadam verò die venit puella ex Perside, vt baptizaretur, quæ ita speciosa erat, ac tantæ pulchritudinis, vt non posset Presbyter nudam eam sancto oleo inungere. Cùm sic vero puella *illic* mansisset duos dies, audiens hoc Archiepiscopus Petrus obstupuit de sene vehementer, voluitq; ad hoc opus delegare Diaconissam mulierem, sed id non fecit, ne contra 2 Canones fecisse videretur. Conon verò presbyter, sumpto melote suo, recessit dicens: Iam non ampliùs in hoc loco manebo. Cùm ergo exijsset ad colles, ecce sanctus Ioannes Baptista obuius illi factus est, & tranquilla voce 3 affatus est illum dicens: Reuertere ad monasterium tuum, & hoc te bello leuabo. Abbas verò Conon ait illi cum indignatione: Verè non reuertar. Ecce enim iam toties pollicitus es mihi istud, nec fecisti. Tunc sanctus Ioannes eum sedere fecit, amotisq; vestimentis eius, signauit eum ter signo Crucis sub vmbilico, dixitq; ei: Crede mihi, presbyter Conon; volebam te pro hac pugna mercede donari; sed quia non vis, ecce abstuli à te hoc bellum; mercede autem huius operis carebis. Reuersus Presbyter in cœnobium, vbi baptizare consueuerat, in crastinum vnctam puellam baptizauit, neq; penitus animaduertit, eam esse mulierem. Impleuit autem & alios annos duodecim in baptizandi ministerio tanta tranquillitate animi, & corporis, vt nullum vltra sentiret carnis motum, cùm inspiceret, ac tangeret mulieres. Atq; ita in pace consummatus est.

1 Quòd Presbyter sancto Chrisma te baptizatos inūgeret, intellige de vnctione in vertice, non autem in fronte. Nam hoc solis competit Episcopis. Ex quo etiā habes, ritus qui ex Ecclesiæ consuetudine in baptismo adhiberi solent, esse seruandos, cuiusmodi est hæc sacra vnctio.

2 Vide in quāta obseruatione essent Canones ecclesiastici etiam apud antiquos illos Patres.

3 Ecce quomodo viuēs est etiā post mortem sanctus Ioānes Baptista. Habes etiam quō sancti miracula faciunt in virtute Dei. Denique quòd Crucis signū magnas virtutes operatur.

VISIO ABBATIS LEONTII.

CAP. IIII.

NARRAVIT nobis Abbas Leontius, cœnobij sancti patris nostri Theodosij Dux, dicens: Postquam fugati sunt ab infidelibus persecutionem passi Monachi propter nouum monasterium, quod dicitur Laura, illuc ego profectus sum, mansiq; in eadem Laura. Quodam verò die Dominico descendi in Ecclesiam, vt acciperem sacra mysteria. Ingressusq; vidi Angelum stantem ad dextrum altaris cornu, & magno pauore correptus, reuersus sum in cellulam meam. Et venit mihi vox de cœlo, dicens: Ex quo [1] sanctificatum est altare istud, ego iugiter illi astare iussus sum.

[1] Vide rem miram pro Altarium consecratione, & quomodo ea antiquis quoq; Patrib' fuit in vsu.

RELATIO ABBATIS POLICHRONII DE TRIBVS MONACHIS.

CAP. V.

ABBAS Polichronius eiusdem nouæ Lauræ, presbyter, narrauit mihi, dicens: Cùm sederem aliquando in monasterio Turrium Iordanis, vnum illic ex fratribus animaduerti sui ipsius negligentem, & nunquam sanctæ diei Dominicæ [1] Canonem implentem; post modicum verò temporis eundem aspexi cum omni studio, & alacritate se exercentem. Tunc ego dixi ei: Nunc optimè facis, curam tui gerens, frater. Qui ait mihi: Domine pater, modò moriturus sum. Et post dies tres mortuus est.

[1] Ecce diem Dominicum sanctum, qui etiam apud antiquos Patres obseruabatur.

RVRSVS idem Abbas Polichronius narrauit mihi dicens: Cùm in eodem monasterio defunctus esset quispiam fratrum, dixit mihi dispensator: Fac charitatem, & veni, vt fratris vasa in locum dispensationis deferamus. Cùm ergo ferre cœpissemus, aspicio dispensatorem flentem; cui dixi: Quid, quæso, ita ploras, Abba. Quia, inquit ille, hodie fratris vasa fero, & post duos dies alij portabunt mea. Tertiaq; die requieuit frater ille, sicut prædixerat.

CAP. VI.

IDEM etiam Abbas hoc narrauit, quòd cùm esset in monasterio Abbatis Constantini Ducis Monasterij sanctæ Mariæ Dei genetricis, quæ Noua dicitur, audiuit quendam fratrum in Xenodochio Hiericuntino requieuisse; quem cùm accepissent fratres, vt ferrent ad monasterium Turrium, & sepelirent, ex quo iter agere cum corpore cœperunt, stella supra defuncti caput quasi a comes itineris apparere non destitit, donec ipsum sepulturæ traderent.

a Hæc miracula, quæ post Sanctorum obitus contingunt, sanctitati vitæ eorum testimonium ferunt.

VITA ET MORS CVIVSDAM SENIS, QVI RECVSAVIT ABBAS FIERI IN MONASTERIO TVRRIVM.

CAP. VII.

ALIVS quidam senex sedebat in eodem monasterio Turrium. Patres igitur eiusdem monasterij ipsum, vt magnum, & virtutibus clarum, voluerunt sibi cõstituere Abbatem. Senex verò orabat dicens: Ignoscite mihi, Patres, & permittite me flere peccata mea. Ego enim talis meriti non sum, vt possim animarum curam gerere. Negocium istud magnorum, & excellentium patrum est, Antonij, Pachomij, sanctiq́; Theodori. Cùm verò fratres illi non acquiescerent, ipsum'q; diebus singulis orarent, videns se ab eis nimium vrgeri, dixit eis: Permittite, me tribus diebus orare, & quicquid me Deus facere iusserit, faciam. Erat autem Parasceue dies. Dominica verò die manè requieuit.

VITA ABBATIS MYROGENIS HYDROPICI.

CAP. VIII.

SENEX quidam erat in eodem monasterio Turrium, Myrogenes nomine, qui ob nimiam a austeritatem vitæ hydropicus effectus fuerat. Dicebat autem iugiter his fratribus, qui ad eum conueniebant visitandi gratia: Orate pro me, Patres, ne interior homo hydropicus fiat. Ego enim, vt in hac infirmitate diutius durem, Deum oro.

a Antiqui Monachi vitam austeram ducebant.

De hoc Abbate Myrogene cùm audiuisset Hierosolymitanus Archiepiscopus Eustochius, voluit ad eum mittere quæcunq; erant necessaria, sed ille nunquam ab eo quicquam consensit accipere. Hoc autem solùm illi significabat: Ora pro me, Pater, vt liberer ab æterno cruciatu.

DE MIRA CVIVSDAM SANCTI PATRIS CHARITATE.

CAP. IX.

In ipso monasterio Turrium senex quidam erat sanctæ nuditatis, & eleemosynæ valde studiosus amator. Quadam ergò die venit pauper ad eius cellulam eleemosynam petẽs. Senex verò cùm non nisi vnum panem haberet, proferens ipsum, dedit pauperi. Tunc dicit ei pauper: Nolo panem, sed indumentum. Volens autem senior curare illũ, apprehensa manu eius, introduxit in cellulam suam. Pauper autem cùm illic nihil omnino inuenisset, nisi solùm quod ille induebat, tanta senis virtute compunctus, soluit sacculum suum, & in medio cellulæ quæcunq; habebat euacuans, dixit: Sume ista, senior optimè, & ego alibi quæram, quæ mihi sunt necessaria.

Prisci Monachi sãctæ paupertatis amatores sẽper fuerunt.

VITA BARNABAE ANACHORETAE.

CAP. X.

Anachoreta quidã erat in spelũcis Iordanis, Barnabas nomine. Hic die quadam cùm descenderet bibere aquam de Iordane, infixa est pedi eius ex arundine festuca. Permansitq;, stimulum pedi infixum tenens iugiter, neque passus est, vt eum medicus videret. Itaq; computruit pes eius. Coactus verò est ascẽdere ad monasterium Turrium, sibiq; vnam cellulam accipere. Porrò pes eius indies putrescebat magis. Dicebat autem his, qui ad eum veniebant, quòd quantò magis homo exterior patitur, tantò amplius interior viret.

POSTQVAM verò ascendit Abbas Barnabas ex spelunca sua ad Turres, cùm fuisset ibi aliquantulum temporis, Anachoreta quidam alius abijt ad speluncam ipsius, ingressusq; vidit Angelum Dei stantem super altare, quod fecerat senior, atq; 1 sacrauerat. Aitq; ad Angelum Anachoreta: Quid hîc agis? Cui Angelus ille: Ex quo sanctificata sunt ista, à Deo ipso mihi credita sunt.

1 Habes hîc quoque Altaris consecrationem, & mirabilẽ eius effectum.

VITA ABBATIS AGIODVLI.

CAP. XI.

ABBAS Petrus presbyter monasterij sancti Patris nostri Sabæ, narrauit nobis de Abbate Agiodulo, dicens: Cùm is esset Dux monasterij beati Gerasimi, contigit fratrem quendam de illic residentibus mori. Quod cùm senex ignoraret, pulsaretq; Præfectus Canonis signum, quo fratres conuenientes mortuum efferrent, vt vidit senex cadauer in Ecclesiæ medio iacere, contristatus est valde, quòd non illũ salutasset, priusquàm migraret à sæculo. Profectusq; secus lectulum, vbi iacebat, ait defuncto: Surge, frater, & da mihi osculum. Qui protinus surgens, osculatus est senem. Tum dixit senex: Dormi iam, quousq; veniat Christus filius Dei, & resuscitet te.

IDEM Abbas Agiodulus cùm transiret iuxta Iordanis ripas, secum animo, & cogitatione voluebat, quid actum fuisset de lapidibus inIectis à Iesu Naue pro his, quos inde sustulerat. Cùmq; ista cogitaret, confestim hinc, & hinc diuisæ sunt aquæ. Tunc vidit illos duodecim lapides; prostratusq; 1 humi Deo gratias egit, & recessit.

1 Prostratus humi gratias egit Deo. Habes orationem cum corporis prostratione.

DICTVM ABBATIS OLYMPII.

CAP. XII.

FRATER interrogauit Abbatem Olympium presbyterum monasterij sancti Gerasimi, dicens: Dic mihi verbum. Qui dixit ei: Ne sedeas cum 1 hæreticis; & contine linguam, & ventrem; ac vbicunq; sederis, dic assiduè: Peregrinus sum.

1 Semper sancti Patres auersati sunt hæreticos, itaq; nõ ẽ cũ eis in aliquo communicandum.

VITA ABBATIS MARCI ANACHORETAE.

CAP. XIII.

DICEBANT de Abbate Marco Anachoreta, qui morabatur prope monasterium Penthucula per annos sexaginta tres, quòd hanc habuerit virtutem, hebdomadas integras ieiunandi, ita vt putarent quidam, eum sine carne esse. Operabatur 1 autem die ac nocte, & distribuebat pauperibus omnia, neque ab aliquo quippiam accipiebat. De hoc audientes fideles viri, venerunt, vt darent ei agapem. & ait ad eos, non accipio, quia manus meæ nutriunt me, & eos, qui propter Deum ad me veniunt.

1 Operabantur manibus antiqui monachi, & ex labore ipsi viuebant, & pauperibus eleemosynas distribuebãt.

DE FRATRE, QVI A SPIRITV FORNICATIONIS IMPVGNABATVR, ET LEPROSVS EFFECTVS EST.

CAP. XIIII.

ABBAS Polichronius rursum nobis narrauit, quòd in cœnobio Penthucula frater quidam erat sibi ipsi valde intentus, & continens. Cùm autem aliquando impugnaretur à spiritu fornicationis, non valens hanc pugnam sustinere, egressus de monasterio, profectus est Hierico, vt concupiscentiæ suæ satisfaceret. Moxq; vt meretricis cellam ingressus est, leprosus 1 factus est totus. Videns autem lepram, continuò rediit ad monasterium, Deo gratias referens, & dicens: Idcircò Deus hac me castigatione percusit, vt anima mea salua sit, & magnificè glorificabat Deum.

1 Vides ex hoc loco non debere Monachum à religione deficere, & institutum suũ deserere?

FACTVM MIRABILE ABBATIS CONONIS.

CAP. XV.

DICEBANT de Abbate Conone Duce monasterij Penthucula, quòd die quadam cùm iret Betamarim, obuios habuit Hebræos. Qui cùm eum occidere vellent, districtis gladijs cucurrerunt contra senem. Cùmq; appropinquassent, vibrarentq; in eum gladios, manus eorum in sublime suspensæ perstiterunt immobiles. Facta verò 1 oratione, soluit eos senex, & dimisit. Et abierunt gratias agentes Deo.

1 Ecce quō Sancti orātes, in virtute Dei miracula faciūt.

RELATIO ABBATIS NICOLAI DE SEIPSO, ET SOCIIS

CAP. XVI.

SENEX quidam sedebat in monasterio Abbatis Petri iuxta sanctum Iordanem, Nicolaus nomine, qui nobis narrauit, dicens: Cùm essem aliquando in Raythu, missi sumus tres fratres in ministerium in Thebaidem. Cum ergò per desertum itèr faceremus, errauimus de via; ferebamurq; per eremi latam vastitatem. Deficiente verò nobis aqua per aliquot dies, siti arescere cœpimus. Cùmq; iam & siti, & æstu deficientes, progredi vlteriùs non valeremus, inuentis per desertum myricis, iactauimus nos singuli sub vmbra arborum, expectantes mori præ siti. Prostratus verò in vmbram ego factus sum in extasi, vidiq; piscinam aqua plenam, & circumfluentem, duos autem supra piscinæ labium assistere, vasq; vnum ligneum. Tunc cœpi vnum ex illis rogare, dicens: Fac mecum charitatem, domine, & da mihi pusillum aquæ, quoniam deficio. Ille verò nolebat. Tunc dicit ad eum alter: Da illi modicum. Qui respondit ei, dicens: Non demus ei, valdè enim desidiosus est, & negligens sui. At alter: Vtiq; sanè negligens est, ac desidiosus, propter hospitalitatem tamen demus ei. Atq; ita præbuerunt mihi, & his, qui mecum erant. Mox autem vt bibimus, confortati sumus, & iter agentes tribus diebus alijs sine potu, peruenimus ad loca habitabilia.

VITA MAGNI SENIS.

CAP. XVII.

DICEBANT de quodam magno sene, qui in eodem monasterio Abbatis Petri morabatur, quòd quinquaginta annos egisset in spelunca sua, neque [1] vinum bibens, nec panem comedens, nisi tantùm furfureum. Tertiò autem singulis hebdomadibus communicabat.

[1] Vino non vtebatur, & panem furfureum comedebat.

VITA ALTERIVS SENIS MONASTERII LAVRAE, QVI CVM LEONIBVS DORMIEBAT.

CAP. XVIII.

NARRAVIT nobis Abbas Polichronius presbyter de alio sene, qui sedebat in eadem Laura Abbatis Petri, quòd plerumque abiens, in ripa Iordanis commonebat, & vbi cubile leonis inuenisset, illic dormiebat. Die verò quadam tulit duos leonis [1] catulos intra pallium suum in Ecclesiam, & dicebat fratribus: Si mandata Domini nostri Iesu christi custodiremus, ista animalia profectò nos timerent; sed propter peccatum serui effecti, nos illos timere comprobamur. Quare magnificè ædificati fratres, ad mansiones suas recesserunt.

[1] Vide Sanctos etiam immanissimis bestijs in virtute Dei imperare.

RELATIO ABBATIS ELIAE DE SEIPSO.

CAP. XIX.

NARRAVIT nobis Abbas Elias, dicens: Cùm aliquando morarer in partibus sancti Iordanis in speleo iuxta Eunuchorum monasterium, ideo quòd non communicarem Machario Archiepiscopo Hierosolymitano, die quadã circa horã sextam, æstu vehementissimo coquente desuper (erat enim

Augustus mensis) pulsauit quidam ostium speluncæ meæ. Egressus verò vidi mulierem, & dixi ad illam. Quid tu hîc facis? Et respondens dixit mihi: Et ego, mi pater, eiusdē, quo tu, instituti sum, & quasi vno lapide distat à te spelunca mea. Ostendebat autem & locum quasi ad Austrum. Et ait: Lustraui hanc eremum, & præ æstu nimio siti fatigata sum, fac ergo charitatem, Pater, & da mihi pusillum aquæ. Itaque protuli vrceum, & dedi ei. Quæ cùm sumens bibisset, dimisi illam. Cùm autem abijsset, cœpit diabolus impugnare me, immittens cogitationes sordidas in eam. Superatus igitur, neq; ferens libidinis ardorem, sumpta virga mea, cellam egressus sum in feruore æstus, cùm lapides ignescerent, profectusq; sum ad illam, vt implerem turpem concupiscentiam. Cùm verò fermè vno stadio ab eius adhuc speleo distarem, vrente me grauiter æstu libidinis, repentè factus in exstasi, vidi apertam terram, & me hiatu terræ absorptum. Aspicioq; illic 1 cadauera putrida iacentia, & resoluta, & incredibili fœtore plena, quendam que reuerendi habitus virum ea mihi demonstrantem, ac dicentem: Ecce istud mulieris est, istud viri, istud pueri, fruere iam vt vis, & quantumlibet concupiscentia tua: Huius tamen voluptatis gratia vide quot labores amittere voluisti. Vide propter quod peccatum vosipsos priuare vultis Regno cœlorum. Væ humanæ miseriæ. Propter vnius horæ voluptatem tanti laboris mercede frustramini. Ego autem præ nimio fœtore in terram corrui. Tunc accedens vir ille venerabilis, qui mihi apparuerat, erexit me. Et gratias agens Deo reuersus sum in locum meum.

1 Ecce quàm mirabili visione voluit Deus sanctum virum à peccato seruare, omnesq; monachos docere, non debere eos institutum suum deserere carnis concupiscentia tentatos.

CONVERSIO CVIVSDAM MILITIS AD MIRACVLVM DEI IN SE FACTVM, CVIVS ETIAM VITA COMPENDIOSE DESCRIBITVR.

CAP. XX.

NARRAVIT nobis quidam Patrum, accepisse se à quodam milite, quòd cùm bellum in Africa gererent Romani cum Mauritanis, victiq; fugarentur à Barbaris, ac plurimi illorum passim cæderentur, ipsum quoq; vnus ex Barbaris nactus, hastam, vt illum feriret, vibrare cœpit. Quod ille cùm cerneret, orare Deum cœpit, ac dicere: Domine Deus, qui apparuisti ancillæ tuæ Theclæ, & eripuisti eam de iniquorum manibus, libera & me de hac necessitate, & salua ex hac acerba morte, mox 1 ibo in eremum, & agam vitam solitariam. Conuersus autem neminem ex Barbaris vidit. Itaque continuò venit ad hanc Lauram Cupatha. Manseratq; iam in spelunca, Dei se protegente gratia, annos trigintaquinq;.

1 Vide vota cū adiecta conditione fuisse in vsu etiam apud priscos patres, & post emissionem, adiectæq; conditionis euentum, ab illis fuisse impleta.

MORS

MORS ANACHORETAE, ET EIVS INTERFECTORIS.

CAP. XXI.

ABBAS Gerontius Præpositus monasterij sancti Patris nostri Euthymij, narrauit mihi, & Sophistæ Sophronio dicens: Tres simul eramus trans mare mortuum, ambulantibusq; nobis in montem, Anachoreta quidam alius circa maris ripam deambulabat. Contigit autem Sarracenos transire per loca illa, & occurrere ipsi. Cùm ergo præterijssent illum, reuersus vnus ex eis Anachoretæ caput abscidit, nobis de longinquo spectantibus. Iam enim conscenderamus montem. Cum verò lachrymaremur tristes propter Anachoretæ casum, repentè cernimus 1 auem superne venientem, raptum Sarracenum in sublime tulisse, atq; inde in terram illum dimisisse, ex eoq; lapsu Sarracenum interijsse.

1 Disce ex hoc loco Sanctis non inferre nocumenta.

VITA ALTERIVS SENIS CONONIS.

CAP. XXII.

SENEX quidam erat in Cœnobio sancti patris nostri Theodosij, nomine Conon, Cilix genere, hanc vitæ normam per triginta annos 1 custodiens. Semel comedebat in hebdomada panem, & aquam, & sine intermissione operans, nusquam de Ecclesia egrediebatur.

1 Tria hîc habes, Miram abstinẽtiam, Aquæ potũ, Opus manuum.

VITA THEODVLI MONACHI.

CAP. XXIII.

ALIVM vidimus senem in eodem monasterio, Theodulum nomine, qui miles antea fuerat. Is dies 1 omnes ieiunans, nunquam in latus dormiebat.

1 Ecce longa antiquorum Monachorũ ieiunia.

VITA SENIS CVIVSDAM HABITANTIS IN CELLIS CVZIBA.

CAP. XXIIII.

ERAT Senex quidā habitans in cellis Cuziba, de quo narrabant nobis loci eius seniores, quòd dum in vico suo esset, hanc habebat consuetudinem, vt si quem vidisset in vico præ inopia non valentem agrum suum seminare, noctu ibat, ignorante agri domino, semenq́ secum ferens, pauperis illius serebat agrum. Cùm autem venisset in eremum, & moraretur in cellis Cuziba, eadem miserationis faciebat opera. Ibat 1 enim per viam, quæ ducit à Iordane ad sanctam ciuitatem, ferens panes, & aquam. Et si quando videret aliquem lassescentem, portabat onus eius, & ascendebat vsq; ad sanctum montem Olíueti, rursusq́; per eandem cum cæteris redibat viam, ferens illorum onera vsq; Hierico. Vidisses senem aliquando ferentem onus ingens, sudantemq́; sub fasce; aliquando portantem in humeris puerulum, sæpè etiam duos. Nonnunquam sedebat, viri, siue mulieris disrupta calceamenta resarciens. Ferebat quippe secum quæcunq; ad hoc erant necessaria. Alios potabat ea, quam ferebat, aqua. Alijs præbebat panes. Si quem verò inuenisset nudum, pallium, quod ferebat, dabat ei. Eratq́; dulcè videre senem singulis diebus laborantem. Et si quando mortuum in via reperijsset, expletis super eum 2 psalmis consuetis, & orationibus, sepeliebat eum.

1 Vide quanta charitate in proximū ferebatur sanctus pater, nam antiqui monachi in legis,& præceptorū Dei obseruatiōe. huius vitæ beatitudinē constituebāt.

2 Ecce Christianum morem sepeliendi mortuos, cum psalmis videlicet, & orationibus super eos dictis.

DE FRATRE MONASTERII CVZIBA, ET SANCTAE OBLATIONIS VERBIS, NEC NON DE ABBATE IOANNE.

CAP. XXV.

FRATER quidam erat in cœnobio Cuziba, vt nobis Abbas Gregorius Scholasticus retulit qui sanctæ oblationis verba, ritumq́; didicerat. Die ergo quadam missus vt benedictiones ferret, cùm iam rediret ad monasterium, verba sanctæ oblationis, quasi versus aliquos caneret, dixit. Easdem verò benedictiones imposuerunt Diaconi

sancto altari. Quas cùm Abbas Ioannes presbyter offerret, qui postea Cæsareæ Palæstinæ Episcopus fuit, non vidit, vt solitus erat, sancti 1 Spiritus aduentum. Contristatusq; valde, & cogitans, ne quid fortè peccasset in mente, atq; ideo se Spiritus sanctus auertisset, ingressus est sacrarium plorans, corruitq; in faciem suam. Apparuit autem ei Angelus Domini dicens: Quoniam frater ille, qui oblationes attulit, verba sanctæ oblationis in via dixit, sanctificatæ 2 iā, ac perfectæ sunt. Extunc igitur statuit senior, vt nullus deinceps addisceret sanctæ oblationis verba, nisi qui ordinatus ad hoc esset, neq; passim ea quispiam diceret.

1 Sancti Patres soliti erāt in sacrorum oblatione mysteriorum Spiritus sancti aduentum aliquo signo cognoscere.

2 Aduerte quòd nō nisi ex peculiari diuino priuilegio hoc accidit, cùm ille non esset sacerdos.

VITA FRATRIS THEOPHANIS, EIVSQVE MIRABILIS VISIO. ET DE COMMVNICATIONE CVM HAERETICIS.

CAP. XXVI.

SENEX quidam sedebat in Laura Calamonis iuxta Iordanem fluuium, Cyriacus nomine, magni apud Deum 1 meriti. Ad hunc profectus est frater peregrinus ex regione Dora, Theophanes nomine, vt interrogaret senem de cogitationibus fornicationis. Quem senior hortari cœpit, atq; vrgere verbis de pudicitia, & castitate. Frater itaq; magnificè ædificatus ait seni: Verè, mi pater, ego nisi in regione mea Nestorianis communicarem, tecum permansissem. Cùm verò audisset senex Nestorij nomen, afflictus de perditione fratris, corripiebat eum, & orabat, vt recederet ab hac pessima, & perniciosa hæresi, accederetq; ad 2 sanctam Catholicā, & Apostolicam Ecclesiam, dicens, non 3 esse aliam salutis spē, nisi rectè sentiamus, & credamus (vt reuera est) sanctam Mariam Dei genetricem esse. Dixit autem frater ille seni: Profectò, domine pater, omnes hæreses sic dicunt: Nisi nobiscum communices, saluus esse non poteris. Quid ergo faciam, infelix, nescio. Deprecare igitur Dominum, vt reipsa me certum faciat, quænam sit vera fides. Senex autem cum gaudio fratris verba suscepit, dixitq; illi: Sede in spelunca mecum, & omnino spem in Deo habeto, quia reuelabit tibi ipsius benignitas, quæ sit vera fides. Dimissoq; fratre in spelunca sua, egressus est senior prope mare mortuum, orans Deum pro fratre. Circa autem horam nonam diei sequentis, aspexit frater quendam astantem sibi aspectu terribilem, ac dicentem: Veni, & vide veritatem. Assumensq; eum, duxit in locum tenebrosum, ac fœtidum, ignes euaporantem. Atq; in ipsis ignibus vidit Nestorium, Eutychen, Appollinarem, Dioscorum, Seuerum, Arium, Origenem, & alios quosdam. Dixitq; illi is, qui apparuerat. Locus iste præparatus est hæreticis, & blasphemantibus, & his, qui illorum dogmata sequuntur. Si ergo placet tibi locus, persiste in tuo

1 Vides, quòd sancti viri, qui Dei mādata custodiunt, meritum habent apud Deum.

2 Nota quòd hæretici omnes sunt extra gremium sanctæ Catholicæ, atq; Apostolicæ Ecclesiæ.

3 Mira sententia, & vera, non esse aliā salutis spem, nisi rectè sentiamus, & credamus, sanctam Mariam Dei genetricē esse.

dogmate. Si autem supplicium istud experiri non vis, accede ad sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam, quam te senex docet. Dico enim tibi, quia si 4 omnes virtutes homo operetur, nec rectè credat, in hoc loco cruciabitur. Atque in hoc verbo venit frater in semetipsum, & redeunti seni narrauit omnia, quæ viderat, accessitque ad communionem sanctæ Catholicæ Ecclesiæ. Remansit autem cum sene, impletisque quatuor cum illo annis, dormiuit in pace.

4 Sicut nō sufficit sola fides ad salutem absque bonis operibus, sic nec omnia bona opera sine recta fide.

VITA PRESBYTERI VILLAE MARDANDOS.

CAP. XXVII.

DECEM fere millibus passuum ab vrbe Ciliciæ Aegina, villa quædam est, nomine Mardandos, in qua templum est sancti Ioannis Baptistæ. In hac senex quidam presbyter sedebat, summi 1 apud Deum meriti, magnarumque virtutum. Quadam verò die villæ ipsius habitatores accesserunt ad Episcopum accusantes senem, ac dicentes: Tolle à nobis senem hunc, nam molestus nobis est. Dicit eis Episcopus: Quid vobis facit? Dicunt ei: Accedit missam celebrare die Dominico, nunc hora tertia, nunc autem hora nona, vt sibi visum fuerit, neque seruat solennem, ac legitimum ordinem 2 sanctæ oblationis. His compertis, Episcopus assumens senem scorsum ait illi: Quid ita facis, senior? An ignoras sanctæ Ecclesiæ statuta? Ait senex: Vera profectò prosequeris, & rectè dicis. Verùm quid agam, ignoro. Die enim Dominico post nocturnos hymnos, propè sanctū altare sedeo, & quousque videā 3 Spiritum sanctū altari obumbrantem, sancta Missarum solennia non incipio. Cùm autem aduenisse Spiritum sanctum aspicio, tunc ego sacra officia consummo. His auditis, Episcopus admiratus virtutem senis, conuocat habitatores villæ, satisfaciensque illis, dimisit eos in pace.

HVIC seni misit Abbas Iulianus Stylites salutationem, mittens ei etiam pannum inuolutum, habentem intus tres 4 carbones ignis. Senex verò suscipiens salutationem, & carbones ardentes, remisit eidem Abbati ipsum pannum inuolutum aqua plenum. Distabant autem ab inuicem ferè viginti millibus passuum.

1 Senex summi apud Deum meriti.

2 Vide Missā vocari sanctam oblationem.

3 Ecce quomodo & hîc ostenditur Spiritus sanctus olim visibiliter apparuisse circa Missarum celebrationem.

4 Aduerte, quòd sancti viri etiam irrationalibus creaturis dominantur.

FACTVM MIRABILE ABBATIS IVLIANI STYLITAE.

CAP. XXVIII.

NARRABAT Abbas Cyriacus discipulus prædicti Abbatis Iuliani Stylitæ, dicens: Venimus ego, & pater meus, & frater à regione nostra ad Abbatẽ Iulianum, audita eius fama. Ego enim habebã passionem insanabilẽ, quã nullus hominũ curare potuerat. Venientem igitur senex protinus me oratione sua curauit. Mansimus autem omnes apud eũ, & abrenũciauimus seculo. Constituitq; senior patrẽ meum super frumentũ. Quadam verò die venit pater meus, & ait Abbati Iuliano: Frumentũ non habemus. Senex autẽ de columna respõdens ait: Vade, frater, & ipsum, quod inueneris, collige hodie, & mole, & de crastino Deus nostri curã habebit. Ille verò in hoc verbo turbatus (sciebat enim se nihil dimisisse) abijt ad cellam suã. Necessitate autẽ vrgente misit ad eũ senex dicens: Accede huc. Ille cùm vix venire acquieuisset, dicit ei senior: Frater Conon, vade, & quod inueneris, fac in cibum fratrum. Ille præ iracundia sumptis horrei clauibus abijt, volẽs terræ puluerem ferre. Cùm autem amotis claustris ostia vellet aperire, non poterat. Erat enim totum horreum frumento plenum. Quo ille viso perterritus, seni veniam prostratus petijt.

Oratione sãcti viri protinus curatus est infirmus. Magna ergo res Oratio.

MIRACVLVM SANCTISSIMAE EVCHARISTIAE.

CAP. XXIX.

QVASI triginta milliaribus ab Aegina ciuitate Ciliciæ Stylitæ duo erãt separati ab inuicẽ sex millibus passuũ. Ex his alter sãctæ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ cõmunicabat, alter autẽ, qui etiã plus temporis in columna egerat, Seuerianæ impietatis erat. Varijsq; modis hæreticus Catholicum criminabatur. Ille verò diuinitus inspiratus, petijt ab eo, vt partem sibi mitteret cõmunionis suæ. Qui gaudio elatus, quòd quasi illũ seduxisset, protinus misit nihil hæsitãs. Suscipiẽs itaq; Catholicus missã sibi ab hæretico Seueriani sectatore particulã, in feruentẽ ollam iniecit, moxq; resoluta est. Sumptam quoq; Catholicæ Ecclesiæ sanctã sui cõmunionem in eã cõiecit. Statimq; feruẽs olla refrigerata est, & sancta communio permansit integra, neq; madefacta est. Quam & diligenter seruauit, & ostendit nobis, cùm ad illum venissemus.

Si in sancta Eucharistia verum Christi corpus nõ fuisset, valde pbabile est, quòd nequaquam hæc duo miracula prouenissent.

VITA ISIDORI MONACHI MELITINENSIS, ALTERVMQVE MIRACVLVM CIRCA SANCTISSIMAM EVCHARISTIAM.

CAP. XXX.

DADE Cypri emporium est. In eo monasterium est, quod dicitur Philoxeme. Ad id cùm venissemus, inuenimus ibi monachum genere Melitinẽsem, Isidorum nomine. Hunc vidimus sine vlla intermissione cum eiulatu flentem. Cùm autem rogaretur ab omnibus, vt aliquantulum quiesceret, & à fletu temperaret, nulli penitus acquiescebat, dicens omnibus: Nimium peccator sum vltra omnes, qui ab initio seculi fuerunt. Cùm autem illi diceremus: Nullus certè sine peccato est, nisi vnus Deus: respondebat dicens: Veraciter, fratres, nullum inueni inter homines similem mihi peccatorem, nullumq; maius delictum, quàm meum. Et vt cognoscatis, me vera prosequi, audite peccatum meum, vt & vos oretis pro me. Ego cùm essem in seculo, vxorem habui. Eramus autem ambo Seuericiani dogmatis. Cùm ergo die quadam venissem domum, non inueni vxorem meam. Audiui autem, quòd abijsset ad vicinam mulierem, vt illi communicaret (erat autem illa catholicæ religionis, & fidei) cucurriq; protinus volens prohibere. Profectus autem domum, inueni illam iam communicasse. Quare indignatione concitatus, apprehendi guttur eius, feciq; illam euomere sacram communionem. Sumptam deinde particulam sanctam huc, illucq; iactabam, donec in lutum cecidit. Mox autem vidi 1 coruscationem in eodem loco sanctam assumpsisse communionem. Post biduum verò aspicio virum quasi Ethiopem, semicinctijs vestitum, dicentemque mihi: Ego, & tu simul in vnum supplicium condemnati sumus. Et ego ad eum; Tu, inquam, quis es? Respondit: Ego sum, qui conditorem omnium Dominum Iesum Christum in maxilla percussi passionis tempore. Atq; hac de causa à fletu temperare non possum.

1 Et hic in sacra Eucharistia demonstrat, quàm rectè agant hæreticorũ communionem fugientes, Ecclesiæq; catholicæ communicantes.

CONVERSIO, ET VITA MARIAE MERETRICIS.

CAP. XXXI.

DVO senes abierunt ab Aegis in Tharsum, venientesq; in stabulum, vt requiescerent (erat enim æstus) per dispensationem Dei inuenerunt in stabulo tres adolescentes habẽtes secum vnam meretricẽ. Senes ergo seorsum sederunt. Vnusq; ex eis accipiens sanctum Euangelium legebat. Meretrix verò, quæ erat cum adolescentibus, vt vidit legentem senem, relictis illis, accessit ad senem, seditq; iuxta illum. Senex autem illam reijciens dixit: Multùm, ô infelix, impudens es, quæ verita non fuisti accedere ad nos, ac sedere. At illa: Ne, quæso, pater, ne abomineris me, neq; abijcias. Etsi enim omni peccato plena sum, non tamen repulit venientem ad se meretricem Dominus, & saluator omnium Christus Deus noster. Respondit ei senex: Sed meretrix illa non permansit meretrix. Tum ipsa: Spero in filium Dei viui, quia ab hodierno die neq; ego permanebo in peccato hoc. Relinquens igitur adolescẽtes, & sua omnia, secuta est senes illos. Miserunt autem illam in monasterium prope Aegas ciuitatem. Hanc & ego iam anum vidi magnæ prudentiæ fœminam, & ista ex eius ore didici. Erat autem illi nomen Maria.

CONVERSIO, ET VITA BABYLAE MIMI, NECNON COMETAE, ET NICOSAE CONCVBINARVM EIVS.

CAP. XXXII.

MIMVS quidam erat in Tharso Ciliciæ, nomine Babylas. Erant autem illi duæ concubinæ. Nomen vni Cometa, nomen alteri Nicosa. Viuebat autem luxuriosè, agens omnia, quæ illi dæmõ suggessisset. Die verò quadam ingressus Ecclesiam, audiuit per dispensationem Dei sanctum Euangelium legi. Erat autem ista lectio: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim Regnum cœlorum. Compunctusq; [1] cœpit cum

[1] Habes in hac conuersione veræ pœnitẽtiæ formã, quæ est dolor de peccatis cõmissis, & firmũ propositũ de nõ committendis in futurum, vnà cum assumptione nouæ vitæ.

lachrymis horrere, ac se miserum dicere pro his, quæ peccauerat. Confestim igitur egressus extra Ecclesiam, vocauit duas amicas suas, dixitque illis: Scitis quomodo vobiscum luxuriosè vixerim, vtque nunquam alteram plus quàm alteram dilexerim. Itaque vestra sunt omnia, quæcunque ego acquisiui. Accipite insup & mea omnia, & diuidite inter vos. Ego enim exnunc abrenuncio seculo, & efficior monachus. Illæ autem ex vno ore responderunt ei cum lachrymis: Ad luxuriam, & animarum nostrarum interitum communicauimus tibi, nunc verò, quando hoc Deo placitum opus facere vis, dimittis nos, & id solus facis? Profectò non ita erit, sed etiam in bono communicabimus tibi. Atque ita Mimus quidem inclusit se in vna turrium ciuitatis. Illæ verò, venditis omnibus suis, erogatisque pauperibus, accipientes & ipsæ a *religiosum habitum*, fecerunt sibi prope turrem cellulam, & se ipsas pariter *incluserunt*. Hunc & ego vidi, & ab eo valde ædificatus sum. Est enim vir *valde* humilis, & clemens, atque misericors. Scripsi autem & hoc pro vtilitate legentium.

a Ecce quomodo etiam olim qui Monachi, vel Sanctimoniales fiebant, nouum Religionis habitum induebant.

VITA SANCTI EPISCOPI THEODOTI.

CAP. XXXIII.

NARRAVIT nobis quidam patrum, quòd fuerit in sancta ciuitate Episcopus quidam, nomine Theodotus, tantæ benignitatis, vt cùm in vna solennitate inuitasset quosdam de clericis suis ad conuiuium, vnusque ex eis venire noluisset, neque inuitationi acquieuisset, tunc quidem Patriarcha siluerit, aliàs verò ipse ad eum profectus sit rogans, vt veniret, mensæque communis particeps fieret.

DICEBAT autem rursus de ipso Episcopo Theodoto, quòd ita fuerit mitis, atque humilis, vt cùm semel iter ageret cum vno clerico, & ipse quidem lectica veheretur, clericus verò equo insideret, dixerit clerico suo Patriarcha: Mutemus vehicula nostra; & tu quidem *lectica* vehere, ego autem eques ibo. Cum verò clericus id facere recusaret omnino, dicens id dedecus fore Patriarchæ, si quidem clericus lectica portaretur, & Episcopus equo insidens ingrederetur, non quieuit sanctus, & humilis Theodotus, donec ministro persuasit, non esse rem istam iniuriosam, coëgitque illum ita facere.

VITA

VITA DIVI ALEXANDRI PATRIARCHAE HIEROSOLYMITANI.

CAP. XXXIIII.

ALIVM habuit ciuitas ipsa Dei Patriarcham, Alexandrum nomine, adeò pium, & misericordem, vt cùm illi quidam ex notarijs suis furatus esset aurum, & metu perterritus fugiens in Thebaidem Aegypti incidisset vagus, & errans in latrones, ac ductus fuisset ab eis captiuus ad extremas Aegypti partes, hoc comperto, diuus Alexander redemerit eum vinctum, ac captiuum octogintaquinq; numismatibus. Quo reuerso ita piè, misericorditerq; vsus est, vt quidam ex Vrbis habitatoribus dixerit aliquando, Nihil esse vtilius, quàm in Alexandrum peccare.

ALIO quoq; tempore vnus ex Diaconis eius, coram clericis omnibus iniurijs affecit diuum Alexandrum. Qui mox prostratus humi veniam petijt dicens: Ignosce mihi, domine frater.

VITA ELIAE HIEROSOLYMORVM ARCHIEPISCOPI, ET DE FLAVIANO ANTIOCHIAE PATRIARCHA.

CAP. XXXV.

DICEBAT Abbas Polichronius de sancto Elia Hierosolymorum Archiepiscopo, quòd sicut cùm esset monachus, vinum non bibebat, ita nec Patriarcha quidem factus bibit, sed eandem seruauit regulam.

Vino non est vsus sanctus Pater.

DICEBANT de eodem Archiepiscopo Elia, & de Flauiano Antiochiæ Archiepiscopo, quòd ab Anastasio Imperatore ambo fuerint exilio relegati propter sanctam Calcedonensem Synodum, Elias quidem in Haila, Flauianus verò apud Petram. Die verò quadam significauerunt sibi ambo Patriarchæ mutuò dicentes: Anastasius hodie mortuus est; eamus igitur & nos, vt cum illo iudicemur. Et post duos dies ambo migrauerunt ad Dominum.

VITA EPHREM ANTIOCHENI PATRIARCHAE, ET QVOMODO STYLITEM MONACHVM A SEVERIANAE HAERESEOS IMPIETATE CONVERTERIT.

CAP. XXXVI.

NARRAVIT nobis quidam Patrum de sancto Ephrem Antiocheno Patriarcha, quòd valde zelans fuerit, & feruens circa fidem. Cùm enim audisset de Stylite illo, qui erat in partibus Hierapolis, quòd Seuerianæ esset hæreseos, abijt ad illum, vt impietatem dissuaderet illi. Cœpit ergo diuus Ephrem corripere Stylitem, & orare, vt 1 accederet ad sanctum Apostolicum thronum, & communicaret sanctæ, & Apostolicæ Ecclesiæ. Respondens verò Stylites ait: Ego synodo prorsus non communico. Dicit ad eum sanctus Ephrē. Et quomodo vis, vt curem te, & satisfaciā pro gratia Dñi nostri Iesu Christi? Sācta Ecclesia libera est ab omni sorde prauitatis hæreticæ. Dicit ad eum Stylites: Accendamus ignē, dñe Patriarcha, & ingrediamur simul, & quē flāma non læserit, ille orthodoxus erit, illumq; sequi debemus. Hoc autem dixit, vt terreret Patriarcham. Respondit sanctus Ephrē Stylitæ: Oportebat quidem te, fili mi, tanquam patri obtemperare, nihilq; à nobis ampliùs quærere. Quoniam verò rē postulasti excedentem quidē vires infelicitatis meæ, confido tñ in miserationibus filij Dei, quia tuæ salutis causa & hoc faciā. Tunc ait diuus Ephrē astantibus omnibus: Benedictus Dñs, afferte huc ligna. Cum verò allata essent ligna, succendit illa Patriarcha ante columnā, dicitq; Stylitæ: Descēde nunc, vt iuxta decretū tuū ingrediamur ambo. Stupefactus ille ad Patriarchæ constantiā, descendere noluit. Tunc dixit ad eū Patriarcha: Non'ne tu hoc fieri petijsti? Et quō id nunc facere non vis? Tunc exuens se qua indutus erat stola Patriarcha, cùm accessisset prope ignem, orauit dicens: Domine Iesu christe Deus noster, qui propter nos dignatus es de sancta Domina nostra Dei genitrice, semperq; virgine Maria incarnari, & nasci, ostende nobis veritatem. Et completa 2 oratione, iactauit stolam suam in medijs ignibus. Cùm autem ignis quasi per tres horas durasset, lignaq; iam igne consumpta essent, tulerunt inde stolam integram, ita vt nulla ignis indicia in ea deprehendi possent. Tunc Stylites videns, quod factum fuerat, certior de veritate factus, anathematizauit Seuerum, & eius hæresim, accedensq; ad sanctam Catholicam Ecclesiam, de manibus sancti Ephrem communicauit, & glorificauit Deum.

1 Vides, quòd qui est hæresi infectus, extra sanctā Catholicā, & Apostolicam Ecclesiam reperitur?

2 Mira orando Sācti peregerunt.

VITA EPISCOPI, QVI CATHEDRA RELICTA, VENIT IN SANCTAM CIVITATEM, ET MVTATO HABITV MINISTRABAT ARCHITECTIS.

CAP. XXXVII.

QVIDAM Pater narrauit nobis de quodã Episcopo, quòd, relicto Episcopatu suo, profect⁹ sit ad sanctã ciuitatẽ, ibiq; sũpto operarij habitu, ministrauerit Architectis. Eo verò tẽpore vir clemẽs, & misericordiæ operibus deditus Ephremius, Comes Orientis erat, ac per ipsum ædificia publica reparabantur. Ciuitas enim terræmotu ceciderat. Die autẽ quadã vidit per visum Ephremius dormiẽtem Episcopũ, columnamq; ignis super eum ad cœlum vsq; pertingentẽ. Hoc aũt cùm non semel, nec bis, sed sæpi⁹ cerneret, obstupuit Ephremi⁹ (Erat quippe visio ipsa terribilis, & plena stuporis) cogitabatq; apud semetipsũ quidnam hoc esset, neq; agnoscebat, qs esset ille mercenarius, vidẽs illũ coma neglecta, veste sordida, vili, & abiecto habitu, & nimia exercitatione, & cõtinentia, iugisq; laboris fatigatione afflictũ, & squalidũ toto corporis cultu. Accersitũ aũt operarium eiusmodi Ephremius percõtabatur, quisnã esset; cœpitq; seorsum agere cũ illo, quo vocaret nomine, & cuius ciuitatis esset oriundus. Qui ait ad illũ: Ego vnus pauperũ istius ciuitatis sum, cùmq; nõ habeam, vnde me ipsum sustentare valeã, operor, vt possum, & Deus de laboribus meis pascit me. Motus ergo diuinitus Ephremius, respondit illi, & ait: Crede mihi non te dimittam, donec mihi omnia de te veraciter prosecutus fueris. Cùm verò ita constringeretur, neq; se vlterius posset abscondere, dixit illi: Pollicere mihi, quia quandiu fuero in vita hac, nemini dices, quæ circa me sunt, & ego, suppresso tantùm nomine, vera tibi de me annunciabo. Iurauitq; illi Comes, nulli se ea dicturum, quandiu esset in vita. Tunc ait illi: Ego Episcopus sum, & propter Deum dimisi Episcopatum meum, & veni huc, quasi ad ignotum locum. Affligens autem carnem meam, & operans, ex labore meo modicum panis mihi acquiro. Tu verò, quantum potes, adijcere ad eleemosynam. His enim diebus Deus promouebit te ad Apostolicũ thronum huius ciuitatis, vt pascas populũ suum, quem acquisiuit per propriũ sanguinem Christus verus Deus noster. Vt igitur dixi, eleemosynis insiste, & pro recta fide iugiter sta, & decerta. Talibus enim sacrificijs maximè delectatur Deus. Ita vt prædixerat, contigit. Diuusq; Ephremius, his auditis, glorificauit Deum, dicens: Quantos habet occultos famulos, & soli sibi cognitos Deus.

MORS ANASTASII IMPERATORIS IMPII.

CAP. XXXVIII.

NARRAVIT nobis vir quidam fidelis de Anastasio Imperatore, quòd cùm eiecisset Euphemium, & Macedonium Patriarchas Constantinopolitanæ Ecclesiæ, ac propter sanctam Chalcedonensem synodum illos Caitan in Pontum exilio relegasset, vidit in somnis idem Imperator virum quendam insignem vestitum amictu candido, contra se stare, codicem scriptum ferentem, ac legentem. Euoluens autẽ quinque folia codicis, legensq; Imperatoris nomen, ait illi: Ecce propter perfidiam tuam deleo quatuordecim: & digito suo illos deleuit. Ac post duos dies, facto fulgore magno, atque tonitruo, pauore turbatus reddidit spiritum in summa angustia, pro eo quòd impius fuit in sanctam Christi Dei nostri Ecclesiam, eiusq; pastores exilio damnauit.

VITA MONACHI MONASTERII ABBATIS SEVERIANI, ET QVOMODO A PVELLA RVSTICA PRVDENTER RETRACTVS FVERIT NE CVM EA PECCARET.

CAP. XXXIX.

CVM venissem Antiochiam, audiui quendã de presbyteris Ecclesiæ ista narrantem. Dicebat, inquit, Patriarcha Anastasius: Cùm Monachus quidam monasterij Abbatis Seueriani missus fuisset in ministerium in partes Elutheropoleos., & diuertisset ad rusticum quempiam fidelem, habentem filiam vnicam, defuncta iã matre illius, maneretq; in domo eius dies aliquot, is, qui semper impugnat homines, diabolus immisit fratri sordidas cogitationes, impugnabaturque de puella, & quærebat opportunitatem opprimendi eam. Igitur qui illum

oppugnabat dæmon, opportunitatem quoq; illi procurauit. Patre enim puellæ proficiscente Ascalonem necessariæ vtilitatis gratia, frater ille sciens nemi-nem in domo esse, nisi se solum, & puellam, accessit, vt illam vi opprimeret. Illa verò vt vidit ipsum totum perturbatum ad nefarium actum properare, di-xit ei: Noli turbari, neq; fœdum quid contra me moliaris. Pater meus neq; hodie, neq; cras veniet. Audi primum, quid dicam. Ego enim (nouit Deus) promptè quicquid volueris faciam. Cœpit autem illum ita alloqui: Quan-tum temporis habes, frater, in monasterio? Dicit ei frater: Decem, & septem annos. Dicit ei iterum: Habes experimentum mulieris? Ait illi: 1 Non. Ergo tu, inquit puella, vis propter vnam horam amittere tot annorum labores? Quoties fudisti lachrymas, vt carnem tuam Christo Domino puram, imma-culatamq; seruares? Et nunc totum laborem illum breuissimæ voluptatis gra-tia tibi perire vis? Veruntamen si, vt vis, audiero te, pecces'q; mecum, ha-bes'ne quò assumas, & enutrias me. Dicit ei frater: Non. Tunc illa: In veritate non mentior, si humiliaueris me, multorum malorum causa eris. Di-cit ei monachus: Quomodo? Puella respondens; Primùm quidem, inquit, quia perdis animam tuam. Secundò quoniam & anima mea abs te requiretur. Hoc enim tibi iuramento protestor per eum, qui dixit: Noli me mendacem fa-cere: quia si humiliaueris me, continuò mihi ipsi laqueo vitam extorquebo, inuenierisq; homicidij reus, atq; in iudicio vt homicida iudicaberis. Igitur an-tequam tot malorum causa fias, reuertere in pace ad monasterium tuum, & o-ra pro me. Rediens igitur in semetipsum frater, ac respiciens, statim reuersus est ad monasterium suum, prostratus'q; Abbati, & veniam postulans, orauit, vt vltra iam de monasterio non egrederetur. Et cùm in contritione cordis e-gisset tres menses, migrauit ad Dominum.

1 Vides quòd etiam anti-qui monachi seruabant p-petuum coe-libatum?

VITA ABBATIS COS-MAE EVNVCHI.

CAP. XL.

NARRAVIT nobis Abbas Basilius presbyter Bicantio-rum, dicens: Cùm essem Theopoli apud Patriarcham Gre-gorium, venit ab Hierosolymis Abbas Cosmas Eunuchus Lauræ Pharan, vir singularis religionis, & fidei, recto-rum'q; dogmatum valdè tenax, & zelator, ac diuinarum scri-pturarum scientia non mediocriter instructus. Cùm ergo fu-isset ibi senex dies paucos, defunctus est. Et iussit Patriar-cha 1 pretiosas illius reliquias in monasterio suo sepeliri, vbi & positus erat quidam Episcopus. Die igitur quadam profectus sum, vt salutarem sepulchrũ senis. Erat autem supra sepulchrum eius iacens homo quidam pauper, elee-mosynam petens ab ingredientibus in templum. Cùm ergo conspexisset me pauper tertiò prostratum, & seni orationem facientem, dixit mihi: Abba, ma-gnus profectò erat senex ille, quem sepelistis hîc ante hos duos menses. Tunc ego ad illum: Vnde hoc tu nosti? Qui respondit: Verè, domine Abba, ego

1 Nota præ-tiosas sancti viri reliqas.

paralyticus fui annis duodecim, & per ipsum curauit me Deus. Et quoties in tribulatione 2 sum, venit ad me consolationem afferens, mihiq; refrigerium præstat. Sed & aliud audi de illo miraculum. Ex qua die ipsum sepelistis vsq; ad diem hanc, audio illum singulis noctibus clamantem, ac dicentem ad Episcopum: Noli me tangere, hæreticè; ne appropinques mihi, 3 inimice sanctæ Dei Catholicæ Ecclesiæ. Hæc ego audiens ab eo, qui sanatus fuerat, perrexi, & omnia ex ordine Patriarchæ retuli, orabamq; ipsum sanctissimum Patriarcham, vt sumptum ex eo loco senis corpus in sepulchro alio recondereinus. Tunc ait Abbas Gregorius Patriarcha: Mihi, filij, credite; nihil ab hæretico læditur Abbas Cosmas; sed hoc totum factum est, vt senis virtus, zelusq; fidei nobis innotesceret, qualis scilicet fuerit, qualisq; sit etiam post carnis occubitum, vtq; Episcopi nobis proderetur opinio, ne illum arbitraremur orthodoxum fuisse, atq; catholicum.

2 Si Sanctus in tribulatione venit ad pauperem, & illum consolatur, non est mortuus, vt dicunt quidam. Item habes quòd Sancti sciūt, quæ circa nos aguntur.

3 Vide hæreticum inimicum esse sanctæ Catholicæ Ecclesiæ.

DICEBAT item de eodem sene Abbas Basilius, quia cùm perrexisset ad eum commorantem in Laura Pharan, ait illi senex: Venit mihi cogitatio aliquando, quid sit, quod ait Dominus Discipulis suis: Qui habet vestimentum, vendat illud, & emat gladium; illisq; dicentibus: Ecce gladij duo hic: responderit: Satis est. Hærebamq; in verbo isto, neq; quid sibi vellet, intelligebā. Itaq; sic cogitabundus exiui de cellula mea, in ipso meridiani Solis æstu, vt irem ad Lauram Turrium, ad Abbatem Theophilum, & interrogarem eum. Cùmq; per deserta pergerem, essemq; prope Calamonem, aspicio draconem miræ magnitudinis de monte descendere in Calamonem. Erat autem adeò ingens, vt cùm se moueret, curuaretur in modum cameræ, vestigiaq; terræ altiùs impressa relinqueret. Ego verò per vestigia illius illæsus ingressus sum; agnouiq;, quia diabolus studium meum impedire voluerit. Orationes autem senis iuuerunt me. Perueniens igitur ad Abbatem Theophilum, exposui illi hæsitationem meam. Qui dixit mihi: Duo gladij duas vitas significant, actiuam, & contemplatiuam. Si quis ergo has duas virtutes habeat, hic perfectus erit.

AD hunc ipsum Abbatem Cosmam perrexi ego, dum esset in Laura Pharan. Mansi enim in illa annos decem. Cùmq; mihi loqueretur de salute animæ, & quoddam ex dictis sancti Athanasij Alexandriæ Archiepiscopi allegaret, ait ad me senex: Cùm inueneris aliquid ex opusculis sancti Athanasij, nec habueris chartas ad scribendum, in vestimentis tuis 4 scribe illud. Tanto, taliq; studio flagrabat erga sanctos Patres nostros, & Doctores sanctus senior.

4 Ecce quanti faciendi Doctores sancti, & Patres antiqui, qui suis literis Ecclesiam exornarunt. Contrarium hodie faciūt hæretici.

DICEBAT autem & hoc Abbas Cosmas de seipso, quòd nocte sanctæ 5 Dominicæ à vespere vsq; mane, staret 6 psallens, & legens, & in cella sua, & in Ecclesia, neque omnino sedens. Orto autem sole, cùm implesset Canonem, sedebat legens in sanctis Euangelijs vsq; ad collectam.

5 Vide veterē obseruationem diei Dominicæ.

6 Ecce ātiquorum monachorū exercitia, Vigiliæ, Psalmodiæ, Lectiones.

VITA ABBATIS PAVLI NAZARBENSIS.

CAP. XLI.

VIDIMVS & alium senem in eadem Laura, Abbatem scilicet Paulum, virum 1 sanctum, ac Deo deditum, mitissimum, atq; abstinentissimum. Neminem verò memini me vnquam vidisse tanta consolationis, ac lachrymarum gratia ornatum. Stillabant enim ex oculis eius iugiter lachrymæ. Impleuit ergo sanctus iste senior in vita solitaria annos ferè quinquaginta, contentus sola panis eleemosyna, quam Ecclesia dabat, nulliq; omnino colloquens. Erat autem ex Nazarbo.

1 Aduerte quā commendabiles erāt antiqui Monachi.

VITA ABBATIS ANAXANONTIS SERVI DEI.

CAP. XLII.

VIDIMVS in eodem loco Abbatem Anaxanontem virum misericordem, & continentissimum, vitamq; solitariam in cellula sua agentem tanta districtione, vt per quatuor dies vnam tantùm oblationem manducaret minutorum viginti. Sæpe verò & tota hebdomada eam 1 solam comedebat. Circa extremum verò vitæ suæ, venerandus hic vir dolorem incurrit ventris, & viscerum. Tulimus itaq; illum in sanctam Ciuitatem in domum infirmorum, quæ sub Patriarchæ erat cura. Die verò quadam cum propè illum essemus, misit ad illum Abbas Conon Dux Lauræ sancti patris nostri Sabæ sudarium, vnam habens benedictionem, & numismata sex, ita illi significans: Ignosce mihi, quia non permittit me ægritudo ascendere, & te salutare. Senex autem benedictionem quidem retinuit, nummos verò remisit dicens: Si quidem voluerit Deus, vt in hac vita durem, Pater, habeo nummos decem. Cùm verò eos expendero, significabo vobis, & mittetis istos. Vt autem noueris, Pater, post duos dies seculum istud derelinquo. Quod & factum est. Detulimus autem eum in eandem Lauram Pharam, & ibi eum sepeliuimus. Fuit autem beatus iste, & beati Eustochij contubernalis. Ambobusq; relictis, in eremo consummatus est. Erat autem ex Ancyra Galatiæ ciuitate.

1 Vide & huius Patris districtissimam abstinētiam.

DETESTABILIS MORS IMPII THALLAELEI ARCHIEPISCOPI THESSALONICENSIS.

CAP. XLIIII.

FVIT quidam Thessalonicæ Archiepiscopus, Thallæleus nomine. Hic neq; Deum timens, neq; paratam retributionem expauescens, conculcansq; Christianum dogma, ac sacerdotalem honorem, & dignitatem spernens, inuentus est pro pastore lupus. Abnegans quippe sanctam, & consubstantialem Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, idola infelix adorabat. Quem ij, qui tunc Ecclesiis præerant, communi decreto damnarunt, ac de sede sua deturbarunt. Pauco post tempore nequam ille omni scelere, & impietate plenus, voluit ad sacerdotalem dignitatem remeare. Quia ergo, iuxta sapientissimum Salomonem, omnia obediunt auro, reuocatus est in regionem suam; erat enim Constantinopoli. Sed omnipotens Deus sanctam Ecclesiam suam non despexit. Cùm enim quadam die ille processurus esset cum superbo ornatu, vt ad Imperatores pergeret, sacerdotiumq; decretis illorum iterum resumeret, pupugit illum venter vt pergeret ad necessaria naturæ. Cùm verò secretum locum ingressus esset exonerandi ventris causa, mansissetq; intus duas iam vel tres horas, neq; reuerteretur ad suos, ingressi sunt quidam ex his, qui illi assistebant, vt illum iam debere progredi monerent, inueneruntq; infelicem illum capite deorsum, vbi egerebantur stercora, demersum, pedibusq; sursum erectis. Erigentes autem illum, inuenerunt extinctum horribili, & æterna morte.

VITA SENIS MONACHI PROPE CIVITATEM ANTINOVM COMMORANTIS, ET DE ORATIONE PRO MORTVIS.

CAP. XLIIII.

SENEX quidam enarrauit nobis cùm Thebaidam venissemus, quòd senex vnus morabatur extra ciuitatem Antinoum magnæ virtutis vir, qui in 1 cella sua egerat annos LXX. Erant autẽ illi discipuli decẽ, ex quibus vnus erat valde negligens sui. Senex ergo sæpius illum corripiebat, & hortabatur dicens: Frater, solicitudinem gere pro anima tua; habes enim mori; & nisi te emendaueris, in supplicium tendes. Frater autem ille semper seni inobediens erat, nec ea, quæ ab ipso dicebantur, admittebat. Contigit autem post aliquantulum temporis, vt iste moreretur. Contristatus verò senior super illo valde (Sciebat enim quòd in magna desidia, & negligentia de seculo exijsset) cœpit orare, ac dicere: Domine Iesu christe verax Deus noster, reuela mihi, quid sit circa fratris animam. Aspexit autem in excessu mentis effectus, fluuium ignis, ingentem'que in ipso igne multitudinem, ac medium fratrem illum ad collum vsque demersum. Tunc ait illi senior: Non'ne te propter hanc pœnam orabam, vt curam animæ tuæ ageres, fili? Respondit frater, & ait seni: Gratias ago Deo, pater, quòd vel caput meum requiem habet. Per a orationes enim tuas supra caput Episcopi sto.

1 Vide num antiqui monachi vterentur cella perpetua.

a Ecce defunctorum animas orationibus viuentium adiuuari.

VITA MONACHI INCLVSI IN MONTE OLIVARVM, ET DE ADORATIONE IMAGINIS SANCTISSIMAE DEI GENITRICIS MARIAE.

CAP. XLV.

DICEBAT Abbas Theodorus Aeliotes, quòd fuerit quidam inclusus in mõte Oliuarum certator maximus. Impugnabat autem illum fornicationis spiritus. Die verò quadam cùm instaret illi vehementer, cœpit eiulare senex, & dicere dæmoni: Quandiu non dimittis me? Recede iam à me, qui mecum consenuisti. Apparuit autem ei dæmon visibiliter dicens: Iura mihi, quia nemini dices, quod tibi dicturus sum, & te non ampliùs oppugno. Iurauit que illi senex dicens: Per inhabitantem in altissimis, nulli dicam, quæ mihi dixeris. Tunc ait illi dæmon: Noli 1 adorare hanc imaginem, & vltra te non impugnabo. Habebat autem hæc imago expressam figuram Dominæ nostræ sanctæ Dei genitricis Mariæ ferentem Dominum nostrum Iesum Christum. Ait inclusus dæmoni: Dimitte me, vt deliberem. In crastinum autem hoc significauit ipsi Abbati Theodoro Aeliotæ tunc habitanti in Laura Pharan, narrauitque illi omnia. Senex autem ait recluso. Verè, domine Abba, illusus es, quia iurasti dæmoni. Veruntamen benefecisti hoc reuelans. Expedit autem tibi nullum in ista vrbe lupanar omittere, quod non ingrediaris, quàm vt neges te 2 adorare Deum, & Dominum nostrum Iesum Christum cum matre sua. Confirmatum igitur, & corroboratum pluribus verbis reliquit illum in loco suo. Apparuit ergo dæmon incluso rursus dicens: Quid hoc est, pessime senex? Non'ne tu iurasti mihi, quia id nemini diceres? Et quare dixisti ei, qui venit ad te? Dico tibi, quia vt periurus in die Iudicij iudicaberis. Respondit inclusus dicens: Scio quidem, quia iuraui; veruntamen Dominum, & Creatorem meum adorabo, tibi autem non obediam.

Nota hoc capitulum adductum fuisse in septima synodo, & approbatũ. Vnde vel ex hoc solo liber est autenticus.

1 Vides vsum venerãdi imagines antiqsimũ esse? Quòd si imagines colere abominabile esset, dæmon nõ tantoperè hoc ægrè ferret.

2 Habes rectũ modum venerãdi imagines, nẽpe vt illum colas, cuius sũt imagines, vnde semp mẽte recurrendum est ad prototypum.

MIRABILIS VISIO ABBATIS CYRIACI LAVRAE CALAMONIS, ET DE DVOBVS IMPII NESTORII LIBRIS.

CAP. LXVI.

ACCESSIMVS ad Abbatem Cyriacum presbyterum Lauræ Calamonis iuxta sanctum Iordanem, narrauitq; nobis dicens: Die quadam vidi per somnum mulierem honesta facie, purpura indutam, & cum ea viros duos, & ipsos venerando habitu, & aspectu præclaro. Arbitratus autem sum mulierem illam esse Dominam nostram sanctam Dei genetricem, eosq;, qui cum illa erant, duos viros, sanctum Ioannem Baptistam, & sanctum Ioannem Theologum, & Euãgelistam. Egressusq; de cellula orabam illam, vt ingrederetur. Quæ non consensit. Permansi ergo diutius orans, & obsecrans, ac dicens: Ne, quæso, auertatur humilis factus confusus: & alia plurima huiusmodi. Illa igitur vt me vidit instare precibus, eandemq; postulationem iterare, seuerius mihi respondit dicens: Habes intra cellam tuam 1 inimicum meum, & vis, vt ingrediar? Et his dictis, abscessit. Euigilans autem ego affligi cœpi, & cogitabam, num aliquid in mente peccatum contra illam admisissem: neq; enim erat alius aliquis in cella mea, nisi ego solus. Diutius igitur me ipsum discutiens, nihil inueni, quod in illam peccassem. Cùm verò vidissem me nimio mœrore absorberi, surgens accepi librum, vt legerem, quò per huiusmodi lectionem dolorem vnà, cogitationesq; repellerem. Librum autem ipsum acceperam mutuò à beato Isychio presbytero Hierosolymitanæ Ecclesiæ. Euoluensq; librum inueni duos impij Nestorij libros in fine voluminis scriptos. Moxq; agnoui hunc esse sanctæ Dominæ nostræ Dei genitricis, semperq; virginis Mariæ inimicum. Tunc surgens abij, librumq; illi, qui mihi eum accommodauerat, reddidi, dicens illi: Accipe librum tuum, frater, neq; enim ex eo tantum vtilitatis cœpi, quantum detrimenti. Cum verò ille detrimenti ipsius causam sciscitaretur, omnem illi rei ordinem retuli. Qui zelo Dei succensus, protinus duos illos Nestorij libros ex uolumine præcidit, eosq; 2 igni tradidit dicens: Non manebit in cella mea Dominæ nostræ sanctæ Dei genitricis, semperq; virginis Mariæ inimicus.

1 Ecce quomodo etiam sanctissima Dei Genitrix hæreticum hominem auersatur.

2 Huius sancti viri exemplo edocemur, hæreticorũ libros comburi debere.

MIRACVLVM SANCTAE DEI GENITRICIS CONTRA CAIANVM MIMVM, QVI EAM IN THEATRO BLASPHEMABAT.

CAP. XLVII.

HELIOPOLIS Phœnicis ciuitas est. In hac Mimus quidam erat, Gaianus nomine. Qui in theatro sanctam Dei genitricem blasphemans, populo spectaculum blasphemiæ præbebat. Apparuit autem illi sancta Dei genitrix dicens: Quid tibi mali feci, quia coram tanta multitudine mihi detrahis, & blasphemas me? Ille verò surgens, non solùm non se correxit, verumetiam plus blasphemabat. Rursus ergo apparuit illi sancta Dei genitrix corripiens eum, ac dicens: Noli, quæso, noli, ita lædere animam tuam. Ille verò rursum deteriùs illam blasphemabat. Vnde ipsa tertiò eidem apparens, eadem repetebat. Cùm autem se ille non corrigeret, sed plus quoque blasphemijs addiceret, meridie dormienti sibi apparuit, nihilque dicens, digito solo signauit eius manus, & pedes. Euigilans autem, inuenit se truncatum manibus, & pedibus. Atque ita infœlix vt truncus inutilis iacens, confitebatur omnibus, cuius rei gratia, & quomodo hæc passus esset, vtque propter blasphemias suas clementer cruciatus fuisset.

Habes quomodo adest diuina vltio blasphemanti sanctã dei Genitricem. Habes quanta sit eius potestas. Habes quòd, cùm appareat, loquatur, & tangat, nõ potest dici emortua.

MIRACVLVM

MIRACVLVM ITEM SANCTAE DEI GENITRICIS, QVO COSMIANA VXOR GERMANI PATRICII COACTA EST EX HAERESI SEVERIANA AD VERAM CHRISTI FIDEM REDIRE.

CAP. XLVIII.

NARRAVIT nobis Anastasius presbyter, & 1 ornamentorum sanctæ resurrectionis Dei, & Domini nostri Iesu Christi custos, quia 2 adueniens illuc Cosmiana vxor Germani Patricij, voluit nocte quadam sanctæ Dominicæ sola adorare sanctũ Domini nostri Iesu Christi, viuificumq; monumentum. Et cùm appropinquaret ianuæ sacrarij, apparuit 3 illi visibiliter Domina nostra sancta Dei genitrix cũ alijs quoq; mulieribus dicens: Quomodo cùm nostra non sis, huc audes ingredi? Et prohibebat eam. Neq; enim (inquiebat) nostra es. Erat enim de hæresi Seueri acephali. Illa verò multum rogabat, vt mereretur ingredi. Ad quam sancta Dei genitrix respondens ait: Crede mihi, mulier, non ingredieris huc, nisi nobiscum communicaueris. Agnito autem quòd quia esset hæretica, ingredi prohiberetur, quòdq; nisi 4 accederet ad sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam Christi Domini, & Dei nostri, intrare non permitteretur, continuò accersito diacono, orauit sanctum calicem sibi afferri. Quo allato, sumpsit sacrum 5 corpus, & pretiosum 6 sanguinem magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu christi. Atq; ita absq; vlla prohibitione digna habita est adorare sanctum, & venerabile sepulchrum Domini nostri Iesu Christi.

1 Vides quòd sãcta illa Ecclesia habebat ornamenta, quæ custodiebantur? & noui hæretici ea vilipẽdunt.

2 Ecce etiã apudantiquos in vsu fuisse peregrinationes ad loca sancta, illorumq; adorationes.

3 Magnũ miraculũ, vt nocũm fiat omnib⁹, quõ hæreses fugere debeamus.

4 Vides hæreticũ ẽe extra sanctã Ecclesiã Catholicã, & Apostolicã Christi Dñi & Dei nostri?

5 Ecce quomodo in sacratissima Eucharistia est verum corpus, & sanguis Dei & Saluatoris nostri Dñi Iesu Christi.

6 Licet hæc communicauerit sub vtraq; specie, non inducit nobis idem faciendi necessitatem, quia tunc temporis talis mos erat ibi.

MIRABILIS VISIO DVCIS PALAESTINAE, QVA ET IPSE COACTVS FVIT PRAEDICTAE HAERESI ABRENVNCIARE, ET CHRISTI ECCLESIAE COMMVNICARE.

CAP. XLIX.

NARRAVIT autem nobis & hoc idem presbyter Anastasius, dicens, quòd Palæstinæ Dux aliquando 1 venerat adorare sanctam Christi Domini nostri resurrectionem. Et cùm cœpisset ingredi in sanctum monumentum, aspexit arietem cum 2 impetu super se venientem, cornibusq; illum impetentem. Ille verò pauore correptus, retro redibat. Custos verò sanctæ crucis Azarias, & cæteri, qui assistebant, eius timore permoti dicunt ei: Quid est, quid habes, domine? Cur non ingrederis? Dicit eis: Vt quid intulistis arietem istum? Qui stupefacti inspexerunt sanctum monumentum, nihilq; videntes, aiunt ad illum: Ingredere, nihil tale intus est. Rursum ille ingredi cœpit, sed iterum aspexit arietem contra se venientem, & se introire prohibentem. Istud cùm sæpè factum esset, illeq; cæteris nihil videntibus, solus arietem cerneret, ait illi Crucis custos. Crede mihi, domine, aliquid habes in anima tua, quod te prohibet 3 adorare sanctum, ac venerabile, & viuificum monumentum Saluatoris nostri. Itaq; moneo, vt confitearis Domino peccata tua. Clemens enim, & misericordissimus cùm sit, & tui misereri volens, huiusmodi tibi miraculum ostendit. Ille autem cum lachrymis dixit ei: Verè multis, magnisq; sceleribus obnoxius sum. Et se ipsum in faciem prosterrens, permultas horas permansit flens, & confitens Domino. Surrexit deinde & rursus ingredi voluit, sed iterum ab ariete permissus non est. Tunc ait illi sanctæ Crucis custos. Verè aliud est, quod te ingredi vetat. Dixit autem ille: Num fortasse ideo, quia non 4 sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, sed Seuero communico, introire prohibeor? Tunc petijt à custode, vt 5 sancta & viuifica Christi Dei nostri mysteria sibi afferrentur. Et allato sancto calice communicauit. Atq; ita ingressus est, & adorauit, nil vltra impedimenti passus, nihilq; vlteriùs cernens, quod se deterreret.

1 Et hic peregrinationem ad sanctum Domini sepulchrũ assumpsit.

2 Vide simile miraculũ superiori, & ad eundem effectum.

3 Nota, adorare sanctũ, ac venerabile, & viuificum monumentum Saluatoris nostri.

4 Ecce hæreticum nõ communicare sãctæ Catholicæ Ecclesiæ.

5 Aduerte sacram Eucharistiam appellari sancta, & viuifica Christi Dei nostri mysteria.

VISIO, ET DICTVM ABBATIS GEORGII INCLVSI.

CAP. L.

SCYTHOPOLIS secunda est Palæstinæ metropolis. In ea conuenimus Abbatem Anastasium, narrauitq; nobis de Abbate Georgio incluso, dicens: Cùm quadam nocte surrexissem, vt pulsarem signum (ea quippe cura mihi iniuncta fuerat, vt excitarem fratres ad 1 coll ctam) audiui plorantem senem. Profectusq; ad illum rogare cœpi, dicens: Quid habes, pater, quia sic ploras. Ille verò nihil mihi respondit. Rursus cùm rogarem illum, vt causam fletus mihi aperiret, ingemiscens ille, & ex intimo corde suspirans, ait: Quomodo mihi à fletu temperem, cùm Dominus noster Iesus Christus reconciliari nobis nolit? Ego enim, fili, videbar mihi assistere cuidam super excelso throno residenti. Multa verò millia circa illum erant orantium illum, atq; deprecantium de quadam re. Qui illorum precibus flexus non est. Posthæc accessit ad illum mulier quædam purpura induta, prociditq; illi, & ait: Vel 2 propter me placare, fili. Ille verò nihilominus inexorabilis mansit. Atq; idcirco ploro, & eiulo, verens quod futurum est. Hæc mihi dixit Abbas Georgius, quinta illucescente feria cœnæ Domini; sequenti verò, id est parasceue, hora diei nona, repentino, magnoq; terræmotu, corruerunt vrbes maritimæ Phœnicis.

1 Vides consuetudinem horarũ nocturnarũ apud Monachos antiquissimam?

2 Ecce quomodo Sancti, & beata Virgo orant pro nobis.

IDEM Abbas Anastasius hoc itẽ nobis de sene eodẽ enarrauit, quòd post aliquantulũ temporis, cùm ad fenestram staret, plorare senex cœperit, & dixerit illi: Væ nobis, frater, quia nullã habemus compunctionem, sed in negligentia viuimus, cùm ira Dei cõprehendat nos, & in trutinis simus, vt iudicemur. Et sequenti Die ignis apparuit in cœlo.

VITA IVLIANI SENIS MONASTERII AEGYPTIORVM.

CAP. LI.

ANAZARBVS metropolis est secundæ Ciliciũ prouinciæ. Ab hac ferè duodecim milliaribus distat monasteriũ, quod dicitur Aegyptiorũ. Narrauerunt ergò nobis patres eiusdem loci, quòd illic ante annos quinq; mortuus esset senex, Iulianus nomine, qui circiter annos LXX in quodam breui 1 speleo moratus esset, nihil omnino seculi istius possidens præter cilicium, & sagum, & vasculum ligneum, & librum.

1 Vide nũ antiquũ Monachi vterentur cella pretiosa, & altissimæ paupertatis essent diligentes obseruatores.

DICEBANT autem nobis & hoc de ipso, quòd toto vitæ suæ tempore, non accendit lucernæ lumen, sed per noctes 2 cœlitus illustrabat eum lux, ita vt claré legere posset.

2 Si monachismus Deo nō placeret, nequaquam nocte cœlitus illustratus esset sanctus pater.

DICTVM ABBATIS ELIAE SOLITARII.

CAP. LII.

VENIT frater quidam ad Abbatem Eliam solitarium in cœnobium antiqui patris Sabæ, & dixit ei: Dic mihi verbum, pater. Senex verò dixit fratri: Diebus patrum nostrorum tres istæ virtutes in amore, & studio apud Monachos erant, Nuditas 1 rerum omnium, mansuetudo, & continentia; nunc autem auaritia, gula, & audacia. Quod horum tibi placet, arripe.

1 Ecce quæ reddebant antiquos Monachos cōmendabiles.

VITA SENIS CYRIACI EX MONASTERIO SANCTI SABAE.

CAP LIII.

NARRAVIT nobis Abbas Stephanus de quodam sene morante in monasterio sancti patris nostri Sabæ, nomine Cyriaco, quòd die quadam descenderit Tuthelam, parumque remoratus circa mare mortuum, redierit iterum ad cellam suam. Cùm verò esset æstus vehementissimus, ita vt senex penè deficeret, extendens 1 manus suas in cœlum ad Deum, orauit dicens: Domine, tu scis, quia iam præ siti ambulare non possum. Statimque nubes circa illum facta est, neque recessit ab eo, quamdiu restitueretur cellæ suæ. Distabat autem à cella milliaribus ferè XII.

1 Nota orationem cū manuum extēsione ad cœlum, & illius exauditionē.

IDEM Abbas Stephanus, & hoc nobis de eodem sene narrabat, quòd venerint sui die quadam, vt illum viderent. Cùm ergo venissent ad locum, quærebant ipsius cellulam; quam dum quibusdam ostendentibus didicissent, adeuntes pulsauerunt ianuam. Quibus cognitis, senex orauit Deum, ne ab ipsis videretur. Et aperiens ianuam exijt de cellula sua, & ab eis penitus 2 visus non est. Abiensque in desertum, redire tandiu noluit, donec illos recessisse cognouit.

2 Ecce mirabilem fructum Orationis.

VITA

VITA MONACHORVM SCITIOTARVM, ET DE SENE AMMONIO.

CAP. LIIII.

VENIMVS Postea Teremithen ad Abbatem Theodorum Alexandrinum. Aitq; nobis senex: Filioli, multum reuera perdiderunt Scitiotæ monachi iuxta senum prædictionem. Credite enim mihi, filij, quia magna erat 1 charitas apud Scitiotas, magna abstinentia, magna discretio. Vidi ego illic senes, qui nisi quis ad eos venisset, nunquam sumebant cibum. Inter quos erat senex quidam, Ammonius nomine, iuxta me manens. Cuius ego sciens consuetudinem, per omne sabbatum ad illum veniebam, vt propter aduentum meum sumeret cibum. Habebant hoc omnes generaliter, quòd quacunq; hora accederent ad eos aliqui, permittebant illos orationem facere, illisq; orantibus, ipsi mensam apponebât, & continuò cibum sumebant.

1 Virtutes, quæ Scitiotas monachos commendabiles reddebant.

VISIO CVIVSDAM SENIS COMMORANTIS IN SCITI, ET DE ABBATE IRENAEO.

CAP. LV.

ABBAS Irenæus narrauit nobis de sene quodã commorante in Sciti, quòd diabolũ viderit noctu sarculos, rastra, & cophinos præbentẽ fratribus. Dixitq; diabolo senex: Quid ista sunt? Respondit diabolus: Distractionem fratribus præparo, vt his occupati, fiant negligentiores ad 1 orandum, & glorificandum Deum.

IDEM Abbas Irenæus narrauit nobis, dicens iterum: Cùm venissent barbari in Scitim, recessi inde, & veni in partes Gazæ, accepiq; mihi cellulã in monasterio. Abbas verò ipsa die dedit mihi librũ ad legẽdũ, in quo senũ gesta scripta erãt. Moxq; vt aperui librũ, occurrit oculis capitulũ istud, Quòd venerit quidã frater ad senem, dixeritq; illi: Ora pro me pater: dixerit autẽ illi senex: Cùm esses nobiscũ, orabã pro te; nunc aũt, ex quo in propria abijsti, nõ iã ora pro te. Vt ergo legi ego capitulũ istud, plicui librum, & dixi in me ipso: Væ tibi, Irenee, quia in propria venisti, nec iam orant pro te patres. Moxq; librum Abbati restituens recessi, & veni in loca ista. Et hæc mihi causa fuit, filioli, veniendi in hunc locum.

1 Vides, quòd oratio, & glorificatio Dei displicet dæmoni? Ergo placet Deo, iuxta illud: Non potestis Deo seruire, & Mammonæ.

VITA IOANNIS DISCIPVLI SENIS MAGNI, QVI MORABATVR IN VICO CAPARASIMA.

CAP. LVI.

PTOLOMAIS ciuitas est Phœnicis. In hac vicus est, qui dicitur Caparasima. In eo vico senex quidam erat magnus, habebatq; discipulum, Ioannem nomine, & ipsum magnum, singularisq; obedientiæ. Quadam ergo die misit senex discipulum suum in ministerium, dans ei & modicos panes pro victu suo. Profectus est autem discipulus, & completo ministerio rediit, retulitq; panes. Videns autem senior panes ait ei: Fili, quare non comedisti panes, quos dedi tibi? Prostratus ille coram sene dixit ei: Ignosce mihi pater: Quia non benedixisti mihi, cùm mitteres me, vt cibum sumerem, idcirco non sumpsi. Admiratusq; senex discretionem fratris, benedixit eum.

AD hunc fratrem post dormitionem senis, cùm ieiunasset XL diebus, vox facta est diuinitus dicens: Super quencunq; morbum imposueris manus, curabitur. Mane autem facto, per dispensationem Dei ecce homo quidam cum vxore veniebat, cuius mamillam cancri morbus consumebat. Rogabat ergo illum vir eius, vt vxorem suam curaret. Qui cùm peccatorem se diceret, & indignum ad tale attentandum opus, vir ille persistebat orans, vt annueret sibi, vxorisq; suæ misereretur. Cùm verò imposuisset illi manum, mamillamq; signasset, continuò sanata est. Et extunc plurima iam per illum signa Deus operatus est, non tantùm in vita sua, verùm etiam post 1 mortem.

1 Miracula quæ post Sãctorum mortẽ per eos ad illorum memorias operatur Deus, splendorẽ vitæ illorũ apertè confitentur.

MORS SYMEONIS STYLITAE, ET DE IVLIANO ABBATE ETIAM STYLITE.

CAP. LVII.

QVADRAGINTA ferè milliaribus ab Aegis ciuitate Ciliciæ Stylites erat, nomine Symeon. Hic fulgure percussus interijt. Abbas ergo Iulianus Stylites presbyter præter consuetudinem suam insolito tempore dixit discipulis suis: Mittite thymiama in thuribulum. Qui dixerunt ei: Dic nobis causam, pater: orabantq́; vt diceret eis. Senex autem dixit: Quia modò frater meus Symeon à fulgure deiectus interijt, & ecce transit anima eius cum tripudio, & exultatione. Distabant autem ab inuicem milliaribus ferè vigintiquatuor.

CAP. LVIII.

ABBAS Stephanus monasterij sãcti patris nostri Sabæ Dux, & hoc de memorato Abbate Iuliano Stylite narrauit, quòd leo iuxta eum locum, in quo morabatur, apparuerit, plurimosq́; peregrinos, & indigenas necare solitus fuerit. Die ergo quadam aduocans discipulum suum senex, Pancratium nomine, dixit ei: Vade fermè duo millia passuum ad Austrum, inuenies'que illic leonem iacentem, cui dices: Humilis Iulianus in ᵗ nomine Iesu christi filij Dei viuificãtis omnia tibi præcipit, vt recedas ab hac prouincia. Profectus verò frater inuenit leonem iacentem. Cúmq́; verba senis illi dixisset, continuò recessit leo.

ᵗ Etiam immanissimis bestijs Sãcti in virtute Dei imperant.

VITA ABBATIS THALLELAEI CILICIS.

CAP. LIX.

ABBAS Petrus presbyter eiusdem monasterij narrauit nobis de Abbate Thallelæo Cilice, quòd LX annos transegisset in vita monastica nunquam flere 1 desistens, dicens'q; iugiter: Tempus hoc nobis ad pœnitentiam indultum est, & valde requiretur à nobis, si illud neglexerimus.

1 Ecce quomodo vera pœnitentia habet secũ dolorẽ de peccatis commissis, & nõ tãtũm nouam vitam.

FACTVM EGREGIVM SANCTIMONIALIS FOEMINAE, PER QVOD COMPVNCTVS ADOLESCENS EIVS AMATOR, MONACHVS EFFECTVS EST.

CAP. LX.

QVIDAM vir fidelis narrauit nobis, cùm in Alexandria essemus, tale quiddam. Sanctimonialis (inquit) quædam sedebat in domo sua, vitam solitariam ducens; salutis'q; suæ valdè solicita, 1 ieiunijs, ac vigilijs vacabat iugiter, multas'q; faciebat eleemosynas. Sed bonorum omniũ semper inuidus diabolus, tantas in virgine virtutes non ferens, contra illam puluerem excitauit. Immisit enim adolescenti cuidã turpem de illa, diabolicam'q; cupidinem. Manebat autem extra limen eius adolescens. Cùm ergo virgo illa domo sua vellet egredi, atq; ad Ecclesiam 2 orationis gratia occurrere, ingerebat se illius oculis improbus & impurus adolescens, nec illam egredi sinebat, amatoria quædã verba procacibus nutibus illi insusurrans, adeò vt iam præ nimia molestia adolescentis cogeretur virgo domo sua nusquam progredi. Die igitur quadam misit ancillam suam virgo ad illum vt ei diceret: Veni, vocat te domina mea. Abijt ergo ad illam gaudens, & stuprum committere gestiens. Sanctimonialis verò sedebat in cubili suo. Ingresso igitur adolescenti ait: Sede. Cum'que sedisset; Dic oro te frater, inquit illa, cur ita mihi molestus es, nec permittis me domo mea egredi? Respondit adolescens: Verè, domina, te multùm amo, & quãdo te inspicio, totus in tui concupiscentiã inflammor. Quæ ait ad illũ: Quid'nam in

1 Vide sanctimonialiũ fœminarum exercitia, ieiunia, vigilias, & eleemosynas.

2 Ecce quòd etiam Orationis gratia, ob id'q; præcipuè Ecclesias adimus.

me pulchrum vidisti; quia sic amas me? Ait adolescens: Oculos tuos; ipsi enim seduxerunt me. Virgo verò vt audiuit, quia oculi eius illum seduxissent, sumpto gladio mox oculos eruit. Hoc autem cùm vidisset adolescens, eruisse scilicet sibi Virginem oculos, compunctus corde abijt in Scitim, ibíq; seculo renuncians, effectus est probatissimus monachus.

VITA ABBATIS LEONTII CILICIS.

CAP. LXI.

DICEBANT quidam patrum de Abbate Leontio Cilice, quòd in obsequio Dominæ nostræ sanctæ Dei genitricis fuerit feruentissimus, ac per XL annos nunquam de illius templo 1 recesserit. Erat autem semper miræ grauitatis, & sibi iugiter intendens.

DICEBANT & hoc de illo, quòd si vidisset pauperem venientem ad se, si quidem ille esset cæcus, per manum illi porrigebat eleemosynam, si autem videns, ponebat ante illum, aut in columnæ basi, aut in scamno, aut in sanctuarij gradibus, atq; inde illam tollebat pauper. Interrogatus autem à sene: Quare, pater, per manus non das eleemosynas? respondit: Ignosce mihi, pater; neq; enim ego sum, qui illam præbeo, sed 2 Domina mea sancta Dei genitrix, quæ & me, & illos nutrit.

1 Nota tu, qui dicis antiquos monachos gyrouagos fuisse, & non vsos cella perpetua.

2 Si sãcta Dei Genitrix seruientes sibi, & pauperes nutrit, viuit etiã post corporis mortẽ.

VITA ABBATIS STEPHANI MONASTERII AELIOTARUM PRESBYTERI.

CAP. LXII.

NARRAVIT nobis vnus ex senibus de Abbate Stephano presbytero monasterij Aeliotarum, quòd cùm sederet in cella sua, immisit illi cogitationes dæmon dicens: 1 Recede, nihil enim hìc proficis. Senex autem dicebat dæmoni: Non audio te. Scio enim, quis es. Ferre non potes, vt aliquis saluetur. Sed Christus filius Dei viui ipse te conteret.

1 Considera quòd monachus, qui institutũ suum deserit, diabolo rẽ gratam facit.

CAP. LXIII.

DICEBANT de eodem Abbate Stephano, quòd cùm sederet, & legeret, venit iterum diabolus visibiliter, dixitq; ei: Recede, nihil enim hîc proficis. Tunc ille dæmoni: Si vis vt recedam, fac, vt id, in quo ego sedeo, ambulet. Sedebat autem in sella viminea. Quo audito, dæmon confestim sellam illam per totam cellam ambulare fecit. Senex autem aspiciens versutiam dæmonis, ait illi: Nempe quoniam ita velox, & astutus es, non hinc 2 recedo. Factaq; ab eo oratione, dæmon euanuit.

2 Exẽplo sancti huius patris instruimur, nõ debere monachum à religione deficere.

CAP LXIIII.

TRES senes venerunt ad Abbatem Stephanum presbyterum, & cùm perseuerarent loquentes de vtilitate animæ, tacebat senior. Dicunt ei senes illi: Nihil nobis respondes, pater? Vtilitatis gratia venimus ad te. Tunc ait illis. Ignoscite mihi. Vsq; modò non animaduerti quid locuti sitis. Veruntamen quod habeo, hoc dico vobis. Ego die, noctuq; nihil aliud aspicio, nisi Dominum nostrum Iesum christum in ligno pendentem. Quod cùm audissent, multùm ædificati recesserunt.

CAP. LXV.

ABBAS Ioannes cognomento Molbas, narrauit nobis de venerando sene isto beato Stephano presbytero, quòd cùm aliquando iecur illius grauiter infirmaretur, ex qua infirmitate sancta illa anima migrauit à corpore, coëgerunt illum medici 3 carnem manducare. Erat autem illi frater secularis quidem, sed valde religiosè, & secundùm Deum viuens. Factum est autem, cùm carnes comederet presbyter, superuenit frater eius secularis, vidensq; illum vescentem carnibus scandalizatus est, & valde contristatus, quòd ex tanta abstinentia, atq; continentia in extremo vitæ suæ tempore ad comedendum carnes deuolutus esset. Mox ergo in extasi factus, vidit quendam dicentem sibi: Quare sic de presbytero scandalizatus es? Quia illum vesci carnibus vidisti? Nescis, quia necessitate compulsus, & propter obedientiam id fecit? Nempè propterea scandalizari non debuisti. Nam si merita, & gloriam fratris tui videre cupis, retro conuertere, & vide. Conuersusq; vidit fratrem suum crucifixum cum Domino. Aitq; ad eum is, qui illi apparuerat: Ecce in qua gloria frater tuus est.

3 Antiqui monachi etiam à carnibus abstinebant.

VITA ABBATIS THEODOSII SOLITARII.

CAP. LXVI.

ABBAS Antonius Dux monasterij Aeliotarum, qui etiam illud ædificauit, narrauit nobis de Abbate Theodosio, quòd senex ipse hæc de seipso narrabat: Priusquã ad vitam solitariam transissem, factus in extasi aspexi virum quendam, cuius species claritatem Solis vinceret. Hic tenens manum meam; Veni, ait, quia pugnare, & luctari te conuenit; & induxit me in theatrũ infinitæ magnitudinis. Aspexi autẽ theatrũ plenũ viris ex vna parte candido amictu; ex alia verò nigro vestitis. Cùm ergo iniecisset me in theatrum, aspicio virum miræ magnitudinis Aethiopem, cuius caput turpissimum penetrabat nubes. Tunc ait ad me iuuenis ille, qui mihi apparuerat. Cùm hoc luctari te oportet. Ego, qui aspectu viri illius proceri territus eram, tremere, ac pauere cœpi, orabamq; iuuenem illum splendidum, qui me induxerat in theatrum, dicens: Quis hominum mortali conditione, & infirmitate circundatus, cum hoc luctari posset? Non ipsum vniuersum genus humanum, si in vnum confluat, huic resistere præualet? Ait autem ad me iuuenis ille præclarus: Prorsus cum illo te luctari opus est. Ingredere igitur cum omni alacritate, & fiducia. Mox enim vt tu illum adorsus fueris, ego adiutor adero, tibiq; victoriæ coronam reponam. Vt ergo ingressus ad certamen sum, luctariq; inuicem cœpimus, continuò præclarus ille Iudex nostri certaminis affuit, mihiq; coronam dedit. Atq; plebs illa obscura, Aethiopumq; multitudo ingens eiulantes euanuerunt. Pars verò reliqua candidatorum gratias illi, & laudes referebant, qui mè iuuerat, ac præclara victoria donauerat.

CAP. LXVII.

DE hoc Abbate Theodosio solitario narrauit nobis Abbas Cyriacus eius discipulus, quòd XXXV annos egerit in solitudine, semper post biduum comedens, & iugiter silentium seruans, neque ad aliquem loquens. Cæterùm si loqui voluisset, signo potiùs, quàm verbo vtebatur. Hoc & ego vidi. Mansi enim in eodem Aeliotarum monasterio annis decem.

Vide sancti patris altam secessionem, longa ieiunia, & iuge silentium.

CAP. LXVIII.

DE Abbate Theodosio cùm audisset Abramius Dux sanctæ Mariæ nouæ, quòd non haberet [z] pallium, quo hyeme vteretur, *emit illi*. Quod postquam senior accepit, quadam die cùm obdormiret (dormiebat autem in sella senex) ascenderunt latrones, & exuerunt illum pallio, abeuntesq; secum illud tulerunt. Quo facto, nihil omnino locutus est senex.

z Ecce beati viri paupertatem.

VITA ABBATIS PALLADII, ET SENIS THESSALONICENSIS INCLVSI, NOMINE DAVID.

CAP. LXIX.

PERREXIMVS vnà ego & dominus Sophronius Sophista, priusquam seculo renunciaret, in Alexandriam ad Abbatem Palladium, virum sanctum, & verum seruum Dei, qui monasteriū suum habebat in Thelazomeno. Cùmq; illū pariter deprecaremur, vt verbum nobis ædificationis impenderet, cœpit senex ita ad nos loqui: Filioli, tempus iam abbreuiatum est, [1] certemus hîc modicum, atq; laboremus, vt immortalibus bonis in æternum perfruamur. Videte martyres, videte pugiles cœlestes, quomodo viriliter, & fortiter cuncta superarunt. Quos præteritum quidem tempus agnouit, viuunt autem semper in memoria nostra, vixq; satis illorum tolerantiam admirari possumus. Attestantur audientium singuli, stupentes ad tantam beatorum martyrum patientiam, quæ verè naturam excedit humanam. Quorum alijs quidem effossi sunt oculi, alijs excisa crura, illis amputatæ manus, istis abscisi pedes. Et illos quidem ignis repentè consumpsit, istos autem lentius adurens, diu cruciauit. Atq; alios nimirum profundum maris excepit, alios flumina absorbuerunt. Alios item ferarum dentes, veluti malefactores quosdam, & sceleratos, viuos acceperunt; alios varijs exquisitisq; supplicijs præmortuos in cibum acceperunt. Cæterùm omnia contra illos bellatores Dei tormentorū genera excogitata dicere nō possumus, quæ suggessit humani generis inimicus dæmon, inuidia martyrum ipsorum, & liuore tabescens. O quàm fortiter sustinuerunt. O quanto fidei ardore pugnauerunt, imbecillitatem corporis animæ virtute superantes, & quæ sperauerunt præmia, præsentibus laboribus digniora, & longè excellentiora capientes. Quæ profectò omnia firmissimam illorum in vtranq; partem fidem ostendebant. Hinc quidem, quia laborantes modicum, eximijs bonis in æternum perfruuntur; inde verò, quia horrēda corporibus illorum inuecta supplicia,

1 Econtra hæretici nostri temporis nil horum facere volunt, neq; vllos pati labores pro acquisitione Regni cœlorum.

quæ

quæ inimicus noster diabolus induxit, fortissimè sustinuerunt. Si igitur tribulationes toleremus, & cum Dei gratia vincamus, verè Dei amatores inueniimur, Deus'q; nobiscum est, pugnans ipse in nobis, & vincens, labores'q; nobis, ac sudores dignationis suæ gratia alleuians. Scientes igitur, filioli, quali operatione, & expectatione tempus indiget, dignoscamus nos ipsos per quietem, & silentium. In hoc enim indulto nobis tempore, necesse est nos vti bona, & præclara ope pœnitentiæ, vt Dei templa esse mereamur. Neq; enim modicus, & breuis honor nobis in futuro sæculo recompensabitur.

DIXIT iterum: Memores semper illius simus, qui non habuit, vbi caput reclinaret. Ait rursus ipse senior: Quoniam, iuxta Paulum Apostolum, tribulatio patientiam operatur, faciamus mentem nostram capacem Regni cœlorum. Ait iterum: Filioli, non diligamus mundum, neq; ea, quæ in mundo sunt. Dixit iterum: Obseruemus cogitationes, quod medicamentum salutis est.

IDEM Abbas Palladius rogatus à nobis, vt ædificationis nostræ causa diceret nobis, qua ratione, quibus'q; cogitationibus ad monasticum statum accessisset, narrauit nobis, dicens: In prouincia mea Thessalonicensi senex quidam extra muros ciuitatis quasi stadijs tribus inclusus erat ex Mesopotamia, nomine Dauid, virtutibus valdè ornatus, misericors, & continens. Transegit autem in cellula inclusus ferè annos 2 octoginta. Quoniam verò propter metum barbarorum nocte muri ciuitatis custodiebantur à militibus, hi qui illam muri partem obseruabant, quæ senis cellulam respiciebat, nocte quadam aspexerunt, quia ex fenestris cellulæ ignis egrediebatur. Putauerunt autem milites barbaros in cellam senis ingessisse ignem. Manè autem facto, ingressi milites inuenerunt & senem illæsum, & cellam omnino incombustam, & obstupuerunt. Rursus igitur sequenti nocte eundem aspicientes ignem admirabantur. Non solùm autem sequenti nocte ignis in cella senis apparuit, verùm & multo tempore, ita vt vniuersæ ciuitati manifestum factum fuerit, plurimi'que nocte in muro sæpè vigilarint, inspiciendi ignis gratia. Visus est autem ignis ille vsq; ad obitum senis. Hoc ego miraculo non semel, & bis, sed sæpius inspecto, dixi in me ipso: Si in hoc seculo tantam gloriam seruis suis largitur Deus, quantam putas eis reseruauit in futuro, quando & illorum facies fulgebunt vt sol? Ista mihi, filioli, causa extitit arripiendi monasticum habitum, & hanc conuersationem eligendi.

2 Vsus'ne est pater, istevagatione, an cella perpetua?

VITA MONACHI ADDAS MESOPOTAMENI INCLVSI.

CAP. LXX.

DICEBAT & hoc nobis senex, quòd post hunc Abbatem Dauid venit & alius monachus, nomine Addas, & ipse de Mesopotamia, & seipsum inclusit ad aliam partem ciuitatis, in quadam magna Platano, fecitq; sibi fenestram, ex qua etiam cum aduenientibus colloquebatur. Cùm ergo venissent barbari, & omnem prouinciam prædati essent, contigit eos per locum illum transire. Cùmq; vnus ex eis, conspecto sene, gladium eduxisset, vt illum occideret, sublatam in sublime manum vt feriret, demittere nequiuit, sed ea suspensa immobilis perstitit. Quod cùm cernerent barbari cæteri, admirati rogabant senem, vt socium eorum curaret. Senex igitur, facta I oratione, curauit eum, & ita dimisit in pace.

I Vide magnã orationis virtutem.

PVLCHRVM DICTVM HOMICIDAE AD MONACHVM, QVI EVM SEQVEBATVR, DVM DVCERETVR AD DECOLLANDVM.

CAP. LXXI.

NARRAVIT nobis iterum idem Abbas Palladius, dicens, quòd in Arsenoite, quæ ciuitas Thebaidis est, tentus fuerit quidam homicidij reus; qui cùm diu cruciatus esset, tandem sententiam decollationis accepit. Cùm ergo duceretur extra ciuitatem sex millibus passuum, illic enim etiam perpetrarat homicidium; Monachus quidam retro sequebatur, vt illum decollari conspiceret. Qui autem ad decollandum ducebatur, cùm vidisset Monachum sequentem, ait illi: Nunquid, Abba, non habes cellulam, & opus manuum? Respondit Monachus: Parce mihi, frater, & I cellam enim, & opus habeo. Qui respondens ait illi: Quare ergo non resides in cella, & desles peccata tua? Dicit ei Monachus:

I Et cellam, & opus habeo. Ergo antiqui monachi nõ erant gyrouagi, & operabantur manibus.

Verè, frater mi; valdè me ipsum negligo, compunctionemque anima mea non habet, & idcirco venio, vt aspiciam te, dum morieris, vt vel sic in compunctionem veniam. Tunc ait illi reus: Vade, frater, per Dominum, sede in cella tua, & gratias age Saluatori nostro Iesu christo. Ex quo enim ille homo factus est, & pro nobis peccatoribus mortuus est, homo non iam moritur.

RELATIO ABBATIS PALLADII DE SENE HOMICIDA, QVI ADOLESCENTEM FALSO DE EODEM CRIMINE ACCVSABAT.

CAP. LXXII.

ET hoc item narrauit nobis ipse Abbas Palladius dicens: Senex quidam, qui homicidium fecerat, detentus est à magistratu in Alexandria. Qui cùm cruciaretur, dicebat, & alium fuisse secum cædis illius socium. Is autem, de quo senex dicebat, adolescens erat viginti ferme annorum. Multis ergo supplicijs ambo affecti sunt. Et senex quidem dicebat: Mecum fuisti, quando perpetraui homicidium. Adolescens verò denegabat, nihil se conscium esse homicidij, neque cum illo se fuisse asserens. Cùm ergò cruciati fuissent, sententiam ambo acceperunt, vt furcis suspenderentur. Abierunt ergo quinto extra vrbem milliario, illic enim huiusmodi reos punire consueuerant. Distabat autem ab eo loco ferè vno stadio Saturni templum euersum. Cùm igitur ad locum venissent, & populus, & milites, adolescentem primò suspendere in ligno voluerunt. Adolescens autem prostratus in solo milites orabat dicens: Per dominum facite charitatem, & ad Orientem me suspendite, vt illum videam, quando suspensus ero. Dicunt ei milites: Quam ob causam? Quibus adolescens: Verè, domini mei, non habeo infelix ego plusquam septem menses, ex quo sanctum baptisma suscepi, & Christianus factus sum. Cùm hoc audissent milites lachrymati sunt super adolescente. Senex autem cùm hoc audisset, fremens grauiter dixit militibus: Serapim facite, vt ego aspiciam contra Saturnum. Cùm verò audissent milites blasphemiam senis, omisso adolescente, senem primò suspenderunt. Cùm verò illum in ligno suspenderent, ecce eques ab Augustali celeriter missus, ait militibus: Adolescentem nolite interficere, sed reducite illum. Factum est autem ingens gaudium militibus, & cunctis assistentibus. Et reducentes eum, introduxerunt in prætorium. Absoluitque illum Augustalis. Adolescens verò præter spem saluus factus, abiens monachus effectus est. Hoc autem ad nostram, & legentium vtilitatem scripsimus, vt sciamus, quia nouit Dominus pios à tentatione liberare.

VITA IOANNIS MILITIS ALEXANDRINI.

CAP. LXXIII.

HOC etiam nobis idem Abbas Palladius narrauit dicens: Erat in Alexandria miles quidam, Ioannes nomine, hunc habens ordinem vitæ. Diebus singulis à mane vsq; in horam nonã sedebat in monasterio solus iuxta gradus sancti Petri, cilicio indutus, & sportellas texens, tacens omnino, & nulli quicquam loquens. Sedebat autem laborans manibus suis, atq; hoc solum canebat dulciter: Domine, ab occultis meis munda me, vt non confundar orans. Hunc versum cùm dixisset, vna fermè hora tacebat, & rursum eundem resumebat versum, ipsum'q; septies per totam diem repetebat, nihil omnino aliud dicens. Hora autem nona exuebat cilicium, induebat'q; militarem habitum, id est indumenta sua, atque ita ad propria signa properabat. Cum hoc & ego annos octo mansi, multum'que ædificatus sum in silentio, & instituto suo.

EIVSDEM PALLADII VERAX DICTVM DE HAERESIBVS

CAP. LXXIIII.

CORRIPIENS nos aliquando senex ipse ita nobis dicebat: Credite mihi, filioli, nihil aliud schismata, & hæreses introduxit in sanctam Ecclesiam, nisi quòd 1 non Deum, & nos inuicem valdè diligimus.

1 Hæreseũ causa est, quòd nõ Deum, & nos inuicem valde diligimus.

MIRACVLVM DOMINI ERGA VXOREM, ET FILIAM VIRI FIDELIS, QVI HOSPITIO SVSCIPERE MONACHOS CONSVEVERAT.

CAP. LXXV.

IDEM Abbas Palladius cùm aliis ad ipsum venissemus, tale quiddā enarrauit nobis. Erat (inquit) in Alexandria vir quidā fidelis, religiosus valde, & misericors, & hospitio suscipiens monachos. Habebat autem vxorem, & ipsam humilē valde, & 1 ieiunantem quotidie. Erat autem illis & filiola quasi annorum sex. Quadam verò die vir ille pius profectus est Cōstantinopolim. Erat enim negociator. Relictis ergo domi vxore, & puella, & vno seruo, abijt vt nauigaret. Cùm verò iret ad nauem, ait ad illum vxor: Cui nos commendatos relinquis, domine. Respondit vir eius: Dominæ nostræ 2 sanctæ Dei genitrici. Die verò quadam cùm sederet vxor, & operaretur, habens & puellam secum, seruus ille ex suggestione diabolica, voluit necare dominam, & eius filiam, & diripere quicquid haberent, & fugere. Sumpto igitur ex coquina cultro, perrexit in triclinium, vbi erant ambæ. Cùm verò venisset ante ianuam, comprehensus est cæcitate, ita vt neq; triclinium ingredi, neq; ad coquinam reuerti posset. Cùm autem vna ferme hora perstitisset, frustra'q; conaretur ingredi, cœpit vocare dominam suam dicens: Veni hucusq;. Illa admirans, quòd in medio ianuæ persistens, ad illam non ingrederetur, sed clamaret, ait illi: Tu magis huc veni: ignorans, quia cæcitate teneretur. Puer autem cœpit illam adiurare, vt iret prope illum. Illa verò iurauit, non se ituram. Tunc ait illi: Mitte vel puellam. Quæ noluit, sed ait: Si quid vis, ipse potius veni. Videns autem seruus, quòd nihil potuisset agere, se ipsum gladio percussit, & corruit. Domina verò illius cùm vidisset, quid egerat, clamauit, continuò'q; vicini accurrerunt. Ingressi sunt autem & ex officio Prætorij nonnulli, puerum'q; reperientes adhuc viuum, didicerunt ab ipso omnia, & glorificauerunt Dominum, qui ostenderat miracula, & matrem saluauerat cum filia.

1 Et ieiunantē quotidie. Vide hic qd promeruerit à Deo tam continuū ieiuniū, & num fuerit inutile, vt nunc dicunt quidā.

2 Ecce quomodo sācta Dei genitrix affuit his sibi cōmendatis mulieribus.

SVBMERSIO MARIAE MVLIERIS PECCATRICIS.

CAP. LXXVI.

ET HOC item Palladius ipse narrauit nobis. Audiui, inquit, nauclero quodam enarrante, tale aliquid. Quòd die quadam cùm nauigaret, vectores habens viros, & mulieres, venisset'que in altum, cæteris omnibus benè nauigantibus, alijs quidem Constantinopolim, alijs verò Alexandriam, & alijs aliò, vento illis flante prospero, ipse solus nauigare non poterat. Et mansimus (inquit) quasi dies quind[illegible] eo loco, vbi eramus, moti. Versabamur igitur in magna moestitia, & desperatione, nescientes, quid'nam istud sibi vellet. Ego verò, vt Nauclerus, cui cura nauis incumbebat, & omnium, qui in ipsa erant, cœpi rogare Deum pro hac re. Quadam verò die venit ad me vox dicens: Mitte foras Mariam, & benè nauigabis. Cœpi ergo cogitare, quid'nam hoc esset, & quæ esset Maria. Cùm autem hæsitarem de hoc, venit vox de nouo dicens: Dixit tibi, Mitte foras Mariam, & salui eritis. Tunc ego cogitans, quid istud esset, exclamaui continuò, O' Maria. Nesciebam enim, quæ esset Maria. Illa verò iacens in loco suo, vt audiuit, respondit dicens: Quid iubes, domine? Tunc aio ad illam: Fac charitatem; veni hucusque. Exurgens autem continuò venit. Cùm ergo venisset ad me, accepi eam seorsum, & dixi ei: Vides, Maria soror, quot peccata mea sunt, vt propter me vos omnes pereatis? Illa verò altiùs ingemiscens, ait: Verè, domine mi Nauclere, ego peccatrix sum. Et dixi illi: Quæ peccata habes, mulier? Et illa; Væ mihi, inquit, quia non est peccatum, quod ego non egerim, & propter peccata mea vos omnes in periculo constituti estis. Tunc enarrauit mihi mulier, quæ circa se erant, dicens: Profectò, domine Nauclere, infelix ego virum habui, ex quo duos filios genui. Cùm'que ad ætatem peruenissent, vnus annorum nouem, alius quinque, mortuus est vir meus, & remansi vidua. Miles autem quidam habitabat iuxta me, quem ego maritum accipere volui, misi'que ad ipsum quosdam. Ille autem non acquieuit, dicens: Non'accipio vxorem, quæ habeat ex altero viro filios. Ego aũt vidẽs quòd propter filios nollet me accipere vxorem, inducta amore eius, occidi duos filios meos, indicaui'que illi dicens: Ecce modò nullum habeo filium. Miles verò cùm audisset, quid egissem de filijs, ait: Viuit Dominus, qui in cœlis habitat, quia te non accipiam. Vnde ego metuens, ne hoc manifestum fieret, & morerer, fugi. Hæc ego audiens ex ore mulieris, ne sic quidem illam in mare proijcere volui, sed differens dixi ad illam rursus: Ecce ego ascendo in carabum, & si ambulauerit nauis, scito, quia peccata mea in naui operantur. Vocaui'que continuò scapharium, & dixi: Produc scapham. Cùm'que ascendissem in illam, nihilò magis vel nauis, vel scapha mota est. Tunc ascendens nauim, dixi mulieri: Descende & tu in scapham. Quæ mox vt descendit, scapha se continuò quinquies girans, in profundum cum muliere submersa est. Nauis autem post hæc tanta velocitate cucurrit, vt tribus diebus, ac dimidio, nauigationem peregerimus, quam diebus quindecim peracturi eramus.

RELATIO TRIVM PAVPERVM CAECORVM, QVOMODO EXCAECATI FVISSENT.

CAP. LXXVII.

EGO, & dominus meus Sophronius perreximus ad Philosophi Stephani domum, doctrinæ gratia. Erat autem meridianum tempus. Morabatur hic apud sanctam Dei genitricem, quam ædificauit beatus papa Eulogius ad Orientem, iuxta magnum Tetraphylum. Cùm ergo pulsaremus Philosophi ostium, puella respiciens ait nobis: Dormit ille, oportet expectare pusillum. Tunc aio domino meo Sophronio: Eamus ad Tetraphylum, & illic maneamus. Est autem locus ille Alexandrinis venerabilis. Dicunt enim Hieremiæ Prophetæ ossa ex Aegypto sumpta ab Alexandro conditore vrbis illic fuisse reposita. Cum ergò illuc venissemus, neminem inuenimus, nisi cæcos tres. Erat enim meridies. Perreximus ergo iuxta illos cæcos quietè, ac silenter, sedimusq; habentes libros nostros. Loquebantur autem cæci ad inuicem multa. Dixitq; vnus ad alium: Tu quomodo factus es cæcus? Respondit ille: Nauta eram, cùm essem adolescens, & cùm ab Aphrica nauigaremus, in mari oculis repente captus sum, nec valens ambulare albuginem in oculis habui. Dixit autē hic alij cæco: Tu verò quomodò effectus es cæcus? Respondit & ille dicens: Vitri ad vsus varios fundendi artifex fui, & ex igne amisi duos oculos meos, & cæcus effectus sum. Aiunt autem ambò hi, qui interrogati fuerant ad tertiū: Dicas & tu quomodo factus est cæcus. Respondit: Verè ego vobis dicam: Cùm essem adolescens, laborem valde oderam, & recusabam, luxuriosusq; factus sum. Cùmq; non haberem necessaria victui, furari iam cœperam. Die verò quadam cùm mala multa perpetrassem, stabam in quodam loco, vidensq; mortuum efferri optimè indutum, secutus sum funus, vt viderem, vbi poneretur. Venerunt autem retro sanctum Ioannem, & ibi posuerunt illum in monumento, peractisq; officijs, recesserunt. Ego mox vt illos recessisse vidi, ingressus monumentum, exui ipsum, nihil ei relinquens, præter vnum linteamen. Cùm ergo progredi inciperem de monumento, multis onustus pannis, dicit mihi improba mea cogitatio: Accipe & linteum, quia bonus est. Redij autem infelix ego, vt sumpto etiam linteo, nudum illum relinquerem. Tunc resedit coram me mortuus, extendensq; super me manus suas, digitis suis eruit oculos meos. Ergo igitur miserabilis, dimissis omnibus, cum magna tribulatione, & periculo exiui de monumento. Ecce & ego dixi vobis, quomodo cæcus factus sum. Ista cùm audissemus, innuit mihi dominus meus Sophronius, & recessimus. Et dixit mihi: Verè, Abba Ioannes, hodie nihil vltra audeamus. Satis enim ædificati sumus. Hæc ergo scripsimus, vt & vos pariter ædificemini. Nullus enim malè faciens Deum latere potest.

STVPENDVM MIRACVLVM PVELLAE MORTVAE, QVAE EXPOLIATOREM DETINVIT, NEC EVM RELAXARE VOLVIT, DONEC IS PROMITTERET SE MONACHVM FVTVRVM.

CAP. LXXVIII.

ET istud quidem, quod diximus, nos ipsi ab eo, qui passus fuerat, audiuimus. Aliud aūt huic simile Abbas Ioānes monasterij Gigantum pater, cùm Theopolim venisset, narrauit nobis, dicens: Ante modicum temporis venit ad me adolescens quidā, & ait mihi: Amore Dei suscipe me; volo enim pœnitere. Dicebat aūt hoc cū multis lachrymis, & singultibus. Ego aūt cùm illum cernerem valde contritum, & cum magna mœstitia, dixi illi: Dic mihi causam tantæ cōpunctionis, neq; me celes quicquā. Potens est enim Deus adiuuare te. Et ait mihi: Verè, domine Abba, magnus peccator sum. Ad quem ego rursus: Crede mihi, sicut multa, & varia sunt vulnera, ita plurima quoq; sunt, & varia medicamēta. Sed tu si curari vis, dic mihi in veritate opera tua, vt & ego cōgrua illis adhibeā medicamēta. Aliter enim curatur fornicator, aliter homicida. Aliud'q; est auari remediū, alia mendacis medicina. Atq; alio iracundus, alio fur, alio adulter medicamine sanatur. Et ne tibi plurima vitia enumerē; quemadmodùm in corporalibus infirmitatibus varijs varia quoq; remedia adhiberi cōspicimus, ita & animæ vitijs, quæ plurima sunt, medicina quoq; variè succurrit. Ille autem altiùs ingemiscens, & pectus suū percutiens, lachrymis, ac singultibus confundebatur, & præ nimia perturbatione & mœstitia animo deficiebat, neq; vocem liberā emittere valebat. Ego verò vt illū animaduerti ad desperationē, tristitiam'q; intolerabilē lapsum, & neq; quid passus esset, neq; quid egisset mali, neq; calamitatē suam enunciare valentem, aio ad illū: Fili, audi me, & aliquantulā vim fac cogitationi tuæ, & enuncia mihi quid à te factum sit. Potest enim Dominus noster præbere tibi auxilium suum. Nam qui propter ineffabilem clementiam suam, & immensas miserationes omnia pro salute nostra passus est, qui'que cum publicanis conuersatus est, & meretricem ad se venientem non repulit, latronem'q; suscepit, & amicus peccatorum appellatus est, ipse, fili, te quoque pœnitentem, conuersum'que suis manibus suscipiet gaudens. Non enim vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. Tunc ille vim sibi faciens, & à singultibus, & lachrymis modicum temperans, ait mihi. Ego, domine mi Abba, plenus omni scelere, & nec cœlo dignus, nec terra, cùm ante hoc biduum audissem, diuitis cuiusdam ex primarijs ciuitatis huius filiam virginem esse defunctam,

&cum

& cum multis, ac preciosis vestibus sepultam in vno extra ciuitatẽ monumẽto, ex consuetudine pessimi istius operis, abij noctu ad tumulum, ingressusq; cœpi expoliare illam. Et cùm omnibus iam ipsam exuissem, quibus erat induta, nec camisiæ quidem ipsius parcens, sed eam quoq; illi auferens, nudamq; ipsam, vt nata fuerat, relinquens, è sepulchro egredi volebam. Tunc illa resedit coram me, sinistramq; manum suam extendens, apprehendit dexteram meam; & ait ad me: Nequissime hominum, itá'ne decuit te nudare me? An tu non times Deũ, neq; metuis damnationem vltimæ retributionis? Non'ne vel saltem mortuæ misereri debuisti? Sed Christianus existens, ita me nudam assistere Christo honestum fore iudicasti? Neq; sexum muliebrem reueritus es? Non'ne hic sexus te peperit? Non'ne matrem quoq; tuam hac in me iniuria violasti? Quam, infelicissime hominum, rationem redditurus es Christo de scelere in me perpetrato ante ipsius tribunal tremendum, quòd viuente me, nullus extraneus vnquam vidit faciem meam, & tu post mortem, & sepulturam denudasti me, & nudum aspexisti corpus meum? Væ humanæ miseriæ, ad quam infelicitatem deuoluta est? Quo corde, homo, quibus manibus accedens, sumis sanctum & pretiosum [1] corpus Domini nostri Iesu Christi? Ego autem, vt ista conspexi, & audiui, pauore, & formidine totus comprehensus, tremens, ac metuens, vix aio ad illam: Dimitte me, & istud vltra non faciam. Quæ ait, profectò non ita erit. Tu enim vt voluisti, huc intrasti; sed non ita vt volueris, hinc egredieris. Nam sepulchrum istud commune erit ambobus. Neq; putes te confestim moriturum, sed cùm hic plures dies cruciatus fueris, malam malè animam perditus reddes. Ego autem orabam illam cum lachrymis; vt dimitteret me, multum illam per omnipotentem Dominum adiurans, spondensq;, & iuramento confirmans, me iniquum istud, ac nefarium opus vltrà non facturum. Tandem post multas preces, & lachrymas, crebrosq; meos singultus, respondens illa dixit mihi: Si vis viuere, & ab hac necessitate liberari, promitte mihi, quia si te dimisero, non solùm ab his nefarijs, & profanis actibus tuis recedes, sed statim perges, & seculo renuncians efficieris monachus, agesq; pœnitentiam pro his, quæ malè gessisti, seruiens Christo. Ego autem iuraui ei dicens: Per Deum, qui suscepturus est animam, non solùm quæ dixisti faciam, sed ab hodierna die non ingrediar in domum meam; sed hinc abiens, in monasterium proficiscar. Tunc ait puella ad me: Indue me, sicut inuenisti priùs indutam. Cùm verò illam induissem, rursum se collocans, mortua est. Hæc ego cùm ab adolescente audissem, refouens eum, ac erigens verbis, & prouocans ad pœnitentiam, & continentiam, [2] totondi illum, indutum'que monastico habitu inclusi in speluncam in monte, magnificè gratias Deo agentem, certantemq; viriliter pro anima sua.

[1] Vides in Eucharistia esse verum Domini nostri Iesu Christi corpus?

[2] Ecce quomodo qui monachus fiebat, tondebatur, & nouum induebat habitũ.

PRATVM MAXIMVM ET STVPENDVM MIRACVLVM SACRATISSIMAE EVCHARISTIAE SVB DIONYSIO SELEVCIAE EPISCOPO.

CAP. LXXIX.

CVM vehissemus Seleuciam, conuenimus Abbatem Theodorum Episcopum eiusdem ciuitatis. Ille autem narrauit nobis, dicens: Sub sanctæ memoriæ Dionysio hui⁹ ciuitatis Episcopo prædecessore meo, tale quiddam contigit. Vir quidam erat in hac ciuitate negociator valdè religiosus, & diues, sed hæreticus. Erat enim de Seueri sectatoribus. Habebat autem seruum fidelem quendã, sanctæ & Apostolicæ Ecclesiæ communicantẽ. Hic secundùm prouinciæ consuetudinem, die sancto 1 cœnæ Dominicæ sumptam communionem inuoluit in linteo 2 mundissimo, & in armario reposuit. Contigit autem, vt post sanctum Pascha vir ille fidelis mitteretur Constantinopolim, negocij cuiusdam gratia, dimissa per obliuionem sancta communione in armario. Dedit autem eius clauem domino suo. Quadam verò die aperiens armarium dominus, inuenit linteolum, inuolutasq; in eo sanctas particulas communionis. Contristatus est autem in hoc, & hæsitabat, quid'nam de illis faceret. Nam ex ipsis cõmunicare nolebat, eo quòd essent sanctæ 3 Catholicæ Ecclesiæ, ipse verò Seuerianæ hæresis. Et tunc quidem dimisit eas in armario, vt erant, cogitans quia rediturus esset seruus, & sumpturus eas. Cùm autẽ venisset cœna dñi, neq; seruus ille fidelis redijsset, voluit eas dñs ipsius comburere, ne rursus & in secundum annũ seruarentur. Apertoq; armario, vidit omnes 4 sanctas particulas culmos & spicas germinasse. Vnde ingenti timore, ac tremore comprehensus in nouo, admirandoq; spectaculo, sumens sanctas particulas, & cum omni domo sua clamans Kyrieeleison, cucurrit ad sanctam Ecclesiam, ad sacrosanctum, & venerabilem Dionysium Episcopum. Hoc autem magnum, & terribile, & omnem rationem, omnem'q; mentem, & omnem cogitationem excedens miraculum, non vnus, aut duo, aut tres, vel pauci aliqui viderunt, sed omnis Ecclesia, ciues'q;, & rustici, indigenæ, & hospites, qui'q; continentem ambulant, & qui mare nauigant, viri, & mulieres, senes, & impuberes, iuuenes, & seniores, domini, & serui, diuites, & pauperes, principes, & subditi, sapientes, & simplices, virgines, & monachi, viduæ, ac nuptæ, qui in potestate sunt constituti, & qui illorum reguntur imperio. Et illi quidem clamabant Kyrieeleison, cæteri autem aliter Deum laudabant, omnes verò pariter Deo gratias agebant pro ineffabilibus eius mirabilibus. Plurimi igitur ex hoc miraculo credentes adiecti sunt sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ.

1 Dies cœnæ dñicæ sanctus est.

2 Vides hîc nullam fieri mentionẽ de altera specie, quia etiã tũc vigebat consuetudo communicandi laicos sub vna specie tãtùm, de qua etiam mentionem facit Concilium Cõstantiẽse.

3 Qui hæreticus est, non est communiõis sanctæ Catholicæ Ecclesiæ.

4 Et hîc in sacra Eucharistia manifestè apparet quãti sit Catholicæ Ecclesiæ communio.

DE FONTE CONCESSO A DEO FRATRIBVS MONASTERII IN SCOPVLO AD ORATIONES ABBATIS EORVM THEODOSII.

CAP. LXXX.

PERVENIMVS ad monasterium Abbatis Theodosij in scopulo. Est autem mons inter Seleuciam, & Rosum Ciliciæ, patresq́; loci illius duxerunt nos supra monasterium, quantum est iactus sagittæ, & ostenderunt nobis fontem magnum valdè, ac speciosum, dixeruntq́; nobis: Fons iste, fratres, naturalis non est, sed nobis diuinitus indultus est. Sanctus enim pater noster Theodosius multùm ieiunauit, multumq́; lachrymarum fudit, ac multis orationibus, & genuflexionibus obtinuit, vt Deus nobis aquæ istius solatium, & vsum præstare dignaretur. Antea enim ex torrente patres nostri aquam hauriebant. Sed Deus, qui facit voluntatem timentium se, sua infinita bonitate præstitit nobis aquæ istius refrigerium per orationes sancti patris nostri. Verùm ante hoc biennium, quidam ex fratribus petierunt à patre monasterij, vt lauachrum ædificarent in monasterio. Abbas autem grauiter id quidem ferebat, cessit tamen, fratrum infirmitati condescendens. Aedificatū est igitur lauachrum in monasterio, semelq́; tantummodo lauatum est in eo, cùm statim exsiccatus est talis, tantusq́; à Deo nobis præstitus fons. Et in veritate vobis dicimus, Christiani, multùm ieiunauimus, multùm orauimus, multas genuflexiones egimus, vt aquam reciperemus, nihilq́; profecimus. Annus ergò integer sine aqua fontis impletus est, eramusq́; in magna tribulatione. Statim verò vt pater noster bonus, & mitis destruxit lauachrum, Deus aquam iterum reddidit nobis.

Ieiunium, oratio, lachrymæ, & genuflexiones valent multum ad impetrandum aliqd à Deo.

PRATVM

DE PVTEO AQVA IMPLETO, SVBMISSA IMAGINE EIVSDEM ABBATIS THEODOSII.

CAP. LXXXI.

NARRAVERVNT nobis patres ipsi & istud dicentes: Mulier quædam fidelis in partibus Apamiæ his diebus puteum fodit. Cumq; plura expendisset, ingentesq; labores tolerasset, & effosso puteo in magnam altitudinem, aquam non inuenisset, in mœrore, & afflictione multa erat, & propter laborem, & propter impensas. Apparuit autem ei sic afflictæ mulier quædam in somnis dicens: Mitte in scopulum, & adduci tibi fac 1 imaginem Abbatis Theodosij, & per ipsum tibi Deus aquam præstabit. Mulier autem protinus duos homines misit ex suis, accepitque imaginem sancti. Quam cùm in puteum 2 submisisset, statim aqua manauit, ita vt dimidium putei impleretur. Tulerunt autem nobis ex eadem aqua, & bibimus, & glorificauimus Deum.

1 Habes & hîc imaginũ vsum antiquũ esse in Ecclesia, & earũ veneratione.

2 Si imagines Deo nõ placerent, & earum veneratio, ad huius submissionẽ in puteũ non exhibuisset tam magnũ miraculum.

VITA IOANNIS SENIS MONASTERII SCOPVLI.

CAP. LXXXII.

IOANNEM quendam senem in eodem monasterio vidimus, de quo dicebant nobis eiusdem loci patres. Verè, Christiani, magnus est senex, dæmonibusq; terribilis. Quicunq; enim huc venerit vexatus ab immundo spiritu, curat eum continuò senior.

CAP. LXXXIII.

DICEBANT nobis & hoc de illo ipsius loci Patres, quòd ad vigesimum quartum milliarium monasterij emporium est, quod Exile promontorium dicitur. In eo emporio nauclerus quidam, constructa naui triginta millium modiorum, volens eam in mare deducere, duas hebdomadas cum operarijs plurimis egit (habebat autem quotidie trecentos operarios) nec potuit illam de loco suo mouere, aut in mare deducere. Fuerat enim à pessimis hominibus incantata nauis. Erat igitur in magna tribu-

latione, & angustia dominus nauis, & quid ageret, omnino ignorabat. Per dispensationem autem Dei abijt senex ad partes illas. Nauclerus autem, conspecto sene, agnoscensq; sanctum virum, ait illi: Ora, domine Abba, pro naui ista, per artes enim magicas in mare descendere non potest. Dicit ei senior: Vade, fac vt cibum sumam, & Deus iuuabit te. Hoc autem dixit senex, vt nauclerus abiret domum. Cùm verò ille abijsset, accessit senex solus ad nauem, & tertiò se in terram 1 prosternens, & orans Deum, tertiò signauit nauim signo sanctæ 2 Crucis in nomine Domini nostri Iesu christi. Veniens deinde senex in domum naucleri, dixit illi: Vade ad nauem tuam, & deduc illam in mare. Nauclerus autem credens verbis senis, abijt cum paucis, illisq; trahentibus, mox in mare deducta est nauis.

1 Ecce oratio cum prostratione.

2 Vide mirum effectum signaculi sanctæ Crucis.

VITA, ET MORS ANACHORETAE EIVSDEM MONASTERII SERVI DEI.

CAP. LXXXIIII.

EIVSDEM monasterij patres narrauerunt nobis, dicentes: Anachoreta quidam in his montibus erat, magnus valde secundùm Deum, plurimos annos vitam solitariam ducens. Mortuus est autem in parua quadam spelunca, nobis nescientibus. Arbitrabamur enim omnes, quòd ad aliam eremum migrasset. Nocte verò quadam venit in somnis, & 1 apparuit ei, qui nunc est, patri nostro, bono, & optimo pastori, Abbati Iuliano, dicens: Sume tecum aliquos, & veni, tollens me de loco, vbi iaceo, in monte, qui vocatur Ceruus. Sumpsit igitur quosdam ex nobis pater noster, & ascendit in montem, quem ille dixerat. Cùmq; per plures horas quæsissemus, non inuenimus Anachoretæ reliquias. Erat enim speluncæ ingressus pro tẽpore niuibus, & lignis coopertus. Cum ergò non inuenissemus, dixit senior: Venite, descendamus, filij. Cùmq; descendere inciperemus, ecce caprea venit, & stetit non longè à nobis, cœpitq; pedibus suis humum fodere. Quod cùm pater noster aspiceret, dixit nobis. Credite mihi, filij, illic sepultus est seruus Dei. Fodientes igitur inuenimus corpus eius integrum; quod sublatum in monasterium cum 2 honore sepeliuimus.

1 Si sancti viri in somnis apparent, & loquuntur hominibus, non verè possunt dici emortui, vt mentiuntur hæretici.

2 Vides quomodo viri Deo dicati cum honore sepeliantur?

QVOMODO TRITICVM EIVSDEM MONASTERII GERMINAVERIT PROPTER CESSATIONEM CONSVETAE ELEEMOSYNAE.

CAP. LXXXV.

NARRAVERVNT autem nobis rursus & hoc dicentes: Consuetudo fuit, vt in cœna Domini pauperes omnes, & pupilli regionis huius confluerent huc, & acciperent medium tritici sextarium, benedictiones tredecim, & sextarium vini, mediumq́ sextarium mellis pro quolibet. Ante hoc autem triennium, magna tritici sterilitas fuit, vendebaturq́ triticum in regione hac, sextarij XII vno numismate. Cùm ergò venissent ieiunij dies, dicunt Abbati nostro quidam ex patribus: Noli, domine Pater, secundum consuetudinem dare pauperibus triticum, ne desit monasterio. Triticum enim non inuenitur. Abbas autem cœpit dicere fratribus: Non infringamus, filii, benedictionem Patris nostri Theodosij. Videte, mandatum senis est, nō expedit nobis illud transgredi. Verè ipse est, qui curam nostri gerit. Fratres autem in sua persisterunt sententia, dicentes Abbati: Non suppetit nobis, quod dare possimus. Tunc Abbas contristatus ait illis: Ite, & secundùm quod vultis facite. Non itaq́, vt consuetum erat, dederunt benedictionem in die 1 sancto cœnæ, & parasceues. Profectus postmodum qui præerat horreis, aperuit ostia, & reperit triticum totum germinasse. Quare coacti postea sumus illud in mare proijcere. Tunc cœpit Abbas noster dicere fratribus: Qui patris nostri monita irrita facit, ista patitur. Labores nunc inobedientiæ metite. Quingentos modios daturi eramus, & patri nostro Theodosio per obedientiam placuissemus, fratresq́ nostros pauperes consolati fuissemus, nunc verò quinq́ ferè millia modiorum tritici perdidimus. Quid lucrati sumus, filij? Quantum nobis ipsis nocuimus? Duo profectò mala egimus. Vnum quia mandatum patris nostri præteriuimus, alterum quia spem in Deum non habuimus, sed in horreo nostro. Vel ex hoc discamus, fratres, quia Deus est, qui disponit omne humanum genus, quòdq́ sanctus 2 Theodosius inuisibiliter pro nobis filijs suis curam solicitè gerit.

1 Ecce dies sanctus cœnæ Domini, & parasceues.

2 Nota, sanctus Theodosius inuisibiliter pro nobis filijs suis curam solicitè gerit.

DE ALTERO EIVSDEM MONASTERII ANACHORETA, QVI STATIM VT COMMVNIONEM SACRAM SVMPSIT, CONSVMMATVS EST.

CAP. LXXXVI.

ABBAS Egiarius narrauit nobis, dicens: Cùm exisſem ex Aegis poſt ſolennitatem, hyemsq́; acrior inhorruiſſet, veni in monaſterium Scopuli. Cùm'que illic eſſem, tale aliquid contigit. Anachoreta quidam in partibus illis erat ſolitarius, veniebatq́; 1 ſancto die Dominico, & ſumebat 2 veneranda myſteria. Semel autem ſcādalizatus Anachoreta, quinq; ferè hebdomadas manſit, nunquam iuxta conſuetudinem in monaſterium veniens. Quapropter fratres monaſterij contriſtabantur. Cùm ergo in illo monaſterio eſſem, venit Dominico die. Quem cùm vidiſſent fratres monaſterij, gauiſi ſunt, proſtratiq́; petebant veniam, & ille ſimiliter proſtratus veniam petijt, feceruntq́; charitatem. Anachoreta verò cum accepiſſet 3 corpus, & ſanguinem Domini noſtri Ieſu chriſti, poſuit ſe ipſum in Eccleſiæ medio, ſtatimq́; conſummatus eſt, cùm prorſus antea non ægrotaſſet. Cognouerunt ergo monaſterij patres, quia præſciſſet diem obitus ſui Anachoreta, & idcirco veniſſet, vt nihil habens aduerſus aliquem migraret ad Dominum.

1 Vide ſanctū diem Dominicum.

2 Nota ſacrā Euchariſtiā appellari veneranda myſteria.

3 Vides quòd dixit Anachoretā accepiſſe corpus, & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, non autem ſignum corporis, & ſanguinis? Habes etiā ſanctorum virorū fuiſſe cōſuetudinē, obitum ſuum Dñici corporis & ſanguinis pceptione munire. Nunc verò poſt illā cōſuetudinē iurè ab Eccleſia immutatam, & alteram introductam, ac tandē poſt Cōſtantiēſis Cōcilij conſtitutionem ſola ſacri corporis perceptione id faciunt.

INVENTIO CORPORIS IOANNIS ANACHORETAE NVNCVPATI HVMILIS.

CAP. LXXXVII.

VENIMVS in quendam vicum sex milliaribus à Roso distantem, & duo senes seculares hospitio nos susceperunt in Ecclesia fundi sui. Vicus autem ad radices montis erat. In Ecclesia igitur ipsa ostenderunt nobis marmoream tabulam, dicentes: Christiani, magnus in hoc monumento Anachoreta iacet. Diximus autem eis: Hoc vnde nostis? Et dixerunt nobis. Ante annos septem aspiciebamus nos vici huius habitatores per noctem in vertice montis lucem quasi ignem. Nos ergo putabamus, quòd ignem aliquis illic accendisset. Cúmque per dies plurimos istud aspiceremus, ascendimus die quadam, & nulla ignis indicia vidimus, neq; ignem, neq; aliquid in sylua igne adustum. Rursum sequenti nocte vidimus eadem lumina. Tribus igitur continuis mensibus ignem hunc vidimus. Nocte verò quadam assumentes quosdam ex vico cum armis propter feras, ascendimus in montem ad lucem, quæ apparuerat, mansimusq; vbi lux erat vsq; ad diem sequentem. Mane verò facto, aspicimus modicam speluncam in eo loco, vbi lumina videramus. Ingressi autem inuenimus Anachoretam defunctum. Erat autem indutus 1 cilicio, & pallio, tenebat'que in manibus 2 argenteam Crucem. Inuenimus etiam chartam ita scriptam: Defunctus sum ego Ioannes humilis indictione quintadecima. Computatis ergò annis, inuenimus eum ante septem annos defunctum esse: Ita verò erat integer, ac si die eadem obijsset. Sublatum ergò in Ecclesia cum 3 honore sepeliuimus.

1 Cilicium habit⁹ fuit multorum sanctorum.

2 Tenebat in manibus argenteã Crucem.

3 Ecce sepulturam honorificam.

VITA

VITA ABBATIS THOMAE APOCRYSARII COENOBII APAMIENSIS, ET DE MIRACVLO CORPORIS EIVS POST MORTEM.

CAP. LXXXVIII.

CVM venissemus Theopolim, presbyter quidã ipsius Ecclesiæ narrauit nobis de Abbate Thoma; quòd Apocrysarius fuerit cœnobij, quod est in partibus Apamiæ. Venit ergò senex Theopolim pro vtilitate monasterij, & cùm hîc remoraretur, defunctus est in Daphne in templo sanctæ Euphemiæ. Clerici autem ipsius loci sepelierunt eum quasi peregrinum inter peregrinorum sepulchra. Sequenti verò die humauerunt & mulierem, & imposuerunt illam super eum. Erat autem hora secunda. Circa horã verò sextam 1 euomuit illam terra. Loci verò illius accolæ videntes quod factum fuerat, mirati sunt. Deinde rursum vespere sepelierunt ipsam in eodem tumulo, & sequenti die inuenerunt corpus supra sepulchrum. Accipientes ergò corpus, in alio monumento ipsum posuerunt. Post paucos autem dies, iterum sepelierunt aliã mulierẽ supra Abbatẽ Thomam, non cogitantes loci ipsius clerici, quia non permittit quempiam super se sepeliri. Et illam ergo rursus euomuit terra. Tunc agnouerunt, quia non permittit senex mulierem super se humari, abeuntes'q; nunciauerunt Patriarchæ Donino. Qui omnem simul ciuitatem cum cereis 2 ascendere fecit in Daphnem, & cum psalmodia sancti viri reliquias in vrbem ferre. Deposuerunt autem sancti corpus in cœmeterio, vbi multa martyrum corpora condita sunt. Fecerunt'que supra ipsum breue oratorium.

1 Non licet indignos cũ sanctorũ corporibus tumulari, propterea terra toties hanc euomuit.

2 Ecce christianũ sepeliendi morẽ, cũ psalmodia, cum cereis, cum populi frequẽtia, apud sanctorũ martyrũ corpora, atq; in cœmeterijs, contra id, quod faciunt moderni hæretici.

INVENTIO CORPORIS SANCTI ANACHORETAE IN MONTE AMANO.

CAP. LXXXIX.

NARRAVIT nobis quidam patrum, cùm Theopoli essemus, quòd ascenderit quadã die in montem Amanum cuiusdam necessitatis causa, inuenerítq; speluncam. Ingressus autem in illam reperit Anachoretam genibus flexis, manibusq; in cœlum extensis, cuius crines capitis vsq; in pauimentum extendebantur. Cùm autem putaret eum viuere, prostratus ante illum ait: Ora pro me, pater. Ipso verò nihil respondẽte, surgens prope illum accessit, vt salutaret eum, & amplexaretur; sed tenens ipsum, inuenit mortuum. Itaq; illo dimisso, exiuit. Et cùm paulùm processisset, vidit aliam speluncam. Ingressus'q; inuenit senem. Qui ait ad illum: Benè venisti, frater; ingressus'ne es aliam speluncam? Et respondens ait illi: Vtiq; pater. Rursum dixit ei: Num aliquid inde accepisti? Respondit: Non. Et ille: Verè, frater, quindecim anni iam elapsi sunt, ex quo consummatus est. Ita verò erat, ac si ante vnam horam obdormisset. Cùm'q; fecisset senex orationem pro ipso, recessit.

MORS DVORVM ANACHORETARVM MONTIS PHTERIGII.

CAP. XC.

DVO Anachoretæ erant supra Rosum in monte, qui dicitur Phterigius prope Piapen fluuium, & iuxta monasterium Abbatis Theodosij in scopulo. Erat autem ex his alter senex, alter iunior, senis'q; discipulus. Cùm verò defunctus esset senex, facta [a] oratione discipulus sepeliuit eum in monte. Post dies verò paucos descendens de monte Anachoretæ discipul⁹, venit iuxta loca habitabilia, inuenitq; hominem quendam exercentem terram, & ait illi: Fac charitatem, frater, accipe fossorium, & sarculum, & veni mecum. Rusticus verò continuò secutus est eum. Cùm'q; venisset in montem, ostendit Anachoreta seculari sepulchrum

[a] Vides discipulum sepelisse senem cum oratione?

senis sui, & dixit ei: Fode hîc. Cùm autem effodisset sepulchrum, Anachoreta stetit ad orationem. Finita verò oratione, osculatus est secularem dicens: Ora pro me, frater. Descendensq; collocauit semetipsum supra senem suum, & continuò reddidit spiritũ. Secularis aũt rursus operto sepulchro, Deo gratias egit. Cùm autem descendisset de monte, quantum iactus est lapidis, ait intra semetipsum. Verè debui accipere benedictionem sanctorum. Reuersusq; illorum sepulchrum inuenire non potuit.

VITA ABBATIS GREGORII ANACHORETAE, ET THALLELAEI EIVS DISCIPVLI.

CAP. XCI.

DICEBANT quidam ex patribus de Abbate Gregorio Anachoreta, quòd triginta quinque annos egisset nudus deserta circumiens.

DICEBANT item de illo, quòd cùm esset in montibus monasterij Abbatis Theodosij in scopulo, habebat discipulum; quo defuncto, cùm non haberet senex instrumenta, vt humum foderet, & sepeliret corpus fratris, descendit de monte prope mare, inuenitq; applicantem nauem. Orauit autem naucleru, & nautas, vt ascenderent secum in montem, & sepelirent fratrem. Illi autem prompto animo obedierunt seni, sumentesq; instrumenta necessaria, ascenderunt cum eo, & fodientes humauerunt corpus fratris. Vnus autem ex nautis, nomine Thallelæus compunctus in virtute senis, orabat eum, vt cũ illo moraretur. Senex autem dixit ei: Non potes ferre pœnitentiæ laborem. Ait ille: Ita sanè tolerare possum. Mansitq; cum sene anno vno, nimium in sacra exercitatione laborans. Post peractum autem annum prostrauit se frater Thallelæus seni dicens: Ora pro me, pater. Nam per orationes tuas Deus abstulit à me laborem; neq; enim iam fatigor, neq; me aëris inclementia affligit; non æstu vror, non hyeme rigesco, sed in multa requie sum. Senex verò benedixit eum, peractisq; cum sene duobus alijs annis cum dimidio frater Thallelæus præsciuit obitum suum, orauitq; senem dicens: Duc me, quæso, 1 Hierosolymam, vt adorem sanctam Crucem, & sanctam Christi Domini, & Dei mei resurrectionem. His enim diebus Dominus assumit me. Senex autem, eo sumpto, profectus est in sanctam ciuitatem. Itaq; cùm adorassent sacra, & venerabilia loca, descendissentq; in sanctum Iordanem, & ibi lauissent, post dies tres obdormiuit in Domino frater Thallelæus, sepeliuitq; illum senex in monasterio Copratha. Post aliquantulum verò temporis requieuit & Abbas Gregorius Anachoreta, sepelieruntq; illum eiusdem monasterij patres in Ecclesia.

1 Ecce peregrinationem ad loca sancta; adorationis gratia, ecce Crucẽ Domini adorari solitam.

VITA FRATRIS GREGORII CAPPADOCIS, ET INVENTIO CORPORIS PETRI SOLITARII SANCTI IORDANIS.

CAP. XCII.

NARRAVIT nobis venerabilis pater noster Abbas Gregorius Archimandrita monasterij sancti patris nostri Theodosii, quod positum est in eremo sanctæ Christi Domini nostri ciuitatis, mihi scilicet, & fratri Sophronio Sophistæ dicens: Habui hic fratrem nomine Gregorium Cappadocem; habebat autem ministerium suum in Phaselide. Die verò quadam cùm fratres facerent panes, succendebat clibanum frater Gregorius. Sed cùm succendisset illum, non inuenit, cum quo deberet extergere furnum, fratres enim ipsum pannum absconderant, vt tentarent eum. Ingressus est ergo furnum, vestimentoq; suo illum detersit, nihil omnino ab igne læsus. Ego autem, hoc audito, corripui fratres, quòd ita ipsum tentassent.

NARRAVIT nobis & hoc idem Abbas Gregorius pater noster de eodem fratre Gregorio dicens: Die quadam pascebat porcos in Phaselide. Veneruntq; duo leones, vt porcum raperent. At ille sumens virgam suam, persecutus est eos vsq; ad sanctum Iordanem.

RVRSVS idem pater noster narrauit nobis, dicens: Cùm ædificare inciperem templum [1] sancti Quirici in Phaselide, effodiens templi fundamenta apparuit mihi in somnis monachus quidam magnæ, vt videbatur, abstinentiæ, indutus palma, ferensq; in humeris paruulum collobium de psiathio, dixitq; mihi [2] voce mitissima: Dic, Abba Gregori, nunquid post tantos labores, tantamq; abstinentiam, debuisti me extra templum, quod ædificas, dimittere? Ego autem senis vocem, habitumq; reueritus, aio ad illum: Non, domine. Absit à me, vt hoc faciam. Et ille: Verè hoc fecisti. Dixi autem ad illum: Quisnam es tu, domine? Ego, inquit, sum Petrus solitarius sancti Iordanis. Itaque surgens manè, perrexi, & quæsiui fodiens circa templum. Cùmq; foderem, inueni corpus eius ita iacens, sicut in somnis illum videram. Constructoq; oratorio, feci monumentum præclarum in dextera templi parte, & illic eum deposui.

[1] Vides quòd etiam antiquitus in honorem Sanctorum templa ædificabantur?

[2] Quid dicis tu, qui vocas sanctos e mortuos? Suntne hæc mortuorum opera?

VITA ABBATIS SISINII, QVI EPISCOPATVI RENVNCIAVIT, ET EIVS DISCIPVLI.

CAP. XCIII.

NARRAVIT nobis idem pater noster Gregorius dicens: Quadam die profectus sum ad Abbatem Sisinium Anachoretam. Erat autem hic senex, qui relicto Episcopatu suo propter Christum, venerat prope Castellum, quod appellatur Bethabara, & à sancto Iordane sex fermè milliaribus distat, ibi'q; vitam solitariam agebat. Cùm ergo venissem ad senem, & diu pulsarem, post multam horam aperuit discipulus eius, & ait mihi: Verè, domine Abba, infirmatus est senex vsque ad mortem, orauitq; Deum, ne de hoc seculo migraret, donec audiret aduenisse te in hanc regionem. Iueram enim Constantinopolim pro necessitate cœnobij ad pijssimum Imperatorem Tyberium. Cùm ergo profectus esset ad senem, annunciassetq; illi meum aduentum, post prolixam horam descendit, dicens mihi: Ascende, pater. Ascendentes autem inuenimus senem obdormisse in pace. Cognoui igitur, quia mox vt didicit me esse, qui pulsaueram, migrauit ad Dominum. Et cùm illum amplexarer, ait mihi defunctus leni, ac miti voce: Benè venit Abbas meus. Rursum'q; obdormiuit. Nunciaui igitur in locis illis, vt venirent [& 1] sepelirent senem. Cùm ergo venissent, & monumentum foderent, ait discipulus senis fodientibus sepulchrum. Facite charitatem, & aliquantulum latius fodite, vt duos capiat. Et cùm illi foderent, posuit seipsum in psiathio, & requieuit in pace. Sepeliuimus'que duos simul senem scilicet, & discipulum eius.

1 Si sancti viri tantam curã semper habuerunt in mortuis sepeliendis, pater, quòd sepelire mortuos pietatis opus est, & Deo placet.

VITA ABBATIS IVLIANI EPISCOPI BOSTRENSIS.

CAP. XCIIII.

IDEM Pater noster Gregorius Archimandrita narrauit nobis de Abbate Iuliano Episcopo Bostrense, quòd cùm recessisset de cœnobio, & factus esset Bostrensis Episcopus, quidam ex habitatoribus ipsius ciuitatis odio nominis Christi, voluerunt eum veneno occidere, corrumpentesq; pecunijs ministrum eius, qui ipsi porrigebat poculum, dederunt illi venenum, vt cùm porrigeret Metropolitæ poculum, venenum in calicem mitteret. Puer autem ita vt dictum fuerat, fecit, deditq; calicem veneno infectum sancto Iuliano. Suscepit verò illum sanctus vir, ac diuinitus agnouit insidias. Susceptum ergò calicem ante se posuit, nihil omnino dicens puero; mittensq; accersiuit omnes primates ciuitatis, inter quos erant & qui illi insidias parauerant. Vir autem beatissimus nolens eos publicare, qui hoc fecerant, voce mitissima omnibus dixit: Si arbitramini humilem Iulianum veneno occidere, ecce coram vobis pestiferum calicem bibo. Signansq; 1 ter digito suo calicem, & dicens: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, bibo hunc calicem: bibit illum coram omnibus totum, atq; illæsus perstitit. Quod illi cùm vidissent, prostrati veniam petierunt.

1 Vide magnū miraculū ad signum sanctissimæ Crucis peractū.

VITA PATRICII SENIS MONASTERII IN SCOPVLO.

CAP. XCV.

ERAT quidā senex in eodem cœnobio Abbatis Theodosij sancti patris nostri, genere quidem Sebastensis, nomine autem Patricius, senex valde (dicebat enim se esse annorum centum & tredecim) mitis, & quietus. Narrauerunt ergo nobis de illo ipsius loci patres, quòd fuisset pater monasterij Abbatis Cani, dimisissetq; Prioris officium, periculum, & iudicium metuens (magnorum enim virorum esse dicebat, pascere rationales oues) ac venisset illuc, vt sub obedientia viueret, hoc iudicans animæ vtilius esse.

DE EODEM, ET DE IVLIANO ARABO CAECO,

CAP. XCVI.

DICEBANT autem nobis & hoc de ipſo: Cùm alius hîc fuiſſet ſenex, genere Arabs, Iulianus nomine, captus oculis, ipſe aliquando ſcandalizatus eſt in Macharium Archiepiſcopum Hieroſolymitanum, nolebatq́; cõmunicare illi. Quadá ergo die Abbas Iulianus ſignificauit Abbati Symeoni, qui erat in monte mirabili (diſtat aũt à Theopoli mons ipſe milliaribus nouem) dicens: Cæcus ſum & quò abeam, neſcio. Neq; verò habeo, qui poſsit auxiliari mihi, & cõmunicare Machario detrecto. Indica mihi, pater, quid agere debeam de fratre, qui fornicatus eſt, & de illo, qui ſe cum eo iuramento conſtrinxit. Reſpondit autem Abbas Symeon Abbati Iuliano, dicens: Ne recedas, neq; te ipſum à ſancta Eccleſia ſepares. Neq; enim illa malè habet, gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti filij Dei. Sed & hoc ſcito, frater, quòd ſi quis in hæreſim inciderit, in cœnobio veſtro, habetis ſenem magnum, nomine Patricium. Hic autem ſenex iuxta ſacrarium infra omnes moratur, prope occidentalem Eccleſiæ murum; dicitq́; & ipſe pro omnibus ſanctam orationem oblationis, & ipſius oblatio ſancta exiſtimatur.

VITA, ET MORS DVORVM FRATRVM MONACHORVM, QVI NVNQVAM AB INVICEM SEPARARI IVRAVERVNT.

CAP. XCVII.

DICEBAT autem Abbas Ioannes Anachoreta, cognomento Rutilus, audiſſe ſe ab Abbate Stephano Moabita referente, quia cùm eſſet in cœnobio ſancti Abbatis Theodoſij magni monachorum principis, erant illic duo fratres, qui ſibi inuicem iurauerant, quòd neque in vita, neque in morte ab inuicem ſepararentur. Cùm ergo cunctos in cœnobio ædificarent, vnus ex eis impugnatus à forincatione, dixit fratri ſuo: Dimitte me, frater, quia impugnor à fornicatione, & ferre non præualens volo ad ſeculum reuerti. Frater autem rogare cœpit eum dicens: Noli, quæſo, frater mi, noli 1 perdere laborem tuum.

1. Vide quantũ peccatum ſit Monachum fornicari, cũ propter illud perdat omnes labores ſuos.

Tunc is dicit ei: Aut dimitte me abire, aut tu veni mecum, vt voluptati satis faciam. Frater autem ille cùm nollet eum dimittere, abijt cum *illo in ciui*tatē. Ingressus igitur est in meretricis diuersoriū is, qui impugnabatur. Frater autem ille foris stans, puluerem 2 de terra super caput suum iaciebat, *& se*metipsum affligebat. Postquam verò ille, completo fœdo opere, è lupana*ri* egressus est, dixit ad eum frater: Quid lucratus es ex peccato, frater mi? Quantum inde detrimentum cœpisti, Eamus rursus in cœnobium. Qui ait: Non iam possum in eremum venire. Vade à me. Ego enim in seculo maneo. Cùm igitur multùm rogaret eum, nihil'que proficeret, neque se ille sequi *iam ad ere*mum vellet, mansit & ipse cum illo in seculo. Laborabant'que ambo manibus suis, vt viuerent. Per idem tempus Abbas Abramius, qui postmodum factus est Episcopus Ephesi, bonus, ac mitis pastor, ædificabat monasterium suum, quod dicitur Bicantiorum. Abeuntes autem duo fratres laborabant in opere, ministrantes cæmentarijs. Sumptam verò mercedem operis amborum frater ille, qui in fornicationem lapsus fuerat, quotidie pergens in ciuitatem consumebat in luxuria. Alius verò quotidie 3 ieiunans, & psallens, cum omni quiete faciebat opus, nemini aliquid loquens. Videntes autem illum artifices diebus singulis neque comedentem, neque aliquid loquentem, sed semper cogitanti similem, retulerunt de illo, & de conuersatione eius sancto Abbati Abramio. Tunc magnus re vera Abramius accersiuit operarium de cella sua, & interrogauit eum dicens: Vnde es, frater? & quod est opus tuum? Ille autem omnia illi per ordinem confessus est, & quia fratris sui gratia sustineret omnia, vt Deus (inquiens) meam tribulationem videns saluet fratrem meum. His auditis, Abramius dixit fratri: Et Dominus donauit tibi animam fratris tui. Cùm ergo dimisisset eum sanctus Abramius, exijsset'que de cellula, ecce frater ille aduenit clamans: Mi frater, assume me in eremum, vt saluus fiam. Continuò autem assumpsit eum, & abierunt ad Iordanis speluncam, & incluserunt se. Post modicum verò temporis, cùm magnificè secundùm Deum profecisset frater ille, qui in fornicationem inciderat, migrauit ad Dominum. Mansit autem superstes frater in eadem spelunca iuxta iuramentum, quousque & ipse moreretur.

2 Ecce puluerem insigne pœnitētium.

3 Ieiunium, & psalmodia sunt bonorū monachorū exercitia.

CAP XCVIII.

AD hunc fratrem post mortem alterius fratris veniens senex quidam ex monasterio Calamonis, ait illi: Dic mihi, frater, In tanto tempore solitariæ vitæ, spiritalis'que exercitij, quid lucratus est? Dixit ei frater: Vade, & post decimum diem veni ad me, & dicam tibi. Senex autem abiens, post decimum diem redijt, inuenit'que fratrem migrasse ad Christum, & testam, in qua sic scriptum erat: Ignosce, pater, quia nunquam, dum opus Dei agerem, aut horis constitutis psallerem, mentem meam dimisi in terram.

VITA

VITA ANTONII SENIS MONASTERII IN SCOPVLO.

CAP. XCIX.

NARRAVERVNT nobis patres eiusdem monasterij sancti patris nostri Theodosij, dicentes: Ante hos annos defunctus est hîc senex quidam, Antonius nomine. Is in vita sua maximè 1 ieiunijs operam dans, profectus est in locum, qui Cotulas dicitur. Quadam ergo die cùm esset in eremo, ecce Sarraceni in partes illas venientes viderunt senem. Vnus'que ex eis, educto gladio, venit contra senem volens necare illum. Senex autem vt vidit Sarracenum contra se venientem, intuens in cœlum ait: Domine Iesu christe, voluntas tua fiat. Statim'que aperta est terra, & absorbuit Sarracenum illum, senexq; saluatus est.

1 Vide quàm gratum Deo faciant hominem cõtinua ieiunia.

VITA PETRI PONTICI MONACHI.

CAP. C.

RVRSVS narrauerunt nobis prædicti loci patres, quòd illic fuerit quidã senex, Petrus nomine, genere Ponticus, multis, præclaris'que virtutibus ornatus. De hoc sene Theodorus, qui fuit Episcopus Rosensis, dicebat nobis, quòd die quadam conuenit illum ad Iordanem in monasterio Turrium, illic enim ipse morabatur, ei'que dixit: Fac charitatem, frater Theodore, veni mecum in montem Sina, quia illuc proficisci 1 votum habeo. Qui cùm nollet non obedire, dixit ad eum: Eamus. Cum verò transisset Iordanem, dixit ad Theodorum senior: Veni, frater Theodore, oremus, vt vsque ad montem Sina nullus nostrum comedat. Ad quem ille: Verè, pater, ego hoc facere nõ possum. Prostrauit 2 aũt se senex, & orauit, & vsq; ad Sina nihil comedit. Sũptis igitur illic sanctis mysterijs, tũc & cibum sumpsit. Similiter & à Sina vsque Alexandriam ad sanctum Menam peruenerunt, nihil omnino comedente sene. Ibiq; denuo communicans, post communionem cibum sumpsit. Et à sancto Mena vsque in sanctam Ciuitatem venerunt, cùm nihil omnino gustasset senior in via. Cùm verò in sancta Christi

1 Etiam sancti veteres vouebãt peregrinationes, & vota persoluebant.

2 Ecce oratio cum prostratione, & mirabilis eius effectus.

Dei nostri Resurrectione percepisset veneranda mysteria, tunc demum accepit & cibum. In hoc ergo toto, tali, tantoq; itinere, nisi tertiò non comedit senex, semel in Sina monte, semel in Alexandria, & semel in sancta Ciuitate.

Nota sacram Eucharistiá supra appellari sancta, hic vero venerãda mysteria.

VITA PARDI MONACHI ROMANI.

CAP CI.

NARRAVERVNT etiã nobis de alio sene Patres eiusdẽ monasterij, dicentes: Erat hic senex quidam, qui ante modicum tempus defunctus est, Pardus nomine, genere Romanus. Hic dum esset iunior, mulio fuerat. Die igitur quadam abijt Hierico cum mulis. Et cùm esset in Xenodochio, inuentus est illic puer paruulus, quem, agente diabolo, mulus calce percussit, & occidit, ignorante hoc Abbate Pardo. Afflictus verò super hoc multùm Abbas Pardus, abijt in Arnonem, & effectus est Anachoreta, lugens semper, & dicens: Ego feci homicidium, & vt homicida in iudicio damnatus sum. Erat autem illic prope torrentem leo. Diebusq; singulis ibat Abbas Pardus ad cubile leonis, stimulans, & prouocans leonem, vt exurgeret, & deuoraret eum. Leo autem nihil omnino illum lædebat. Videns autem senex, quia nihil proficeret, ait in seipso: Dormiam in via, per quam leo pergit ad fluuium, nã cùm transibit, vt eat ad bibendum, deuorabit me. Cùm ergo iaceret, ecce leo post paululum venit, & quasi ratione præditus esset, cum omni quiete transiliuit senem, neque omnino illum tetigit. Tunc senior certior factus est, quòd Deus remisisset illi peccatum, & veniens rursus in monasterium suum, vixit in magna continentia ædificans omnes vitæ suæ exemplo vsque ad diem obitus sui.

RELATIO SOPHRONII SOPHISTAE DE EO, QVOD SIBI IN VIA CONTIGERAT.

CAP. CII.

CVM interrogatus esset Abbas Sophronius Sophista frater meus, assistebamus prope illum ego, & Abbas Ioannes Scholasticus, & Abbas Quiricus, & alij quidam ex patribus, dixitq; nobis: Pergebam modò in via, & ante me adolescentulæ choream agebant, tripudiabantq; dicentes: Benè veniat Sophronius; coronatus est Sophronius.

VITA, ET VIRTVTES ABBATIS STRATIGII.

CAP. CIII.

DICEBANT de Abbate Stratigio patre insignis monasterij sancti patris nostri Theodosij, monasterij ipsius patres, quòd tres istas virtutes possederit supra ætatis nostræ monachos, 1 ieiunium, vigilias, & iuge opus.

1 Ieiunium, vigiliæ, & iuge op⁹, tres sancti patris virtutes.

VITA ABBATIS NONNI PRESBYTERI.

CAP. CIIII.

NARRAVIT nobis in cœnobio sancti patris nostri Theodosij, Abbas Theodosius, qui fuit Episcopus Capituliadis, de Abbate Nonno presbytero, quòd nocte quadam, antequam pulsaret nocturnum signum, dum iaceret ipse in lectulo suo, audiuit quendam leni voce dicentem: Kyrieeleison. Cùmque quinquaginta vicibus hoc ille iterasset, voluit ipse scire, quis esset, qui hoc dicebat. Et aspiciens, inquit, in Ecclesiam per cellulæ meæ fenestram, vidi senem procumbentem genibus suis, & stellam lucidissimam super caput eius ostendentem mihi, quis esset senex.

ALIVS autem quidā de senibus ipsius cœnobij narrauit nobis de eodem Abbate Nonno, dicens: Nocte quadam priusquam pulsaret signum, egressus de cellula mea, ibam ad Ecclesiam. Et aspicio senem ante Ecclesiam stantem, & 1 extensis in cœlum manibus orantem. Lucebant autem manus eius quasi lampades ignis. Quare metu perterritus recessi.

1 Nota senem stantem, & extēsis ad cœlum manib⁹ orantem.

VITA SANCTI SENIS CHRISTOPHORI, GENERE ROMANI.

CAP. CV.

CVM in Alexandria essemus, accessimus ad Abbatem Theodorum, qui erat in sancta Sophia prope Pharum. Et narrauit nobis senex dicens: Ego in cœnobio sancti patris nostri Theodosij, quod est in eremo sanctæ Christi Dei nostri Ciuitatis, seculo renunciaui; inueniq́; illic senem magnum valde, nomine Christophorum, Romanum genere. Die igitur quadam prostratus ante illum dixi: Fac charitatem, pater, & dic mihi quid in iuuentute tua operabaris. Cùm'q; multùm à me rogatus fuisset senex, agnito, quòd propter vtilitatem animæ illum rogassem, enarrauit mihi dicens: Quando seculo renunciaui, fili, magnum habui feruorem, summam'q; desiderij alacritatem ad monasticam vitam. Ac diebus quidem exercebar in regulari psalmodia 1, noctibus verò pergebam in speluncam, in qua & sanctus Theodosius, & sancti patres reliqui orare consueuerant; descendensq́; in speluncā, centies flectebam genua, & procidebam Deo per gradus singulos; sunt autem numero decem & octo. Cùmq; per omnes gradus descendissem, permanebam illic, donec pulsaret signum. Tunc ibam ad synaxim cum patribus. Cùm autem opus istud vndecim annis absque intermissione fecissem, cum 2 ieiunijs multis, & continentia, & nuditate rerum omnium, & obedientia, & labore corporali, veni nocte quadam secundùm consuetudinem, vt in speluncam descenderem. Cùm'que implessem orationē per singulos gradus, venturusq́; essem in speluncæ pauimentum, factus in extasi, video totum speluncæ pauimentum candelis plenum, ex quibus aliæ quidem accensæ erant, aliæ non. Aspicio autem & duos viros chlamyde indutos, candido'q; habitu amictos, easdem candelas præparantes. Ego autem dixi illis: Vt quid posuistis hîc candelas istas, nec permittitis nos descendere, & orare? Qui respondentes dixerunt mihi: Patrum candelæ sunt. Dixi autem ad eos rursum. Cur aliæ ex illis ardent, aliæ non? Responderunt: Qui volunt, candelas suas accenderunt, & qui nolunt, non accenderunt. Aio ad illos iterum: Facite charitatem: Candela mea ardet, an non ardet? Illi autem dixerunt: Ora, & accendimus illam. Tunc dico illis: Adhuc oro; Et quid vsq; modò faciebam? Atq; in hoc verbo ad me ipsum reuersus sum, conuersus'que vltra iam neminem vidi. Tunc dixi in me ipso: Christophore, maiori labore opus est. Et manè facto, recessi de monasterio, & profectus sum ad montem Sina, nihil ferens mecum, nisi quo induebar tantùm. Cùm'que illic egissem annos quinquaginta,

1 Psalmodia in die, & oratio crebra cū genuflexione in nocte, erāt sancti senis exercitia.

2 Ecce chorus virtutum monachalium, multa ieiunia, continētia, nuditas omnium rerū, obedientia, opus corporale.

venit mihi vox dicens: Christophore, Christophore, redi in cœnobium tuum, vbi etiam benè certasti, vt illic consumeris cum patribus tuis. Et modico tempore postea quam mihi ista dixerat, sancta illius anima in pace requieuit.

RVRSVM enarrauit nobis idem Theodorus de eodem Abbate Christophoro. Dicebat, inquit, senex: Die quadam 3 ascendi in sanctam Ciuitatem, vt adorarem sanctam Crucem. Et cùm adorassem, & iam exirem, aspicio fratrem quendam in limine atrij pretiosæ Crucis, neque intrantem, neque exeuntem. Aspicio item & duos coruos impudenter ante illius faciem volantes, & alis suis oculos eius importunè impetentes, nec illum intrare permittentes. Intellexi verò eos dæmones esse, & dixi illi: Dic, frater, cur stas in medio ianuæ, nec intras? Qui ait mihi: Ignosce mihi, pater mi. Cogitationes habeo, ex quibus vna mihi dicit: Ingredere, & adora pretiosam Crucem: alia dicit: Non, sed vade, & fac responsum, & alia vice adorabis. Ego autem vt audiui, tenui manum ipsius, & introduxi in templum; & continuò fugerunt corui. Cùm'que fecissem illum 4 adorare sanctam Crucem, & sanctam Christi Domini Resurrectionem, dimisi eum in pace. Hæc autem, inquit Theodorus, mihi senex enarrauit, quia vidit me multùm in ministerijs distentum, & orationis negligentem.

3 Nota peregrinationem ad loca sancta, & adorationē sanctæ Crucis.

4 Cùm'q; fecissem illum adorare sanctam Crucē, & sanctam Christi dñi Resurrectionem.

RELATIO ABBATIS THEODORI DE MONACHO SYRO SEVERIANO.

CAP. VI.

NARRAVIT iterum nobis idem Abbas Theodorus, dicens: Xenodochium est hìc prope Pharum, inter sanctam Sophiam, & sanctum Faustum. Qui autem illi præerat, die quadam orauit me, vt irem in Xenodochium, & ibi morarer paucis diebus. Abiens igitur inueni illic monachum quendam hospitio susceptum, Syrum genere, nihil habentem præter cilicium, & pallium, & panes paucos. Stabat autem in vno angulo semper die, noctu'q; psallens, & nemini loquens. Veniente verò die 1 sancta Dominica, abij ad illum dicens: Veni, frater, ad sanctam Sophiam, vt communices a sanctis, venerandis'q; mysterijs. Qui ait: Non venio. Ad quem ego: Cur, oro te? Ait mihi: Quia Seuerianus sum, & non cōmunico Ecclesiæ. Audiēs ego, quia non 3 cōmunicaret sanctæ & Apostolicæ Ecclesiæ, simul'q; videns illius optimā conuersationē, vitam'q; virtutibus plenam, abij lugens in cellulam meam, & clausa ianua, 4 prostraui me ipsum in faciem coram Domino per dies tres, & orabam illum cum lachrymis multis dicens: Dominator Christe Deus noster, q propter ineffabilē tuā, immensā'q;

1 Dies sancta Dominica.

2 Nota sacrā Eucharistiā appellari sāncta, veneranda'q; mysteria.

3 Qui hæreticus est, non communicat sanctæ & Apostolicæ Ecclesiæ.

4 Vide triduanam orationem cū prostratione, & lachrymis.

clementiam inclinasti cœlos, & descendisti propter salutem nostram, qui incarnatus es ex sancta Domina nostra Dei genitrice semperq́ue virgine Maria, reuela mihi qui sint, qui benè, & rectè credunt, nos ne, qui sanctæ Ecclesiæ iungimur, an qui Seuero consentiunt. Die verò tertia venit mihi vox inuisibiliter dicens: Vade, Theodore, inspice fidem ipsius. In crastinum igitur profectus, sedi ante illum, expectans videre aliquid, iuxta quod mihi vox dixerat: Et cùm mansissem sedens quasi vna hora, & intuerer in ipsum stantem, & voce Syra psallentē, vidi teste Deo, filij, columbam * super caput eius stātem fuliginosam veluti ex coquina venientem, squalidam, ac fœtidam. Tunc agnoui eam, quæ mihi apparuerat, caliginosam, fœtidamq́ue columbam, ipsius esse fidem. Hæc autem nobis narrauit in veritate cum multis lachrymis, & singultibus, sancta ipsius anima.

* Magna visio contra hæreticos.

VITA ABBATIS GERASIMI.

CAP. CVII.

VNO ferè milliario distat à Iordane monasterium, quod Abbatis Gerasimi dicitur. In hoc monasterium aduenientibus nobis narrauerunt, qui illic morabantur, senes, de Abbate Gerasimo, quòd die quadam ambulans super Iordanis ripam, obuium habuit leonem valdè rugientem, suspenso pede, cui infixus erat ex calamo aculeus, adeò vt ex hoc pes ipse intumuisset, & sanie plenus effectus esset. Cùm igitur vidisset leo senem, ostendebat illi vulneratum ex infixo aculeo pedem, flēs quodammodo, & obsecrans, vt illi curam adhiberet. Cùm ergo vidisset eum senex tali necessitate constrictum, sedens apprehendit eius pedem, aperiensq́ue vulnus eduxit aculeum infixum, cum magna putredinis copia, diligenterq́ue depurgato vulnere, & panno alligato, dimisit eum. Leo autem cùm se curatum vidisset, noluit senem deserere, sed vt charus discipulus, quocunq́ue pergeret, magistrum sequebatur, ita vt admiraretur senex tantā feræ gratitudinem. Igitur extunc senex nutriebat eum, mittens ante illum panem, & infusa legumina. Habebat autem ipsum monasterium asinum vnum, ad ferendam aquam pro necessitate fratrum de Iordane. Consuetudinem autem fecerat senex, vt † curam pascendi asini leo haberet. Itaq́ue abiens cum illo iuxta Iordanis ripas, pascentem obseruabat. Quadam autem die dum pasceretur asinus, leo se ab ille longiusculè auertit, cùm ecce Camelarius ex Arabia veniens, inuentum asinum accepit, & secum duxit. Leo verò, amisso asino, redijt in monasterium tristis valde, & deiecta facie, ac ceruice, ad Abbatem suum. Abbas igitur Gerasimus putauit, quòd asinum comedisset leo, & ait illi: Vbi est asinus? Ille verò, quasi homo, stabat tacens, & deorsum aspiciens. Dicit ei senex: Comedisti eum. Benedictus Dominus. Quicquid faciebat Asinus, amodò facies tu. Extunc igitur leo, iubente sene, portabat canthelium capientem amphoras quatuor, ferebatq́ue aquam in monasterium. Die verò quadam venit miles quidam ad senem benedictionis gratia. Qui cùm videret leonem baiulantem

† Mirabile, & stupendum opus leonis. Vide etiam quō sancti in virtute Dei vel irrationabilibus bestijs dominantur.

aquam, didicissetq; causam, misertus est eius, proferensq; tria numismata dedit senibus, vt emerent asinum, ad ipsius aquæ ministerium, & liberarent eâ necessitate leonem. Breui autem transacto tempore, postquam liberatus à labore fuerat, Camelarius ille, qui asinum abstulerat, veniebat ferens triticum, vt venundaret illud in sancta Ciuitate, habens & asinum secum. Et cùm transisset Iordanem, accidit, vt occurreret leoni. Quo viso, dimisit camelos, & fugit. Leo autem, cognito asino, cucurrit ad eum, & ore, vt solebat, eius capistrum mordens, traxit eum cum tribus camelis, & gaudens simul, & rugiēs, quòd perditum asellum repetisset, venit ad senem. Senex autem putabat, quòd asinum leo comedisset. Tunc verò didicit, quia insidias passus fuisset leo. Imposuit autem nomen leoni Iordanem. Egit itaq; leo in monasterio cum fratribus plusquam quinq; annos, nunquam recedens à sene. Cùm autem migrasset ad Dominum Abbas Gerasimus, & à patribus sepultus esset, per dispensationem Dei leo tunc in monasterio inuentus non est. Post modicum verò venit leo in monasterium, & quærebat senem suum. Abbas autem Sabbatius Cilix, qui & discipulus fuerat Abbatis Gerasimi, viso illo, dixit ei: Iordane, senex noster dimisit nos orphanos, & migrauit ad Dominum; sed accipe, & comede. Leo autem comedere nolebat, sed iugiter huc, atq; illuc se vertens circumspiciebat, quærens videre senem suum, ac rugitu magno ipsius absentiam se ferre non posse significans. Abbas autem Sabbatius, & senes reliqui fricantes eius ceruicem, dicebant ei: Migrauit senex ad Dominum, & dimisit nos. Sed ista dicentes non poterant tamen illius voces, & eiulatus mitigare, sed quantò amplius ipsum verbis fouere, ac solari se existimabant, tantò ipse magis eiulabat, maioriq; rugitu vtebatur, & lamenta adijciebat, ostendens ex voce, facie, & oculis mœrorem, quem habebat non videns senem. Tunc ait illi Abbas Sabbatius: Veni mecum, ex quo non credis nobis, & ostendam tibi, vbi positus est senex noster. Sumensq; eum duxit, vbi illum sepelierant. Distabat autem ab Ecclesia quasi passibus quinq;. Et stās Abbas Sabbatius supra sepulchrum Abbatis Gerasimi, dixit leoni: Ecce hîc senex noster sepultus est. Et inclinauit genua sua Abbas Sabbatius supra sepulchrum senis. Cùm ergo id leo audisset, & vidisset prostratum super tumulum Abbatem Sabbatium, & flentem, tunc & ipse prostrauit se, percutiens in terram caput suum vehementer, & rugiens; atq; ita continuò defunctus est super sepulchrum senis. Hoc autem totum factum est, non quia animam rationalem habuisse leo putandus sit, sed quòd Deus voluerit glorificantes se glorificare, non solùm in vita hac, sed etiam post mortē, & monstrare nobis qualē primo homini habuerint subiectionem bestiæ, priusquā inobediens esset mandato, & antequam excideret è paradiso delitiarū.

VITA PRESBYTERI VIRGINIS, EIVSQVE VXORIS ITIDEM VIRGINIS.

CAP. CVIII.

CVM in Samum insulam venissemus, vidimus in cœnobio, quod Charixeni appellatur, Abbatem Isidorum ipsius monasterij patrem, virum 1 eximiæ virtutis, & magnæ ad omnes charitatis, simplicitateq́;, & humilitate maximè ornatum. Quem etiam post aliquantulum temporis Episcopum in eadem regione constitutum scimus. Hic enarrauit nobis dicens: Est in octauo huius ciuitatis milliario vicus habẽs etiam Ecclesiam. In hac Presbyter quidam fuit valde mirabilis, quem parentes inuitum, & renitentem vxorem accipere compulerunt. Verùm ille non solùm voluptatis illecebra captus non est, quamuis iuuenis existeret, & legitimæ coniunctus vxori, sed & ipsam induxit castè secum, ac pudicè viuere. Didicerunt igitur ambo psalterium, amboq́; simul in Ecclesia psallebant, seruantes se ipsos 2 virgines vsq; in finem. Hic itaq; Presbyter die quadam falsa calumnia apud Episcopum accusatus est. Quem Episcopus ignorans institutum eius, accersiuit ex vico, & misit in carcerem, in quem solebant peccantes clerici includi, & custodiri. Cùm igitur esset in carcere, adueniente sancto die 3 Dominico, apparuit ei iuuenis formosus valde, dixitq́; ei: Surge, Presbyter, vade in Ecclesiam tuam, vt sanctam oblationem offeras. Ait illi Presbyter: Non possum, quia inclusus sum. Dixit ei is, qui apparuerat. Ego tibi aperio carcerem. Veni, sequere me. Aperiensq́; ianuam, ante illum exijt. Cùm verò egressi essent, ambulauit ille vsq; dum mille passibus distaret à vico Presbyteri. Facta autem die, qui custodiebat carcerem, ingressus est requirens eum, vbi clausus fuerat. Et non inueniens, perrexit ad Episcopum dicens: Effugit Presbyter, me habente clauem. Putans igitur Episcopus, quia effugisset, misit vnum de seruis Episcopatus dicens: Vade, & vide, si Presbyter in vico suo est, nihilq́; illi interim dicas. Profectus ergo puer illum inuenit in Ecclesia sanctam 4 oblationem offerentem. Reuersusq́; dixit Episcopo, illic esse Presbyterum, ac eum se reperisse offerentem 5 sacrificium. Episcopus autẽ magis, ac magis contra illum indignatus, iurauit, quòd in crastinum eum cum summa ignominia reduceret. Sequenti autem nocte apparuit Presbytero is, qui primo apparuerat dicens: Veni, vt eamus, vbi te Episcopus incluserat in ciuitate. Assumensq́; illum adduxit rursum, & reposuit in carcere, ignorante custode carceris. Mane verò diei sequentis didicit à carcerario Episcopus, quia in custodia Presbyter, se ignorante, inuentus esset. Mittens igitur Episcopus sciscitabatur à Presbytero, quomodo de carcere exisset, & quomodo rursus absq; carcerarij notitia ingressus esset. Qui respondit: Iuuenis quidã speciosus valde, & optimè vestitus, Episcopatus vestri (vt dicebat)

1 Ecce quæ sint quæ cõmendabilem sanctum patrẽ redderent.

2 Quid dicis tu, qui seruare virginitatẽ dicis esse impossibile? Hic duo coniuges, ambo iuuenes, simul habitantes, vsq; in finem vitæ virginitatem suam diuinæ auxilio gratiæ nũquam hominẽ, modò velit, deserentis seruauerunt.

3 Adueniente sãcto die Dominico.

4 Sanctã oblationem sacrã Eucharistiã appellat.

5 Vides Missã nuncupari sacrificium?

minister, aperuit mihi ostium, & præcedebat me vsq; ad vnũ milliare prope vi- cum nocte Dominicæ, idemq; rursus sequenti nocte veniens reduxit me. Episco- pus igitur accersiuit omnes seruos Episcopatus, sed nullum ex ipsis recognouit Presbyter. Tunc intellexit Episcopus, quod Angelus Dei fuerat, qui hoc egisset, ne virtus Presbyteri prorsus occultaretur, sed vt omnes discerent, & glorificarent Deum, qui glorificantes se glorificat. Et de ipso valde ædificatus, dimisit illum à se in pace, multa contra eos clamans, qui illum iniustè accusauerant.

VITA ABBATIS GEORGII, QVI NVNQVAM TVRBABATVR.

CAP. CIX.

DE Abbate Georgio patre monasterij Abbatis Theodosij, narrauit nobis Abbas Theodosius ei9 discipulus, bonus, ac mitis, & humilis, qui fuit Episcopus Capitoliadis, quod duodecim annos obseruasset eum, si vel semel turbaretur, & nunquam turbatum vidit, idq; in hoc tempore, quando omnis desidia, & negligentia, & mollities, & inobedientia regnat. Quis autem, aiebat, ita frenauit 1 oculum, sicut pater noster sanctus Georgius? Quis ita posuit ianuam auribus, sicut beatus iste? Quis ita continuit linguam, sicut pater noster? Quis nam solaris radius ita illustrauit terram, sicut pater noster nostrum omnium corda radiauit?

1 Vide quibus virtutib9 claruerit sanctus Pater.

DICTA EGREGIA SANCTI CVIVSDAM SENIS AEGYPTII.

CAP. CX.

ASSVMPSI dominum meum Sophronium, & perreximus in monasterium, quod ab Alexandria decẽ, & octo passuum millibus distat, ad senem quendam magnæ virtutis, Aegyptium genere, dixiq; seni: Dic nobis verbum, pater, quomodo debemus simul habitare, quia dominus Sophista voluntatem seculo renunciãdi habet. Ait senex: Benè

facis, fili, renuncians seculo, saluansq; animam tuam. Sedete igitur in cella, vbi vultis, sobriè, & vigilanter, quietem, ac silentium seruantes, & sine intermissione orantes; & spem habeo in Deum, filij, quòd mittet vobis scientiam suam ad illuminandas animas vestras. Dixit iterum: Si saluari, filij, cupitis, fugite homines. Hodie enim nos non desistimus omnium terere limina, omnemq; ciuitatem, ac regionem circuire, sicubi possimus auaritiæ, vel inanis gloriæ nobis ipsis stipendia acquirere, & animas nostras implere vanitate. Dixit iterum senex: Fugiamus iam, filij, quoniam appropinquat tempus. Dixit iterum: Væ væ quantum flebimus, quantumq; pœnitebimus pro eo, quòd modo pœnitere nolumus. Dixit iterum: Neq; cùm laudamur, nos ipsos continemus sub humilitate, neq; rursus cùm vituperamur, toleramus. Aliud quippe nobis inanem gloriam suggerit, aliud mœstitiam nobis miseris facit. Vbi verò tristitia, & inanis gloria est, nihil boni reperitur. Dixit iterum: Patres nostri, vt magni, atq; mirabiles, pascebant multos; ego autem humilis vnam ouem regere non valeo, sed semper ferarum morsibus pateo. Ait rursus: Dæmonum opus hoc est, vt cùm animam in peccatum deiecerint, tunc nos in desperationem præcipitent, vt perfectè nos perdant. Semper enim dæmones dicunt animæ: Quando morietur, & peribit nomen eius? Si igitur sobria fuerit anima, & ipsa ad eos è contra clamabit, & dicet: Non moriar, sed viuam, & narrabo opera Domini. Quoniam igitur magnam habent impudentiam dæmones, & ipsi rursus clamant dicentes: Transmigra in montem, velut passer: idcirco & nos ad illos dicere debemus: Nam & ipse Deus meus, & saluator meus, adiutor meus, non emigrabo. Dixit iterum senex: Esto ianitor cordis tui, ne intret peregrinus dicens: Noster es, an aduersariorum?

Ecce antiquorum monachorũ cõstitutiones, & salutaria præcepta.

FACTVM CVIVSDAM VIRI CALVI, ET SACCO INDVTI.

CAP. CXI.

EGO, & sodalis meus Sophronius cùm in Alexandria essemus, die quadam perreximus ad Theodosij Ecclesiam, obuiumq; habuimus in vico virum quendam caluum, indutum sacco vsq; ad genua. Videbatur autem quasi fatuus, & amens. Dixit igitur mihi Abbas Sophronius: Da mihi nummos, & videbis virtutem venientis. Dedi ergo illi quinque nummos, Qui acceptos dedit illi, qui videbatur vt amens. Accepit autem eos ille, nihil omnino loquens. Nos autem clam illum secuti sumus è vestigio. Ille verò cùm flexisset à via, extendit in cœlum manum suam dexteram habentem nummos, & post hæc prostrauit se coram Deo, positisque in terra nummis, abijt.

VITA, ET MORS LEONIS MONACHI GENERE, CAPPADOCIS.

CAP. CXII.

TEMPORIBVS imperij Tyberij fidelissimi Cæsaris, ascendimus in Oasum, vidimusq; illic magnum in diuinis rebus monachum, genere quidem Cappadocem, nomine autem Leonē. De hoc multi multa digna admiratione narrabant nobis. Nos autem ad illius pertingentes familiare colloquium, magnumq; experimentum capientes sancti huius viri, magnificè ædificati sumus, & maximè in 1 humilitate eius, & silentio, & nuditate rerum omnium, & charitate, quam ad omnes habuit. Dicebat ergo semper venerabilis hic senex: Credite mihi, filij, quia regnare habeo. Nos autem dicebamus ei: Crede nobis, Abba Leo, quia nullus ex Cappadocia vnquam regnauit. Importunam ergo habes istam cogitationem. Ille verò rursus dicebat: Veraciter, filij, regnare habeo. Nemo autem poterat eum ab hac cogitatione remouere. Cùm igitur venissent Mazices, & vniuersam prouinciam illam deuastassent, ac diripuissent, venerunt & in Oasum, & monachos quidem plures occiderunt, plurimosq; captiuos duxerunt. Inter quos acceperunt & Abbatem Ioannem (erat autem hic Lector magnæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ) & Abbatem Eustathium Romanum, & Abbatem Theodorum Cilicem. Erant autem tres isti infirmantes. Cùm ergo vincti fuissent, ait Abbas Ioannes barbaris: Ducite me in ciuitatem, & faciam, vt Episcopus det pro nobis numismata vigintiquatuor. Accepit ergo illum vnus ex barbaris, & duxit prope ciuitatem; ingressusq; est Abbas Ioannes ad Episcopum. Inuentus est autem in vrbe & Abbas Leo, & alij quidam patrum, atq; ideo tenti non fuerant. Ingressus igitur Abbas Ioannes cœpit orare Episcopum, vt barbaro numismata daret. Episcopus autem non plura, quàm octo numismata habere inuentus est. Voluerunt ergo dare barbaro octo numismata, & noluit accipere dicens: Aut vigintiquatuor numismata præbete mihi, aut monachum date. Coacti igitur sunt, qui erant in ciuitate, rursus Abbatem Ioannem barbaro dare flentem, & eiulantem. Adduxit autem illum in sua tabernacula barbarus. Post tres ergo dies, sumptis octo numismatibus, Abbas Leo in eremum exijt, vbi erant barbari, orauitque illos dicens: Accipite me cum octo numismatibus, & tres istos dimittite, qui infirmi sunt, neq; pergere per eremum possunt; nam interficietis eos, & detrimentum patiemini. Ego verò sanus sum, & seruiam vobis. Tunc barbari acceperunt Abbatem Leonem, & octo numismata, & dimiserunt illos tres. Abijt ergo Abbas Leo vsq; ad quendam locum, & cùm præ debilitate pergere vltra non posset, barbari decollauerunt eum. Impleuitq; Abbas Leo scripturam dicentem: Vt ponat quis animam suam pro amicis suis. Tunc nos quoq; cognouimus, quidnam esset, quod dixerat, Quia regnare habeo. Veraciter enim regnauit, qui posuit animam suam pro amicis suis.

1 Vide quæ virtutes sanctū patrem commendabilem redderent.

ADMONITIO ABBATIS IOANNIS DE PETRA.

CAP. CXIII.

1 Hæc sancta paupertas, & rerum omnium nuditas, sanctorũ monachorũ erãt amplissimæ diuitiæ.

AD Abbatem Ioannem de petra perrexi, sumpto mecum & sodali Sophronio, rogauimusq; illum dicentes: Dic nobis verbum. Senex autem ait: Amate 1 nuditatem rerum omnium, & continentiam. Credite dicenti mihi. Cùm adolescens morarer in Sciti, quidam senum splene indoluit, & modicum aceti quæsitum est in quatuor eius loci monasterijs, & inuentum non est. Tanta erat apud eos paupertas, & nuditas, & continentia. Erant autem ibi patres quasi tresmille & quingenti.

VITA ABBATIS DANIELIS AEGYPTII.

CAP. CXIIII.

1 Operabãtur manibus antiqui monachi.

2 Oratio valet ad obtinendum omnia à Deo.

NARRAVIT autem nobis sanctus senex de Abbate Daniele Aegyptio, dicens: Ascendit senex ipse die quadam in Therenutium, vt 1 opus manuum suarum venderet. Adolescens autem quidam precabatur senem, dicens: Per deum senior veni in domum meam, & fac orationem super vxorem meam, quia sterilis est. Senex autem compulsus à iuuene abijt cum illo in domum suam, fecitq; orationem super vxorem eius, & 2 volente Deo, mulier in vtero concepit. Viri ergo quidam non timentes Deum cœperunt seni detrahere, & dicere. Verè iuuenis iste infœcundus est, sed mulier à sene prægnans facta est. Venit igitur hæc fama ad senis aures; & scripsit senex marito mulieris dicens: Cùm pepererit vxor tua, nuncia mihi. Cùm ergo peperisset vxor illius, seni significauit iuuenis dicens: Per Deum, & orationes tuás, pater, genuit vxor mea. Tunc Abbas Daniel ingressus ait iuueni: Fac prandium, & voca cognatos, & amicos tuos. Cùm igitur manderent, sumens senex puerulum in manibus, coram omnibus dixit infantulo: Quis est pater tuus, infans? Ait autem infans, Hic, ostendens digito manus suæ iuuenem. Erat autem infantulus dierum vigintiquinq;.

ADMO-

ADMONITIONES ABBATIS IOANNIS CILICIS.

CAP. CXV.

DICEBAT Abbas Ioannes Cilix dux Raythu fratribus: Filij, sicuti 1 fugimus mundum, fugiamus concupiscentias carnis. Dixit iterum: Imitemur patres nostros, qui cum tanta austeritate vitæ, & silentio sederunt in loco isto. Dixit iterum: Ne sordidemus locum istum, filij, quem patres nostri à dæmonibus emundauerunt. Ait rursus: Locus iste monachorum, non negociatorum est. Dixit iterum: Inueni hic senes, qui septuaginta annos hoc eodem in loco egerant, herbis solùm, & palmarum fructibus viuentes. Dixit iterum senex: Septuaginta, & sex annos habeo in hoc loco, multa mala, & horrēda ꝑpessus à dæmonibꝰ.

1 Ecce sanctorum Monachorum propositum.

DE FRATRE, CVI FALSO OBIICIEBATVR, SVBTRAXISSE NVMISMA.

CAP. CXVI.

NARRAVIT nobis Abbas Andreas Messenius, dum essemus in Raythu, dicens: Cùm essem adolescens, recessimus ego, & Abbas meus de Raythu, & venimus in Palæstinā. Mansimus autem apud senem quendā. Senex ergo, qui suscepit nos, habebat vnū numisma, quod vbi posuisset, per errorē oblitus, suspicatus est quòd iunior ego furatus illud essem. Dicebat ergo senex patribꝰ loci ipsius, qa frater Andreas numisma accepit. Quod cùm audisset Abbas meꝰ, vocauit me, & ait mihi: Dic, Andrea, tu numisma senis accepisti? Ad quē ego: Ignosce Abba, ego nihil accepi. Habebā aūt palliū, quod abiens vēdidi numismate, & accipiēs numisma ꝑfectus sum ad senē, & prostratꝰ illi veniā petij, & dixi: Ignosce mihi, Abba, qa satanas decepit me, & accepi numisma tuū. Erat aūt illic & secularis quidā. Ait ad me senex: Vade fili, nihil ꝑdidi. Iterū igitꝰ ꝓstratus veniā petebā dicens: Per Dñm, Abba, accipe numisma; ecce hoc est; & fac mihi orationē, quoniā satanas immisit mihi, vt furarer illud, & affligerē vos. Dixit iterū senex: Fili, non ꝑdidi quicquā. Cum verò illi nō acquiescerē, tunc ait mihi secularis ille: Verè, dñe frater, hesterno die cùm huc venissem, inueni senē plorantē, & prostratū, petentemq; veniā in magna afflictione animi; dixiq; illi: Fac charitatē, Quid est, quod habes? Et dixit mihi senex: Quia fratrem iniusta calumnia exagitaui dicens, quod numisma furatus esset, & ecce inueni illud. Tunc senex ædificatus est in me, quòd cùm non accepissem numisma, detulerim illud ad eum dicens: Ego illud accepi.

TT

DE FRATRE DAEMONIACO AB ABBATE ANDREA SANATO.

CAP. CXVII.

FRATER quidam dæmonium habens accessit ad Abbatem Symeonem Stylitem in admirabilem montem, rogans, vt pro se oraret, & effugaret ab eo dæmonem. Dixit ei Abbas Symeon. Vbi moraris? Qui ait: In Raythu. Ad quem senex; Miror, inquit, frater, cur tanto te labore fatigaueris, tantumq; itineris peregeris, vt venires ad me peccatorem hominem, cùm tales, ac tantos patres habeas in monasterio tuo. Vade igitur ad Abbatem Andream, & roga illum, vt oret pro te, & statim 1 curabit te. Venit igitur frater in Raythu, & sicut sibi mandauerat beatus Symeon, prostrauit se illi rogans, & dicens: Ora pro me, pater. Dixit ei Abbas Andreas: Accepit gratiam huius curationis Abbas Symeon. Cùm q; fecisset orationem, continuò mundatus est frater, & gratias reddidit Deo.

1 Ecce quomodo Sancti in virtute Dei sanitates cōferunt.

VITA MENAE DIACONI MONACHI IN RAYTHV.

CAP. CXVIII.

NARRAVIT nobis Abbas Sergius in Raythu de fratre quodam illic diacono, Mena nomine, & ait: Cùm exisset aliquando Menas ad ministerium, reuersus est ad seculum. Quid autem illi contigerit, nescimus, nisi quia reliquit monasticum habitum, & secularis effectus est. Post multum verò temporis profectus est Theopolim, & cùm rediret Seleuciam, vidit monasterium sancti Abbatis Symeonis Stylitæ de longe, & ait intra se: Ascendam, & videbo magnum Symeonem: nunquam enim eum viderat. Euntem verò, & iam cœnobio appropinquantem vt vidit Abbas Symeon, diuinitus agnoscens quòd esset monachus, & quia diaconus ordinatus fuisset, vocauit ministrum suum dicens: Affer huc forfices. Cumq; attulisset, ait illi: Benedictus dominus; Tonde illum; ostendens eum digito. Erant enim ibi multi circa columnam. Admiratus autem ille in verbo senis, simul'que timore magno comprehensus,

suscepit 1 tonsuram nihil omnino loquens. Intellexit enim, quia Deus reuelasset seni de se. Cùm minister ergo totondisset illum, ait ei magnus Symeon: Fac orationem Diaconi. Et cùm orasset, ait illi iterum: Perge in Raythu, vnde etiam existi. Dicente autem illo, se verecundari, patrumq́; aspectus ferre non posse, rursus ait illi Abbas Symeon: Crede mihi, fili, quia vereri omnino non debes; hilari enim facie, & grato animo te suscipient Patres, gaudiumq́; illis fiet, & exultatio in conuersione tua. Et hoc autem scito, fili, quia Deus signum in te facturus est, vt agnoscas, quoniam ignouit tibi illius immensa, & ineffabilis bonitas peccatum istud. Venientem igitur in Raythu supinis manibus exceperunt patres, miseruntq́; ipsum in sanctum sacrarium. Quadam igitur die Dominica cùm ferret 2 sanctum, & viuificum sanguinem magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi, continuò exijt oculus eius vnus. Atq; ex hoc 3 signo cognouerunt Patres, quia ignouisset illi Deus peccatum istud, iuxta verbum magni Symeonis.

1 Vides quòd etiam antiquitus monachi tòdebantur.

2 Ecce quomodo in sacra Eucharistia est sanctus & viuificus sāguis magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi.

3 Habes ex hoc loco, monachum nō debere dimittere institutum suum. Quod si facit, valde peccat.

DE DAEMONE, QVI IN HABITV MONACHI PROFECTVS EST AD CELLAM CVIVSDAM SENIS IN RAYTHV.

CAP. CXIX.

DICEBAT nobis Abbas Eusebius Presbyter eiusdem monasterij Raythu, cùm ad illum venissemus, quòd dæmon in habitu monachi profectus fuit ad cellam senis; & cùm pulsasset ianuam, aperuit senex, & dixit illi: Ora. Dæmon autem ait: Et nunc & semper, & in secula seculorum. Amen. Senex autem rursus dixit: Ora. Et dæmon similiter ait: Nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen. Tunc senex: Ora, & dic: Gloria patri, & Filio, & Spiritui sancto, etiam nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen. Hoc autem cùm dixisset senex, dæmon quasi vim passus ab igne, euanuit.

DE TRIBVS MONACHIS MORTVIS INVENTIS A PISCATORIBVS PHARONITIS.

CAP. CXX.

NARRAVERVNT nobis Pharonitæ piscatores, dicentes: Die quadam iuimus in Buchrin trans mare rubrum, & cùm plurimos pisces cœpissemus, reuersi sumus, & venimus prope Pereleum. Volentesq; transfretare in Raythu, prohibiti sumus à ventis contrarijs, ac maris tempestate detenti sumus per dies nonaginta. Venientes autem in quoddam maximum desertum, inuenimus subter vnum saxum tres Anachoretas defunctos, indutos collobijs de fibino; melotesq; illorum iuxta eos erant positæ. Accepimus itaq; illos, & duximus ad nauem, continuóq; æstuans mare tranquillum factum est, & venti contrarij in opportunos conuersi sunt. Et transfretauimus secundis ventis, & venimus in Raythu. Patres autem sepelierunt eos cum antiquis senibus.

VITA, ET MORS ABBATIS GREGORII BYZANTINI, ET ALTERIVS GREGORII PHARONITAE EIVS DISCIPVLI.

CAP. CXXI.

NARRAVERVNT nobis ipsius loci patres de Abbate Gregorio Byzãtino, & discipulo eius Abbate Gregorio Pharonite, quòd in insula quadam maris rubri mansérint. Illa verò insula aquam non habebat. Sed ex continenti afferebant aquam sibi in vsus suos. Habebant enim ratẽ, cum qua exibant, & afferebant aquã. Quadam autem die dimiserũt ratẽ in mare, ligantes illã ad saxũ quoddam. Nocte verò illa facta est vnda vehemens, ruptoq; fune perijt ratis. Manserunt autem patres illi non habentes, vnde sibi aquã deferrent. Post octo itaq; menses venerunt monachi de Raythu, & inuenerunt ambos mortuos. Inuenerunt

autem

autem & in dorso testudinis ita scriptum: Abbas Gregorius Pharanites viginti & octo diebus aquam non bibens defunctus est, ego autem dies triginta septem transegi, ex quo non bibi. Inuenimus verò ambos integros, sumentesq; illos 1 sepeliuimus in Raythu.

1 Ergo sepelire mortuos est opus pium.

DE DVOBVS MONACHIS, QVI NVDI INGRESSI SVNT ECCLESIAM, VT COMMVNICARENT, NEC VISI SVNT AB ALIQVO, NISI AB ABBATE STEPHANO.

CAP. CXXII.

VENIMVS ad Abbatem Stephanum Cappadocem in Sina monte, narrauitq; nobis, dicens: Cùm essem ego in Raythu ante hos annos, quinta feria cœnæ Domini eram in Ecclesia. Cùmq; consummaretur 1 sancta oblatio, patresq; omnes assisterent, ecce video duos quosdam Anachoretas Ecclesiam ingredi. erant autem nudi, nullusq; patrum alius animaduertit, quòd nudi essent, nisi ego solus. Cùm igitur communicassent Dominico corpori, & 2 sanguini, exierunt de Ecclesia, & abibant. Ego autem vnà cum illis exiui. Cùm ergo egressi essemus, prostraui me illis dicens: Facite charitatem, accipite me vobiscum. Cognouerunt autem, quia videram illos nudos, & dixerunt mihi: Benè sedes, quiesce. Rursus ego rogabam illos, vt acciperent me secum. Tunc dixerunt mihi: Nos potes nobiscum esse. Sede, bona enim tibi sedes est. Facientes autem mihi orationem, vidente me, super aquas rubri maris pedibus ingressi sunt, & trans mare abierunt.

1 Sanctam oblationem appellat sacram Eucharistiam.

2 Et hîc habes in Eucharistia esse verum corpus, & sanguinem Domini. Verùm quòd Anachoretæ sub vtraque specie communicauerint, non te scandalizet, quia dudum hoc fuit, dum hæc consuetudo vigeret in Ecclesia.

VITA ABBATIS ZOSIMI CILICIS.

CAP. CXXIII.

PERREXIMVS ad Abbatem Zosimū Cilicem in monte Sina, vbi morabatur. Renuerat enim Episcopatum senex, & redierat in cellulam suam. Erat autem vir magnæ abstinentiæ, narrauitq; nobis, dicens: Cùm essem iunior, exiui de Sina, & abij in Ammoniacem, vt illic morarer; inueniq; ibi senem vestitum collobio de sibino. Senex autem vt vidit me, priusquam illum salutarem, ait mihi: Quid huc aduenisti, Zosime? Vade, non potes hîc sedere. Existimans autem, quia cognouisset me, prostraui me ante illum dicens: Fac charitatem, pater. Vnde me nosti? Senex autem dixit mihi: Ante duos dies apparuit mihi quidam dicens: Ecce veniet ad te monachus quidam, nomine Zosimus. Non permittas eum hîc manere. Volo enim Ecclesiam Babylonis, quæ in Aegypto est, illi credere. Tacuitq; senex, & dimisso me, abijt à me, quantum est iactus lapidis. Et cùm duas horas in oratione complesset, venit ad me, & osculans faciem meam ait mihi: Fili charissime, benè venisti. Deus enim te huc 1 adduxit, vt commendes terræ corpus meum. Dixi autem ei: Quot annos in hoc loco habes, Abba? Dixit ad me: Quadraginta & quinq; annos impleo. Et apparuit mihi facies eius tanquam ignis. Et ait mihi: Pax tibi, fili, & ora pro me. Et hæc dicens, collocauit se ipsum, & requieuit. Ego autem, effossa humo, sepeliui eum, & post duos dies recessi glorificans Deum.

1 Vide quantā curā habeat Deus sepulturæ seruorum suorum. Igitur sepelire mortuos est opus ei placens,

CAP. CXXIIII.

NARRAVIT autem nobis & hoc senex, dicens: Ante annos viginti duos ascendi in Porphyritem, volens illic morari. Accepi autem & discipulum meum Ioannem mecum. Cùm ergo illuc venissemus, inuenimus duos Anachoretas, mansimusq; prope illos. Erat autem alter quidem ex his Galata, nomine Paulus. Alter verò Melitinus, nomine Theodorus, ex monasterio fuerat Abbatis Euthymij. Ferebant autem 1 collobia ex pellibus bubalorum. Mansi autem illic ferme duos annos, distabamusque ab inuicem quasi duobus stadijs. Die autem quadam cùm sederet Ioannes discipulus meus, percussit eū serpens, statimq; defunctus est, sanguinē ex omnibus partibus fundens. In multa igitur angustia existens, abij ad Anachoretas. Qui statim vt viderunt me turbatum, & afflictum, antequam aliquid dicerem ad eos, dicunt mihi: Quid est, Abba Zosime? Mortuus est frater? Dico illis: Ita sanè mortuus est. Venientes igitur mecum, videntesque ipsum in terra iacentem, dicunt mihi: Noli contristari, Abba Zosime. Adest diuinum adiutorium. Vocantesque fratrem dixerunt: Frater Ioannes, surge, quia senex te

1 Ecce vilitatem habitus antiquorum monachorū.

opus habet. Continuóq; surrexit frater de terra. Quærentes autem bestiam, & inuenientes, tenuerunt eam, & in conspectu nostro illam in duas partes disruperunt. Tunc dicunt mihi: Abba Zozime, vade in Sina. Deus enim tibi committere vult Ecclesiam Babylonis. Continuò itaq; recessimus nos. Cúmq; venissemus in Sina, post paucos dies Abbas misit me, & duos alios in ministerium in Alexandriam. Tenensq; nos Papa Alexandrinus beatissimus Apollinaris, omnes tres fecit Episcopos, vnum quidem Heliopoleos, alium Leontopoleos, me verò in Babylonem misit.

FACTVM PVLCHRVM ABBATIS SERGII ANACHORETAE.

CAP. CXXV.

NARRAVERVNT nobis quidam patrum in Sina de Abbate Sergio Anachoreta, quòd cùm moraretur in Sina, constituebat illum dispensator super burdones. Cùm ergo die quadã properaret, ecce leo iacebat in via. Porrò burdonarij, burdonesq;, viso leone, timore correpti, recesserunt. Tunc Abbas Sergius sumens de pera vnam benedictionem, profectus est ad leonem, dixitq; ei: Accipe benedictionem patrum & recede de via, vt transeamus. Sumptaq; leo benedictione recessit.

Etiam irrationalibus creaturis in virtute Dei Sancti imperant.

EGREGIA RESPONSIO ABBATIS ORENTI MONTIS SINA.

CAP. CXXVI.

DICEBANT nobis eiusdem loci sancti patres de Abbate Orento, quòd die quadam Dominica ingressus est senex in Ecclesiam verso sago suo, ita vt foris villosus esset. Stante igitur eo in choro, venerunt quidam de dispensatoribus loci, & dixerunt seni: Cur ita, pater, ingressus es conuerso sago tuo in Ecclesiam ad derisionem nostram coram peregrinis? Respondit ei senex: Vos euertistis Sina, & nemo vobis dixit aliquid, & ego quia conuerti sagum meum, dicitis mihi: Quare conuertis sagum tuum? Ite, corrigite, quæ euertistis, & ego corrigam quæ euerti.

VITA ABBATIS GEORGII SANCTI MONTIS SINA, ET ANVS CVIVSDAM EX GALATIA PHRYGIAE.

CAP. CXXVII.

NARRAVIT nobis Abbatiſſa Damiana ſolitaria, mater Abbatis Athenogenis Epiſcopi Petrenſis, dicens: Erat quidam Abbas in ſancto monte Sina, nomine Georgius, magnæ virtutis, & abſtinentiæ vir. Huic Abbati Georgio magni ſabbati die ſedenti in cellula ſua venit deſiderium faciendi ſacrum 1 diem Reſurrectionis in ſancta Ciuitate, & ſumere veneranda 2 myſteria in ſancta Chriſti Dei noſtri Reſurrectione. Per totam ergo diem ſenior huiuſmodi cogitatione ſolicitabatur, & orabat. Cùm itaq; ſero factum eſſet, venit diſcipulus eius dicens ei: Iube pater, vt eamus ad ſynaxim. Senex autem reſpondit ei: Vade, & tempore ſanctæ communionis veni ad me, & pergam. Manſit itaq; ſenex in cellula. Cùm autem aduenißet tempus ſanctæ communionis in ſancta Reſurrectione, inuentus eſt ſenex prope Archiepiſcopum beatum Petrum, qui præbuit illi cum presbyteris ſanctam communionem. Videns igitur eum Patriarcha, dixit Menæ aſſeſſori ſuo: Quando venit Abbas montis Sina? Reſpondit ille: Per orationes veſtras, domine, non vidi illum niſi nunc ſolummodo. Tunc ait Patriarcha: Dic illi, vt non recedat. Volo enim, vt mecum ſumat cibum. Ille verò profectus id dixit ſeni. Qui ait: Voluntas Dei fiat. Cùm ergo ſenex ſalutaſſet ſynaxes, adorato 3 ſancto Monumento, inuentus eſt in cellula ſua. Et ecce diſcipulus ipſius pulſauit, & dixit: Pater, veni, vt communices. Senex verò profectus in Eccleſiam cum diſcipulo ſuo, iterum ſumpſit 4 veneranda myſteria. Petrus autem Archiepiſcopus contriſtatus, quòd illi inobediens fuiſſet, poſt ſolennitatem miſit ad Epiſcopum Phari Abbatem Photinum, & ad patres Sina, vt Abbatem ad ſe mitterent. Cùm ergo veniſſet, qui attulerat literas, dediſſetque illas, miſit & ſenex tres Presbyteros, Abbatem ſcilicet Stephanum Cappadocem magnum illum virum, cuius & ſupra meminimus, & Abbatem Zoſimum, cuius etiam ſuperiùs mentionem fecimus, & Abbatem Dulcitium Romanum ad Patriarcham, purgauitq; ſe ipſum ſenior ſcribens, ac dicens: Abſit à me, mi domine ſanctiſsime, vt ſanctum Angelum veſtrum contempſerim. Scripſit autem & hoc ad eum: Vt ſciat beatitudo veſtra, poſt ſex menſes Chriſto Domino, ac Deo noſtro ſimul occurſuri ſumus, & illic adorabo vos. Egreſſi itaq; Presbyteri dederunt Patriarchæ literas. Dixerunt autem & hoc ei, quoniam ſenex multos annos habebat, ex quo non venerat in Paleſtinã. Oſtendebant item & literas Epiſcopi Phari ſimul conteſtantes, quòd ferme ſeptuaginta annos haberet ſenex, ex quo de ſancto monte Sina non exierat. Sanctus verò, ac mitiſsimus Petrus afferebat teſtes eos, qui tunc affuerant, Epiſcopos, & clericos dicentes: Verè nos ſenem vidimus, & omnes oſculo ſancto illum ſalutauimus. Poſtquam igitur impleti ſunt ſex menſes, requieuerunt in pace ſenex, & Patriarcha, iuxta ſcilicet ipſius ſenis prophetiam.

1 Nota ſacrum diem Reſurrectionis.

2 Sacram Euchariſtiã appellat veneranda myſteria.

3 Adorato ſancto Monumento.

4 Veneranda myſteria ſũpſit, ideſt ſanctam communionem.

NARRAVIT nobis eadem Abbatissa Damiana & hoc dicens: Die sancto 5 parasceue, antequam includerer, abij ad sanctum Cosinam, & Damianum, & illic totam 6 noctem peregi. Venit itaq; sero anus quædam ex Galatia Phrygiæ, & dabat omnibus, qui in templo erant, duo minuta. Die igitur quadam neptis mea, & fidelissimi Imperatoris Mauritij, veniens in sanctam ciuitatem orationis gratia, egit ibi annum integrum. Assumpsi ergo eam, & adduxi ad sanctos Cosmam, & Damianum. Cùm igitur in oratorio essemus, aio cognatæ meæ: Vide filia, quia venit anus quædam dans duo minuta (ea enim mihi sæpius dederat) Sume illa, ne superbias. Illa autem indignans dicebat: Mandatum habeo accipere? Tunc dixi ei: Etiam, accipe. Mulier enim sancta est, & magnæ uirtutis. Tota enim hebdomada, 7 ieiunat, & quicquid in hebdomada laborás lucratur, erogat his, qui in templo inueniuntur. Est autem vidua quasi annorum octoginta. Sume igitur duo minuta, & da illa tu quoq; alteri. Tantùm ne respuas anus istius sacrificium. Ista nobis loquentibus, ecce anus veniens duo minuta erogabat. Veniensq; dedit mihi cum omni silentio. Dedit autem & nepti meæ dicens: Accipe ista, & comede. Cùm ergo abijsset, agnouimus, quòd Deus illi reuelasset, quod dixeram ei, vt acciperet, & alteri pauperi daret. Misit igitur vnum ex pueris suis, & de duobus minutis emit lupinos, & comedit. Asseuerabat autem coram Deo dicens, eos tanquam mel dulces fuisse, ita vt miraretur, & glorificaret Deum, qui dat gratiam seruis suis.

5 Etiam olim Dies parasceue sanctus erat.

6 Ecce peregrinatic es ad loca sancta, & pernoctationes apud illa

7 Assidua ieiunia, & eleemosynæ sunt sanctarum mulierũ exercitia.

VITA ADELPHII EPISCOPI ARABESSI, ET DE BEATO IOANNE CHRYSOSTOMO.

CAP. CXXVIII.

PERREXIMVS ad Abbatem Athanasium in monasterium sancti patris nostri Sabæ, narrauitq; nobis, dicens: Audiui referente Abbate Athenogene Episcopo Petræ, filio Abbatissæ Damianæ tale aliquid. Fratrem habuit auia mea Ioanna, nomine Adelphium Episcopum Arabessi, sororem quoq; Abbatissam monasterij mulierum. Quadam verò die abijt Episcopus ad monasterium visitandæ sororis gratia. Et cùm intraret atrium monasterij, vidit vnam de sororibus à dæmone correptam, & in pauimento proiectam. Conuocans igitur Episcopus sororem suam, ait illi: Placet'ne tibi, vt soror ista perturbetur à dæmone, & dehonestetur? An ignoras, quia iudicium portas omnium sororum, vt Abbatissa? Quæ dixit ei: Et ego quid possum facere aduersus dæmonem? Episcopus autem rursum dixit ei: Et quid hîc tot annis facis? Factaque oratione, Episcopus 1 mundauit à dæmone sororem illam.

1 Oratiõe sua sãctus Epus mũdauit moniale ã dæmone.

RVRSVS idem Abbas Athanasius narrauit nobis de eodem Episcopo Adelphio, dicens, se se venerabilem Ioannam sororem ipsius ita referentem audisse: Cùm sanctissimus Episcopus Constantinopolitanus Ioannes Chrysostomus in Cucusum in exilium *missus est*, in domo nostra mansit. Ex hoc igitur ingentem confidentiam, & charitatem habuimus ad Deum. Dicebat ergo frater meus Adelphius, cùm in exilio mortuus esset beatissimus Ioannes: Dolorem pertuli incredibilem, quòd talis, ac tantus vir, orbisq; magister, lætificans Ecclesiam Dei, à throno suo exul defunctus est. Deprecabar ergo, inquit, Deum cum multis lachrymis, vt ostendere mihi dignaretur, in quo statu esset, & an cum Patriarchis adnumeratus esset. Cùm ergo diutius orassem, in extasi effectus sum, *aspexiq; virum nimis* speciosum, qui tenens manum dexteram meam, *adduxit me in locũ quendam* illustrem, & gloriosissimum, ostendebatq; mihi Ecclesiæ doctores. Ego verò circunspiciebam, videre quærens, quem cupiebam, magnum Ioannem dilectissimum meum. Cùm ergo ostendisset mihi omnes, & vniuscuiusq; proprium nomen expressisset, rursus tenens me per manum, eduxit me foras. Ego autem sequebar illum tristis, quòd non vidissem cum patribus, & Ecclesiæ magistris beatum Ioannem. Cùm itaq; egrederer, is, qui præerat ianuæ, apprehendens me dixit mihi: Quid habes, cur tristis es? Nemo vnquam huc ingressus, tristis exiuit. Tunc dixi illi: Hæc mihi causa mœroris est, quòd amantissimum mei Ioannem Episcopum Constantipolitanum vnà cùm cæteris doctoribus non vidi. Rursum dixit mihi: Ioannem dicis pœnitentiæ ducem? Aio ego: Illum sanè. Respondens autem dixit mihi: Ipsum homo in carne viuens videre non potest. Illic enim a assistit, vbi thronus est Domini.

a Ecce quo anima beatissimi Ioannis est in cœlo ante thronũ Dei.

VITA CVIVSDAM STYLITAE.

CAP. CXXIX.

ABBAS idem Athanasius narrauit nobis audisse se narratem Abbatem Athenogenẽ Episcopum Petræ, quòd in prouincia sua fuerit Stylites quidam, ad quem omnes, qui veniebant, inferiùs stantes loquebantur, eò quod non haberet scalam. Si quando igitur dixisset illi frater: Volo tibi dicere cogitationem: dicebat & ipse illi leni voce: Veni ad gradus columnæ: ibatq; ipse ad aliam columnæ partem, & ita loquebantur mutuò, Stylita quidem superiùs stante, fratre autem inferiùs. Cæterorum verò, qui assistebant, nullus ea, quæ dicebantur, audire poterat.

DICEBAT & hoc Abbas Athenogenes de eodē Stylita, quòd duo seculares se mutuò valde diligentes, pergebant ad eum multis annis ambo simul, & nunquā vnus sine altero proficiscentes. Quadam ergo die venit, nesciente socio suo, alter ad illum. Cùmq; plures horas pulsaret ianuam, noluit illi senex aperire, ita vt ille tedio deuictus reuerteretur. Reuertenti autem occurrit amicus eius, pergens & ipse ad Stylitem, rursúmq; reduxit eum secum, vt ambo simul ingrederentur ad senem. Cùm ergo pulsarent ianuam, mandauit senex, vt qui posterior venerat, ingrederetur solus. Ingressúsq; posterior cœpit rogare senem, vt & alius introiret. Senex autem dixit ei, se non posse illum suscipere. Perseueranti verò, & per multam horam deprecanti ait senex: Deus illum auersatur, fili, & ego illum suscipere non possum. Cùmq; ad propria redijssent, post duos dies ille defunctus est.

ADMONITIONES ABBATIS ATHANASII, ET MIRABILIS EIVS VISIO.

CAP. CXXX.

DICEBAT idem Abbas Athanasius: Patres nostri continentiam, & 1 paupertatem, ac nuditatem rerum omnium vsq; ad mortem seruauerunt; nos autem ventres nostros, & crumenas dilatauimus. Dixit iterum senex: Sub patribus nostris in studio erat distractiones animi vitare; nostris verò temporibus olla obtinuit, & opus manuum.

1 Vide quæ virtutes priscos monachos commendabiles redderent.

NARRAVIT nobis & istud Abbas Athanasius de se; Venit, inquies, mihi aliquando cogitatio, dicens: Quid putas erit certantibus, & non certantibus? Et cùm factus essem in extasi, venit ad me quidam dicens mihi: Sequere me. Adduxitq; me in quendam locum plenum luminis, & gloriæ, statuítq; me iuxta vnam ianuam, cuius species enarrari non potest. Audiebamus autem interius quasi multitudinem innumerabilem laudantium Deum. Cùmq; pulsaremus, audiuit quispiam intus, & dixit: Quid vultis? Ait ductor meus: Ingredi volumus. Respondit ille: Non huc ingreditur quispiam in negligentia degens. Sed si 2 intrare vultis, abite, certate, nihil æstimantes vanitates seculi.

2 Aduerte, hæretice, qui nullas in hac vita sustinere vis pugnas, & labores, regnū cœlorū non patere nisi legitimè certantibus.

VITA ABBATIS ZACHAEI SANCTAE SION.

CAP. CXXXI.

NARRAVIT nobis Procopius Scholasticus Porphyreonites de Abbate Zachæo, dicens: Duo filij mei in Cæsarea degebant. Facta est autem in Cæsarea magna mortalitas, egoq; affligebar propter filios meos, ne morerentur; & ignorabam, quid agerem. Dicebam enim in me ipso: Si mittam, & accipiam eos inde, iram Dei fugere possibile non est. Sed si dimittam eos illic, morientur, & non videbo illos. Nesciens itaq; quid agere deberem, dixi: Vadam ad Abbatem Zachæum, & quod dixerit mihi, hoc faciam. Perrexi igitur in sanctam Sion, illic enim semper morabatur, & non inueni eum. Veni autem in atrium sanctæ Mariæ Dei genitricis, & inueni illum stantem in angulo atrij, dixiq; illi de filijs meis. Cùm ergo me audisset, ad Orientem conuersus est, & intendit in cœlum quasi per horas duas nihil omnino loquens. Tunc verò conuersus ad me, dixit mihi: Confide, ac noli affligi. Filij tui non morientur in hac peste. Sed & post duos dies cessabit de Cæsarea mortalitas. Quod & factum est iuxta verbum senis. Et ista quidem Procopius Scholasticus, vt dixi, enarrauit nobis.

CAP. CXXXII.

ABBAS autem Cyprianùs, cognomento Cuculas, cuius monasterium est extra portam Cæsareæ, narrauit nobis, cùm ad illum venissemus, dicens: Cùm vastaret vrbem istam sæua illa, & horrenda mortalitas, inclusi me ipsum in cella mea, deprecans clementiam Domini, vt nostri misereretur, & auerteret imminentem iram. Venitq; mihi vox dicens: Abbas Zachæus accepit hanc gratiam.

DE SANCTO

DE SANCTO MONACHO, QVI SARRACENVM VENATOREM PER DVOS DIES IMMOBILEM REDDIDIT.

CAP. CXXXIII.

NARRAVIT Sarracenus gentilis ex his, qui in Clysmo morabantur, hæc nobis dicens: Cùm abijssem ad montē Abbatis Antonij, vt venarer, pergens aspicio monachum in monte sedentem, tenentemq; librum, & legentem. Ascendi igitur ad eum volens illum cædere, fortassis autem etiam necare. Cùmq; venissem propè illum, extendit contra me manum suam dexteram, dicens: Sta. Egiq; illic duos dies, & duas noctes, nullo modo moueri præualens ex eo loco, vbi erā. Tunc dixi illi: Per Deū, quē colis, dimitte me. Ille aūt dixit mihi: Vade in pace. Et ita recedere potui de loco, in quo eram.

VITA THEODORI ANACHORETAE.

CAP. CXXXIIII.

ANACHORETA quidam erat in partibus sancti Iordanis, nomine Theodorus. Hic venit ad cellā meā dicens: Fac charitatem, Abba Ioannes, & quære mihi librum, qui contineat totum testamentum nouum. Quærens igitur inueni, quia Abbas Petrus, qui postea fuit Chalcedonen̄ Episcopus, talem haberet. Abij itaq;, & dixi ei. Et ostendit illum mihi in membranis valdè pulchrum. Et dixi ei: Quantum valet? Qui respondit: Tria numisinata. Dixit iterū mihi: Tu illum emere vis, an alius? Et aio illi: Crede mihi, Anachoreta ipsum vult. Tunc ait mihi Abbas Petrus: Si Anachoreta ipsum vult, gratis illum accipe. Sume aūt & tria ista numisinata, & siquidem placet illi liber, teneat illum; sin autem illi non placet, ecce habet tria numisinata, eme illi iuxta votum suum. Sumens ergo librum detuli Anachoretæ. Qui, sumpto libro, abijt in eremum. Cùm autem duos ferè menses egisset, rediens Anachoreta venit in cellam meam dicens: Scito, Abba Ioannes, quia cogitatio mea me affligit, eò quòd gratis habeo librum. Aio autem ad illum: Noli pro hoc affligi. Abbas Petrus diues est, & bonus, gaudet'que in hoc. Ait mihi rursus Anachoreta: Verè non requiesco, nisi pretium do. Dico illi. Et habes pretium, vt des? Dicit mihi: Non. Sed da mihi saccum, vt me induam. Erat enim nudus. Dedi ergo illi saccum, & palliolum, & abijt, operarius'q; factus est in eo lacu,

Vide sancti viri paupertatem, habitus vilitatē, & opus magnum.

quem fecit Patriarcha Hierosolymorum Ioannes in Sigma, accipiebat'que quotidianum stipendium nouem minuta. Veniebat ergo prope me in monasterium Heliotarum, comedebat'que lupinos, & die tota laborabat. Cùm itaque fecisset de mercede sua minuta numismatum trium, ait mihi: Accipe pretium, & librum, & vade ad dominum suum, & siquidem vult minuta, da illi, sin autem non vult, redde illi librum. Ego igitur veniens nunciaui hæc Abbati Petro. Qui neque pretium, neque librum accipere volebat. Persuasi tamen ei, vt pecuniam acciperet, neque repudiaret Anachoretæ laborem. Quã tandẽ accepit. Et pergens ego dedi librum Anachoretæ; qui gaudens remeauit in eremum.

DE QVINQVE VIRGINIBVS, QVAE EXIRE VOLVERVNT E MONASTERIO, ET A DAEMONIO CORREPTAE SVNT.

CAP CXXXV.

ACCESSIMVS ad Eunuchorum monasterium iuxta sanctum Iordanem ego, & frater meus Sophronius. Narrauit'que nobis Abbas Nicolaus ipsius monasterij Presbyter, dicens: In regione mea (erat autem ex Lycia) monasterium virginum est fermè quadraginta. In hoc ergo monasterio quinque virgines sibi inuicem condixerunt, vt noctu de monasterio fugerent, & acciperent viros. Nocte verò quadam cùm dormirent sanctimoniales omnes, illis consultantibus, vt vestimenta sua acciperent, & fugerent, continuò quinque 1 omnes à dæmonio correptæ sunt. Quo facto, non ampliùs exierunt è monasterio, sed confessæ peccata sua, gratias egerunt Deo dicentes: Gratias agimus magnorum indultori munerum Deo, qui flagellum hoc nobis induxit, vt animæ nostræ non perirent.

1 Magnum exemplum, quo docētur omnes religiosæ fœminæ non debere institutum suũ deserere; & quòd si id fecerint, animæ earũ peribunt.

DE CHARITATE ABBATIS SISINII ERGA MVLIEREM SARRACENAM.

CAP. CXXXVI.

NARRAVIT autem nobis & Abbas Ioannes eiusdem monasterij Presbyter, dicens: Audiui ab Abbate Sisinio Anachoreta referente, ac dicente: Die quadam eram in spelunca mea prope sanctum Iordanem; & cum psallerem 1 Tertiam, ecce Sarracena quædam ingressa in speluncam meam, posuit se coram me nudans semetipsam. Ego verò turbatus non sum, sed impleta psalmodia mea cum omni quiete, & timore Dei, dixi ad illam Syriacè: Sede, vt loquar tibi, & tunc faciam, quod vis. Quæ vt resedit, dixi illi: Christiana es, an gentilis? Quæ ait: Christiana. Dixi ad illam iterum: Et nescis, quia qui fornicantur, in supplicium eunt? Quæ ait: Scio planè. Tunc dixi illi: Cur ergo fornicari vis? Respondit: Quia esurio. Et aio ad eam: Noli fornicari, sed veni quotidie, & vt Deus disposuerit, dabo tibi cibum tuum. Ex illa ergo die veniebat ad me diebus singulis, & si quid Deus mittebat mihi, præbebam illi cibum, quousque recessi de illis locis.

1 Ecce quomodo etiam antiqui monachi psallebant horas canonicas, nam Tertia vna illarum est.

RELATIO ABBATIS IOANNIS DE ABBATE CALLINICO.

CAP. CXXXVII.

DIXIT iterum idem Abbas Ioannes: Cùm essem iunior, cupiebam pergere ad magnos, & nominatissimos patres, vt ab eis benedicerer, & ædificarer. Audiens igitur de Abbate Callinico magno illo, qui in monasterio Abbatis Sabæ inclusus erat, oraui quendam ex familiaribus illius, vt me ad illum duceret. Abij itaq; ad illum. Assidens verò is, qui me adduxerat, frater ad fenestram senis, per multam horam loquebatur cum eo. Ego verò in me ipso cogitabam, quia nunquam viderat me senior, ne fortè non gratè susciperet me. Cum verò frater ille recederet, permisit me ingredi, & salutare senem, & benedici ab eo, dicens ad eum: Ora & pro isto seruo tuo, pater, quia inter primos huc venit. Senex autem dixit, Agnosco illum, fili. Nam ante viginti dies descendi ad sanctum Iordanem, & occurrit mihi in via dicens: Ora pro me. Et ego interrogaui eum: Quod est

nomen tuum? Ait'q mihi: Ioannes. Extunc igitur agnosco eum. Hoc au-
diens ego cognoui, quia quando cogitaui accedere ad illum, reuelauit illi Deus
& nomen meum, & quis essem.

DE ABBATE SERGIO ANACHORETA, ET DE MONACHO GENTILI, QVI BAPTIZATVS EST.

CAP. CXXXVIII.

NARRAVIT autem nobis & hoc idem senex, dicens: Cùm esset Abbas Sergius Anachoreta in Roban, postquam recesserat de Sina, misit huc in monasteriũ monachũ quendam iuuenem, vt baptizaretur. Interrogantibus autem nobis causam, cur nunc baptizaretur, ait nobis minister ipsius Abbatis Sergij: Abbas Sergius quando ad nos venit, volens in eremo manere nobiscum, hunc mihi instituendum tradidit. Ego autem illum plurimum admonui, ne se huic instituto inconsideratè, ac sine probatione addiceret. Cùm autem illum, eius'q; constantiam peruidissem, sumens eum abij ad senem. Senex autem mox vt vidit illum, antequam quicquam illi loquerer, ait mihi seorsum: Quid vult frater iste? Dixi autem ei: Orat manere nobiscum. Tunc dixit mihi: Crede, frater, iste baptizatus non est, sed adduc illum in monasterium Eunuchorum, & fac illum baptizari in sancto Iordane. Ego autem ad verba senis stupens, interrogaui fratrem, quis esset, & vnde esset. Ille autem ex Occidente se esse ait, parentes'q; habere gentiles, ac nescire, verum baptizatus esset, an non. Tunc itaque 1 catechizantes eum, fecimus in Iordane baptizari, permansit'que in monasterio Deo gratias agens.

1 Vides quomodo ritus, q ex consuetudine Ecclesiæ in baptismo adhiberi solent, etiam antiquitus obseruabantur?

PRAEDICTIO

PRAEDICTIO ABBATIS SERGII DE GREGORIO DVCE MONASTERII PHARAN.

CAP. CXXXIX.

De hoc Abbate Sergio Anachoreta narrauit nobis Abbas Sergius Armenius eius discipulus, quòd plurimum sibi molestus fuerit Abbas Gregorius, qui erat dux monasterij Pharan, vt illum duceret ad senem. Die ergo quadam adduxit illum ad ipsum. Erat autem senex tunc circa regionem maris mortui. Cùm igitur vidisset eum senex, libentissimè salutauit, allataq; aqua lauit pedes eius, ac per totam diem collocutus cum eo de ædificatione animæ, die alia dimisit eũ. Postquã verò abscessit Abbas Gregorius, dixi, inquit, ego seni: Scis, pater, quia scandalizatus sum, quod cùm plurimos 1 Episcopos, Presbyteros, & alios duxerim ad te, nullius vnquam illorum pedes lauasti, nisi tantùm Abbatis Gregorij? Tunc ait ad me senex: Fili, ego quis sit Abbas Gregorius, nescio, hoc tantùm scio, quia Patriarcham excepi in speluncam meam. Nam & pallium sanctum illum ferrentem vidi, & Euangelium. Quod ita factum est. Post sex enim annos ipsum Abbatem Gregorium, ita ordinante Deo, Patriarcham Theopolitanum factum vidimus, sicut prædixerat senex.

1 Si plurimos Episcopos, ac Presbyteros, & alios duxit ad senem, ergo nõ omnes fideles sunt ex æquo Episcopi, nõ omnes Presbyteri, vt nunc quidã mentiuntur.

VITA EIVSDEM GREGORII PATRIARCHAE THEOPOLITANI.

CAP. CXL.

DICEBANT quidam senum de hoc Patriarcha Theopolitano Gregorio, quod his maximè 1 virtutibus fuisset insignis, eleemosynis scilicet, iniuriarum obliuione, & lachrymis. Habebat autem & compassionem maximam ad eos, qui peccabant. Quarum omnium rerum nos sæpè experimenta cœpimus.

1 Virtutes, quæ sanctum patrem reddebant commẽdabilem.

PRVDENS RESPONSIO ABBATIS OLYMPII.

CAP. CXLI.

FRATER quidam venit ad Abbatem Olympium in monasterium Abbatis Gerasimi prope Iordanem, & dixit ei: Abba, quomodo sedes in spelunca ista propter æstus magnitudinem, & cyniphes? Respondit ei senex: Fili, ista idcirco tolero, vt futuris cruciatibus liberer. Ideo cyniphes patior, vt immortalem effugiam vermem; similiter & æstum hunc perfero, sempiterni ignis supplicia metuens. Hæc enim temporalia sunt, illa verò finem nullum habent.

ALIA PRVDENS RESPONSIO ABBATIS ALEXANDRI.

CAP. CXLII.

FRATER alius perrexit ad Abbatem Alexandrum ipsius monasterij Abbatis Gerasimi ducem, & ait illi: Abba, volo ex eo loco, vbi habito, discedere. Valde enim acedia, & tædio animi laboro. Respondit ei Abbas Alexander: Istud, fili, signum est, quia nec regnum cœlorum, nec æternum cruciatum in mente habes. Nam si ista solicita intentione cogitares, nullam in cella tua accidiam sentires.

VITA DAVID LATRONVM PRINCIPIS, POSTEA MONACHI EFFECTI.

CAP. CXLIII.

CVM venissemus in Thebaidem, conuenimus Sophistã Phybamonẽ in vrbe Antinoo. Narrauitq; nobis vtilitatis nostræ gratia de latrone quodam, nomine Dauid, qui apud Hermopolim plurimos expoliabat, plures etiam interficiebat, & innumera perpetrabat mala, ita vt nullus ei in his crudelitatis operibus conferri posset. Eratq; famosissimus inter omnes. Die verò quadam cùm exerceret latrocinia cum socijs plusquam triginta, rediens in semetipsum, compunctusq; in his, quæ perpetrauerat, sceleribus, relictis socijs abijt ad monasterium. Cùmq; pulsaret monasterij ianuam, exijt ostiarius, & dixit ei: Quid vis? Princeps autem latronum ait: Monachus fieri volo. Ingressus verò ostiarius nunciauit Abbati de illo. Egressus ad illum Abbas, & videns, quia iam senex esset, dixit ei: Non potes hic manere. Multum enim laborem tolerant fratres, abstinentiaq; magna est. Et tu cùm aliter assuetus sis, districtionem monasterij ferre non præuales. Ille autem orabat dicens: Vtique faciam omnia; tantummodo suscipe me. Porrò Abbas in sententia sua persistebat, dicens: Non potes ferre. Tunc ait illi latronum princeps: Vt scias, ego sum Dauid princeps latronum, & idcirco veni huc, vt defleam peccata mea. Si aũt me suscipere nolueris, sub iureiurando tibi protestor per eum, qui in cœlo habitat, quia rursus ad priorem statum remeabo, & assumptis mecum socijs meis, vos omnes interficiã, totumq; monasteriũ euertam. His auditis, Abbas suscepit eum intra monasterium, tondensq; illum 1 tradidit ei religiosum habitũ. Cœpit igitur in spiritali militia veteranus tyro pugnare, & 2 abstinentiæ, ac obedientiæ, humilitatisque studijs cunctos, qui erant in monasterio, transcendere (Erant autem ferè septuaginta Monachi) cunctos ædificans, omnibusq; existens forma virtutis, & sanctitatis exemplum. Die verò quadam sedente illo in sua cellula, missus est ad eum Angelus Dei, dicens: Dauid, Dauid, remisit tibi Deus peccata tua, & eris exnunc signa faciens. Qui respondens dixit: Credere non possum, quòd omnia peccata mea illa plura, quàm arena maris, atq; grauiora, tam breui tempore mihi remiserit Deus. Cui Angelus ait: Si sacerdoti Zachariæ non credenti mihi, cùm illi filium pollicerer, non peperci, sed eius vinxi linguam, docens illum non debere esse incredulum his, quæ a me dicebantur, nec tibi quidem parciturus sum. Idcirco eris amodò non loquens. Dauid autem prostratus humi ait: Cùm essem in seculo nefaria scelera faciens, & humanum sanguinem fundens, loquebar, modò quando seruire Deo volo, laudesq; illi offerre, tunc linguam meam, ne loquar, ligas? Respondit illi Angelus: Cùm implebis psalmodiæ canonem, loqueris, præter canonem verò penitus tacebis. Quod & factum est; plurimaq; per illum Deus miracula ostendit. 3 Psallebat igitur psalmos, nullum verò verbum aliud omnino loqui poterat. Qui verò nobis ista narrauit, se illum vidisse asserebat.

1 Vides quòd qui Monachus fiebat, tondebatur, & nouũ suscipiebat habitum?

2 Ecce quibus armis Monachi Deo militant.

3 Antiquis & patribus Psalmodiæ vsus erat frequentissimus.

ADMONITIONES VNIVS EX SENIBVS, QVI ERANT IN CELLIS.

CAP. CXLIIII.

DICEBAT quidam è senibus fratribus, qui erãt in cellis: Non appetamus Aegyptijs seruire voluptatibus, quæ Pharaoni pernicioso tyranno obnoxios faciunt. Dixit iterum: Vtinam quantum studij circa mala habent homines, tantum haberent circa bona; & ingens ad spectacula studium, & ad vanas, turpesq; solennitates, nec non auaritiam, & inanem gloriam, atq; iniustitiam, transferrent ad affectum pietatis. Nunquam profectò ignorassemus, quantum à Deo honorati sumus, & contra dæmones possumus. Dixit iterum senex: Deo maius nihil est, sed neq; par, neq; quod non maximè inferius sit. Quid ergo illis fortius, ac beatius, qui Deum habent adiutorem. Dixit iterum: Vbiq; quidem Deus est, pijs autem, & in spirituali exercitio sudantibus propinquat; non his, qui professione sola honestantur, sed his, qui illustrantur operibus. Vbi verò Deus est, quis insidiari valet, aut nocere poterit? Dixit iterum: Hominum virtus non in natura consistit, hæc enim variabilis est, sed in proposito pietatis, & in Dei adiutorio. Curemus itaq; animam nostram, filij, quemadmodum & corpus facimus. Rursus ait senex: Colligamus animæ curationes, hoc est 1 pietatem, iustitiam, humilitatem, subiectionem. Maximus enim animarum medicus Christus Deus noster prope est, vultq; curare nos. Non ergo negligamus, neq; aspernemur. Ait rursum: Docet nos Dominus sobrios, ac frugales esse. Nos autem miseri per delicias defluimus in voluptates. Dixit iterum senex: Commendemus nos ipsos Deo, quemadmodum ait Paulus, quasi ex mortuis viuentes, neq; præteritis intendentes, obliuiscamur anteriora; Sed secundùm destinationem persequamur ad brauium supernæ vocationis. Interrogatus hic senex à fratre quodam, quid causæ esset, cur assiduè iudicaret et fratres, respondit: Quia needum te ipsum cognouisti. Nam qui se ipsum nouit, fratrum vitia non aspicit.

1 Virtutes monachorũ cõmendabiles.

VITA BEATI GENNADII PATRIARCHAE CONSTANTINOPOLITANI, ET DE EIVS LECTORE CHARISIO.

CAP. CXLV.

ACCESSIMVS in cœnobium, quòd dicitur Salama, nono ab Alexandria milliario distans, inuenimusq; illic duos presbyteros senes, qui dixerunt nobis, Constantinopolitanæ Ecclesiæ se esse presbyteros, narrabantq; nobis de beato Gennadio Constantinopolitano Patriarcha, quòd fuerit mitissimus, & mundus corpore, multumq; continens.

DICEBANT & hoc nobis de ipso, quod cùm molestaretur à plurimis de quodam clerico nimis delinquente, Charisio nomine, accersiuit eum Patriarcha, ipsumq; emendare conatus est. Cùm verò nihil increpando proficeret, permisit illum paterna, & Ecclesiastica censura flagellari. Postquam verò didicit in nullo meliorem fieri, neq; per verba, neq; per flagella (Vacabat enim homicidijs, & magicis præstigijs) misso quodam Apocrisario suo iussit, vt diceret sancto martyri Eleutherio (Erat enim lector in ipsius oratorio Charisius) Miles tuus, sancte Dei Eleutheri, multùm peccator est. Aut emenda illum, aut excide. Venit igitur Apocrisarius in oratorium, stansq; ante altare, ac intendens ad sepulchrum Martyris, extendensq; manum suam ait Martyri: Patriarcha Gennadius significat vobis, sancte Christi martyr Eleutheri, per me peccatorem, quia miles tuus multùm peccat. Aut emenda illum, aut præcide eum. In crastinum verò 1 mortuus inuentus est scelerum opifex Charisius.

1 Vides quantam habeant Sancti potestatem post mortem?

VISIO EVLOGII PATRIARCHAE ALEXANDRINI.

CAP. CXLVI.

CVM essemus in eodem cœnobio, narrauit nobis Abbas Menas cœnobij ipsius pater de sancto Papa Alexandrino Eulogio, dicens: Nocte quadam cùm sibi 1 matutinam laudem celebraret in Episcopatus oratorio, vidit prope se assistere Iulianum Archidiaconum. Quem vt vidit, turbatus est, cur fuisset ausus ingredi nihil illi nuncians. Tacuit tamen. Et cùm implesset psalmũ, prostrauit se humi. Fecit hoc ipsum & is, qui in specie Iuliani Archidiaconi apparuerat. Deinde cùm oratione facta, surrexisset 2 Patriarcha, ille nihilominus in pauimẽto iacebat. Conuersus aũt Pontifex dicit illi: Quandiu non surgis? Ait: Nisi mihi ipse manum porrigas, & erigas me, surgere non possum. Tunc extendit manum suam Eulogius, ac tenens erexit illum,

1 Ecce quomodo etiam antiquo tẽpore horæ Canonicæ erant in vsu, inter quas Matutinum recensetur.

2 Habes hîc orationẽ cũ prostratione.

cœpitque iterum psallere. Post paululum autem conuersus neminem vidit. Cùm igitur impleisset matutinas laudes, vocauit cubicularium suum, dixitq; illi: Cur non annunciasti mihi Archidiaconi ingressum, sed ita non nunciatus intrauit ad me hac nocte? At ille neq; vidisse se aliquem, neq; ingressum esse asseuerauit. Non credidit Patriarcha, sed ait: Voca mihi huc ostiarium. Cui venienti ait: Non'ne ingressus est huc Iulianus Archidiaconus? Ille verò cum iuramento affirmabat illum neq; ingressum, neq; egressum esse. Tacuit quidem tunc Patriarcha. Manè autem facto, ascendit Archidiaconus Iulianus, vt adoraret, dixit'q; illi Pontifex: Quare non seruasti ordinem, Archidiacone Iuliane, sed absque nuncio ascendisti ad me nocte ista? Qui ait: Per orationes domini mei, neq; huc ascendi, neq; de domo mea descendi, nisi hora ista tantùm. Intellexit tunc magnus Eulogius, Iulianum se vidisse martyrem, hortantem se ad erectionem templi sui, quod ex tempore ferme resolutum, & antiquatum ruinam sui minabatur. Magnaq; cum alacritate amantissimus martyris porrexit manus, eius'q; erexit 3 templum, à fundamentis ipsum instaurans, & omnigeno ornatu illustrans, vt sacro martyri conueniebat.

3 Colligis ex hoc loco, quòd templorum instauratio etiã in honorem sanctorum, & illorum ornatus Deo placet, & opus est laudabile.

MIRABILIS EMENDATIO

EPISTOLAE BEATI LEONIS ROMANI PONTIFICIS AD FLAVIANVM SCRIPTA.

CAP. CXLVII.

NARRAVIT nobis & hoc Abbas Menas eiusdem cœnobij pater, audisse se eundem Abbatem Eulogium Alexandrinum Patriarcham dicentem: Cùm profectus essem Constantinopolim, fruitus sum contubernio domni Gregorij Romani Archidiaconi, summi, & singularis viri, narrauit'q; mihi de sanctissimo, ac beatissimo Leone Romano Pontifice, dicens haberi scriptum in Ecclesia Romana, quòd cùm scripsisset epistolam ad sanctum Flauianum Constantinopolitanum Episcopum contra impios Eutychen, ac Nestorium, posuerit eam super tumulum principis Apostolorum Petri, & 1 orationibus, ac vigilijs, & ieiunijs vacans, orauerit ipsum summum Apostolum, dicens: Si quid vt homo, vel minus cautè posui, vel etiam omisi, tu, cui à Domino Deo saluatore nostro Iesu Christo, & sedes hæc, & Ecclesia commissa est, emenda. Post 2 quadraginta verò dies apparuit ei Apostolus oranti, & dixit ei: Legi, & emendaui. Sumens'q; epistolam de sepulchro beati Petri, aperuit eam, & inuenit Apostolica manu emendatam.

1 Nota, Orationibus, ac vigilijs, & ieiunijs vacãs.

2 Vide in quãta etiã olim veneratione sanctorũ sepulchra habebantur, & quantã potestatem habeant Sancti post mortẽ.

VISIO THEODORI EPISCOPI DARNAE DE EODEM BEATISSIMO LEONE.

CAP. CXLVIII.

THEODORVS sanctissimus Episcopus Darnæ ciuitatis, quæ in Libya est, narrauit nobis, dicens: Cùm essem cubicularius sancti Papæ Eulogij, vidi in somnis virum reuerendi habitus, statura procerum, dicentem mihi: Nuncia meum Papæ Eulogio aduentum. Ad quem ego: Quis es domine, qui iubes, vt nunciem? Respondens ille dixit mihi: Ego sum Leo Romanus Pontifex. Ingressus igitur ego nunciaui dicens: Sanctissimus, & beatissimus Papa Leo, Romanæ sedis antistes conuenire vos vult. Cùm hoc audisset Papa Eulogius, exurgens concitus cucurrit in occursum eius. Salutantesq; se inuicem, oratione facta, resederunt. Tunc verò diuinus, & eximius Leo dixit sancto Eulogio: Scis, quare huc venerim ad vos? Respondit ille: Non. Ait ipsi: Veni, vt vobis gratias agerem, quia ritè, & magnificè pro Epistola mea respondistis, quam scripseram ad fratrem meum Flauianum Constantinopolitanum Patriarcham, sensum quidem, & sententiam meam aperientes, hæreticorum autem ora obstruentes. Scito autem, frater, quia non mihi tantùm vestrum diuinum laborem, studiumq; contulistis, sed etiam supremo culmini Apostolorum Petro, & ipsi præ omnibus, quæ à nobis prædicatur, veritati, quæ est Christus Deus noster. Ista non semel tantùm, sed bis ter'que conspiciens, trina apparitione firmatus, enarraui sancto Papæ Eulogio. Qui cùm audisset, lachrymatus est, extendens'q; in cœlum manus suas, Deo gratias retulit dicens: Gratias tibi ago, dominator Christe Deus noster, quia cùm indignus sim, veritatis tuæ præconem me facere dignatus es, & per orationes seruorum tuorum Petri, ac Leonis, paruam, & modicam alacritatem nostram, tanquam duo viduæ minuta, summa, & ineffabili benignitate tua suscipere dignatus es.

Ergo Sancti pro nobis orãt post mortem.

STVPENDA RELATIO AMOS PATRIARCHAE HIEROSOLYMITANI DE SANCTISSIMO LEONE PONTIFICE ROMANO.

CAP. CXLIX.

CVM descendisset Abbas Amos Hierosolymam, & Patriarcha ordinatus esset, venerunt omnes monasteriorum eremi Abbates, vt adorarent eum, inter quos affui & ego cum Abbate meo. Cœpitq; Patriarcha dicere patribus: Orate pro me, patres. Magnum enim onus, & intolerabile mihi iniunctum est, sacerdotijq; dignitas me terret immodicè. Petri enim, & Pauli, & similium est regere rationales animas; ego autem infelix peccator sum. Plus autem quàm cætera timeo ordinationum sarcinam. Nam inueni scriptum, quia beatissimus, & æqualis Angelis Papa Leo, qui Romanorum Ecclesiæ præfuit, per quadraginta dies perseuerauit ad 1 sepulchrum Apostoli Petri, vigilijs, & orationibus insistens, petensq; ab Apostolo, vt pro se apud Deum intercederet, vt dimitterentur sibi peccata sua. Impletisq; diebus quadraginta, apparuit ei Apostolus Petrus dicens: Oraui pro te, & dimissa sunt tibi omnia peccata tua, præterquam impositionis manuum. Hoc enim solum abs te requiretur, siue benè, siue fortassis aliter id egeris.

1 Habes hîc multa contra modernos hæreticos.
Sanctorum sepulchra apud antiquos in veneratione fuisse.
Morẽ fuisse apud ea pernoctare, & orationib' insistere.
Sãctos posse dici intercessores nostros.
Sanctos esse inuocandos.
Illos orare pro peccatis nostris, & orantes exaudiri.
Sanctos scire, quæ circa nos agũtur.

VITA, ET SANCTITAS EPISCOPI CIVITATIS RVMELLI.

CAP. CL.

NARRAVIT nobis Abbas Theodorus Romanus, dicens: Est procul à Romana Vrbe breue oppidum, quod Rumellum dicitur. In eo oppidulo Episcopus erat magnæ virtutis, & meriti. Die ergo quadam habitatores oppidi ingressi sunt ad beatissimum Romanũ Antistitem Agapitum, accusantes Episcopum suum, ac dicentes, quia in sanctificato vase manducat. Pontifex autẽ solo auditu perculsus, mittit duos ex clericis, vt vinctum Episcopum, & pedibus iter agentem Romam perducerent. Venientem verò continuò misit in carcerem. Cùm ergo tres dies in carcere egisset Episcopus, venit Dominicus dies. Et cùm Papa quiesceret, illucescente Dominico die vidit in somnis quendam astantem sibi, ac dicentem: Hac die Dominica neq; tu 1 offeras salutarem hostiam, neq; alius quispiam Episcoporum, qui sunt in Vrbe ista, nisi solus Episcopus, quem habes carcere inclusum. Illũ

1 Ex hoc loco, iunctis quæ infra dicuntur, habes Missam esse sacrificium, & sacrã Eucharistiã dici hostiam salutarem.

enim hodie offerre volo. Expergefactus autem Papa,& de visione, quam viderat,hæsitans,dicebat in se ipso: Talem contra illũ accusationem suscepi, & ipse habet offerre? Venit igitur ei secundò vox in visione dicens: Dixi tibi, vt Episcopus, qui est in carcere, solus offerat. Ambigenti adhuc tertiò apparuit illi eadem repetens. Expergefactus autem Pontifex, misit ad carcerem, & accersito ad se Episcopo, percunctabatur eum dicens: Quod est opus tuum? Episcopus autem illi nihil aliud respondit, nisi, Peccator sum. Cùm verò Episcopo persuadere non posset, vt aliud diceret, tunc ait ad eum Papa: Hodie tu offerre debes. Cùm ergo sancto altari assisteret, & Papa prope illum astaret, diaconis altare circundantibus, cœpit sancta missarum solennia Episcopus. Et cùm complesset orationem oblationis, antequam concluderet ipsam, cœpit secundò, ac deinceps tertiò, & quartò dicere ipsam sanctæ oblationis orationem. Cunctis verò eam moram molestè ferentibus, dicit ei Pontifex: Quid hoc est, quòd iam quartò hanc orationem dixisti, nec eam concludis? Tunc respondit Episcopus: Ignosce mihi, pater sancte; Quia non vidi iuxta consuetudinem 2 sancti Spiritus descẽsum,idcirco non terminaui orationem. Sed, sancte mi domine,diaconum illum prope me assistentem,qui flabellum tenet, ab altari remoue, ego enim illi dicere non audeo. Tunc iussu diui Agapiti recessit diaconus, & continuò vidit Episcopus, & Papa sancti Spiritus aduentum. Sed & velum,quod altari superimpositum erat, vltrò sublatum est, texitq; Papam, & Episcopum, & diaconos omnes, qui sancto altari astabant, quasi per tres horas. Tunc venerandus Agapitus, agnita sanctitate Episcopi ex perspecto miraculo, quàmq; falsam calumniam perpessus esset cognoscens,quòd illum ita vexauerat tristis effectus, statuit non iam ampliùs per subreptionem quippiã agere,sed cũ maturo, considerato'q; iudicio,& magna longanimitate procedere.

2 Vides sãctos sacerdotes descensum Spiritus sãcti in celebratione Missæ solitos cõspicere? Quod signum erat, Missam diuinũ quodda,& excelsum esse mysterium. Ex peculiari aũt Spiritus sãcti impulsu toties verba cõsecrationis repetisse credendus ẽ Episcopus; aliàs peccasset

RELATIO ABBATIS IOANNIS PERSAE DE BEATISSIMO GREGORIO ROMANAE VRBIS EPISCOPO.

CAP. CLI.

PERREXIMVS ad Abbatem Ioannem Persam, narrauitq; nobis de magno Gregorio beatissimo Romanæ Vrbis Episcopo dicens: Cùm iuissem 1 Romam,vt 2 adorarem ad sepulchrum sanctorum Apostolorum Petri,& Pauli, staremq; die quadam in medio Ciuitatis, audio Papam Gregorium per locum illum transiturum. Cogitaui itaque adorare illum. Cùm autem prope me esset Papa, videretq; me progredi, vt adorarem illum(loquor Deo teste,fratres) primus ipse prostrauit se humi coram me,neq; ante surrexit,quàm me primò surrexisse cerneret. Et cum multa humilitate salutans me,manu sua mihi tria numismata tradidit, iubens mihi dari quæcunq; erant necessaria. Glorificaui itaq; Deum,quòd tantam illi contulerat humilitatem,& misericordiam,& charitatem ad omnes.

1 Ecce peregrinationem ad Vrbem Romam adorationis causa.

2 Vt adorarem ad sepulchrũ sãctorũ Apostolorũ Petri & Pauli. Vel, adorarẽ, cape p venerarer, nã solum Deũ adoramus;& Græcismus erit; quẽ modũ loquẽdi etiã in scripturis sacris reperimus multoties;aut expone,vt adorarẽ Deũ iuxta sepulchrum Sanctorum.

VITA, ET DICTA MARCELLI SCITIOTAE ABBATIS MONASTERII MONIDION.

CAP. CLII.

ACCESSIMVS ad Abbatem Marcellum Scitiotã in monasterium Monidion; volensq; senior prodesse nobis, narrauit, dicens: Quando eram in prouincia mea (erat autem ex Apamia) auriga quidam illic erat, nomine Phileremus. Quadam ergo die cùm superatus fuisset, surrexerunt, qui ex parte eius erant, clamantes ei: Phileremus coronam in ciuitate non accipit. Cùm itaq; venissem postmodum in Scitim, si quando me pulsaret cogitatio mea, vt recederem in ciuitatem, aut villam, continuò dicebam in me ipso: Marcelle, Phileremus coronam in ciuitate non accipit. Et Christi gratia ista cogitatio fecit, vt de 1 Sciti non egrederer per annos triginta quinq;, donec venientes barbari apprehenderunt me, & vendiderunt Pentapoli, Scitimq; desolauerunt.

1 Ex hoc loco videre potes, num antiqui monachi haberent cellã perpetuam.

IDEM Abbas Marcellus quasi de alio sene morante in Sciti (ipse autem erat) narrauit dicens, quòd nocte quadam surrexerit, vt 2 psalmos ex more caneret. Cùmq; psallere cœpisset, audiuit vocem buccinæ quasi bellicum clangentis; turbatusq; senex cogitabat dicens: Vnde hoc in loco vox buccinæ perstrebit? Milites hîc non sunt, bellum hinc abest. Et cùm ista secum volueret, dæmon prope illum veniens dixit ei: Vtiq; bellum est. Si ergo oppugnari, ac repugnare non vis, vade, dormi, & non oppugnaberis. Dixit iterum senex: Credite mihi, filioli, nihil ita perturbat, & concitat, & irritat, & vulnerat, & perdit, atq; contristat, & contra nos commouet dæmones, ipsumq; perditionis auctorẽ satanam, sicut perpetua psalmorum meditatio. Nam omnis quidem diuina scriptura vtilis nobis est, contristatq; non mediocriter dæmones, non tamen ita sicut psalterium. Sicut enim in plebe, si vna pars laudet Imperatorem, alia pars ob id non contristatur, neq; mouetur contra laudantes; cùm verò ad iniurias, & contumelias non laudantium conuersi fuerint, tunc aduersus eos excitantur; ita & dæmones non ita commouentur, neq; contristantur in alijs scripturis, quemadmodum in psalmis. Nam cùm psalmos meditamur, partim quidem nobis ipsis Deum laudando oramus, partim verò maledictis insequimur dæmones. Vt cùm dicimus: Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam; Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam: & iterum: Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me: &; Ne proijcias me in tempore senectutis; cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me: nobis ipsis oramus. Tunc verò persequimur dæmones, cùm dicimus: Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum à facie eius. Et rursus: Vidi impium super exaltatum, & eleuatum, sicut cedros Libani; & transiui, & ecce non erat, quæsiui eum, & non est inuentus locus eius. Et illud: Gladius eorum intret in corda ipsorum. Et iterum: Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam,

2 Psalmodia nocturna vtebantur etiã prisci monachi.

quam fecit. Conuertatur dolor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet. Dixit iterum senex: Credite mihi, filij, dicenti; Quemadmodum 3 magna laus, & magna gloria, & regnum est abrenuncianti seculo, & monasticum arripienti institutum, quia pretiosiora sunt intellectualia, quàm sensibilia, ita magna confusio, & ignominia est Monacho, qui 4 relinquit monasticum habitum, etiamsi efficiatur Imperator. Dixit iterum: Homo similitudo Dei fuit ab initio; factus est autem similitudo bestiæ, postquam à Deo excidit. Rursus ait: Etiam natura excitat concupiscentias, fratres, sed iugis, & intenta 5 abstinentia has etiam extinguit. Dixit iterum senex: Agnosce experimento bonam vitam, neq; iam vt inualidus timeas. Ait rursus: Noli mirari, si homo cùm sis, Angelus fieri possis. Proposita enim tibi est par Angelis gloria, eamq; Agonotheta noster certantibus spondet. Dixit iterum senex: Nihil ita Deo Monachos familiares efficit, vt pulchra, & honesta, & Deo gratissima 6 castitas, quæ sicut sanctus & diuinus Spiritus attestatur per beatum Paulum, honestatem, & perseuerantiam iugiter vacandi Domino sine distractione præstat. Dixit iterum: Filij, dimittamus nuptias, procreationemq; liberorum his, qui 7 terrena respiciunt, & præsentia desiderant, nec futura meditantur, atque ad æternorum bonorum acquisitionem non attendunt, & à temporalibus, & momentaneis eripi nequeunt. Dixit iterum; Festinemus à carnali vita migrare, sicuti carnalis Israël ab Aegyptia seruitute. Ait rursus: Præclara, & dulcia Dei munera habemus proposita, fratres, pro seculari molesta voluptate. Dixit iterum senex: Fugiamus matrem omnium malorum auaritiam.

3 Ecce quàm laudabile sit, & gloriosum, Religionem profiteri.

4 Nunquam debet Monachus habitũ suum relinquere, etiam si efficiatur Imperator.

5 Remedium contra carnis concupiscentias est, iugis, & intenta abstinentia.

6 Nota, hæretici, hoc dictum, Nihil ita Deo Monachos familiares efficit, sicut pulchra, & honesta castitas.

7 Hæretici, qui continuè Virgines hortantur ad nuptias, ex hoc loco cognoscere possũt, cuius partis sint.

RESPONSIO MONACHI MONASTERII RAYTHV AD FRATREM SECVLAREM.

CAP. CLIII.

DVO fratres seculares erant Constantinopoli, multùm religiosi, multùmq; ieiunantes. Vnus igitur ex his veniens in Raythu, seculo abrenunciauit, & factus est Monachus. Post aliquantulum verò temporis venit & secularis frater eius in Raythu, vt videret fratrem suum Monachum. Cùm ergo moraretur apud eum, vidit secularis fratrem suum Monachum se reficientem nona hora, scandalizatusq; dixit illi. Frater, cùm esses secularis, nunquam ante Solis occasum sumebas cibum. Tunc ait illi Monachus: Profectò, frater, quando eram in seculo, aures meæ nutriebant me. Vana enim hominum gloria, & laus, non mediocriter me reficiebant, ieiunijq; laborem leuiorem reddebant.

VITA THEODORI SECVLARIS HOMINIS DEI.

CAP CLIIII.

DICEBAT Abbas Iordanes solitarius: Tres simul Anachoretæ perreximus ad Abbatem Nicolaũ in torrentem Betasimum (Inter sanctum enim Elpidium, & monasterium, quod dicitur peregrinorum, in spelunca morabatur) inuenimusq; cum illo secularem quendam. Loquentibus autem nobis de animæ salute, dixit Abbas Nicolaus seculari: Dic nobis & tu aliquid. Respondit secularis, & ait: Quid vobis prodesse possum? Vtinam vel mihi ipsi prodesse valerem. Dixit ei senex: Prorsus aliquid dicturus es. Tunc ait secularis: Habeo vigintiduos annos, ex quo præterquam sabbato, & Dominico die nunquam me sol comedentem vidit. Eram autem mercenarius in villa diuitis hominis, iniqui, & auari, cum quo mansi annis quindecim die, noctuq; operans, neque mercedem mihi reddere volebat, sed per annos singulos affligebat non mediocriter. Itaque dixi in me ipso: Theodore, si toleraueris hunc virum, pro mercede, quam tibi debet, cœlorum Regnum tibi præparabit. † Seruaui autem & corpus meum mũdum à muliere vsq; in hodiernum diem. Hæc nos cùm audiuissemus, magnificè ædificati sumus.

† Quid dicis, hæretice, q seruare Virginitatem r dicis esse impossibilem?

RELATIO ABBATIS IORDANIS DE TRIBVS SARRACENIS, QVI SE INVICEM INTERFECERVNT.

CAP. CLV.

DICEBAT & hoc nobis de Abbate Nicolao Abbas Iordanes. Narrabat, inquit, senex, quia imperante fidelissimo Imperatore Mauritio, quando Namanes Sarracenorum nationis Dux prædam egit, cùm circuirem ego prope Arnonem, & Aidonem, aspicio Sarracenos tres habentes secum vnum adolescentem valde formosum, annorum ferme viginti, vinctum, atq; captiuum. Vt ergo vidit me adolescens, flere cœpit, & orare, vt ab eis illum acciperem. Ego autem Sarracenos rogare cœpi, vt

dimitterent

dimitterent eum. Vnus autem illorum Græco sermone respondit, & ait: Non dimittimus eum. Et ego rursum illis dixi: Accipite me, & hunc dimittite, quia fatigationem non sustinet. Ait mihi & ipse rursus: Non dimittimus eum. Dixi eis tertiò: Vel pretium pro illo non accipitis? Date mihi illum, & quicquid petieritis, ego afferam vobis. Respondit: Non possumus tibi dare illum. Sacerdoti enim nostro promisimus, quia si quid pulchrum cœperimus, offeremus illud ei, vt ipsum in sacrificium offerat. Sed vade iam. Nam si moram feceris, caput tuum in terram proijciam. Tunc prostratus ego humi dixi: Saluator noster Christe Deus, saluum fac seruum tuum. Et continuò tres Sarraceni dæmonio repleti, euaginatis gladijs se inuicem conciderunt. Assumensq; ego adolescentem in speluncam meam, refoui illum, & iam noluit recedere à me, sed renuncians seculo, cùm septem annos in habitu monastico implesset, requieuit. Erat autem genere Tyrius.

O magnam vim orationis cum prostratione.

RESPONSIO CVIVSDAM SENIS AD DVOS PHILOSOPHOS.

CAP. CLVI.

DVO Philosophi venerunt ad senem, & orabant eum, vt eis verbum ædificationis diceret. Senex verò tacebat. Rursum Philosophi dixerunt: Nihil respondes nobis, pater? Tunc senex dixit eis: Quòd studiosi quidem sitis eloquentiæ, scio, quòd autem non veri sitis Philosophi, affirmo. Quandiu enim loqui discitis, quasi loqui nesciatis? Sit ergo Philosophiæ vestræ opus, semper meditari mortem, silentioque, & quieti vos assuefacite.

RELATIO DVORVM MONACHORVM MONASTERII SVBEVORVM SYRORVM DE CANE, QVI FRATRI VIAM OSTENDIT.

CAP. CLVII.

PERREXIMVS ego & Sophista Sophronius in monasterium Calamonis iuxta sanctum Iordanem, ad Abbatem Alexandrum, inuenimusq́; apud eum duos Monachos monasterij Subeuorum Syrorum. Narrauerũt autem nobis dicentes: Ante hos decem dies venit quidam peregrinorum susceptor eleemosynas erogans, & veniens in Subiba Besorum, dedit benedictionem. Rogauit igitur Abbatem monasterij, dicens: Fac charitatem, & mitte in proximum monasterium Syrorum, vt accipiant & ipsi venientes benedictionem, & nuncient monasterio Charembe vt veniant & ipsi. Tunc misit Abbas fratrem ad Abbatem Subeuorum Syrorum. Profectus itaq; frater dixit ei: Veni vsq; ad monasterium Besorum, nuncia verò & monasterio Charembe, vt veniant & ipsi. Respondit senex: Frater, ignosce, quia nullum habeo, quem mittam, sed fac perfectam charitatem, & pergens ipse nuncia eis. Ait autem frater: Nunquam illuc perrexi, nec viam scio. Tunc ait senex catulo suo: Vade cum fratre isto vsq; ad monasterium Charembe, vt nunciet eis, quod vult. Abijt ergo canis cum fratre, donec statuit illum iuxta monasterij ianuam. Ostenderunt autem nobis & canem ipsum, qui ista narrauerunt. Habebant enim illum secum.

DE ASINO, QVI MONASTERIO NVNCVPATO MARDES INSERVIEBAT.

CAP. CLVIII.

MONS est circa mare mortuum, quod Mardes vocatur, excelsus valde. In eo monte Anachoretæ commorantur. Est autem illis & hortus ad radicem montis, sexto ferme lapide ab eis distans, circa maris labium. Proinde habent Anachoretæ & illic ministrum. Quacunq; ergo hora volunt ad hortum pro oleribus mittere, sternunt asinum, & dicunt ei:

Vade [1] in hortum ad ministrum, & affer nobis olera. Qui mox ad hortulanum solus vadit, stansq; ante ianuam capite pulsat. Statim igitur egressus hortulanus ipsum oleribus onerat, onustumq; dimittit. Videreq; erat asinum quotidie solum ascendentem, & descendentem, & ministrantem senibus tantùm, alij verò nulli obsequentem.

[1] Ecce quomodo sancti viri etiam irrationalibus creaturis in virtute Dei imperant, & illæ obediunt.

VITA ABBATIS SOPHRONII SOLITARII, ET ADMONITIONES MENAE DVCIS COENOBII SEVERIANI.

CAP. CLIX.

DICEBAT Abbas Menas dux cœnobij Abbatis Seueriani de Abbate Sophronio solitario, quòd circa mare mortuũ moratus sit [1] nudus per annos fermè septuaginta, herbas in cibum sumens. Et hoc rursus de illo dicebat, audisse se narrantem senem, & dicentem: Oraui Dominum, ne dæmones speluncæ meæ propinquarent. Aspiciebam verò dæmones venientes, stantesq; à longe tribus ferè stadijs, neq; vlterius appropinquare valentes. Idem Abbas Menas dicebat cœnobij fratribus: Fugiamus, filij, secularium colloquia. Solent enim nocere iunioribus monachis. Dicebat iterum senex: Omnis ætas pænitentiam agere debet, iuuenes simul, ac senes, vt æterna vita frui cum gloria, & laude mereamur; iuuenes quidem, quia in flore ætatis, cùm feruet concupiscentia, ceruicem suam sub iugum pudicitiæ miserunt; senes verò, quia inolitam sibi ex multis temporibus malorum anticipationem transferre ad meliora potuerunt.

[1] Vide sancti patris delicias. Nuditas fuit eius vestitus, herbæ cibus.

QVOMODO DAEMON APPARVERIT CVIDAM SENI IN FORMA PVERI NIGERRIMI.

CAP. CLX.

NARRAVIT nobis Abbas Paulus dux cœnobij Abbatis Theognosti, quia dixerit senex quidam: Cùm die quadam sederem in cellula mea, a operarerq́; manibus meis (texebam autem canistrū, & psalmos repetebam) ecce per fenestram ingressus est quasi puer Aethiops, & stans coram me saltare cœpit, psallentiq́; mihi dixit: Senex, non'ne bene salto? Ego autem nihil respondi. Rursus ait mihi: Non tibi placet hæc saltatio mea? Nihil autem respondenti mihi, ait: Ecce putas te, male senex, magnum aliquid agere. Dico tibi, quia & in sexagesimo quinto, & in sexagesimo sexto psalmo errasti. Tunc surgens ego procubui ad b orationem, & ille euanuit.

> a Opera manuū, & psalmodiæ erant exercitia antiquorū monachorum.
>
> b Quanta vis orationis, cū effugare valeat dæmonem?

VITA ABBATIS ISAAC THEBAEI, ET QVOMODO ETIAM EI APPARVIT DAEMON IN FIGVRA ADOLESCENTIS.

CAP. CLXI.

LVCOS Thebaidis ciuitas est. Ab hac mons quidam fere millibus passuum distat, habitantq́; in eo monachi, alij quidem in speluncis, alij autem in cellis. Profecti ergo nos illuc conuenimus Abbatem Isaac, Thebæum genere. Narrauitq́; nobis senior, dicens: Ante annos quinquagintaduos cùm operarer conopionem, in a laborando erraui, affligebarq́;, quia errorem nec reperire, nec emendare valebam. Totum ergo diem consumpsi, me frustra concidens, & quid agerem, ignorabam. Et cùm ferè desperarem, ecce per fenestram ingressus adolescens ait mihi: Errasti, sed da mihi opus, vt illud corrigam. Aio autem ad illum: Vade hinc. Absit hoc à me. Respondit mihi & ipse: Certè damnum tibi est, si malè opus

> a Ecce & hic op⁹ manuū.

opus facias. Tunc dixi ei: Noli de hoc ipse curam gerere. Ait ad me denuo: Misereor tui, quia laborem tuum perdis. Et respondi illi: Malè huc venisti & tu, & qui te adduxerunt. Dixit autem mihi. Verè tu me huc adduxisti, & meus es. Aio ad illum ego: Cur hoc? Respondit ille mihi: Quia tres dies Dominicos egisti communicans, & 2 inimicus es vicini tui. Dixi autem illi: Mentiris. Tunc ipse mihi: Non mentior. Nam propter lenticulam iratus es illi. Et ego sum, qui præsum iræ, & memoriæ iniuriarum. Es amodò meus. His ego auditis, mox egressus cellulam, abij ad fratrem, & prostratus illi veniam petij; reconciliatiq; sumus. Reuersus autem inueni illum destruxisse & conopionem, & psiathium, vbi orabam.

2 Vides quod ad dignam sumptionem Eucharistiæ opus est penitus munda conscientia, contra hæreticorum dogmata.

RESPONSIO ABBATIS THEODORI PENTAPOLITANI SVPER SOLVTIONE ABSTINENTIAE VINI.

CAP. CLXII.

QVINTODECIMO ab Alexandria milliario monasterum est, quod vocatur Calamon, inter Octauumdecimum, & Maphora. In hoc vidimus Abbatem Theodorum Pentapolitanum. Erat autem nobiscum Sophista Sophronius. Et interrogauimus eum: Bonum est, pater, quoties vel ipsi ad aliquem pergimus, vel si quis venit ad nos, vini 1 abstinentiam soluere? Respondit nobis senior, & ait: Non. Aio autem ad eum: Et quomodo antiqui patres soluebant? Respondit senex: Antiqui patres, vt magni, & potentes, & soluere poterant, & iterum ligare; nostra verò generatio, filij, soluere, ac ligare non sufficit. Nam si soluamus ritum abstinentiæ nostræ, nos ipsos iam continere non possumus.

1 Colligis ex hoc loco, quod antiqui monachi perpetua vtebantur vini abstinentia. Et ex fine capituli habes quàtæ ea vtilitatis sit.

VITA ABBATIS PAVLI TELLADICI.

CAP. CLXIII.

DIGEBAT Abbas Alexander monasterij Calamonis, quod est prope Iordanem, pater: Die quadam cùm essem apud Abbatem Paulum Telladicum in speleo ipsius, ecce quidam veniens pulsauit, egressusq; senior aperuit ei, & proferens panem, & cicer infusum, posuit ante illum, & manducabat. Ego autem putabam, quia peregrinus esset, & aspiciens per fenestram, vidi, quia leo erat. Dixi itaq; seni: Cur, pater, præbes illi manducare? Qui ait mihi: Quia illum monui, vt neminem læderet, neq; hominem, neq; iumentum, dicens: 1 Veni quotidie, & dabo tibi cibum tuum. Et ecce iam septimus hic mensis est, ex quo bis quotidie aduenit, & do illi manducare. Rursum post paucos dies perrexi ad eum, volens ab illo emere vas vinarium, id quippe erat senis 2 opus, & dixi ei: Quid est pater? Quomodo se habet leo? Et ait mihi: Malè. Et dixi ad eum: Quare? Respondit: Præterita die venit huc, vt darem illi manducare, videns verò eius mentum sanguine infectum, dixi illi: Quid est? Inobediens fuisti mihi, & carnes manducasti? Benedictus Dominus, non iam tribuo tibi, vt comedas cibum patrum, qui carnes comedisti. Recede. Ille verò discedere nolebat. Tunc accepto funiculo, triplicans illum, tres illi plagas cum eo dedi, & recessit.

1 Etiam bestijs imperãt sancti viri.

2 Vide opus manuum.

RESPONSIO ABBATIS VICTORIS SOLITARII AD MONACHVM PVSILLANIMEM.

CAP. CLXIIII.

FRATER venit ad Abbatem Victorem solitarium in monasterium Elusæ, & dixit ei: Quid faciam, pater, quia dominatur mihi passio pusillanimitatis? Respondit senex: Morbus animæ est. Sicut enim capti oculis quando magis patiuntur, plus sibi videtur lumen intueri, qui verò sanos habent oculos, modicum; ita & pusillanimes ex modica tentatione citò perturbantur, & magnam illam esse existimant; qui verò anima sani sunt, magis in tentationibus gaudent.

VITA LATRONIS NVNCVPATI CYRIACI.

CAP. CLXV.

NARRAVIT quidam vir fidelis de latrone quodam, Cyriaco nomine, qui latrocinia exercebat circa Emaus, quæ est Nicopolis. Qui adeò truculentus, & immanis fuit, vt lupus vocaretur. Hic secum habuit alios latrocinij socios non solùm Christianos, verùm & Iudæos, & Samaritanos. Quadam ergo die profecti sunt quidam ex agro Nicopoleos in sanctam Ciuitatem 1 magna hebdomada, vt per baptismum illuminarent filios suos. Quod cùm fecissent, & reuerterentur in agrum suum, vt celebrarent sanctum 2 Resurrectionis diem, occurrerunt illis latrones, principe suo absente. Et viri quidem fuga euaserunt. Mulieres autem, proiectis nuper baptizatis filijs, tenuerunt Hebræi, & Samaritani, & habuerunt eas. Fugientibus igitur viris obuius fuit latronum princeps, & ait illis: Cur fugitis? Illi autem dixerunt, quid sibi contigisset. Sumens ergo illos venit ad socios suos, inueniens'q; infantes in humum proiectos, cùm sciscitatus esset qui'nam hoc fecissent, sceleris decollauit auctores, reddens'que viris filios (nam vxores, quia inquinatæ fuerant, recipere passi non sunt) saluauit eos latronum princeps, & reduxit vsque ad agrum suum. Post modicum verò temporis tentus est latronum princeps, egit'que in carcere decem annos, nullus'que principum illum occidit, ad prostremum verò etiam absolutus est. Dicebat ergo semper, quia propter infantes illos amaram effugi mortem. Aspiciebam enim illos frequenter in somnis dicentes mihi: Noli timere; nos pro te satisfacimus: Locuti aũt postea cũ illo sumus ego, & Abbas Ioannes presbyter monasterij Eunuchorum, & hæc eadem nobis ipse narrauit glorificans Deum.

1 Magna hebdomada etiã antiquis in obseruatione erat.

2 Vt celebrarent sanctum Resurrectionis diem.

VITA LATRONIS MONACHI EFFECTI, ET POSTEA IN SECVLARI HABITV DECOLLATI.

CAP. CLXVI.

DICEBAT Abbas Sabbatius: Cùm sederem in monasterio Abbatis Firmini, venit latro quidam ad Abbatem Zosimum Cilicem, & rogabat senem dicens: Fac charitatem, per Deum te precor, quia multis homicidijs obnoxius sum. Fac me monachum, vt iam tandẽ desistam à sceleribus meis. Senex verò exhortatus illum, fecit monachum, & sanctum ei habitũ 1 dedit. Post modicũ verò tẽporis dixit ad illũ senior: Crede mihi, fili, non potes hîc habitare. Nam si audierit princeps, tenebit te. Similiter autem & aduersarij tui necabunt te. Sed audi me, & ducam te in cœnobium Abbatis Dorothei prope Gazam, & Maiumam. Illuc igitur iuit. Vbi cùm moratus esset annis nouem, didicissetq; psalterium, & cunctam monasticam obseruationem, redijt rursus in Firmini monasterium ad senem, & ait illi: Fac misericordiam mecum, pater, & da mihi vestimenta mea secularia, & recipe monastica. Senior autem tristis effectus ait illi: Cur fili? Qui respondens ait: Ecce nouem (vt nosti, pater) annos egi in cœnobio, & quantum potui 2 ieiunaui, & continenter vixi, & cum omni quiete, & timore Dei fui in subiectione, & scio, quia illius infinita bonitas multa peccata mea remisit mihi. Veruntamen aspicio sæpius puerulum astantem, & dicentem mihi: Cur me occidisti? Hunc autem aspicio in somnis, & in Ecclesia, & cùm ad communionem pergo, & in refectorio hæc eadẽ mihi dicentẽ; & vel vna hora non finit me quiescere. Ideo itaq;, pater, abire volo, vt pro puerulo moriar. Frustra enim, & sine vlla causa occidi puerulum ipsum. Sumptis ergo vestimentis suis, exijt. Et cùm sic indutus pergeret Diospolim, tentus est, & sequenti die decollatus.

1 Vide habitũ sanctum, qñ de nouo quis efficitur Monachus.

2 Ecce bonorum Monachorum exercitia,

VITA

VITA, ET MORS ABBATIS PEMENIS SOLITARII.

CAP. CLXVII.

DICEBAT Abbas Agathonicus dux cœnobij castelli sancti patris nostri Sabæ: Descendi die quadam in Ruba, vt pergerem ad Abbatem Pemenem solitarium. Cùm ergo reperissem eum, & dixissem illi cogitationes meas, serò dimisit me in vnam speluncam. Erat autem hyems. Fuitque nocte illa frigus maximum, ac nimia vi algoris obrigui. Veniens ergo ad me manè senior, ait mihi: Quid est, fili? Aio ad illum: Ignosce mihi, pater, duram pertuli noctem ex frigore. Dixit autem mihi: Ego, fili, frigus nullum sensi. Miratus sum valde hoc audiens. Erat quippe [1] nudus. Et dixi ad eum: Fac charitatem, quomodo tantam frigoris asperitatem non sensisti? Dixit autem mihi: Venit leo, & obdormiuit iuxta me, & ipse me calefecit. Veruntamen dico tibi, frater, quoniam à feris deuorandus sum. Aio ad illum: Cur quæso? Et dixit mihi: In prouincia nostra cùm essem (erant autem ambo Galatæ) pastor ouium eram, & contempsi transeuntem peregrinum, & à canibus comestus est; cùm enim illum saluare possem, non feci, sed dimisi eum, & à canibus discerptus est, scioque, quia & ego ita mori debeo. Quod & factum est. Post tres enim annos à bestijs, vt dixerat, & ipse discerptus est.

[1] Erat quippè nudus. Multi siquidē ex sanctis nuditate pro vestimento vsi sunt.

DICTA ABBATIS ALEXANDRI SENIS.

CAP. CLXVIII.

DICEBAT Abbas Alexander senex fratribus: Patres nostri deserta, & tribulationes persequebantur; nos autem ciuitates, & requiem sequimur. Dixit iterum senex: Sub patribus nostris virtutes istæ vigebant, [1] nuditas, & humilitas; in nobis autem auaritia, & superbia regnat. Ait rursus: Patres nostri nunquam facies suas lauabant; nos autem lauachra publica, balneaque frequentamus. Dixit iterum senex: Heu mihi, filij, quia conuersationem verè Angelicam destruximus. Ait autem ad illum Abbas Vincentius discipulus eius: Infirmi profectò sumus, pater. Dicit ei senex: Quid dicis, Vincenti, quia infirmi sumus? Crede

[1] Vide virtutes, quæ antiquos monachos commendabant.

mihi, fili, Olympici corpore, & robusti sumus, sed anima nostra imbecilla est. Dixit iterum: Multum comedere, & bibere, & benè vestiri possumus, abstinere autem, & humiliari non valemus. Rursus dixit: Væ tibi Alexander; væ tibi; quanta erit confusio tua, quando cæteri coronabuntur.

VITA SENIS CVIVSDAM CAPTI OCVLIS IN MONASTERIO ABBATIS SISCI.

CAP CLXIX.

ERAT senex quidam in Sciti captus oculis in monasterio Abbatis Sisci. Distabat autem cella ipsius à puteo ferè mille passibus, & nunquam passus est, vt sibi alius afferret aquam; sed facto fune, vnum ipsius caput ad puteum ligauit, & alterum in cella sua. Iacebat autem funis in terra. Quando ergo pergebat haurire sibi aquam, supra funem ambulabat. Hoc autem faciebat senex, vt inueniret puteum. Cùm autem arena propter ventum operuisset funem, tenebat ipsum manu, & excutiebat, & rursus illum in terra ponebat, & super eum ambulabat. Frater autem quidam rogabat senem, vt se permitteret illi afferre aquam. Cui respondit senex: Fili, viginti iam & duo anni sunt, ex quo mihi semper ita hausi aquam, & laborem meum tu modò auferre vis?

VITA CVIVSDAM SANCTAE MVLIERIS IN EREMO DEFVNCTAE.

CAP. CLXX.

Ecce peregrinatio ad loca sancta Orationis gratia.

DISTABAT ab Hierosolymis ferè viginti passuum *millibus* monasterium quoddam, quod Sampsonis dicitur. Ex hoc monasterio duo patres abierunt ad montem Sina orationis gratia, reuersiq; in monasterium narrauerunt nobis dicentes: Cùm adorauissemus in sancto monte, & iam reuerteremur, contigit nos eremi deuia errando sequi. Ferebamurq; sicut in pelago per mediam solitudinem dies plurimos. Die verò quadam aspicimus de longinquo speluncam breuem, ad quam tendentes, cùm iam speluncæ propinquaremus, cernimus exiguum fontem, & circa fontem

herbas modicas, & vestigia hominis. Dicebamusq; apud nos ipsos: Verè hoc in loco seruus Dei est. Ingressi igitur neminem vidimus. Solummodo autem cuiusdam vagientis vocem audiebamus. Cùm ergo diu quæsissemus, inuenimus veluti præsepium, & in eo iacentem quendam, appropinquantesq; seruo Dei, rogabamus, vt loqueretur nobis. Cùm verò nihil responderet nobis, tunc accedentes tenuimus eum, & corpus quidem ipsius adhuc erat calidum, anima autem ad Dominum migrauerat. Tunc verò agnouimus, quia in ingressu nostro intra speluncam requieuerat. Fodimus ergo in ipsa spelunca, vnusq; ex nobis pallium, quo erat indutus, accepit, vt in ipso senis corpus inuolueret. Sumentes autem illud de loco, in quo iacebat, cùm ipsum ex more curaremus, inuenimus esse mulierem, & glorificauimus Deum. [a] Completoque super illud officio, sepeliuimus.

[a] Completo officio, hoc est recitatis hymnis, & psalmis de more Catholicæ Ecclesiæ.

VITA DVORVM MIRABILIVM VIRORVM, THEODORI PHILOSOPHI, ET ZOILI LECTORIS.

CAP. CLXXI.

ERANT in Alexandria duo viri mirabiles, magnæq; virtutis, Abbas scilicet Theodorus Philosophus, & Zoilus Lector: Fuit autem nobis cum vtroq; summa familiaritas, cum altero quidem disciplinæ, & studiorum gratia, cum altero verò, quòd communis nobis esset patria, & educatio. Atq; Abbas quidem Theodorus nihil possidebat, nisi penulam, & paucos libros, dormiebat autem in scabello, ac in quamcunq; Ecclesiam ingrediebatur. Ad vltimum verò etiam seculo renunciauit in cœnobio Salcime, ibiq; vitam glorioso fine conclusit. Lector autem Zoilus, & ipse æqualem præferebat paupertatē. Nihil enim ipse quoq; possidebat præter vetustam penulam, & paucos libros. Exercebat autem se in scribendo libros. Et ipse aūt consummatus in Domino, sepultus est in monasterio Abbatis Palladij.

DE duobus istis, Theodoro scilicet Philosopho, & Zoilo Lectore, pergentes quidam patrum ad domnum Cosmam Scholasticum, interrogauerunt eum dicentes: Quis eorum magis in spirituali exercitio laborauit? Qui ait ad illos: Similia quidem fuerunt vtriusq; & alimenta, & stramenta, & indumenta, rerumq; [y] omnium superfluarum abstinentia, & nuditas, & humilitas, & frugalitas. Sed Abbas Theodorus Philosophus discalciatus in magna imbecillitate oculorum vetus omne, nouumq; testamentum didicit. Habuit tamen consolationem fratrum, contubernium, & visitationes amicorum, abuocationemq; multam, cùm doceret, & cùm operaretur. Zoili verò Lectoris non solùm hospitalitas laudanda, verùm etiā solitudo eius

[y] Vide in hoc capitulo virtutum catalogum, quæ duos sanctos viros valde commendabiles reddiderunt.

& immensa fatigatio, orisq; custodia, digna commendatione est. *Ille enim* tunc amicorum, familiariumq; contubernio, atque commercio, ab omni secularium rerum actione feriatus, nulli se ipsum refrigerio, & oblectationi *permisit*, ne minimum quidem ab vllo ministerium admittens. Ipse enim coquebat, *ipse* lauabat, nulla lectionum capiens solatia, paratus semper alijs obsequi, nullamq; habens curam æstus, aut frigoris, aut corporeæ infirmitatis, mundus semper à risu, & tristitia, & effusione, & angore existens, qui præter indumenti asperitatem, etiam à multitudine pediculorum indesinenter consumebatur. Habuit tamen & iste plusquam prior ex processibus non mediocre refrigerium, habens facultatem liberam quocunq; vellet, die, noctuq; procedere, quamuis hāc libertatem, & laboris magnitudo retundebat, & raro processu secularium familiaritatem excludebat. Vnusquisq; igitur mercedem *propriam accipiet*, & secundùm labores proprios, & iuxta resurrectionis mensuras, & *intellectualis*, spiritalisq; munditiæ, & ministrationis, & timoris Dei, ac charitatis, & compunctionis, & iugis psalmodiæ, & orationis, & intentissimæ fidei, & occultæ hominibus, latentisq; virtutis.

VITA PRAEDICTI COSMAE SCHOLASTICI.

CAP. CLXXII.

DE isto domno Cosma Scholastico, multi quidem multa, & alia alij, & plurimi plurima nobis retulerunt. Quæ verò nos vidimus, & quæ diligenter assecuti sumus, ea tantùm pro legentium vtilitate conscribimus. Erat enim vir iste 1 humilis, misericors, abstinens, 2 virgo, quietus, sine ira, socialis, peregrinorum susceptor, amator pauperum. Plurimum itaq; nobis vtilitatis contulit vir iste mirabilis, non solùm ex aspectu, sed etiam ex doctrina sua, & quòd magnam haberet librorum copiam super omnes, qui erant in Alexandria, eosq; promptè, ac libenter volentibus accommodaret. Erat autem & nihil possidens. In tota nanq; domo eius nihil vidisses aliud, quàm libros, & scabella, & lectulum, & mensam. Licebat verò omnibus ingredi, & interrogare, quæ ad vtilitatem pertinerent, & legere. *Diebus* autem singulis intrabam ad eum ipse, & teste veritate, nunquam *ad illum* ingressus sum, quin ipsum aut legentem, aut scribentem contra Iudæos inuenirem. Magno enim feruebat zelo conuertendi gentem illam ad veritatem. Ideo & sæpè misit me ad Hebræos quosdam, vt per literas illis colloquerer. Non enim facilè domo egrediebatur ipse.

1 His virtutum ornamentis Sancti carnis cōcupiscentias, & mundi blandimenta vincebant.

2 Si erat Virgo, potest seruari Virginitas, quod sēper intelligitur diuinæ gratiæ auxilio, quæ nūquam negatur eā humiliter petenti.

AD hunc dominum Cosmam Scholasticum die quadam profectus sum, cùmq; mihi magna ad illum esset fiducia, interrogaui eum dicens: Fac charitatem, dic mihi, quantum temporis habes in hoc instituto. Tacenti verò, & nihil respondenti, rursum dixi illi: Per Dominum dic

mihi. Cùm autem se ille paululum sub silentio continuisset, ait mihi: Triginta, & tres annos habeo. Quòd ego audiens glorificaui Deum.

ALIAS iterum accessi ad illum, & interrogaui eum, dicens: Fac perfectam charitatem sciens, quia propter vtilitatem animæ interrogo te. Dic mihi quæso. In tanto tempore instituti tui, quietis, & continentiæ, qd adeptus es? Ille verò ingemiscens, & ex intimo corde suspirans, ait mihi: Quid potest secularis homo virtutis adipisci, & maximè residens in domo sua? Ego autem rursus illum rogabam dicens: Per Dominum dic mihi, vt ipse quoque proficiam. Tunc verò multum coactus à me, dixit, Ignosce mihi. Tria ista consecutus sum, non iurare, non mentiri, non ridere.

FACTVM MIRVM THEODORI ANACHORETAE, QVI ORATIONE SVA IN MARI DVLCEM AQVAM EFFECIT.

CAP. CLXXIII.

ANACHORETA quidam erat in partibus Iordanis, nomine Theodorus, eunuchus: Hic necessitate quadam compulsus est Constantinopolim pergere, ingressusque est nauem. Cum verò nauis diutius detineretur in pelago, defecit aqua, erantque nautæ, & vectores in magna anxietate, & desperatione. Surgens autem Anachoreta, & 1 expandens in cœlum manus suas ad Deum, qui saluat de morte animas nostras, facta oratione, signauit mare signo Crucis, & ait nautis: Benedictus Dominus, haurite quantum aquæ opus habetis. Impleueruntque omnia vasa sua de mari aqua dulci. Et omnes glorificauerunt Deum.

1 Oratione serui Dei cum expansione manuum in cœlum, & signatione Crucis, aqua maris salsa dulcis effecta ē.

FACTVM ALIVD NAVCLERI VIRI RELIGIOSI, QVI PLVVIAM A' DOMINO IMPETRAVIT.

CAP. CLXXIIII.

ABBAS Gregorius Anachoreta narrauit nobis, dicens: Cùm ex Byzantio descenderem, ingressus sum nauim. Intrauit autem & scriba quidam cũ vxore sua 1 profecturus ad sanctam Ciuitatem orationis causa. Erat autem nauclerus religiosus valde, multum'que ieiunans. Cùm ergo nauigaremus, scribæ serui frustra consumebant aquam. Postquam verò in medium pelagus venimus, defecit nobis aqua, eramus'q; in magna tristitia. Et erat miserabile spectaculum, videre mulieres, & pueros, & infantes siti arescentes, & veluti mortuos iacentes. Cùm ergo dies tres in hac necessitate fecissemus, scriba ipse tribulationem non sustinens, educto gladio, & nautas, & nauclerum volebat occidere. Dicebat enim: Hi sunt nostræ perditionis auctores, quia non sumpserunt aquam ad sufficientiam. Ego autem orabam scribam dicens: Noli hoc facere, sed magis deprecemur Dominum nostrum Iesum verum Deum, qui facit magna, & mirabilia, quorum non est numerus. Ecce enim & nauclerus, vt vides, tertium hunc agit diem, 2 ieiunio, & orationi vacans. Cùm'q; acquieuisset scriba, quarta die circa sextam horam surgens nauclerus clamauit voce magna dicens: Gloria tibi, Christe Deus noster: ita vt omnes miraremur in voce ipsius. Dixit'q; nautis: Submittite membranas. Et cùm explicuissent eas, ecce nubes supra nauem veniens, tantum pluit aquæ, donec impleuerunt vasa ad necessitatem nostram. Erat autem miraculum grande, & terribile, quòd velificante naue, nubes illa consequeretur nos, & extra nauem non plueret.

1 Vide & hic peregrinationem ad loca sancta orationis causa.

2 Nota, Tertiũ agit diem ieiunio, & orationi vacãs.

RELATIO DE ZENONE IMPERATORE VIRO ELEEMOSYNARIO.

CAP. CLXXV.

NARRAVIT nobis quidam patrum de Zenone Imperatore, dicens, quòd mulierem quandam in filia ipsius iniuriosè tractauerit. Hæc autem vacabat in templo Dominæ nostræ sanctæ Dei genitricis, orans 1 eam, & deprecans, & cum lachrymis dicens: Vindica me de Zenone Imperatore. Cùm ergo multis diebus hoc faceret, apparuit ei sancta Dei genitrix, dicens: Crede mihi, mulier, 2 vltionem tuam sæpè facere volui, sed manus eius prohibet me. Erat enim valde misericors, & eleemosynas faciens.

1 Oratio cum lachrymis.

2 Ecce quomodo Sancti in Dei lumine sciunt quæ circa nos aguntur.

PVLCHRA RELATIO ABBATIS ANDREAE DE DECEM VIRIS PEREGRINANTIBVS, INTER QVOS FVIT ET ADOLESCENS HEBRAEVS.

CAP. CLXXVI.

ABBAS Andreas Octaui decimi, cùm essemus in Alexandria, narrauit nobis dicens: Cùm essem iuuenis indisciplinatus valde, & inquietus fui. Die ergo quadam persecutionem passi pro nostra inquietudine, fugimus in Palæstinam ego, & nouem alij: inter quos vnus quidam erat industrius, alius autem Hebræus. Cùm ergo venissemus in eremum, infirmatus est Hebræus vsque ad mortem; & Deo teste, in magno mœrore constituti eramus, nescientes, quid illi faceremus. Veruntamen vt est consuetudo socialis charitatis, non illum deseruimus, sed vnusquisque nostrum pro viribus tolerabat eum, volentes vel in ciuitatem, vel in emporium illum ducere, ne moreretur in eremo. Cùm verò adolescens ex

inedia, & vehementissima febre, immoderatoq; labore, & siti, præ Solis æstu totus iam ferè resolutus esset, atq; deficeret, propinquans ad exitum, neq; portari posset, decreuimus cum multis lachrymis illum dimittere in eremo, & abscedere, metuentes ne nos ipsi quoq; siti deficeremus. Cùm igitur illum in arena plorantes posuissemus, videretq; nos abire velle, cœpit nos adiurare dicens: Per Deum, qui fecit cœlum, & terram; per Deum, qui inclinauit cœlos, & descendit pro salute humani generis, per Deum, qui iudicaturus est viuos, & mortuos, nolite pati, vt Hebræus moriar, sed tanquam Christiani facite mecum misericordiam, & baptizate me, vt Christianus de hac vita exeam, & ad Dominum pergam. Nos verò dicebamus ei: Verè, frater, non licet nobis hoc facere, seculares enim sumus; hoc autem Episcoporum, & Presbyterorum opus est; sed neq; aqua hîc est. Ille verò persistebat similiter adiurans nos, & plura etiam cum lachrymis adijciens, ac dicens: Nolite, Christiani, me priuare hoc diuinitus indulto munere. Cùm ergo in magna hæsitatione essemus, industrius ille diuinitus inspiratus ait nobis: Erigite illum, & exuite. Ereximus itaq; cum magno labore illum, erectumq; tenentes exuimus. Industrius autem ille implens ambas manus suas arena, tertiò effudit super caput eius dicens ita: Baptizatur Theodorus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Nobis verò per singula respondentibus, Amen (Dominus Deus testis est, fratres) ita continuò sanauit, & corroborauit eum Christus Deus noster, vt nullum iam in eo pristinæ infirmitatis remaneret indicium, vel qualiscunque passionis; sed sanus, & valens cum omni alacritate, & florido aspectu, quod reliquum erat itineris per eremum ambulauit semper nos præcedens, ita vt admirantes talem, & tam subitam mutationem, omnes laudauerimus, & glorificauerimus ineffabilem maiestatem, & benignitatem Christi Dei nostri. Venientes autem Ascalonem, adduximus eum ad beatum, ac sanctum Dionysium eius vrbis Episcopum; narrantes quæ fratri in via contigissent. Quibus auditis, sanctus, admirandusq; Dionysius, stupens ad tam nouum, inauditumq; miraculum, conuocato clero exposuit ei totum negocium, vt decernerent, vtrum effusio illa arenæ reputanda esset fratri in baptismum, an non. Et alij quidem dicebant, debere reputari illi in baptismum propter inauditam miraculi magnitudinem; alij verò dicebant: Non. Theologus quippe Gregorius omnia baptismata dinumerat; Baptizabat, inquiens, Moyses, sed in aqua, & antea in nube, & in mari. Baptizauit & Ioannes, non iam quidem Iudaicè, non enim in aqua solùm, sed & in pœnitentia. Baptizat autem & Iesus, sed in Spiritu sancto. Istud perfectio est. Scio & quartum baptismum per martyrium, & sanguinem. Scio & quintum, lachrymarum scilicet. Hæc ille. Quo igitur horum, illi inquiebant, iste baptizatus est, vt etiam ipsius baptisma roboremus, maximè cùm Dominus ad Nicodemum dicat: Nisi quis natus fuerit denuo ex aqua, & spiritu, non intrabit in regnum Dei? His alij contradicebant sic: Quid ergo? Quia scriptum de Apostolis non est, quòd baptizati sint, idcirco non intrant in regnum Dei? Alij rursus econtra inferebant dicentes: Ita sanè illi baptizati sunt, sicut & Clemens Stromatheus meminit in quinto Hypotyposeon. Apostolicum enim illud dictum exponens, quo dicitur: Gratias ago, quia neminem vestrum baptizaui: Christus, inquit, dicitur Petrum solum baptizasse, Petrus Andream, Iacobum, & Ioannem, illi autem reliquos. Hæc igitur & alia plurima cùm dicta essent, visum est beato Dionysio mittere fratrem illum ad sanctum Iordanem, illicq; [1] baptizari. Industrium autem illum [2] ordinauit diaconum.

[1] Quia non fuerat hic rite baptizatus respectu materiæ, iussit Episcopus iterum baptizari.

[2] Vides quòd Episcopus hûc ordinanit diaconū, non magistratus de consensu plebis?

MALA MORS MONACHI AEGYPTII, QVI HABITARE VOLVIT IN CELLA EVAGRII HAERETICI.

CAP CLXXVII.

DICEBAT Abbas Ioannes Cilix commorantibus nobis in Nouo Alexandriæ: Venit ad nos Aegyptius monachus, narrauitq; nobis dicens: Ad monasterium cellularum frater ex longinqua regione peruenit, volens ibi habitare, prostratusq; Presbytero orabat, vt in Euagrij cella moraretur. Presbyter autem dicebat non posse eum illic habitare; recedensq; Presbyter ait fratri: Fili, dæmon acerrimus illic habitat. Qui enim seduxit Euagrium, & à vera fide remouit, immisitq; illi scelerata dogmata, ille non permittit aliquem ibi morari. Frater autem persistebat dicens: Profectò si hîc maneo, in illa moraturus sum. Tunc Presbyter coactus dixit ei: Iudicio tuo vade, & eã accipe. Sedit igitur frater in cellula vna hebdomada. Venienteq; Dominico die, perrexit ad sanctam Ecclesiam. Videns autem illum Presbyter consolatus est. Solicitus enim pro illo erat. Veniente autem alio die Dominico, non venit ad Ecclesiam. Cùmq; illum non videret Presbyter, misit duos fratres, vt viderent, cur non venisset ad Ecclesiam. Qui venientes ad cellulam, inuenerunt i fratrem iniecto fune seipsum suffocasse.

Stupendum miraculum, quo docemur, non solùm cũ hæreticis nõ esse cõmunicandum, sed etiã in domib⁹, in quibus habitauerunt aliquando, cõtra prudentiorum sententiam, ne Deum tentare velle videamur, non esse habitandum.

VITA SENIS COENOBII SCHOLARIVM VIRI SIMPLICIS.

CAP. CLXXVIII.

NARRAVIT nobis Abbas Gregorius Presbyter cœnobij Scholarium, quòd ibi senex magnus, magnæq; abstinentiæ moratus sit. Erat aũt simplex circa fidem, & vbicunq; eũ esse contigisset, indiscretè communicabat. Quadam igitur die apparuit ei Angelus Dei, dicens: Dic senex, si mortuus fueris, quomodo vis sepeliamus te? Vt Aegyptij monachi faciunt, an vt Hierosolymitæ? Senex autem respondit ei: Nescio. Tunc ait Angelus: Cogita, & delibera. Post tres autem hebdomadas veniam, & dices mihi. Pergens ergo senex ad alium, narrauit ei, quæ sibi dixerat Angelus. Quod cùm audisset senex, stupefactus ex auditu, diutiusque intendens in eum, ac diuinitus inspiratus

Christi: Vbi sumis sancta 1 mysteria? Respondens ille ait: Vbicunque inuenio. Tunc ait illi senex: Non tibi vltra contingat, vt extra sanctam Catholicam, & Apostolicam 2 Ecclesiam communices, vbi nominantur sanctæ quatuor synodi, Nicæna trecentorum decem & octo patrum, Constantinopolitana centum & quinquaginta, Ephesina prima ducentorum, Calcedonensis sexcentorum & triginta. Cùm autem venerit Angelus, dic ei: Sicut Hierosolymitæ sepeliri volo. Post tres igitur hebdomadas venit Angelus, & dixit seni: Quid est, senex? Cogitasti? Dixit autem illi senex: Sicut Hierosolymitæ volo. Dicit ei Angelus: Benè benè. Et continuò reddidit spiritum. Hoc autem totum factum est, ne labores suos perderet, & cum hæreticis condemnaretur.

1 Vbi sumis sancta mysteria, idest sacram Eucharistiam?

2 Vide vt viri sancti nulla in re separentur à sancta, Catholica, & Apostolica Ecclesia & quænam ea sit.

VITA SANCTIMONIALIS FOEMINAE, QVAE ERAT EX SANCTA CIVITATE.

CAP. CLXXIX.

PERREXIMVS ad Abbatem Ioannem Anachoretam, qui appellatus est Rutilus, narrauitque nobis dicens: Audiui Abbatem Ioannem Moabitam narrantem, ac dicentem: Sanctimonialis quædam erat in sancta ciuitate, religiosa valde, & secundùm Deum proficiens. Inuidit ergo diabolus Virgini, immisit'que iuueni cuidam impurum, & diabolicum in eam amorem. Virgo autem illa mirabilis, cùm diaboli sensisset insidias, perditionem adolescentis miserata, sumpto cilicio vno, paucisque infusis cibarijs, venit ad eremum, adolescenti ex recessu suo quietem à tentatione, ac salutem parans, & sibi ipsi ex solitudine securitatem, & augmenta meritorum. Post multum verò temporis per dispensationem Dei, ne ipsius excellens conuersatio maneret incognita, vidit eam Anachoreta quidam in solitudine Iordanis, & ait illi: Quid, mater, in hac solitudine facis? Illa verò latere Anachoretam cupiens, ait illi: Ignosce mihi, quia erraui de via. Sed per Dominum, pater, fac charitatem, & ostende illam mihi. Ille verò diuinitus de illa admonitus, ait ei: Crede mihi, mater, non tu errasti de via, neque viam requiris. Itaque sciens, quia mendacium de diabolo est, dic mihi veritatem causæ, propter quam huc venisti. Tunc ait illi Virgo: Ignosce mihi, Abba; Adolescens quidam scandalizatus est in me, & propterea veni in hanc eremum, melius existimans hìc mori, quàm offendiculum cuiquam fieri, iuxta Apostoli vocem. Dicit illi iterum senior: Et quantum temporis hìc habes? Quæ ait illi: Habeo gratia Christi annos decem & septem. Rursum ait ad illam Anachoreta. Et vnde nutriris? Illa verò cilicium, & infusa proferens, dixit Anachoretæ: Ecce cilicium istud, quod vides, mecum de ciuitate exijt, & ista 1 pauca infusa. Talem'que dispensationem in me humilem ostendit Deus, vt tanto tempore istis nutriar, neque imminuta sint. Et hoc autem scito, pater, quia sic me ipsius benignitas protexit, vt per istos decem & septem annos

1 Vide tenuitatem victus sanctimonialis fœminæ.

nullus homo me viderit, nisi tu solus hodie. Ego autem aspiciebam omnes. Et hæc audiens Anachoreta, magnificè glorificauit Deum.

VITA IOANNIS ANACHORETAE, QVI IN SPELVNCA VILLAE SOCHVS MORABATVR.

CAP. CLXXX.

NARRAVIT nobis sanctissimus Dionysius presbyter sanctæ Ecclesiæ Ascalonitarum, & sacrorum vasorum custos, de Abbate Ioanne Anachoreta, dicens: Quasi verè magnus in generatione ista fuit: atq; ad commendationem 1 summorum illius apud Deum meritorum, hoc de ipso miraculum narrabat: In spelunca, inquit, morabatur senex, in partibus villæ, quæ dicitur Sochus, viginti ferè milliarijs ab Hierusalem. Habebat autem senex in spelunca 2 imaginem immaculatæ Dominæ nostræ Dei genitricis, semperq; virginis Mariæ, in vlnis ferentem Christum Dominum, & Saluatorem nostrum. Quoties igitur abire volebat ad locum aliquem, vel per vastam solitudinem, siue 3 Hierosolymam, ad 4 adorandam sanctam Crucem, & venerabilia loca, vel in Sinai montem orationis gratia, siue ad Martyres distantes ab Hierosolymis multis, prolixisq; interuallis (Erat enim senex Martyrum reuerentiæ mirabiliter deditus, & nunc quidem pergebat Ephesum, ad sanctum Ioannem, nunc autem Euchaitam ad sanctum Theodorum, nunc verò ad sanctam Theclam in Seleuciam Isauriæ, nunc ad sanctum Sergium in Saraphas, & modò ad istum, modò ad illum sanctum) reficiebat candelam, & accendebat, vt sibi consuetudo erat, atq; ad orationem stans, & Deo vt suum iter dirigeret, supplicans, dicebat ad Dominam, intendens in 5 imaginem ipsius: Sancta domina 6 nostra Dei genitrix, quia longum iter iturus sum diebus multis perficiendum, candelæ tuæ tu curam habe, eamq; ne extinguatur iuxta propositum meum serua. Ego enim adiutorio tuo comitante, iter arripio. Hisq; ad imaginem dictis, egrediebatur, peractoq; proposito itinere, reuertebatur, aliquando post mensem, sæpè etiam post duos, vel tres menses, nonnunquam post quinq; vel sex, & ita reperiebat 7 integram candelam, & ardentem, sicut eam, cùm iter arriperet, dimiserat; & nunquam hanc à se ipsa extingui vidit, neque de somno surgens, neq; à peregrinatione rediens, neq; ex eremo in speluncam pergens.

e Ecce quomodo Sancti merita habẽt etiam summa apud deum.

2 Ex hoc capite multa colligis contra nouos hæreticos. Primum, vsum imaginũ fuisse apud sãctos patres veteres.

3 Secũdũ, fuisse etiã in vsu peregrinationes ad loca sancta, & ad sanctos martyres.

4 Tertiũ, quòd sancta Crux adorari debet.

5 Quartum, licere orare ante imagines.

6 Quintum, quòd licet cum imagine loquamur, mens tamen semper referenda est ad imaginatum.

7 Sextum, per imaginem Deũ ingens hîc ædidisse miraculum.

CAP. CLXXXI.

DICEBAT nobis & hoc de ipso idem venerabilis Dionysius Presbyter, quòd die quadam ambulabat senex in finibus villæ Sochus, vbi erat spelunca ipsius, ambulans'que leonem vidit ingentem è regione venientem. Pergebat autem in via valde angusta inter duas sepes posita, quibus agricolæ rura sua munire consueuerunt, spinosas frutices plantantes. Tantam verò semita illa præ sentibus angustiam habebat, vt vix vnum aliquem vacuum, & expeditum pedibus incedentem susciperet, & ne illum quidem sine impedimento liberè transire permitteret. Cùm ergo sibi inuicem appropinquassent senex, & leo, neque senex retro redijt, vt leoni transitum liberum daret, neque propter nimias semitæ angustias leo reuerti poterat, neque vtrunque simul transire omnino possibile erat. Videns igitur leo Dei seruum procedere volentem, & nequaquam retro redire sustinentem, erexit 8 se in posteriores pedes, erectusque stans ad leuam senis, pondere, ac viribus corporis repulsa maceria, modicam seni latitudinem præstitit, iter sine impedimento iusto viro præbens. Atque ita transiuit senior dorsa leonis perfricans. Post cuius transitum exurgens de sepi leo peregit & ipse iter suum.

8 Ecce quomodo etiam immanes bestiæ sanctos Dei recognoscũt, eisque beneficia impẽdũt.

AD hunc Abbatem Ioannem pergens frater quidam, cùm nihil in spelunca illius inuenisset, ait seni: Quomodo hîc moraris, pater, non habens quæ sunt necessaria? Respondit senex, & ait: Spelunca ista, fili, spiritualis mercatura est. Dat, & accipit.

VITA ABBATIS ALEXANDRI CILICIS, QVI PROPE MORTEM A DAEMONE ARREPTVS EST.

CAP. CLXXXII.

PROPE sanctam Bethleem monasterium est sancti Sergij. In hoc pater fuit Abbas Eugenius, qui postmodum Episcopus Hermopolis factus est in Aegypto. Hic, cùm ad eum venissemus, narrauit nobis de Abbate Alexandro Cilice, quod cùm inter speluncas sancti Iordanis senuisset, accepit illum in monasterio suo. Qui circa finem vitæ suæ lectulo decubuit quasi menses tres. Ante decem verò dies, quàm migraret ad Dominum à dæmone arreptus est. Et cœpit senex ad dæmonem dicere: Ad vesperam venisti, miser, hoc magnum non est. Quoniam in lectulo deuinctus sum, & moueri non possum.

possum, ostendisti, miserrime, imbecillitatẽ tuã. Nam si potens, & valens esses, ante hos quinquaginta, vel sexaginta annos debueras appropinquare mihi, ego enim per confortantem me Christum ostendissem tibi infirmitatem tuam, ac deiecissem rugitum tuum, atq; contriuissem rigidam illam tuam, inflexam'q; ceruicem. Nunc autem non mea est imbecillitas, sed infirmitas est, quæ præmit me. Gratias tamen ago Deo, ad quem proficiscens, ostendam iniuriam, quam abs te passus sum, quia post tot annorũ labores, & fatigationem circa exitum sic atrociter in me inuasisti. Ista, & alia plurima horis singulis dicens, decima die cum omni quiete Domino Christo spiritum in pace reddidit.

MIRABILE FACTVM SENIS AEGYPTII, NOMINE DAVID.

CAP. CLXXXIII.

DICEBAT Abbas Theodorus Cilix. Cùm adhuc morarer in Sciti, erat illic senex Aegyptius, nomine Dauid. Qui die quadam ad metendum profectus est. Habẽt enim consuetudinẽ Scitiotæ, vt abeant ad villas, & 1 metant. Ascendit ergo senex in villam, & sub mercede operabatur. Conduxit autem illum agricola quidam. Cùm itaq; meteret senex, die quadam circa horam septimam æstus magnus factus est, & abijt senex in quoddam tugurium, & sedit. Veniens autem agricola, & videns sedentem senem, dicit ei cum iracundia: Cur non metis, senex? Nescis, quia mercedem tibi reddo? Dixit ei: Ita sanè, sed quia æstus magnus est, & grana tritici de spicis decidunt, idcirco paululum expecto, donec transeat æstus, neq; damnum patiaris. Dicit ad eum agricola: Surge, labora, & ardeant omnia. Cui respondit senex: Et vis, vt ardeant? Dixit ille cum iracundia: Ita planè. Tunc surrexit senior, & ecce continuò ardere cœpit ager. Currens autem agricola venit ad alios senes, qui in alia parte agri operabantur, & orabat eos, vt venirent, & deprecarentur senem, vt oraret, & ignem extingueret. Venientes autem senes prostrauerunt se humi. Ille autem dixit eis: Dixit ipse vt arderet. Exoratus tamen ab eis, abijt, & stans medius inter ea, quæ arserant, & ea quæ non arserant, orauit, & continuò 2 extinctus est ignis, & saluata est pars est reliqua ruris.

1 Vide in sãctis patribus opus manuũ.

2 Magna virtus Orationis sancti senis, vt per eam ignis agri extinct⁹ sit.

VITA ABBATIS IOANNIS EVNVCHI, NECNON IVVENIS MONACHI, QVI NVNQVAM BIBERE STATVERAT, ATQVE ALTERIVS SENIS VALDE ORATIONIBVS DEDITI.

CAP. CLXXXIIII.

ERAMVS in Nono Alexandriæ, cùm accessimus ad Monasterium Abbatis Ioannis Eunuchi, vtilitatis gratia: Inuenimus aũt ipsum senem, qui egerat in habitu monastico annos octoginta, ita misericordem, vt alium neminem illi similẽ viderimus; non solũ enim ad homines, verum & ad bruta animalia misericors erat. Quid ergo faciebat senex? Nullum opus aliud habebat, nisi hoc. Surgens de mane ibat ad canes omnes, qui erant in monasterio, & cibum præbebat illis. Similiter & paruis formiculis farinam apponebat, triticumq́; maioribus formicis. Infundebat & paximatia, & ea super tecta proijciebat, vt volucres comederent. Ita degẽs iugiter, nihil, cùm moreretur, in suo 1 monasterio dimisit, non portam, non fenestram, non candelam, non tabulam, & ne singulis immorans, prolixior sim, non dimisit omnino terrenum aliquid. Nunquam vel vna hora tenuit vel librum, vel pecuniam, vel indumentum, sed omnia egenis dabat, omnem curam suam ad futura trãsferens.

1 Vide altissimam paupertatem huius patris.

NARRABANT autem & hoc de ipso, misericordiã eius, & compassionis affectum commendare volentes. Die quadam venit ad eum agricola quidam petẽs, vt aureũ nummum illi mutuò daret. Cùm verò ille non haberet (nec enim vnquam aurum tenebat senex) misit continuò, & mutuauit à monasterio numisma, & dedit homini, qui id à se petierat, pollicenti post vnum mensem hoc se illi redditurũ. Cùm verò præteriissent anni duo, & agricola illud non redderet, accersiuit illum Abbas Ioannes, & ait illi: Da mihi numisma, frater. Qui dixit: Nouit Deus, quia nõ habeo. Tunc ait illi senex: Agnosce, frater, quia inueni tibi modum, per quem possis mihi illud reddere. Qui ait seni: Iube quicquid vis, & faciam, putans homo quòd senior sibi aliquid iniungere vellet. Tunc dixit Abbas Ioannes: Cùm tibi opportunum est, nec habes quid facias, veni huc, & triginta genuflexiones pro me facito, & dabo tibi vnum argenteum. Cui cùm ille libenter consensisset, quoties illi vacabat ab opere, pergebat ad senem, & completo orationum numero, dabat ei senex, iuxta constitutum, argenteum nummum; dabatq́; illi comedere, & bibere, tribuens insuper paximatia pro tota domo sua. Cùm igitur implesset vigintiquatuor argenteos, idest aureum nummum, accepit ab eo senex, & dimisit illum, dans ei etiam benedictiones.

IDEM Abbas Ioannes Eunuchus narrauit nobis, dicens. Ascendimus in Thebaidem ad cœnobium Abbatis Apollo, vidimusq; ibi iuniorem fratrem habentem etiam carnalem patrem, & ipsum monachum. Statuit ergo iuuenis nunquam bibere aquam, neq; vinum, neq; 2 potionem aliã toto vitæ suæ tempore. Edebat igitur olera quædam comestibilia, quæ ipsum ex siti recreare poterant. Habebat autem & ministerium coquendi panes. Cùm verò tres annos hoc abstinentiæ modo cucurrisset, incidit in grauissimã ægritudinem, ex qua etiã defunctus est. Cùmq; febre vreretur, & ex immensa siti fatigaretur, hortabatur ab omnibus, vt vel modicam potionem degustaret, neq; prorsus hoc facere frater ille passus est. Abbas igitur, accersito medico, vt languenti, si qua ratione posset subueniret, precabatur. Qui cùm venisset, & videret fratrẽ in tali necessitate, rogare eũ cœpit, vt modicum alicuius potionis acciperet. Sed cũ ille non acquiesceret, dixit Abbati: Afferte mihi huc vas magnum. Quo allato, mittens in illud tepentis aquæ amphoras quatuor, fecit illum intus immitti vsq; ad fœmora per vnam horam. Affirmabat autem nobis Abbas Ioannes (illic enim aderat) quòd cùm illum ex aqua eduxissent, metiens medicus aquam, inuenit eam ex magna parte imminutam. Ecce quam 3 vim sibi intulerunt continentes monachi, se ipsos propter Deum his necessitatibus subdentes, vt sempiternis fruerentur bonis.

2 Magnũ abstinẽtiæ genus, nulla penitus vti potione.

3 Ecce quomodo prisci monachi magno continentiæ rigore vim sibi ipsis propter obtinendũ regnum cœlorum inferebant.

IDEM rursus nobis enarrauit, dicens: Ingressus sum in eodem cœnobio cellulam senis cuiusdam, vidiq;, quia vbi stare ad orationem solebat, tabula erat supposita. Vbi autem genua figebat, & manus, concauum erat plusquam digitorum quatuor. Ex frequentia quippe, & vsu continuæ orationis cauauerat tabulam.

VITA MVLIERIS FIDELIS, QVAE MIRA SAPIENTIA VIRVM SVVM GENTILEM AD FIDEM CONVERTIT.

CAP CLXXXV.

CVM in Samo insula essemus, narrabat nobis venerabilis pauperum cultrix Maria mater domni Pauli candidati, dicens: Cùm essem in ciuitate Nisibæ, erat ibi Christiana mulier virum habens gentilem. Erant autem pauperes, habebant tamen quinquaginta numismata. Die verò quadam ait vir vxori suæ: Demus hæc numismata fœneratori, vt aliquod solatium ex eis capiamus. Ea enim sigillatim consumimus, & deficiunt. Respondens autem illa bona vxor ait viro: Si placet ea fœnerari, veni, demus illa sub fœnore Deo Christianorum. Dicit ei vir eius: Et vbi est Deus Christianorum, vt demus ei? Ait

illa: Ego tibi ipsum ostendam. Si enim huic dederis ea, non solùm non illa perdes, sed & vsuras tibi persoluet, & capitale duplum reddet. Qui ait illi: Eamus, ostende mihi illum, & demus ei. Illa verò assumens virum suum, duxit in sanctam Ecclesiam. Habet autem Ecclesia illa quinque magnas ianuas. Cùm ergo induxisset illum in Ecclesiæ porticum, ostendit ei pauperes dicens: Istis si præbueris, Deus Christianorum ipsa accipit. Isti enim omnes sui sunt. Qui mox cum gaudio numismata cœpit erogare pauperibus. Reuersi'que sunt in domum suam. Cùm verò post menses tres necessitate sumptuum angustarentur, ait vir vxori suæ: Soror, nihil, vt video, daturus est nobis Deus Christianorum ex debito illo, & nunc angustamur inopia. Respondit mulier, & ait illi: Profectò dabit. Vade vbi illa dedisti, & exhibebit ea tibi cum omni alacritate. Quo audito, ille currens abijt in sanctam Ecclesiam. Veniens'q; in loco, vbi erogauerat numismata pauperibus, & circuens totam Ecclesiam, neminem vidit, qui sibi debitum redderet, nisi solos pauperes denuo sedentes. Cùm ergo cogitaret in se ipso, cui diceret aliquid, vel à quo exigeret, aspexit ante pedes suos in marmore iacere numisma vnum ex illis, quæ pauperibus ipse erogarat, inclinans'q; se, & accipiens illud, abijt in domũ suam, & ait coniugi suæ: Ecce profectus sum in Ecclesiã, & crede mihi, mulier, quia Deũ Christianorum non vidi, vt dixisti, nullus'q; mihi aliquid dedit, nisi quòd hoc numisma ibi positum vidi, vbi ego priùs erogaueram. Tunc ait ad eum mulier illa mirabilis: Ipse est, qui tibi hoc inuisibiliter præstitit. Ille enim inuisibili potestate manus suæ disponit hunc mundum. Sed vade, domine mi, eme nobis aliquid, vt comedamus hodie, rursus'que ipse prouidebit nobis. Abijt ille, & emit sibi panem, & vinum, & piscem, & veniens domum dedit vxori. Quæ accipiens piscem, cœpit ipsum purgare, exentrans'q; illum, inuenit in visceribus eius lapidem valde mirabilem, ita vt miraretur mulier illius pulchritudinem. Non tamen sciebat quid esset. Seruatum autem ostendit reuertenti viro, dicens: Ecce hunc lapidem in pisce reperi. Videns autem & ipse miratus est quidem ipsius pulchritudinem, ignorabat tamen, quid esset. Cùm autem comedisset, ait vxori: Da mihi lapidem, vt vadam, & vendam illum, si quid fortassis pretij de illo accipere contingat. Neque enim, vt dixi, nouerat & ipse, quid esset, vtpote simplex, & rudis. Tulit itaque lapidem, & abijt ad trapezitam, cuius erat proprium talia emere, & vendere, inuenit'que illum iam clausis omnibus egredientem (ad vesperum enim iam dies erat) & ait illi: Vis emere hunc lapidem? Ille verò considerans lapidem dixit ei: Quid vis, vt tibi pro eo soluam? Ait autem ille: Da quicquid vis. Ad quem ipse; Accipe, inquit, quinque numismata. Putans autem venditor quia illuderet sibi, dicit ei: Et tantum vis pro illo persoluere? Existimans trapezita, quòd ita ille per ironiam loqueretur, ait ipsi: Accipe decem pro eo numismata. Venditor iterum se irrideri arbitrans, tacuit. Dicit illi Trapezita: Viginti numismata accipe. Ille autem tacebat nihil respondens. Cùm verò ad triginta, quadraginta, & quinquaginta numismata emptor ascenderet, & se daturum ea iuramento affirmaret, cœpit ille ampliùs lapidem æstimare. Paulatim verò emptor ascendens vsque ad trecenta numismata peruenit, dedit'que illa vendenti. Ipse igitur, dato lapide, accepta'que pecunia, venit ad vxorem suam gaudens. Quæ cùm videret illum exultantem dixit: Quanto illum vendidisti? Putabat autem, quòd illum quinque, vel decem minutis vendidisset. Tunc ille trecenta numismata proferens, dedit illa vxori suæ dicens, tanto se illum vendidisse. Illa verò summam diuinæ bonitatis clementiam admirans, dixit ei:

Ecce

Ecce Deus Christianorũ qualis est, quàm bonus, quàm gratus, quàm diues. Vi-
des quia non solùm quinquaginta numismata tibi reddidit, quæ tu illi mutua-
sti, sed paucis diebus ipsa tibi sexcuplicata restituit? Agnosce igitur, quia non
est Deus alius, neque in terra, neque in cœlo, nisi ipse solus. Ille verò mira-
culo admonitus, cùm experimento didicisset & ipse veritatem, effectus est re-
pente Christianus, & glorificauit Deum, & Saluatorem nostrum Christum cum
Patre, & Spiritu sancto, plurimas referens gratias prudentissimæ vxori suæ,
per quam vera Dei notitia ipsi in veritate concessa est.

VITA MOSCHI MER-
CATORIS TYRII.

CAP. CLXXXVI.

PERREXIMVS in cœnobium speluncæ Abbatis Sa-
bæ, ad Abbatem Eustachium ipsius cœnobij patrem, nar-
rauit'que nobis dicens: Erat Tyri mercator quidam, no-
mine Moschus. Is nobis, cùm Tyrum venissemus, hoc
retulit, dicens: Cùm essem super commercia, profundo
vespere abij lauatum, & in uia reperi mulierem stantem
in tenebris. Ad quam ego vbi perrexi, consensit sequi post
me. Præ diabolico itaq; gaudio non laui, sed ad cœnam properaui, multum'q;
orabam illam, vt comederet; sed illa gustare quicquam passa non est. Tandem
surreximus. Et cùm ad cubandum venissemus, vellem'que illam emple-
xari, voce magna cum lachrymis clamauit dicens: Væ mihi miseræ. Tre-
mefactus itaq; interrogabam causam fletuum. Illa verò ampliùs eiulans ait:
Vir meus negociator est, & naufragium fecit, perdidit'que & sua, & alie-
na, & propterea in carcere inclusus est, nec habeo, quid faciam, vt vel
panem illi ministrem; atque ideo præ nimia paupertate corpus meum ex-
ponere proposui, vt illi panem inueniam. Omnia enim deperierunt. Et
dixi illi: Quantum est debitum? Quæ ait: Quinque auri libræ. Profe-
rens autem aurum dedi illi, dicens: Ecce Dei nutu non tetigi te. Da au-
rum, & redime virum tuum, & orate pro me. Deinde post aliquantulum
temporis calumnia contra me conflata est apud Imperatorem, quòd com-
mercij cuncta dissipassem. Mittens autem Imperator diripuit omnem sub-
stantiam meam, nudum'que pertractum Constantinopolim in carcerem misit.
Vbi cùm plurimum temporis egissem, solo vno vestimento præter camisiam in-
dutus, die quadam audio, quòd Imperator me vellet occidere. Itaq; de vita
desperans plorabam. Flentem autem, & eiulantem sopor oppresit, vidi'que
in somnis quasi mulierem illam, quæ aliquando virum habuerat in car-
cere, dicentem mihi: Quid est, quod habes, domine Mosche? Quare hìc in-
clusus es? Me autem respondente: Calumniam perpessus sum, & puto, quia
occidet me Imperator: ait mihi: Vis, vt loquar pro te Imperatori, & dimittet te?
Ad quam ego: Nunquid ille cognoscit te? Ait; Vtiq; nouit. Expergefactus autem

ambigebam, quid hoc esset. Astitit autem mihi secundò, & tertiò eadem repetens, & dicens: Noli timere; ego te absoluam cras. Diluculo autem, Imperatore iubente, adduxerunt me in palatium. Cùmq; ingressus essem, ille vero aspexit me putri, & scissa indutum tunica, dixit mihi: Ecce nunc tui misertus sum. Vade, & emendare de reliquo. Aspiciebam autem mulierem illam ad dexteram Imperatoris astantem, & dicentem mihi: Confide, & noli timere. Iussit'q; Rex mihi vniuersa restitui, addensq; mihi bona plurima, restituit me in priorem statum, faciens me prætereà locum tenentem. Ipsa igitur nocte apparuit mihi rursus eadem mulier, & ait mihi: Scis, quæ sim ego? Illa sum, cum qua fecisti misericordiam, & propter Deum non tetigisti corpus meum. Ecce & ego liberaui te à periculo. Vides clementiam Dei, quomodo per me, cui fecisti misericordiam, apparuit tibi misericors, quasi *dicens: Hoc* propter me fecisti, & ego magnificaui misericordiam meam super te.

DOCTRINA ABBATIS IOANNIS CYZICI PRO ACQVIRENDIS VIRTVTIBVS.

CAP. CLXXXVII.

CVM à sancta Gethsemani ascenderemus in sanctum montem Oliueti, monasterium offendimus Abbatis Abramij. Huius monasterij pater erat Abbas Ioannes ex Cyzico. Interrogauimus autem eum die quadam dicentes: Quomodo virtutem possidet quispiam? Respondit senior, & ait: Qui virtutem possidere voluerit, nisi priùs oderit virtuti ex diametro contrariam malitiam, eam acquirere, ac possidere non potest. Si igitur habere vis luctum, semper odio habeas risum. Si humilitatem habere desideras, superbiam semper execrare. Si continens esse cupis, gastrimargiam odi. Si pudicus, detestare luxuriam. Si nudus, materiam fuge. Qui vult esse misericors, auaritiam caueat. Qui eremum habitare desiderat, ciuitatis frequentiam odio habeat. Qui cupit inuenire quietem, fiduciam oderit. Qui peregrinus esse vult, apparentiam odio habeat. Qui iracundiam continere desiderat, multorum consortia fugiat. Qui iniurias obliuisci vult, maledicta detestetur. Qui sine distractione esse appetit, solitarius maneat. Qui continere vult linguam, obstruat aures, ne multa audiat. Qui Dei timorem habere semper cupit, corporalem oderit requiem, diligat'que afflictionem, & angustiam.

VITA DVORVM FRATRVM TRAPEZITARVM SYRORVM.

CAP. CLXXXVIII.

ABBAS Theodorus antiqui monasterij pater, narrauit nobis dicens: Erant Constantinopoli fratres duo trapezitæ Syri. Dixitq; maior ex illis minori fratri: Veni, descendamus in Syriam, & possideamus paternam domum nostram. Dixit illi iunior: Cur ambo dimittimus hîc ministerium nostrum? Descende ipse, & ego hîc manebo, vel ego descendam, & tu hîc remane. Conuenit ergo inter eos, vt descenderet iunior. Cùm itaq; descendisset, post breue tempus is, qui Constantinopoli remanserat, vidit in somnis senem quendam speciosum, & magnæ reuerentiæ, dicentem sibi: Scis, quia fornicatus est frater tuus in vxorem cauponis? Qui exurgens à somno contristari cœpit, & intra semetipsum dicere: Ego illi causa fui istius lapsus. Cur enim dimisi illum solum? Aspexit autem eundem secundò dicentem sibi: Scis, quia frater tuus corruit in vxorem cauponis? Quo viso, rursum contristatus est. Tertiò conspicit eundem dicentem sibi: Nescis, quia frater tuus perdidit liberam mulierem, & in vxorem Cauponis effusus est? Scripsit igitur ad illum ex Constantinopoli, vt statim dimissis omnibus, veniret Byzantium. Qui, acceptis fratris literis, statim dimisit omnia, venitq; ad fratrem suum. Ille verò mox vt vidit eum, duxit in maiorem Ecclesiam, & cœpit mœstus culpare illum, ac dicere: Benè fecisti, frater, quia Cauponis vxorem adulterasti? Quod ille cùm audisset, iurare per Deum omnipotentem cœpit, quòd neq; adulterauerat, neq; mulierē vllam nouerat præter legitimam vxorem. Cùm hæc maior frater audisset, ait illi: Nunquid aliud quippiam peccati grauioris abs te gestum est? Ille autem asseuerabat dicens: Verè nihil mihi conscius sum iniquitatis admisisse, nisi quòd monachos in villa nostra reperi Seueriani dogmatis, ignoransq;, an malum esset, communicaui eis. Aliud quodlibet ignoro me fecisse. Intellexit tunc maior natu frater, hoc esse, quod illi dictum fuerat, fornicatum scilicet eum fuisse, quia sancta Catholica, & Apostolica [1] Ecclesia omissa, in hæresim Seueri acephali, qui re vera caupo est, corruens, confusus erat, ac nobilitatem rectæ fidei contaminarat.

[1] Vides quòd qui in hæresim corruit, extra sanctā Catholicā & Apostolicam Ecclesiā est?

VITA MVLIERIS, QVAE FIDEM SERVAVIT VIRO SVO NEGOCIATORI, ET AMBO A DEO ADIVTI SVNT.

CAP. CLXXXIX.

VENIMVS Ascalonem in Xenodochium patrum, narrauitq; nobis Abbas Eusebius Presbyter, quòd negociator quidam nauigans perdidisset omnia & sua, & aliena, euasissetq; ipse naufragium. Qui cùm venisset huc, à creditoribus comprehensus, & in carcerem missus est. Direptaq; sunt omnia, quæcunq; domi habebat, & coniugis etiam ipsius vestimenta. Illa igitur ex multa anxietate, & tristitia, & inopia non poterat virum vel pane nutrire. Sedente igitur illa die quadam in carcere, & gemente, intrauit vir quidam magnus vinctis dare eleemosynam. Videns verò mulierem liberam sedentem cum viro suo, vulneratus est in amore ipsius, erat enim speciosissima; mandauitq; illi per carcerarium, vt ad se veniret. Illa videns, quòd agapen acceptura esset, libenter accessit. Qui sumens illam seorsum ait ei: Quid est, quod habes, & cuius rei gratia hic es? Quæ illi cuncta enarrauit. Ait autem ipse: Si persoluero debitum, dormies mecum nocte ista? Illa autem verè pulcherrima, & pudicissima dixit ei: Audiui, domine, dicentem Apostolum, quia mulier non habet potestatem proprij corporis, sed vir. Permitte ergo, domine, vt interrogem virum meum, & quicquid ille iusserit, faciam. Veniensque omnia nunciauit viro suo. Ille vt prudentissimus, & vxori suæ maximo deuinctus affectu, raptus non est spe, & desiderio euadendi carceris iniurias, sed ingemiscens cum lachrymis ait vxori: Perge, perge, soror, abrenuncia homini. Spero enim in Dominum nostrum Iesum Christum, quia non derelinquet nos vsque in finem. Exurgens autem illa dimisit à se hominem, dicens: Dixi viro meo, & non vult. Per id autem temporis, latro quidam iniectus fuerat in ipsum carcerem, priusquam negociator vinciretur. Hic omnia inspiciebat, & audiebat viri, ac mulieris verba; ingemuitq; apud semetipsum dicens: Ecce in quo isti casu existunt, neq; tamen libertatem suam prodiderunt, vt pecunias acciperent, & dimitterentur, sed pudicitiam pluris quàm pecuniam existimauerunt, vitæq; istius commoda, vt illius pulchritudinem non violarent, contempserunt. At ego quid faciam, miser, qui nunquam cogitaui, quòd Deus esset, & idcirco homicidiorum auctor fui? Vocans autem illos ad se per fenestram eius cellulæ, vbi vinctus detinebatur, dixit eis: Ego latro sum, & cædium patrator, quamobrem quacunq; hora Præfectus venerit, ad mortem vt homicida ducendus sum. Considerans verò pudicum consilium vestrum, compunctus sum. Itaq; pergite, & in loco illo ciuitatis fodite, & accipite quas inueneritis pecunias, cùmq; persolueritis debitum, plurima etiam benedictio remanebit vobis; & orate pro me, vt & ego inueniam misericordiam. Post paucos ergo dies ingressus ciuitatem Præses latronem educi iussit, & decollari. Sequenti autem die dixit mulier

viro: Si iubes, mi domine, vadam ad locum, quem denotauit latro, si forte vera sint, quæ ille prosecutus est. Qui ait: Vt tibi videtur, facito. Illa verò, sumpto breui sarculo, vespere ad locum abijt, & fodiens ollam inuenit diligentissimè opertam, sumensq; illam profecta est. Prudenti verò vsa consilio, paulatim creditoribus reddebat debita, vt ex hoc ab alijs pecuniam mutuari putaretur. Impleuit autem omnem debiti solutionem, virumq; de carceris custodia eduxit. Dicebat autem qui ista narrauit: Ecce quoniam seruauerunt isti mādatum Domini nostri Iesu Christi, magnificauit & ipse in eis misericordiam suam.

MIRACVLVM DE LIGNO DONATO ABBATI BROCHAE AEGYPTIO.

CAP. CXC.

NARRAVIT nobis Athanasius Antiochenus de Abbate Brocha Aegyptio, dicens: Cùm venisset vir ille ex Aegypto in Seleuciam, quæ prope Antiochiam est, inuenit extra ciuitatem locum desertū, quærebatq; construere sibi in eo breuem cellulam. Quam cùm extruxisset, neq; haberet, vnde illam operiret, ingressus vrbem die quadam inuenit Anatolium, qui cognominatus est Curuus, Seleuciæ, & Antiochiæ vnum ex primarijs, sedentem extra domus suæ limen, dixitq; ei: Fac, domine, charitatem, & da mihi ligna modica, vt tegam cellulam meam. Ille verò maximè indignans ait illi: Ecce lignum, tolle, & discede, ostendens illi trabem maximam, quam habebat iacentem ante domum suam, de qua facta esset arbor nauis onerariæ quinquaginta millium. Ait illi Abbas Brochas: Benedic, & tollam illud. Dicit ei rursum Anatolius stomachans: Benedictus Dominus. Apprehendit ille trabem, solusq; leuauit de terra, & imposuit humeris suis, abijtq; cum illa ad cellulam suam. Stupore autem percussus Anatolius in eo, quod factum fuerat, insigni, præclaroq; miraculo, largitus est ei lignum illud, ex quo non solùm cellulam suam, vt petierat, operuit, sed & alia plurima ministeria exercuit.

VITA COMPENDIOSA SANCTI IOANNIS CHRYSOSTOMI PATRIARCHAE CONSTANTINOPOLITANI.

CAP. CXCI.

DICEBANT de sancto Ioanne Constantinopolitano Archiepiscopo, qui iustè, ac dignissimè pro puritate doctrinæ, & splendore venustissimi eloquij Chrysostomus cognominatus est, quòd ex quo salutarem baptismum accepisset, nunquam omnino iurauerit, neq; aliquem iurare compulerit, neq; mentitus sit, neq; alicui vnquam maledixerit, neque scurilia locutus sit, neq; iocos admiserit.

RELATIO DE QVODAM MONACHO MONASTERII DIVI GREGORII PAPAE, QVOMODO POST MORTEM AB EXCOMMVNICATIONE FVERIT ABSOLVTVS.

CAP. CXCII.

NARRAVIT nobis sanctus quidam Presbyter, Petrus nomine, veniens ex Romana Vrbe de beatissimo Gregorio eiusdem ciuitatis Antistite, quòd cùm esset summus Pontifex, monasterium virorum maximum ædificauerit, mandatumq; dederit, vt nullus monachorum 1 proprium aliquid haberet, ne vnum quidem obolum. Frater ergo monasterij habebat secularem fratrem, à quo petijt dicens: Tunicam non habeo, ideo fac in me charitatem, & eme illam mihi. Dixit illi secularis frater: Ecce tria hæc numismata, accipe, & eme tibi, vt placet. Sumens ergo Monachus tria numismata, habuit illa apud se. Quod cùm alius Monachus vidisset,

1 Ecce euangelicam paupertatem sanctorum monachorum.

abijt, & nunciauit Abbati. Quo audito, Abbas renunciauit & ipse sanctissimo Papæ Gregorio. Beatus verò Gregorius hoc audiens iussit eum, vt qui monasterij 2 regulas prætergressus esset, à communione separari. Post modicum verò temporis moritur frater ille ita separatus, nesciente Papa Gregorio. Post duos autem, vel tres dies abijt Abbas, & nunciauit illi dicens: Frater ille defunctus est. Quo ille audito, non mediocriter contristatus est, quòd antequam absolueretur 3 excommunicationis vinculo, migrasset à seculo. Scribens'que orationem in forma epistolæ, dedit vni ex Archidiaconis, iubens illi, vt iret, & super sepulchrum fratris eam legeret. Per ipsas verò literas 4 absoluebat ab excommunicationis nexibus mortuum. Abiens igitur Archidiaconus, sicut illi fuerat imperatum, supra sepulchrum fratris breuem illam chartulam legit. Eadem'que nocte vidit Abbas defunctum fratrem, & ait illi: Non'ne mortuus es, frater? Qui ait: Ita sanè. Rursus interrogauit eum Abbas: Et vbi fuisti vsque hodie? Dixit ei frater: Veraciter, domine, in carcere fui vsque heri. Hesterno autem die absolutus sum. Notum verò factum est omnibus, quia qua hora Archidiaconus absolutionis verba super fratrem legerat, fuerat ab excommunicatione absolutus, liberata'que est de iudicio, & damnatione anima ipsius.

2 Etiam antiq Monachi habuerũt regulas, & cõstitutiones.

3 Excõmunicatio fuit in vsu etiã tempore antiquorũ patrum.

4 Ecce quomodo sanctissimus Gregorius absoluit post mortem Monachum ab excõmunicatione, & talis absolutio illi pfuit. Sed hoc non est regulare.

FACTVM MIRABILIS CHARITATIS SANCTI ABBATIS APOLLINARIS PATRIARCHAE ALEXANDRINI ERGA IVVENEM DIVITEM AD INOPIAM REDACTVM.

CAP. CXCIII.

NARRAVERVNT nobis de sancto Abbate Apollinari Alexandrino Patriarcha, quòd valde fuerit misericors, & compassionis visceribus affluens. Cuius rei indicium id afferebant. Erat, aiebant, Alexandriæ iuuenis quidam, qui primarij ciuitatis, dignitate'que, ac diuitijs clarissimi filius fuerat. Parentibus itaque illius defunctis, qui infinita illi bona tam in auro, quàm in naualibus commercijs dereliquerant, non satis feliciter, & prosperè ea gubernans, perdidit omnia, atque ad extremam inopiam deductus est, cùm neque gulæ, neque luxuriæ vacauerit, quæ solent diuitum exhaurire patrimonia, sed in casus varios, atque naufragia inciderit. Itaque ex opulentissimo pauperrimus effectus est iuxta illud Psalmistæ: Ascendunt vsque ad cœlos, & descendunt vsque ad abyssos. Nanque adolescens quantò fuerat pecunijs sublimior, tantò per inopiam inferior factus

est. Hoc audiens beatus Apollinaris, vidensq́ in quantum miseriæ, & paupertatis adolescens delapsus esset, cùm parentes eius fuissent locupletissimi, miseratus illius casum, exiguum ipsi charitatis impẽdere voluit subministrando alimenta, sed erubescebat. Et quoties videbat illum, in secreto conscientiæ suæ angebatur, cernens vestem sordidam, & luridam faciem, quæ sunt extremæ paupertatis indicia. Cùm igitur huiusmodi curis angeretur Pontifex, die quadam diuinitus inspiratus, consilium profectò mirabile inuenit, ipsiusq́ sanctitati maximè conueniens. Accersiuit itaq; Dispensatorem sanctissimè Ecclesiæ, seorsumq́ illum alloquens, dixit ei: Potes mihi seruare secretum, domne Dispensator? Qui ait: Spero, domine, in filium Dei, quia quodcunq; mihi iusseris, nemini dicam, neq; discet vnquam id aliquis ex me, quod mihi seruo tuo aperueris. Tunc ait ad illum Episcopus Apollinaris: Vade, conscribe chirographum debiti quinquaginta librarum auri, quæ à sanctissima ista Ecclesia Machario illius miseri adolescentis patri debebantur, & appone testes, & stipulatione, & rata, & affer illud mihi. Dispensator continuò quod sibi fuerat à Pontifice iniunctum, cum omni celeritate peregit, attulitq; chirographum, & dedit illi. Cùm itaq; pater adolescentis ante decem annos defunctus esset, chartaq; chirographi noua videretur, ait illi Pontifex: Vade, domne Dispensator, chirographum istud vel in tritico, vel in hordeo absconde, & post paucos dies affer illud ad me. Quòd ille cùm fecisset, præfinito die chirographum retulit quasi subuetustum, dedit que Pontifici. Tunc ait ille: Perge modò, domne Dispensator, & dicito adolescenti: Quid mihi daturus es, si tibi dedero chirographum magnæ pecuniæ, quæ debetur tibi? Et caue, ne plusquam tria numismata ab illo accipias, & præbe illi chirographum. Respondens autem Dispensator: Verè, mi dñe, si iusseris, nihil accipiã. Dixit ei ille: Volo omnino vt tria numismata accipias. Perrexit autem ille ad iuuenem, sicut ipsi iussum fuerat, & dixit ei: Dabis mihi tria numismata, si ostendero tibi aliquid magnæ vtilitatis tuæ? Ille verò pollicitus est illi quicquid vellet se daturum. Fingens autem Dispensator ait illi: Ante quinq;, vel sex dies euoluens instrumenta Ecclesiastica, reperi chirographum istud, & memini, quia Macharius pater tuus mihi multùm confidens, ipsum mihi diebus aliquot permisit. Defunctoq; ipso, contigit illud apud me vsq; hodie manere, obliuione enim subreptum mihi est, nec vnquam venit in mentem, vt illud redderem tibi. Ait illi adolescens: Nosti, an locuples sit persona illa, quæ debet? Dixit ei Dispensator: Ita sanè locuplex, & grata est, potesq; ab illo debitum sine labore recipere. Dixit ei iunior: Nouit Deus, quia modò nihil habeo, sed si recepero, quod meum est, quicquid petiisti, dabo tibi, vltra tria etiam numismata. Tunc dedit ei Dispensator instrumentum quinquagiuta librarum. Suscepto itaq; chirographo, perrexit ad sanctissimum Pontificem, prostratusq; ante illum dedit ei chirographum. Cùm ergo accepisset ille instrumentum ipsum, ac legisset, cœpit se ipsum turbatiorem ostendere, dixitq; ei: Et vbi fuisti vsq; modò? Pater tuus ante decem annos defunctus est. Perge, nolo tibi nunc respondere. Qui dixit illi: Veraciter, mi domine, non ego illud habui, sed Dispensator illud habebat, & nesciebam. Sed Deus ipsius misereatur, quia modò ipsum mihi reddidit, dicens se illud inter chartas suas domi inuenisse. Pontifex verò illum interim remisit dicens: Deliberabo mecum, seruato apud me chirographo. Post vnam igitur hebdomadam rediȷt ad Episcopum iunior, iterumq; deprecabatur eum. Ille autem quasi nihil ei dare vellet, dicebat: Quare tantùm distulisti proferre chirographum? Dixit illi adolescens: Mi domine, scit Deus, quia non habeo, vnde familiam meam nutriam. Itaq; si Deus, inspirat vobis,

miseremini

miseremini mei. Tunc dixit illi sanctus Apollinaris, fingens se illius precibus cedere. Summam quidem integram ego tibi restituam; hoc autem obsecro, mi domine frater, ne à sancta hac Ecclesia vsuras exigas. Tunc procidens illi adolescens ait: Quicquid volucrit, & iusserit mihi dominus meus, hoc faciam; & si ex principali summa placet minuere aliquid, minue. Dixit illi Episcopus: Non id quidem. Satis est, si nobis vsuras dimittis. Tunc proferens quinquaginta auri libras dedit ei, & dimisit eum, orans eum pro vsuræ remissione. Hoc opus summi Apollinaris, ista sancta illius ars, atque misericordia. Ita verò Deus iuueni cooperatus est per sanctam eius benedictionem, vt ex tanta inopia emergeret, atq; in priorem suum statum, ordinemq; remearet, plusq; etiam quàm parentes sui, opum, ac pecuniarum copia excelleret, ac præterea magna lucra animæ consequeretur.

ADMONITIO SENIS, QVI MORABATVR IN SCITI, FACTA CVIDAM MONACHO, NE INGREDERETVR TABERNAS.

CAP. CXCIIII.

SENEX quidam morabatur in Sciti. Hic die quadam venit Alexandriam, vt 1 opus manuum suarum venderet, viditq; ibi iuniorem monachum ingressum esse cauponam. Qua ex re senex vehementer afflictus, manebat foris expectans, donec egredienti iuueni colloqueretur. Quod & factum est. Mox enim vt egressus est iuuenis, tenuit illum senior per manus, & seorsum illum ducens, dixit ei: An nescis, domine frater, quia 2 habitum Angelicum fers? Ignoras, quia iuuenis es? Non nosti, quia multi sunt inimici nostri laquei? Nescis, quia & per oculos, & per aures, & per figuras varias, & habitus, monachi in ciuitatibus læduntur? Tu autem in cauponas ingrederis, & quæ non vis, audis, & quæ sunt noxia, vides, inhonestisq; & viris, & mulieribus coniungeris. Noli itaq; fili mi, noli; obsecro, sic agere, sed fuge in eremum, vbi cum Dei adiutorio saluari potes. Respondit ei iunior: Perge senior. Deus non quærit nisi cor mundum. Tunc expandens in cœlum ambas manus suas senex ait: Gloria tibi Deus. Ecce enim ego habeo in Sciti annos quinquaginta quinq;, & mundum cor non habeo; hic autem in tabernis conuersans cordis munditiam possidet.

1 Nota, vt opus manuū suarum venderet.

2 Vides habitum monachi esse habitum Angelicum?

VITA EVAGRII PHILOSOPHI A' SYNESIO CYRENES EPISCOPO AD CHRISTI FIDEM CONVERSI.

CAP. CXCV.

CVM Alexandriæ essemus, Leontius Apamiensis vir religiosus, ac fidelissimus, venit ex Pentapoli, multis enim iam annis Cyrene moratus fuerat. Venit autem diebus Eulogij sancti Alexandrini Patriarchæ, eiusdem Cyrenensis vrbis futurus Episcopus. Cúmq; in familiari colloquio essemus, narrauit nobis dicens: Fuit temporibus Theophili beatissimi Patriarchæ Alexandrini Cyrene Episcopus Synesius Philosophus. Qui cùm venisset Cyrenem, reperit illic Philosophum quendam, Euagrium nomine, qui sodalis suus in studijs liberalibus fuerat, amicum sibi charissimum, sed religione gentilem, & culturæ idolorum maximè deditum. Eum Episcopus Synesius ab idololatria transferre ad culturam Christi satagebat, curamq; ingentem eius rei sibi assumpserat pro charitate, quam erga ipsum à principio habuerat. Ille verò minimè id patiebatur, neq; illius doctrinam admittere volebat. Episcopus tamen præ nimio ad illum amore, ne sic quidem tædio victus desistebat diebus illum singulis hortari, & instruere, ac inducere, vt Christo crederet, ipsiusq; sacramenta susciperet. Cùmq; illi quotidie ista monita dare persisteret, dixit ad eum semel Philosophus: Verè, mi domine Episcope, cum cæteris, quæ mihi displicent in Christianis, hoc est, quòd consummationem seculi istius futuram dicunt, & post consummationem omnes, qui ab initio seculi fuerunt, homines, in isto corpore resurrecturos, carnemq; hanc incorruptibilem recepturos & immortalem, atq; ita in perpetuum victuros, sicq; eorum, quæ in corpore gesserunt, præmia percepturos; eum etiam, qui miseretur pauperi, fœnerari Deo, & qui dispergit in pauperes, & inopes, in cœlo sibi thesauros reponere, & centuplicata, quæ erogauerit, in regeneratione cum æterna vita a Christo esse reddenda. Quæ omnia cùm dicuntur, deceptio, & irrisio, & fabula mihi videntur. Episcopus autem Synesius asseuerabat omnia Christianorum vera esse, nihilq; omnino habere falsum, vel veritati contrarium, idq; multis documentis asserebat, & persuadere illi nitebatur. Post multum verò *temporis*, cùm illum induxisset Christianum fieri, baptizauit ipsum, & filios eius, *cunctosq;* domesticos illius. Cæterùm non multò postea quàm baptizatus fuerat, dedit Episcopo auri tria centenaria in vsum pauperum, dicens: Accipe aurum istud, & distribue illud pauperibus, & fac mihi cautionem manu tua, quòd Christus mihi ipsum reddet in futuro seculo. Qui suscepto auro, promptè illi, vt petebat, cautionem fecit. Vixit itaq; post baptismum annos aliquot Philosophus, ac tandem infirmatus est ad mortem. Cum verò morti proximus esset, dixit filijs suis: Quando curabitis funus meum, chartam istam in meis manibus

ponite, & me cum illa sepelite. Mortuo autem illo, fecerunt filij, sicut eis ipse præceperat, sepelieruntq; eum cum chirographo. Tertia verò post sepulturam die, apparuit Episcopo Synesio nocte quiescenti, dicens: Veni ad sepulchrum, vbi iaceo, & accipe chirographum tuum. Accepi enim debitum, satisfactumq; mihi est, atq; vt certior eius rei fias, propria me subscripsi manu. Ignorabat autem Episcopus, quòd chirographum illud consepelissent ei. Manè autem facto, accersitis filijs eius dixit: Num aliquid cum patre vestro in monumento posuistis? Illi putantes, quòd eos de pecunijs interrogaret, dixerunt ei: Nihil, domine, præter pannos consuetos. Quid igitur? Nunquid vel chartam aliquam consepelistis ei? Tunc recordati illi (ignorabant enim, quòd de chirographo diceret) dixerunt ei: Ita sanè, domine. Chartam enim quandam moriens dedit nobis, & ait: Quando sepelietis me, chartam istam mihi in manibus date, nullo penitus sciente. Tunc dixit illis Episcopus somnium, quod nocte illa viderat, sumensq; illos cum clericis, ac primarijs ciuitatis accessit ad Philosophi tumulum. Quo aperto, inuenerunt iacentem Philosophum, chirographumq; manu Episcopi conscriptum suis manibus tenentem. Accipientes autem chirographum ex illius manibus, aperuerunt, inueneruntq; in eo nouiter manu Philosophi subscriptum ita: Ego Euagrius Philosophus tibi sanctissimo domino Synesio Episcopo salutem. Accepi debitum in his literis manu tua conscriptum, satisfactumq; mihi est, & nullum contra te habeo ius propter aurum, quod dedi tibi, & per te Christo Deo, & Saluatori nostro. Qui verò conuenerant, hoc videntes obstupuerunt, & per multas horas clamauerunt Kyrieeleison glorificantes Deum, qui facit mirabilia, talemq;, ac tantam promissionum suarum euidentiam dat seruis suis. Asserebat autem & hoc idem dominus Leontius, cautionem illam manu Philosophi subscriptam seruari vsq; hodie, atq; in sacrario sanctæ Cyrenensis Ecclesiæ custodiri, & quicunq; sacrarij custos ingrederetur, hanc illi cum cæteris vasis sacris assignari custodiendam cum omni diligentia, atq; eum deinceps successori suo integram illam, inuiolatamq; reconsignare.

MIRACVLVM, QVOD PVERIS APAMIENSIBVS CONTIGIT, QVI IOCO VERBA SANCTAE CONSECRATIONIS PROTVLERVNT.

CAP. CXCVI.

NARRAVIT nobis Gregorius Aphricanæ prouinciæ Præfectus, fidelis vir, & monachorum, ac pauperum amator, bonisq; omnibus semper congaudens. In prouincia, inquit, mea, (erat autem Apamiensis secundæ Syrorum prouinciæ, ex oppido, quod dicitur Thorax) ager est ab vrbe quasi quadraginta milliarijs distans, qui Gonagus dicitur. In hoc, siue in eius finibus pueri pascebant pecora. Et vt solet pueris contingere,

puerili consuetudine voluerunt ludere. Cùmq; luderent, dixerunt adinuicem: Venite, celebremus 1 Missam, & offeramus 2 sacrificium, & communicemus, sicuti semper in sancta Ecclesia Presbyter facit. Quod cùm placuisset omnibus, constituunt ex eis vnum in ordine Presbyteri, duosq; alios pueros in ministrorum officio, veniuntque ad saxum quoddam (erant enim in planitie) ac supra saxum in morem altaris apponunt panem, & vas testeum cum vino. Assistuntque, vnus quidem coram altari, qui fungebatur officio Presbyteri, medius, duo verò alij hinc, atq; hinc veluti ministri. Et ille quidem sanctæ oblationis verba dicebat, illi verò fasciolis, quæ ferebantur, pro flabellis vtentes, auram faciebant. Qui verò Presbyteri fungebatur officio, ideò sanctæ oblationis verba sciebat, quia consuetudo fuit in Ecclesia vt pueri in missis ante sacrarium assisterent, primiq; cum clericis communicarent 3 sanctis Christi Dei nostri venerandisq; mysterijs. Quoniam verò quibusdam in locis alta voce consueuerunt Presbyteri sancti 4 sacrificij orationes pronunciare, pueri vt propiùs astantes, sæpius eas audiendo didicerant. Cùm igitur omnia secundùm ecclesiasticam consuetudinem fecissent, priusquam panes frangerent, ac communicarent, ignis cœlitus delapsus, quæ proposita erant, consumpsit omnia, saxumq; totum combussit, ita vt nihil omnino neq; saxi, neq; eorum, quæ fuerant superposita, relinqueretur. Hoc repente 5 factum cùm pueri vidissent, in terram omnes præ timore corruerunt, ac diutius semiuiui permanserunt, neq; erumpere vocem, neq; de terra surgere valentes. Cùm verò non redirent domum hora, qua consueuerant reuerti, sed pauidi in pauimento iacerent, exierunt parentes eorum, vt viderent, cuius rei gratia consueto legitimo tempore non reuertissent. Egressi autem pueros omnes humi iacentes inuenerunt, neq; agnoscentes aliquos, neq; loqui se alloquentibus valentes. Parentes itaq; semiuiuos eos aspicientes, vnusquisq; filium suum assumentes, domum retulerunt, videntesq; pueros in huiusmodi excessu diutius durantes, mirabantur nimium, causam stuporis eorum omnino ignorantes, nec discernere valentes, sæpiusq; illos per totum diem interrogantes, responsum nullum accipere ab eis potuerunt, & quæ illis acciderant, scire omnino nequiuerunt, donec dies illa, & nox tota præterijt. Tunc enim & pueri paulatim in se ipsos reuersi, cuncta illis retulerunt quæ gesta fuerant, & quæ illis contigerant. Assumentes verò parentes suos, & omnes loci ipsius habitatores egressi sunt, & locum eis ostenderunt, in quo mirabiliter ista contigerant, vestigia quædam elapsi ignis indicantes. Audientes verò, quæ facta fuerant, & ipsis indicijs rerum admoniti, in ciuitatem cucurrerunt, cunctaq; Episcopo ciuitatis nunciauerunt. Qui perculsus magnitudine, & nouitate miraculi, cum omni clero festinus accurrit. Vidensq; pueros, & rursus ab eis, quæ euenerant audiens, & cœlestis ignis vestigia intuens, pueros quidem omnes continuò in monasterium immisit, locum verò monasterium fecit latissimum, supra locum autem ignis Ecclesiam construxit, & sanctum erexit altare. Dicebat autem ipse domnus Gregorius fidelissimus vir, vnum se istorum puerorum aspexisse, eiusq; monasterij, vbi miraculum acciderat, monachum ipsum cognouisse. Et istud quidem magnum re vera, ac diuinum, stupendumq; miraculum Gregorius venerabilis nobis ætate nostra contigisse enarrauit.

1 Ecce Missæ vsum antiquissimum, & non nouũ institutum.

2 Ecce eã appellari sacrificium.

3 Vide sacram Eucharistiã appellari sãcta Christi Dei nostri, venerandaq; mysteria.

4 Nota denuo sancti sacrificij orationes.

5 Ne putes tãtum miraculum idcirco Deum osten disse, quòd ille puer verè confecisset Eucharistiæ sacramentũ, cùm ordo deesset; sed ob reuerentiam similitudinis saltem repræsentati mysterij totum id actũ fuisse existimes.

RELATIO RVFINI DE SANCTO ATHANASIO, ET ALIIS PVERIS SODALIBVS EIVS.

CAP. CXCVII.

RVFINVS autem, qui ecclesiasticam conscripsit historiã, simile quiddam priori ætate gestum à pueris ludentibus narrat. Ait enim, cùm puerilia conscriberet Athanasij sanctissimi, magni propugnatoris, ac præconis veritatis, magnæq; Alexandrinæ ciuitatis Episcopi, & orbis totius doctoris inclyti, quomodo scilicet ipsius promotio ad Episcopatum ex præscientia diuina initium sumpsisset: Consequens autem mihi videtur esse, pauca de viri antiquitate repetere, & qualis à puero fuerit vitæ, qualis'ue instituti, meminisse, quemadmodum ab his, qui cum illo familiarissimè vixerunt, accepimus. Eo igitur tempore, quo Alexander sanctissimus Alexandrinæ Ecclesiæ præerat, cùm die quadam ex eminentiore loco mare intueretur, aspexit pueros in littore ludentes, vt consuetudo pueris est, Episcopumq; imitantes, ac ecclesiasticos ritus omnes. Cùm ergo pueros illos diutius intueretur, maiora quædam, & sacratiora illos aggredi videt. Turbatus itaq; continuò, clericos aduocans, eis ostendit, quæ ipse conspexerat, præcepitq;, vt irent, & pueros omnes apprehenderent, atq; ad se adducerent. Venientes igitur pueros interrogat, quis eis ludus fuerit, quid'ue, & quomodo gesserint. Illi verò, vtpote pueri, perterriti, ab initio quidem negare cœperunt, postea verò totam seriem exposuerunt, confessiq; sunt se quosdam baptizasse cathecuminos per Athanasium, quem sibi pueri Episcopum fecerant. Tũc igitur diligenter inquirens ab eis, & qui'nam baptizati fuissent, & quid, & quomodo interrogati, quid'ue respondissent, cùm ab eo, qui interrogauerat, cuncta didicisset, comperto, quòd omnia iuxta ritum religionis nostræ peregissent, rem in commune cum clericis agitans, diffiniuit, vt dicitur, eos, qui a baptismo consecrati fuerant, cùm omnia circa se solenniter peracta fuissent per interrogationes, & responsiones, secundò quidem non oportere baptizari, sed impleri ea, quæ solent à sacerdotibus fieri. Porrò Athanasium, & cæteros, quos ille vt sacerdotes, & diaconos habuerat in ministerio, conuocatis eorum parentibus, sub Deo teste Ecclesiæ tradidit, vt illic nutrirentur. Modico itaque transacto tempore, cum & à Notario perfectè, & à Grammatico sufficienter Athanasius iam instructus esset, continuò quasi fidele depositum Dei, sacerdoti à parentibus traditur, & veluti Samuel quidam in templo nutritur. Quoties verò Alexander in senectute ad Episcopos proficisceretur, iste sequebatur eum, ferens sacerdotij amictum, qui Hebraicè appellabatur Ephod. Tanta verò & tam præclara contra hæreticos Athanasij in sancta Ecclesia fuere certamina, vt illud de eo scriptũ esse videatur, quod dictum est: Ego ostendã ei, quanta pro nomine meo illũ oporteat pati. Nã in eius psecutionẽ totus cõspirauit orbis, cõmoti sũt Reges terræ, & gẽtes, & regna, exercitusq; contra illum conuenerunt. Porrò ipse diuinum illud eloquium opere implebat, quo dicitur: Si consistant aduersum

a Ecce quomodo qui rite baptizati sũt, non debent iterum baptizari.

ZZ

me castra, non timebit cor meum. Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo. Verè enim tanta illius, ac talia feruntur opera, vt magnitudo quidem rerum nihil me præterire persuadeat, multitudo verò gestorum plurima tacere compellat. Fluctuat itaq; ambigua mens, neq; planè dignoscere valet, quid conscribere, quid omittere debeat. Atq; ideo paucorum meminimus, quæ ad rem pertinent. Reliqua verò fama enarrabit, quæ profectò minora, quàm se habeat veritas, enunciabit. Veritati quippe nihil addere poterit.

RESPONSIO SANCTI ATHANASII EPISCOPI ALEXANDRINI NVM QVIS SINE FIDE BAPTIZARI POSSIT.

CAP. CXCVIII.

INTERROGATVS est aliquando prædictus sanctus Athanasius postquã Alexandriæ Episcopus constitutus fuit, an posset quispiam sine fide baptizari secundùm ritum, & prædicationem Christianorum; aut si credere se simulans, aliquibus alijs occasionibus baptizatus fuisset, quid de illo sentiendum, aut quomodo suscipiat illum Deus. Et respondit dicens: Audiui aliquando à senioribus nostris quòd beato Petro Episcopo, & martyri, cùm facta esset mortalitas, & plerią; ad baptisma mortis timore confugerent, apparuerit Angelus humana specie dicens: Quandiu huc mittitis marsupia ista, signata quidem, inania autem prorsus, & vacua, & nihil intus habentia? Erunt itaq;, quantum ex Angeli voce conijcere licet, signum habentes baptismi, quoniam & beneficium aliquod existimabant se consequi, si baptisma susciperent, atq; idcirco baptizati sunt.

REVELATIO DE SENE QVODAM SIMPLICE, QVI CVM SACRAMENTVM OFFERRET, ANGELOS VIDEBAT.

CAP. CXCIX.

NARRAVIT quidam patrum quòd senex quidam mundus, & sanctus existens, cùm offerret 1 sacramentum, videbat Angelos sibi dextra, leuaq; assistentes. Porrò hic ab hæreticis consecrationis ritum perceperat, & veluti simplex, & rudis diuinorum dogmatum, quando offerebat, in simplicitate, & innocentia dicebat quæ non decebant secundùm rectam fidem, ignorans, quòd falleretur. Per diuinam igitur dispensationem peruenit ad eum Diaconus quidam peritissimus diuinorum dogmatum. Contigit autem sanctum senem, præsente illo, sacrificium 2 offerre. Dixit autem ei Diaconus: Verba, quæ in offerendo dixisti, rectæ fidei non sunt, sed hæreticorum, & prauæ opinionis hominum. Senex autem confidens, quoniam videbat Angelos dum offerebat, non intendit his, quæ dicebantur à Diacono, sed contempsit. Diaconus autem persistebat dicens: Falleris, Abba. Non enim admittit fides Catholica ista, quæ dicis, neque mater Ecclesia. Cùm autem videret Diaconi constantiam in se arguendo senex, atque in oblatione salutari sanctos Angelos, vt consueuerat, intueretur, ait eis: Diaconus iste mihi hæc, & ista dicit; Quomodo se habet veritas? Dicunt ei Angeli: Ausculta ei, nam vere loquitur, & rectè ista prosequitur. Dixit autem eis senex: Quare vos non dixistis mihi? Dixerunt autem illi Angeli: Deus ita disposuit, vt homines ab hominibus corrigantur.

1 Aduerte hîc simplicē patrem potiùs ex Dei misericordia, quā ex vi illorum verborum sacram Eucharistiam confecisse, si illa formam corrumpebant.

2 Offerre sacrificium, Missam celebrare intelligit.

QVOMODO IVVENIS AVRIFEX A VIRO PATRICIO SIT IN FILIVM ADOPTATVS.

CAP. CC.

NARRAVIT nobis quidam sanctorum patrum, quòd iuuenis quidã ingeniosus se ad aurificem pro discẽda arte contulerit; quam dum solerter addisceret, vnus ex patricijs iniunxit eis, vt Crucem auream lapidibus pretiosis ornatam facerent, quò illam Ecclesiæ offerret. Et [illegible] ingeniosus erat adolescens, iniunxit illi magister [illegible] pit ergo adolescens cogitare intra se, ac dicere [illegible] offert pecunias Christo, cur non & ego mercedem meam in istam [illegible] feram, vt eam mihi, tanquam duo minuta viduæ, computet C[illegible] tans igitur quantum mercedis esset accepturus, mutuatur id, & in Crucem misit. Veniens itaque Patricius ponderat Crucem, priusquam in illa lapides includerentur, inuenitq; plus habere ponderis, quàm constituerat. Cœpit itaq; minitans vrgere adolescentem, quasi fraudem fecisset, aurumq; adulterasset. Tunc ait illi adolescens: Nouit ille, qui solus cordium scrutatur arcana, quia nihil tale feci. Sed cùm viderem te tantum pecuniarum Christo Domino obtulisse, cogitaui immittere mercedem meam, vt & ego partem habeam tecum, vtque me suscipiat Christus, quemadmodum duo minuta viduæ illius accepit. Stupefactus ille dixit iuueni: Ita'ne, fili, cogitasti? Ait ille: Ita sanè. Patricius verò dixit illi: Quoniam ita cogitasti, totamq; voluntatem tuam obtulisti Christo, volens habere partem mecum, ecce ex hodierna die suscipio te mihi in filium, hæredem'que constituo. Et assumpsit eum secum, atque hæredem suum fecit.

VITA

VITA VIRI CONSTANTINOPOLITANI NOBILISSIMI, CVI PATER MORIENS DOMINVM IESVM CHRISTVM RELIQVIT CVRATOREM.

CAP. CCI.

NARRAVIT quidam patrum dicens: Ascendi aliquando Constantinopolim cuiusdam necessitatis gratia. Cùmq; in Ecclesia sederem, ingressus est quidam secularis, maximè illustris, atq; fidelissimus. Is cùm aspexisset me, accedens salutauit cum omni charitatis officio. Et post salutationem sedit iuxta me, & cœpit interrogare de his, quæ pertinent ad animæ salutem. Cùmq; ego illi dicerem, quòd his, qui ritè terrena disponunt, cœlestia quoq; donantur; Benè, inquit, pater, dixisti. Nam verè beatus est, qui spem suam in Deum ponit, & se ipsum totum committit Deo. Et dicebat: Ego filius fui cuiusdam secularis gloria clarissimi. Erat autem ipse pater meus eleemosynis maximè deditus, & plurima pauperibus distribuebat. Die ergo quadam vocauit me, & ostendit mihi omnes pecunias, dicens: Fili, quid tibi gratius est, vt dimittam tibi pecunias istas, an Christum curatorem tuum? Ego, cùm placerent mihi, quæ faciebat, respondi me Christum malle. Ista enim omnia prætereunt, & hodie sunt, & cras non erunt, Christus autem manet in æternum. Quod ille cùm audisset, omnia iam liberè, & larga manu pauperibus erogabat, ita vt moriens pauca admodum mihi relinqueret. Ego autem iam pauper effectus, humilis procedebam, spem meam habens in Christum, cui me ille reliquerat. Erat autem alius quidam diues valde, & primarius, habens vxorem fidelem Christo, & timentem Dominum; habebat autem & filiam vnicam. Dixit ergo illa viro suo: Hanc solam habemus filiam, tantaq; bona nobis largitus est Deus; Cuius ergo rei indiget? Si quæsierimus dare illam alicui primario, & diuiti, qui non sit bonis moribus, affliget eam semper. Quæramus illi virum humilem, & timentem Dominum, qui secundùm Deum illam diligat, & foueat. Qui dixit illi: Rectè dixisti. Perge ergo in Ecclesiam, & ora intensissimè, atq; illic reside, & qui primus ingressus fuerit, hic illi à Domino missus est sponsus. Fecit igitur, vt iusserat vir eius. Cùmq; orasset, & sederet, ingressus sum ego primus. Mittens ergo illa seruum suum continuò accersiuit me, cœpitq; interrogare dicens: Vnde es? Ego autem dixi illi: Ex hac ciuitate sum talis filius. Dixit autem mihi: Illius eleemosynarij? Et dixi: Ita, illius sum filius. Tunc ait mihi: Habes vxorem? Et dixi. Non. Narrauiq; illi, quæ mihi dixerat pater meus, & quæ ego responderam ipsi. Illa verò glorificans Dominum ait: Ecce bonus curator tuus misit tibi vxorem, & pecunias, vt vtaris vtrisq; cum timore Dei. Dedit'que mihi filiam suam, & pecunias. Ego autem oro, vt patris mei viam vsq; in finem teneam.

VITA ABIBAE SECVLARIS HOMINIS FILII, SERVI DEI.

CAP. CCII.

NARRAVIT aliquis patrum, quòd secularis quidã habuerit filium pium, religiosum, 1 virginem, & ab ipsis annis puerilibus continentiæ rerum omnium assuetum, adeò vt 2 vinum iam non biberet. Habebat autem in votis sedere in solitudine. Pater verò eius volebat illum seculi obligare negocijs, neq; poterat, nam hoc ille minimè patiebatur. Erant & illi alij fratres, ipse autem maior natu omnibus. Cùm autem illius institutio à patris voluntate esset remotissima, obiurgabat illum assiduè pater, exprobrans illi ipsam continentiam, & dicens: Cur similis non es fratribus tuis? nec te ipsum negocijs exponis? Ille verò sustinebat tacens. Omnes verò diligebant eum pro illius religione, & modestia. Cùm verò pater eius moriturus esset, quidam ex genere ipsius, & alij Abibæ (hoc enim erat filio nomen) amantissimi, putantes, quòd illum odisset pater eius propter assiduas illius obiurgationes, conuenerunt dicentes: Ne fortè priuet hæreditate seruum Dei pater, pro illo deprecemur. Erat enim diues valde. Pergunt itaq; ad eum, & dicunt: Conuenimus aliquid abs te precaturi. Quibus ille ait: Quid vultis à me petere? Pro domno Abiba oramus, ne illum negligas. Tum pater. Pro illo rogatis me? Dicunt ei: Vtiq;. Qui ait: Vocate illum huc. Putauerunt autem, quòd iuxta consuetudinem obiurgare eum vellet. Cùmq; ingressus fuisset, ait illi pater: Appropinqua mihi. Et cùm appropinquasset ei, tenuit pedes eius plorans, & dicens: Ignosce mihi, fili mi, & ora Deum, ne mihi imputet, quoniam afflixi te. Tu enim quærebas Christum, & ego seculariter mouebar. Vocat autem & alios filios, & ait illis: Hic dominus vester, & pater est; quicquid dixerit, facite, & quod vos habere voluerit, in ipsius potestate erit. Admiratiq; sunt omnes. Statim verò vt mortuus est pater ipsorum, distribuit fratribus partes. Ipse verò sumens partem suam, dedit eam 3 pauperibus, nihil sibi omnino reseruans. Fecit autem sibi breuem cellulam, vt solitarius degeret; moxq; cùm consummasset cellam, infirmatus est, atq; ad finem peruenit. Aderat autem illi frater eius, cui dixit: Vade frater, fac domui tuæ consolationem. Aderat quippe celebritas sanctorum 4 Apostolorum. Dixit ei frater eius: Quomodo dimittam te, & abibo? Ait illi: Vade, & cùm venerit hora mea, ego te vocabo. Cùm ergo venisset hora, surrexit ad fenestram, & pulsauit. Intendit autem in eum frater eius. Et ille ipsi annuit dicens: Veni. Statim verò vt venit frater eius, tradidit spiritum Domino. Omnesq; mirati sunt, & glorificauerunt Deum dicentes: Eximia charitate, qua dilexit Christum, dignum inuenit finem.

1 Si erat virgo, non est impossibile virginitatẽ seruare.

2 Vides quòd multi ex sanctis vino non sunt vsi?

3 Ecce veram paupertatem Euãgelicam, omnia distribuere pauperibus, & nudum sequi Christum.

4 Etiam antiquitus celebrabaƭ Sanctorũ Apostolorum solennitas, sicut & modò fit.

RELATIO DE QVODAM LAPIDARIO, QVI PRVDENTI CONSILIO VITAM IN MARI SERVAVIT.

CAP. CCIII.

NARRAVIT quidam patrum, quòd aliquando lapidarius quidam habens lapides pretiosissimos, & gemmas, & margaritas, nauem conscendit cum filijs suis, peregre ire cupiens, & negociari. Contigit autem illum ex dispositione Dei puerum quendam, qui erat in naui, diligere, qui illi quoq; in naui ministrabat, & ipse etiam ab eo reficiebatur comedens ex his, quæ ille comedebat. Die verò quadam audiuit nautas puer submurmurantes inter se, & statuentes illum in mare proijcere pretiosorum lapidum causa. Venit autem puer ille mœrens ad virum prædictum, vt ex consuetudine sua ipsi ministraret. Qui ait illi: Cur hodie ita mœstus es, fili? Ille verò dissimulabat dolorem, & tacebat. Rursum interrogauit eum dicens: Dic mihi veraciter, quid habes? Tunc ille erumpens in fletum ait illi: Sic & sic consilium fecerunt nautæ de te. Dixit autem ei: Nosti hoc diligenter? Ait: Vtiq; sic de te apud se ipsos statuerunt. Tunc aduocans filios suos dixit eis: Quodcunq; dixero vobis, impigrè, & absq; vlla disceptatione perficite. Tunc explicans sindonem cœpit eis dicere: Afferte capsulas. Quas cùm tulissent, aperiens eas cœpit educere lapides. Et cùm omnia explicuisset, & in omnium conspectum posuisset, sic dicere cœpit: Hæc vita est? Propter ista periclitor? & cum mari pugno? & post modicum morior? nihilq; mecum ex isto seculo fero? Dixit autem filijs suis: Proijcite in mare ista omnia. Mox itaq; vt locutus est, tulerunt ea, & in mare proiecerunt. Porrò nautæ obstupuerunt, consilium suum dissipatum esse cognoscentes.

QVOMODO MVLIER RELIGIOSA, ET TIMENS DEVM, MONACHVM A TVRPI DESIDERIO COMPESCVERIT.

CAP. CCIIII.

DICEBAT aliquis patrum: Frater quidam à serpente morsus est, ingressusq; est ciuitatem, vt curaretur. Suscepit autem illum religiosa quædam mulier, & timens Dominum, & curabat eum. Cùm verò modicùm cœpisset à doloribus deseri, cœpit illi diabolus immittere turpes cogitationes in eam, volebatq; tangere ipsius manum. Quæ dixit ei: Non ita, pater. Christum time. Recole tristitiam, & pœnitentie dolorem, quem in cella tua passurus es. Memento gemituum, & lachrymarum, quas effusurus es. Hæc ille, & alia similia cùm ab ea audisset, fugit ab ipso pugna diaboli, iamq; erubescens inde fugere volebat, non valens præ pudore in ipsius faciem intendere. Illa rursus eum in visceribus Christi miserans dicebat ipsi: Noli discedere, pater. Opus adhuc habes fomentis. Non erat puræ animæ tuæ illa cogitatio, sed perditi, corruptorisq; diaboli suggestio. Atque ita sine scandalo curatum illum à se cum viatico dimisit.

DE ALIA MVLIERE PRVDENTE, QVAE SE IMPETENTEM MONACHVM SAPIENTI CONSILIO REIECIT.

CAP. CCV.

NARRAVIT nobis quidam, quòd aliquis manens in cœnobio missus est pro responsis cœnobij. Erat autem quidam religiosus secularis in vico morans, apud quem ille diuertebat, quoties veniret in vicum. Habebat verò ille filiam nuper viduam relictam, quæ vixerat cum viro suo vnum, aut duos annos. Cùm ergo frater ille ingrederetur, & egrederetur ad eos, impugnari de illa cœpit. Quæ, vt erat prudens, id cognouit, & obseruabat se, vt non veniret in conspectum eius. Quadam verò die intrauit pater eius proximam ciuitatem cuiusdam necessitatis causa, dimittens eam in domo solam. Veniens autem frater ille secundùm consuetudinem, solam eam reperit, & dixit ei: Vbi est pater tuus? Cui illa: Ingressus est ciuitatem. Cœpit ergo turbari ab impugnatione, volens insurgere in eam. Quæ cum omni prudentia dixit ad illum: Noli turbari. Pater meus vsq; sero non reuertetur. Hîc ambo sumus. Scio autem, quod vos monachi sine oratione nihil facitis. Surge itaq;, & ora Deum, & quicquid miserit in cor, hoc faciamus. Ille verò non acquiescebat, sed perturbabatur magis. Quod illa vbi animaduertit, ait illi: Nunquid cognouisti vnquam mulierem? Dicit ei: Non. Sed scire volo, quid nam sit. Quæ ait illi: Idcircò turbaris, quia ignoras fœtorem infelicium mulierum. Et volens illi passionem imminuere, dixit: Nunc ego sum in menstruis, & nemo mihi appropinquare potest, neq; odorari præ fœtore. His ille alijsq; plurimis ab ea auditis, compunctus, & in se ipsum rediens, lachrymatus est. Postquam verò vidit illum puella ad se ipsum redijsse, dixit ei: Ecce si te audissem, & obtemperassem tibi, iamq; peccatum perpetrauissemus, qua deinceps facie, quibus oculis aspicere potuisses patrem meum? vel reuerti ad monasterium tuum, & audire psallentium sanctorum chorum? Deprecor itaq; vt sobrius, ac vigilans sis, nec velis iam propter breuem voluptatẽ perdere tot labores, quot pertulisti, † æternisq; priuari bonis. Audiens autem hæc ipsius verba frater ille, qui passus fuerat tentationem, quiq; ista retulit, gratias agens Deo, qui illum per mulieris prudentiam, & pudicitiam, ne funditus periret, eripuerat, reuersus est ad monasterium, & peccati sui pœnitentiam egit.

† Vide quantum sit peccatum, Monachum fornicationem incurrere.

QVA ARTE MVLIER QVAEDAM ILLVSTRIS MANSVETVDINEM EDOCTA SIT.

CAP. CCVI.

Nota peregrinationem ad loca sancta adorationis gratia.

Ecce hic duas Virgines.

NARRAVIT quidam ex patribus, quòd mulier illustris, & ex senatorio genere, venerit adorare sancta 1 loca. Cùmq; descendisset Cæsaream, placuit sibi illic requiescere, rogauitq; Episcopum dicens: Da mihi vnam 2 virginem, vt informet me, & doceat timorem Dei. Eligens autem Episcopus virginem humilem, tradidit ei. Post aliquantulum verò temporis occurrens illi Episcopus ait: Quomodo se gerit Virgo, quam assignaui tibi? Quæ ait: Bona quidem est, sed non valde prodest animæ meæ, permittit enim me voluntates meas facere, cùm sit humilis. Sumens autem Episcopus vnam duriorem dedit ei, quæ illam obiurgabat, appellans eam fatuam diuitem, & his similia illi exprobrans. Post tempus aliquod rursum illam rogauit Episcopus: Quomodo se habet altera Virgo? Quæ dixit: Reuera ipsa prodest animæ meæ. Atque ita magnam acquisiuit mansuetudinem.

VITA PVELLAE ALEXANDRINAE, QVAE A' SANCTIS ANGELIS DE SACRO FONTE FVIT LEVATA.

CAP. CCVII.

NARRAVIT nobis Abbas Theonas, & Theodorus, quòd Alexandriæ sub Paulo Patriarcha puella quædã relicta fuerat pupilla à parentibus magna facultate locupletibus. Erat autem adhuc sine baptismo. Die verò quadam ingressa pomarium, quod sibi reliquerant parentes eius (sunt enim in medio ciuitatis pomaria) vidit quendam parantem sibi laqueum, vt se præfocaret. Cucurrit igitur, & dixit ei: Quid facis, homo? Dixit autem ei. Dimitte me, mulier, quoniam in multa tribulatione sum. Quæ ait illi: Dic mihi causam, & fortasis iuuare te potero. Dixit illi: Graui ære alieno premor, & valde suffocor à creditoribus, elegiq; potius vitam semel finire, quàm quotidie mori. Quæ dixit illi: Quæso te, accipe

omnia, quæ habeo, & redde; tantùm ne perdas te ipsum. Sumens verò ille reddidit omnia. Puella ergo angustari cœpit, non habens, qui sibi curam gereret. Itaq; destituta parentum solatio, fornicari instituit, & inde sibi victum quærere. Dicebant ergo viri illi sancti: Quis nouit ista, nisi solus Deus? quomodo scilicet permittatur anima propter causam aliquam ipsi soli cognitam, ad tēpus derelinqui? Post aliquantulum temporis infirmata est puella, & in se reuersa compuncta est, orauitq; Pontificem, vt faceret illam Christianam. Omnes autem aspernabantur eam dicentes: Quis hanc suscipiat, quæ meretrix est? Affligebatur autem vehementer. Cùm verò in his esset angustijs, astitit illi Angelus in specie hominis, cum quo misericordiam fecerat. Cui illa dixit: Cupio fieri [illegible]a, & nemo vult pro me loqui. Qui ait: Nuuquid re vera istud cu[illegible]ondit illa: Vtiq; domine, & deprecor te, vt hoc mihi impetres. Q[illegible]li tristari. Ego adducam aliquos, qui te accipient. Adduxit ergo [illegible]s & ipsos sanctos Angelos, duxeruntq; illam in Ecclesiam. Rursumq; se ipsos transformantes in personas quasdam illustres, & notas ex ordine Augustalium, vocant clericos, Presbyterum scilicet, & Diaconum, qui in hoc ipsum constituti erant. Dicunt eis clerici. Vestra charitas pro ea pollicetur. Illi autem responderunt: Etiam nos pro illa pollicemur. Sumentes ergo illam baptizauerunt; & albis induta rursus ab eis subuecta est. Quam cùm deposuissent, euanuerunt. Vicini ergo cùm illam ita albis [g] indutam viderent, postquam recesserunt illi, dicunt ei: Quis te baptizauit? Nunciauit autem eis rem totam, dicens: Venerunt quidam, & tulerunt me in Ecclesiam, locutiq; sunt clericis, & baptizauerunt me. Et dixerunt ad eam: Qui sunt illi? Cùm verò non posset dicere, qui essent, illi abeuntes nunciauerunt Episcopo. Dixit autem Episcopus his, qui ad baptizandum constituti erant. Vos illam baptizastis? Et confessi sunt se illam baptizasse exoratos ab illo, & illo Augustalibus. Porrò accersitis ex Prætorio his, quos clerici dixerant, dixit Episcopus: Num ipsi pro ista fideiussistis? Qui dixerunt: Neq; nouimus, neq; conscij sumus nobis hoc fecisse. Tunc verò iam cognouit Episcopus, Dei hoc opus esse. Conuocansq; illam dixit ei: Dic mihi, filia, quid gessisti boni? Quæ ait, meretrix existens, & paupercula, quid boni operari potui? Dixit illi Episcopus: Nihil'ne omnino operata es? Dixit ei: Non, nisi quòd videns quendam, qui à creditoribus premebatur, se suffocare volentem, data illi omni substantia mea liberaui eum. Et his dictis, continuò obdormiuit in Domino. Tunc Episcopus glorificans Dominum dixit: Iustus es domine, & rectum iudicium tuum.

[g] Vide quòd baptizati antiquitus alba veste induebantur.

PVLCHRA RESPONSIO SENIS FACTA FRATRI, QVI A TRISTITIA IMPVGNABATVR

CAP. CCVIII.

FRATER, qui à tristitia impugnabatur, interrogauit senem dicens: Quid faciam, quia cogitationes meæ insurgunt aduersum me dicentes: Inutiliter, & importunè renunciasti; saluari nonpotes? Dixit ad eum senior: Scis, frater, quia & si non possumus terram repromissionis ingredi, expedit nobis, vt cadamus in deserto, quàm vt reuertamur 1 in Aegyptum?

1 Ecce nunquã debere Monachum institutum suũ deserere.

PVLCHRA ADMONITIO CVIVSDAM SANCTI VIRI SVPER VERBIS ORATIONIS DOMINICAE, ET NE NOS INDVCAS IN TENTATIONEM.

CAP. CCIX.

DIXIT quidam sanctorum: Cùm oramus ad Dominum dicentes: Ne nos inducas in tentationem: non vt non tentemur oramus, hoc enim possibile non est, sed ne à tentatione absorbeamur, si aliquid agamus, quod displiceat Christo; hoc enim est non intrare in tentationem. Sancti enim martyres tentati per supplicia, nec superati, non intrarunt in tentationem; sicuti neq; qui pugnat cum bestia, quousq; non deuoratur ab ea; Cùm verò deuoratus fuerit, tunc introiuit in tentationem. Ita & in omni passione fit. Neque enim intramus in tentationem, nisi à passione superemur.

QVOMODO SANCTVS EPISCOPVS ALTERCANTEM SECVM ALTERVM HVMILITATE SVPERAVERIT.

CAP. CCX.

QVIDAM ex patribus narrauit de duobus vicinis Episcopis, quòd aliquando inter eos simultas quædam exorta sit. Erat autem ex his alter quidem diues, & astutus, alter verò humilis valde. Quærebat'que astutus ille alium lædere. Quod cùm ipse comperisset, ait clero suo: Christi gratia vincere possumus. Dixerunt'que illi: Quis, domine, aduersus istum præualere possit? Et ait illis: Expectate paulisper, & videbitis misericordiam Dei. Obseruauit igitur diem, qua ille martyrum 1 festiuitatem celebraret, assumens'que clerum suum ait illis: Sequimini me, & quicquid me facere videritis, & vos facite, prorsus'que victores erimus. Dicebant ergo: Quid putas facturus est? Venit igitur ad Episcopum, & pertranseunte 2 Litania, populoque totius ciuitatis congregato, procidit ad pedes eius cum toto clero suo dicens: Ignosce nobis, domine, serui tui sumus. Stupefactus ille, atque compunctus in tanta Episcopi humilitate, Deo cor illius immutante, pedes illius tenuit dicens: Tu meus & dominus, & pater es. Facta'que est inter eos ex illa die magna charitas, atque concordia. Dicebat autem clero suo humilis ille: Nunquid non per Christi gratiam vicimus? Et vos ergo cùm habetis inimicum, ita facite, & victores eritis.

1 Etiam olim festa sanctorum martyrum celebrabantur.

2 Vide Litaniarũ vsum antiquũ in Ecclesia.

DIXIT iterum senex: Maiorem habet gloriam humilis, quàm Rex. Ille enim solùm in faciem laudatur, hic autem semper, & vbique laudatur, & beatus prædicatur.

DE SENE MAGNAE VIRTVTIS, QVI FRATREM SVA ILLI SVFFVRATVM A CARCERE LIBERAVIT.

CAP. CCXI.

NARRAVIT nobis Abbas quidam, dicens: Erat prope cœnobium nostrum senex quidam lenissimi animi, maximæq; virtutis. Habebat autem in vicino cellæ suæ fratrem, qui per instignationem diaboli die quadam, dum abesset senex, ingressus est cellam eius, libros'q; illius, & vasa diripuit. Cùm ergo rediisset senex, & aperto ostio, vidisset vasa, omnem'q; supellectilem sublatam esse, perrexit ad fratrem, vt nunciaret ei, quid sibi contigisset, inuenit'q; vasa adhuc in medio posita; nondum enim frater ea reposuerat. Nolens autem senior confundere, vel arguere fratrem, simulata necessitate, continuò ad necessaria naturæ egressus est, ibi'q; permansit per multam horam, donec frater ille vasa de medio tolleret, atq; reponeret. Veniens autem postmodum senex, de alia re illum alloqui cœpit, neq; ipsum omnino arguit. Post paucos autem dies deprehensum est à quibusdam fratris furtum, missus'q; est in carcerem, sene nihil penitus sciente. Comperto autem, quòd in carcerem frater ille coniectus esset, ignorans causam senior, venit ad monasterium nostrum, ad quod accedere sæpè consueuerat, dixit'que mihi: Fac charitatem, & da mihi aliqua esculenta. Et aio ad illum: Num aliquem habes hospitem? Dixit autem mihi: Habeo sanè. Accepit autem ea senior, vt iret ad fratrem in carcerem, & consolaretur, ac reficeret eum. Vt autem ingressus est carcerem, procidit frater ille ad pedes eius, dicens: Propter te hîc detineor, Abba. Ego enim sum, qui tua omnia furatus fui. Sed ecce liber tuus apud illum est, & pallium tuum, & cætera illo, & illo in loco sunt. Dixit ei senior: Certus esto, fili, id'q; firmiter tene, quia non idcirco ad te veni. Neq; enim sciebam penitus, quòd propter me hîc esses. Immò comperto, quòd hîc detinereris inclusus, indolui, ingressus'q; sum consolandi tui causa. Nam ecce quæ attuli pro refectione tua. Faciam autem omnia, vt te de carcere liberem. Profectus'q; rogauit pro eo quosdam de principibus. Quibus cùm nota esset viri virtus, mittentes eduxerunt fratrem illum de custodia.

DE DVOBVS SENIBVS, QVI MIRA PATIENTIA ERGA LATRONES VSI SVNT.

CAP CCXII.

DICEBAT quidam senum: Accessit ad nos senex magnæ virtutis. Legentibusq; nobis patrum vitas, atq; sententias (Delectabatur enim senex ille ea potissimum lectione, ita vt esset illi semper in ore, & in corde; vnde & ex ea maximum virtutis fructum acquisiuit) ad eum senem legendo ventum est, ad quem ingressi latrones dixerunt: Omnia, quæ habes in cella tua, tollere venimus. Ipso verò dicente: Quæcunq; videntur vobis, filij, tollite: tulerunt omnia, & abierunt. Et cùm solum marsupium, quod pendebat, reliquissent, senex, illo accepto, post eos sequebatur clamans, ac dicens: Accipite, filij, à me, quod tollere obliti estis de cella nostra. Quamobrem admirantes illi senis tolerantiam, omnia suis locis in cellulam reuersi restituerunt, dicentes adinuicem: Verè hic homo Dei est. Cùm igitur hoc legeremus, ait ad me senex: Hoc exemplum mihi multum profuit, Abba. Ad quem ego: Quomodo pater? Et ait mihi: Cùm aliquando morarer prope loca Iordanis, legi hoc, & mirabar hunc senem, & dicebam: Domine Deus, qui me ad hunc habitum vocare dignatus es, fac me dignum huius vestigia sequi. Et cùm arderem summo affectu imitandi eum, post biduum superuenerunt latrones, & pulsantibus illis ianuam, agnoui, quia latrones essent, dixiq; in me ipso: Deo gratias. Tempus est, vt ostendam fructũ desiderij mei. Aperiens autem ianuam, hilariter suscepi eos, & accendi lucernam, & cœpi eis omnia ostendere, dicens ad eos: Nolite turbari. Confido in Domino, quia nihil celabo vos. Aiunt autem mihi: Habes aurum? Et dixi eis: Etiam habeo tria numismata, posuiq; illa coram eis. Qui accipientes ea abierunt in pace. His ego auditis, iocans dixi seni: Nunquid isti ad te reuersi sunt, quemadmodum illi ad senem? Qui statim dixit mihi: Non. Auertat hoc Deus. Neque enim voluissem ego, vt reuerterent.

CVR SIGNA, ET PRODIGIA DIVINITVS IN SANCTA ECCLESIA FIANT.

CAP. CCXIII.

1 Propter hæreses fiunt miracula in Dei Ecclesia.

2 Nota sanctos patres, & martyres facere miracula.

DICEBAT senex quidam: Signa, & prodigia diuinitus vsque hodie in Ecclesia fiunt propter eas, quæ pullularunt, & quotidie pullulant, impias 1 hæreses, & maximè propter Acephali Seueri, & cæterorum perniciosas chismata, ad munimen, ac firmitatem infirmarum animarum, atq; ad illorum ipsorum, si ita voluerint, conuersionem. Propterea igitur & à 2 sanctis patribus, & à beatissimis martyribus ab initio fidei vsq; hodie fiunt mirabilia in sancta Catholica, & Apostolica Ecclesia.

MIRACVLVM FONTIS BAPTISMALIS IN COEANENSIVM CIVITATE.

CAP. CCXIIII.

SORVBA vicus quidam est ad radices montis, in quo sita est Cœanensium ciuitas. In eo baptisterium est, quod in sanctis Epiphanijs sudat, qui sudor per tres horas continuis incrementis augetur, & post baptisma peractum decrescere incipit, & tribus alijs horis sensim deficit.

ALIVD MIRACVLVM BAPTISTERII CASTELLI CEDEBRATIS.

CAP. CCXV.

EST & in castello Cedebratis, quod sub monte Aenoandron ciuitatis situm est, baptisterium, quod in paschali sanctæ resurrectionis festiuitate, cùm sit lapis vnus, ex se ipso continuò impletur. Duratq; aqua illa vsq; ad Pentecosten, mox'q; transacta Pentecoste euanescit. Vtraq; verò ista miracula in prouincia Lyciæ fiunt. Siquis autem hæc ita esse non credit, vsq; ad Lyciam non grande iter est, pergat, vt rei veritas fidem illi faciat.

In paschali sanctæ resurrectionis festiuitate.

PRVDENS CONSILIVM DE NON TEMERE DIFFINIENDO, DEQVE NON SERVANDO QVAE TEMERE DIFFINITA FVERINT.

CAP. CCXVI.

CVM essem semel in sancta ciuitate, venit ad me vir quidam fidelis, & dixit mihi: Quia quædam indignatio oborta est inter me, & fratrem meum, & ille non vult reconciliari mihi, alloquere illum, & ad reconciliationem exhortare. Quod ego libentissimè suscipiens, conueni fratrem illius, locutus'q; cum illo sum ea, quæ ad charitatem, & concordiam pertinere videbantur. Visus'q; est interim obtemperare mihi. Postmodum verò dixit ad me: Reconciliari nequeo, quia iuraui per Crucem vltra illi non reconciliari. Quo audito, subridens aio ad illum: Iuramentum tuum talem habet vim, ac si dixisses: Per pretiosam Crucem tuam, Christe, non obseruabo mandata tua, sed inimici tui diaboli voluntatem faciam. Non solùm enim non debemus ea seruare, quæ à nobis pessimè diffinita fuerint, sed etiam maximè pœnitentiam agere, & affligi in his, quæ contra nostram salutem malè diffiniuimus. Nam si Herodes pœnitentiã egisset, neq; iusiurandum, quod stultè emiserat, seruasset, nunquam profectò maximum illud scelus admisisset, vt precursorem Christi decollaret. Quod quidem ipsius Basilij sententia cõfirmatur, quã de Euangelio sumpsit, qñ voluit Dñs lauare pedes beati Apostoli Petri, cùm ille primò pertinaciter obsistens, postea sententiam mutauit.

OPTIMVM SENIS CONSILIVM, NE MONACHVS MVLIERI APPROPINQVET.

CAP. CCXVII.

Noverit mo- derni hæretici, qui a la- teribus fœmi- narum nun- quam disce- dere volunt.

DIXIT senior quidam: Filioli sal ex aqua est, & si appropinquauerit aquæ, continuò soluitur, & deficit. Et monachus similiter ex muliere est. Itaque si appropinquat mulieri, soluitur & ipse, atque in illa definit, vt iam monachus non sit.

QVOMODO ABBAS SERGIVS INIVRIANTEM AGRICOLAM PATIENTIA CONFVDERIT.

CAP. CCXVIII.

NARRAVIT nobis Abbas Sergius dux monasterij Abbatis Constantini, dicens: Cùm aliquando iter ageremus cum quodam sancto sene, errauimus de via, & neque scientibus nobis, neque volentibus, inter sata inuenti sumus, & aliqua de satis volentes nolentesque calcauimus. Quod cùm vidisset agricola (erat enim illic operans) cœpit contra nos iniuriosa multa proferre cum iracundia, dicens: Vos monachi estis? Vos timetis Deum? Si timorem Dei ante oculos habuissetis, hoc profectò non fecissetis. Tunc ait nobis sanctus senior: Per Dominum nullus ei respondeat. Conuersusque ad illum dixit: Rectè locutus es, fili mi. Nam si timorem Dei haberemus; non ita fecissemus. Ille rursus furens, contumelijs impetebat nos. Rursumque dixit senior ad illum: Vera prosequeris, fili, nam si veri Monachi essemus, illud non egissemus. Sed per Dominum indulge nobis, quoniam peccauimus. Stupefactus ergo ille ad tantam senis humilitatem, accessit propius, prostrauitque se ad pedes senis dicens: Peccaui, indulge mihi, & per Dominum assume me vobiscum. Dicebatque beatus Sergius, quia secutus sit illos rusticus, & acceperit habitum.

Vides quòd monach' factus accepit habitum?

QVOMODO FRATER QVIDAM HVMILITATE DIACONO DE SE CONQVERENTI RECONCILIATVS SIT.

CAP. CCXIX.

NARRAVIT nobis senior quidã de se dicens. Cùm aliquãdo morarer ad breue tẽpus in monasterio Abbatis Gerasimi, habebã quendam mihi maximè dilectum fratrem in contubernio. Die verò quadã sedentibus nobis, & de vtilitate animæ loquẽtibus, mentionẽ feci ego de sermone quodã Abbatis Pœmenis. Qui ait ad me: Ego experimento didici verborum istorum vim, & tranquillitatem, ac vehementẽ efficaciã illorum. Habui enim semel Diaconum quendam monasterij mihi charissimum, atq; amantissimum mei. Huic, nescio vnde, venit suspicio de me cuiusdam rei sibi inferentis mœrorem, cœpitq; contristari, & me non, vt solebat, gratè intueri. Videns autem ego illum tristem, causam ab eo tristitiæ percontari cœpi. Qui dixit mihi: Quia rem istam fecisti. Ego cùm nihil mihi omnino ipsius rei conscius essem, cœpi illi satisfacere, ac dicere nullam ipsius rei me habere conscientiam. Et ait mihi: Ignosce, frater, mihi satisfactum non est. Profectus itaq; ab illo in cellulam meam, cœpi examinare cor meum, an tale aliquid à me fuisset admissum, neq; inueniebam. Cùm ergo ille teneret sanctum calicem in manibus, fratribusq; distribueret, accessi ad eum, & iuraui per ipsum calicem nihil me omnino tale gessisse. Nec sic quidem illi satisfactum est. Rursus verò in me ipsum rediens, verbaq; ista sanctorum patrum memoria repetens, eisq; credens, verti paulisper cogitationem meam, & dixi in me ipso: Diaconus iste intensissimè diligit me, & charitate motus hoc dixit mihi, quod erat in corde suo de me, vt sobrius, ac vigilans sim, & de cætero custodiam me ipsum, & istud vltra non faciam. Sed tu, infelix anima, dum dicis: Non feci hanc rem: innumera mala gessisti, & latent te. Vbi sunt, quæ fecisti heri, vel nudius tertius, vel ante decem dies? Recole ea si potes. Et hoc itaq; fecisti, sicut & illa, & latet te similiter, vt illa. Sic itaq; animo affectus, quasi reuera id fecissem, sed inter cætera oblitus essem, cœpi gratias referre Deo, & diacono, quoniam per ipsum Dominus dignum me fecisset recognoscere peccatũ meum, & pœnitentiam de ipso agere. Surgens igitur perrexi ad Diaconum, vt pœnitentiam agerem, & illi referrem gratias. Vt ergo pulsaui ipsius ianuam, continuò aperiens, primus se mihi prostrauit dicens: Ignosce mihi; nam à dæmonio mihi suggestum est, vt rem illam falsò de te suspicarer. In veritate enim Deus me certum reddidit innocentiæ tuæ. Neq; omnino permisit, vt illi satisfacerem, dicens mihi: Non est necesse. Ego igitũ maximè ædificatus glorificaui Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, incommutabilem, atq; indiuiduam Trinitatem; Cui est honor, & imperium, & magnificentia, & gloria in secula seculorum. Amen.

FINIS.

ERRATA.

Folio 8. facie 1. linea 40. pro feriebantur, lege, feriabantur.
Fol. 10. fac. 1. lin. 1. pro numero 1, pone, 10.
Fol. 15. fac. 1. lin. 2. pro ſtinam, lege, nam.
Fol. 26. fac. 1. ſcho. 2. pro ſetuari, lege, ſeruari.
Fol. 29. fac. 1. lin. 7. pro abudici, lege, abduci.
Fol. 30. fac. 1. lin. 16. pro abſconditam, lege, abſconditum.
Fol. 33. fac. 1. lin. 30. pro ſeumdum, lege, ſecundum.
Fol. 35. fac. 1. lin. 6. pro ſequæbatur, lege, ſequebatur.
Fol. 37. fac. 1. lin. 35. pro ſernauit, lege, ſeruauit.
Fol. 48. fac. 1. lin. 3. pro puncto ? pone . .
Fol. 57. fac. 2. lin. 36. pro opeam, lege, operam.
Fol. 60. fac. 1. lin. 20. pro quærebantur, lege, querebantur.
Fol. 62. fac. 1. lin. 9. pro comendans, lege, commendans.
Fol. 63. fac. 2. lin. 43. pro ſanctam, lege, ſanctum.
Fol. 66. fac. 1. lin. 10. pro Græ gorius, lege, Gregorius.
Fol. 69. fac. 2. lin. 3. pro Vb, lege, Vbi.
Fol. 72. fac. 2. lin. 26. pro perſecutonem, lege, perſecutionem.
Fol. 74. fac. 1. lin. 2. pro pattris, lege, patris. Et lin. 25. ſo abundat.
Fol. 77. fac. 1. lin. 50. pro eicijendi, lege, eijciendi.
Fol. 78. fac. 2. lin. 28. pro præcatus, lege, precatus.
Fol. 86. fac. 1. lin. 42. pro tecedens, lege, recedens.
Fol. 88. fac. 1. lin. 18. pro fratrſbus, lege, fratribus. Et fac. 2. lin. 26. pro Ioannes, Iulianus.
Fol. 94. fac. 1. lin. 13. pro oppipum, lege, oppidum.
Fol. 96. fac. 1 lin. vltima, pro y ncerum, lege, ſyncerum.
Fol. 97. fac. 1. lin. 43. pro giudicij, lege, iudicij.
Fol. 100. fac. 1. lin. 8. pro vindicabant, lege, vendicabant. Et lin. 15. pro ſitam, ſitum.
Fol. 101. fac. 1. lin. 42. pro aporopinquaret, lege, appropinquaret.
Fol. 114. fac. 1. ſcho. 17. pro Inonoclaſtarum, lege, Iconoclaſtarum.
Fol. 126. fac. 2. lin. 49. pro ſanctume Gorgium, lege, ſanctum Georgium.
Fol. 130. fac. 1. lin. 2. pro actus, lege, factus. Et lin. 10. pro dæmon ſtrabatq;, demonſtrabatq;.
Fol. 135. fac. 2. lin. 2. pro ciuitatis, lege, ciuitas.
Fol. 145. fac. 2. lin. 47. pro puncto. pone ?.
Fol. 147. Vbicunq; inuenies ſcriptum octogintaquatuor, lege, octoginta.
Fol. 149. fac. 1. lin. 18. pro propetebant, lege, properabant.
Fol. 152. fac. 1. lin. 11. pro ſanctis illis, lege, ſanctos illos.
Fol. 159. fac. 1. lin. 17. pro pa:ienti, lege patientiam.
Fol. 173. fac. 1. lin. 2. pro æterum, lege æternum:
Fol. 176. fac. 1. lin. 45. pro combuſiſſent, lege, combuſsiſſent.
Fol. 209. fac. 1. lin. 23. pro Quam, lege, Quem.
Fol. 210. fac. 2. lin. 23. pro opprimabantur, lege, opprimebantur.
Fol. 233. fac. 2. lin. 30. pro diſperat, lege, diſpereat.
Fol. 234. fac. 2. lin. vltima, pro x, pone, ex.
Fol. 238. fac. 2. lin. 26. pro Virginem, lege Virgine.
Fol. 239. fac. 2. lin. 1. pro proficeſceretur, lege, proficiſceretur.
Fol. 257. fac. 2. lin. 15. pro propriijs, lege, proprijs.
Fol. 260. fac. 2. lin. 19. pro nam, lege, non; & pro non, nam.

&

Fol. 265. fac. 2. lin. 31. pro totijus, lege, totius.
Fol. 271. fac. 2. lin. 41. Vincentius abundat.
Fol. 275. fac. 2. lin. 42. pro Vrs, lege Vrbs.
Fol. 276. fac. 1. lin. 5. pro perſpicentia, lege, perſpicientiæ.
Fol. 279. fac. 1. lin. 21. pro erat, adiutor opem, lege, erat adiutor, opem &c.
Fol. 280. fac. 1. lin. 36. pro ali, lege, aliam rationem inijt.
Fol. 282. fac. 1. lin. 14. pro malificus, lege, maleficus.
Fol. 286. fac. 1. lin. 28. pro interfeceret, lege, interficeret.
Fol. 288. fac. 2. lin. 8. pro ſeunda, lege, ſecunda.
Fol. 294. fac. 1. lin. 15. pro commonebat, lege, commanebat.
Fol. 296. fac. 1. lin. 23. pro magnijficè, lege, magnificè. Et lin. penultima, pro aparuerat, apparuerat.
Fol. 304. fac. 1. lin. 7. pro lxvi, pone xlvi.
Fol. 307. fac. 1. lin. 34. pro ora, lege, oro.
Fol. 314. fac. 1. lin. 36. pro Ergo, lege, Ego.
Fol. 315. fac. 1. lin. 3. pro monumenmento, lege, monumento.
Fol. 322. fac. 2. lin. 37. pro eſt, lege, es.
Fol. 325. fac. 1. lin. 25. pro vi, pone, cui. Et fac. 2. lin. 34. pro ille, illo.
Fol. 328. fac. 1. lin. 9, & 10. pro adratione, lege, admiratione.
Fol. 332. fac. 2. lin. 12. pro Reſurctionis, lege, Reſurrectionis.
Fol. 339. fac. 2. lin. 21. pro ſcripta, lege, ſcriptæ.
Fol. 345. fac. 1. lin. 18. pro monaſterum, lege, monaſterium.
Fol. 348. fac. 2. ſcho. 2. pro intelligirur, lege, intelligitur.
Fol. 356. fac. 2. lin. 18. pro agapen, lege, agapem.

REGISTRVM.

* ** *** A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z. AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL MM NN OO PP QQ RR SS TT VV XX YY ZZ &.

Omnes ſunt quaterni, prẹter *** quod eſt duernus, &, vero ſimplex.